





# BIBLIA SACRA
## VULGATAE EDITIONIS
## SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iussu recognita,
## & CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita

*cum selectissimis Litteralibus Commentariis*

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

*ACCEDUNT*

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI observatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in sua singulæ capita tributæ: nec non selecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratissimi.

## TOMUS TERTIUS
complectens NUMEROS, & DEUTERONOMIUM.







VENETIIS
MDCCXLVII.

Excuderunt { MODESTUS FENTIUS, & IOANNES TYBERNINUS sub signo Providentiæ.

*SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.*



# LIBER NUMERORUM, HEBRAICE VAIEDABBER.

*Hoc in Libro, populi Hebræi variæ enumerationes recensentur, & eorum maxime qui ferendis armis erant idonei: unde apud Græcos, & Latinos Liber Numeri, aut Numerorum inscribitur. Res gestas Mosis per 39. fere annos, nempe a secundo mense anni secundi post exitum ex AEgypto, ad initium usque mensis undecimi quadragesimi anni complectitur. Quod hic Liber Mosem habeat auctorem, ex iis quæ dicta sunt in Pentateuchi præfatione planum est. Et quidem cum Moses in Lege sua Israelitas admoneat, ut eorum quæ Core, Dathan & Abiron acciderunt, meminerint, id omnino abhorret a verisimili huius eventus historiam ab eo scriptam non fuisse. Deinde cum Tribuum distinctione & Levitarum institutione omnis Reipublicæ status niteretur, eorum Genealogias, ut in libro Numerorum sunt descriptæ, ommittere non potuit Moses: nam ea Tribuum distinctio & Levitarum constitutio stare non poterant; ubi Genealogiæ confunderentur.*



## CAPUT PRIMUM.

*Numeratis duodecim tribuum bellicis viris, filii Levi ad deferendum tabernaculum instituuntur.*

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai in ta-
bernaculo foederis, prima die mensis secundi, anno alte-
ro egressionis eorum ex AEgypto, dicens: 2. (a) Tollite
summam universae congregationis filiorum Israel per cognatio-
nes & domos suas, & nomina singulorum, quidquid sexus est
masculini 3. a vigesimo anno & supra, omnium virorum for-
tium ex Israel, & numerabitis eos per turmas suas, tu & Aa-
ron. 4. Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum
in cognationibus suis, 5. quorum ista sunt nomina: De Ruben, Elisur filius Se-
deur: 6. de Simeon, Salamiel filius Surisaddai: 7. de Iuda, Nahasson filius Ami-
nadab: 8. de Issachar, Nathanael filius Suar: 9. de Zabulon, Eliab filius He-
lon. 10. Filiorum autem Ioseph, de Ephraim, Elisama filius Ammiud: de Ma-
nasse, Gamaliel filius Phadassur. 11. De Beniamin, Abidan filius Gedeonis: 12.
de Dan, Ahiezer filius Amisaddai: 13. de Aser, Phegiel filius Ochran: 14. de
Gad, Eliasaph filius Duel: 15. de Nephthali, Ahira filius Enan. 16. Hi nobilis-
simi principes multitudinis per tribus & cognationes suas, & capita exercitus Israel:
17. quos tulerunt Moyses & Aaron cum omni vulgi multitudine: 18. & congregave-
runt primo die mensis secundi, recensentes eos per cognationes, & domos, ac fa-
milias & capita, & nomina singulorum, a vigesimo anno & supra, 19. sicut
praeceperat Dominus Moysi. Numeratique sunt in deserto Sinai. 20. De Ruben primo-
genito Israelis per generationes & familias ac domos suas, & nomina capitum sin-
gulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno & supra, procedentium
ad bellum, 21. quadraginta sex millia quingenti. 22. De filiis Simeon per generationes
& familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina & capita singulo-
rum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno & supra, procedentium ad
bellum, 23. quinquaginta novem millia trecenti. 24. De filiis Gad per generatio-
nes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina
singulorum a viginti annis & supra, omnes qui ad bella procederent, 25. qua-
dragintaquinque millia sexcenti quinquaginta. 26. De filiis Iuda per generationes &
familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno &
supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 27. recensiti sunt septuaginta quatuor
millia sexcenti. 28. De filiis Issachar per generationes & familias ac domos cognatio-
num suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes qui ad bella
procederent, 29. recensiti sunt quinquaginta quatuor millia quadringenti. 30. De fi-
liis Zabulon per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti
sunt per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bel-
la procedere, 31. quinquaginta septem millia quadringenti. 32. De filiis Ioseph,
filiorum Ephraim per generationes & familias ac domos cognationum suarum re-
censiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes qui poterant

ad

ad bella procedere, 33. quadraginta millia quingenti. 34. Porro filiorum Manaſſe per generationes & familias ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt per nomina ſingulorum a viginti annis & ſupra, omnes qui poterant ad bella procedere, 35. triginta duo millia ducenti. 36. De filiis Beniamin per generationes & familias ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt nominibus ſingulorum a vigeſimo anno & ſupra, omnes qui poterant ab bella procedere, 37. triginta quinque millia quadringenti. 38. De filiis Dan per generationes & familias ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt nominibus ſingulorum a vigeſimo anno & ſupra, omnes qui poterant ad bella procedere, 39. ſexaginta duo millia ſeptingenti. 40. De filiis Aſer per generationes & familias ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt per nomina ſingulorum a vigeſimo anno & ſupra, omnes qui poterant ad bella procedere, 41. quadraginta millia & mille quingenti. 42. De filiis Nephthali per generationes & familias ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt nominibus ſingulorum a vigeſimo anno & ſupra, omnes qui poterant ad bella procedere, 43. quinquaginta tria millia quadringenti. 44. Hi ſunt quos numeraverunt Moyſes & Aaron, & duodecim principes Iſrael, ſingulos per domos cognationum ſuarum. 45. Fueruntque omnis numerus filiorum Iſrael per domos & familias ſuas a vigeſimo anno & ſupra, qui poterant ad bella procedere, 46. ſexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta. 47. Levitæ autem in tribu familiarum ſuarum non ſunt numerati cum eis. 48. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 49. Tribum Levi noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filiis Iſrael; 50. ſed conſtitue eos ſuper tabernaculum teſtimonii & cuncta vaſa eius, & quidquid ad cæremonias pertinet. Ipſi portabunt tabernaculum & omnia utenſilia eius: & erunt in miniſterio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. 51. Cum proficiſcendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum; * cum caſtrametandum, erigent: quiſquis externorum acceſſerit, occidetur. 52. Metabuntur autem caſtra filii Iſrael unuſquiſque per turmas & cuneos atque exercitum ſuum. 53. Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio ſuper multitudinem filiorum Iſrael, & excubabunt in cuſtodiis tabernaculi teſtimonii. 54. Fecerunt ergo filii Iſrael iuxta omnia quæ præceperat Dominus Moyſi.

(a) Exod. xxx. 12.

## BRUGENSIS

### Romana Correctio.

V. 51. *Cum caſtrametandum*. Alii *cum caſtra metanda*, duabus vocibus, numeroque plurali, minus recte.

### Notatio.

V. 51. *Cum proficiſcendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum; cum caſtra metanda, erigent*. Quædam exemplaria legunt, *Cum caſtrametandum, erigent*. In Hebræo, Chaldæo, & Græco *proficiſci & caſtrametari* tabernaculo tribuitur: *In proficiſcendo tabernaculum, deponent illud Levitæ; & in caſtrametando tabernaculum, &c.* Verum id cum eo quod in noſtra eſt editione, in idem redit: ſimul enim proficiſcebantur, & caſtrametabantur tabernaculum, atque exercitus, Num. ix. nube, aut deferente tabernaculum, aut operiente: Exod. xl. verſ. 34. Eſt autem loci iſtius ſenſus: Cum tabernaculum alio transferendum erit, Levitæ illud in partes, ex quibus componitur, reſolvent; cum autem conſtiterit uno in loco, iidem illud conſtruent, atque erigent. Quiſquis autem qui de tribu Levi non ſit, aut ad diſſolvendum, aut ad conſtruendum acceſſerit, iudicum ſententia interficietur. Quod nos habemus, *Quiſquis externorum acceſſerit*, multa ſcripta legunt *exterorum*, Rabanus *extraneorum*. Annotavit autem & Rabanus intelligi hoc loco etiam Iſraelitas, qui de tribu Levi non ſunt.

COM-

# COMMENTARIA.

## SA.

Verſ. 1. SINAI; id eſt, quod eſt prope montem Sinai. SECUNDO, ſcilicet Aprilis.
Verſ. 2. DOMOS SUAS. Hebr. & Chald. LXX. *domos patrum ſuorum*, ut ſit explicatio præcedentis. LXX. *per domos familiarum ſuarum*.

V. 3. FORTIUM. Hebr. Chald. & LXX. *egredientium ad bellum*: ſcilicet qui eſſent ad militiam apti. PER TURMAS SUAS. Hebr. & Chald. *per vexilla ſua*, ſeu *cum vexillis ſuis*.

V. 5. FILIUS SEDEUR. Hebræi loco cognominis addunt filii nomini nomen patris.

V. 16. EXERCITUS, id eſt multitudinis.

V. 18. EOS, id eſt multitudinem, ſeu populum. DOMOS. Hebr. *domos patrum ſuorum*.

V. 20. GENERATIONES, id eſt cognationes. PROCEDENTIUM; id eſt, qui procedere poterant. Vide infra.

V. 32. FILIORUM, id eſt poſterorum.

V. 50. VASA, id eſt inſtrumenta, ſcilicet ſupellectilem. AD CAEREMONIAS PERTINET: ſcilicet, Hebr. *in eo eſt*. Chald. *ad illud pertinet*.

V. 51. EXTERNORUM, ſcilicet qui non ſit de tribu Levi. OCCIDETUR, ſcilicet iudicum ſententia.

V. 52. CUNEOS. Hebr. *vexilla*.

## ESTII.

V. 47. LEVITAE AUTEM IN TRIBU FAMILIARUM SUARUM NON SUNT NUMERATI CUM EIS. Rationem cur Levitæ non fuerint numerati cum ceteris tribubus filiorum Iſrael, adfert Scriptura: quia conſtituti erant ad ſerviendum tabernaculo, & faciendum ea quæ ad cultum divinum pertinebant; & propterea non erant numerandi cum iis quorum officium erat, ingruente bello, ad pugnam procedere. Hinc argumentum ſumi poteſt, tanto magis clerum Eccleſiaſticum eſſe debere immunem ab officiis & oneribus belli, quanto ſacratiora myſteria ab illis tractantur. Sciendum tamen Levitas non ita fuiſſe a negotiis belli immunes, quin prælio intereſſe poſſent, non tam ad pugnandum, quam ad exhortandum alios, ut habemus Deut. XX. ubi iubetur ſacerdos, appropinquante prælio, ſtare ante aciem, & præſcriptis verbis populum exhortari, quod & factum legitur II. Par. XIII. Filii quoque Heli cum arca Domini præſentes erant in prælio. Item tempore Machabæorum legimus ſacerdotes pugnaſſe in prælio: & ipſe Iudas Machabæus, Ionathas & Simon fratres eius, & ſummi ſacerdotes erant, & belli duces. Itaque licitum illis erat prælio intereſſe, & contra hoſtem pugnare, quia tales erant ſacerdotes qui cruenta tractarent ſacrificia: non tamen ex lege tenebantur. Sacerdotibus autem novæ legis illicitum eſt, eo quod incruento ſacrificio offerendo deputati ſunt; ideoque eos a cruore fundendo convenit eſſe maxime alienos.

V. 51. QUISQUIS EXTERNORUM ACCESSERIT, OCCIDETUR. Externos vocat non alienigenas tantum, ſed & omnes eos qui non erant de tribu Levi. Reliquis igitur Iſraelitis quidem licitum erat accedere ad oſtium tabernaculi, cauſa orandi; aut offerendi ſacrificia, ſed non ad faciendum ea quæ peculiariter Levitis mandata erant, id eſt ad erigendum, vel deponendum tabernaculum, & omnino ad contrectanda ea ex quibus tabernaculum compoſitum erat. Notandum, quod in Hebr. pro *deponere*, & *erigere*, eſt *diſſolvere*, & *conſtruere* ſeu componere. Quando enim proficiſcendum erat, & tabernaculum transferendum, Levitæ reſolvebant illud in partes, ex quibus compoſitum erat; cum autem quieſcendum erat aliquo in loco, rurſum conſtruebant illud, partibus compoſitis inter ſe.

## MARIANAE.

Verſ. 3. TOLLITE SUMMAM... VIRORUM FORTIUM. Heb. *egredientium ad exercitum in Iſrael*: nimirum qui poſſunt arma capere.

V. 16.

*V.* 16. HI NOBILISSIMI PRINCIPES MULTITUDINIS. Hebr. *Hi vocati e congregatione*, id est e populo, *principes tribuum patrum suorum*.

*V.* 18. RECENSENTES EOS PER COGNATIONES. Hebr. *Et adgenerati sunt per familias*: nimirum singuli adscripti sunt familiis suis.

*V.* 50. SED CONSTITUE EOS. Sic Sept. & Chaldæus; sed vox Hebraica הפקד *haphked* reddi potest, *numerare fac Levitas super tabernaculo*; ut quos a populi numero excludit quasi ab oneribus populi immunes, mandet tamen sigillatim numerari ad opera tabernaculi perficienda.

## MALVENDAE. *

*Vers.* 3. OMNIUM VIRORUM FORTIUM. Heb. *Omnem egredientem exercitus*. Quidam, *Omnes aptos ad egrediendum in militiam*. Qua ratione notant excludi, non minores ætate solum, sed causarios quoque omnes, quos aut senium, aut valetudinis gravitas impedivit. Sic in sequentibus passim. ET NUMERABITIS EOS PER TURMAS SUAS. Hebr. *Visitabitis eos per militias, exercitus, eorum*. Quidam reddunt: *Agetis, habebitis, facietis delectus*.

*V.* 4. ERUNTQUE VOBISCUM, &c. Nos hunc versum in nostra Translatione ex verbo, nostro more reddidimus ( *Et ad vos erunt vir vir baculo : vir caput domui patrum suorum ipse*. ) Alii ita transferunt: *Sintque vobiscum viri de singulis tribubus, quorum quilibet caput domus sit patrum suorum*. Alii: *Sunto autem vobiscum vir unus ex unaquaque tribu : vir primarius in domo maiorum suorum esto*; id est, Adsint vobis in faciendo delectu vir unus ex unaquaque tribu : & quisque ex istis viris sit primarius, princeps familiæ suæ.

*V.* 16. NOBILISSIMI. קריאים *keriiim* proprie *vocati, convocati:* nimirum convocari soliti ad consilia capienda de rebus Regni & rei publicæ. Exponunt, *maiores, magnates, famati, celebres, inclyti, magni nominis*: qui ab omnibus vocari & appellari solent. Hispanica translatio, *Ilamados de la compana*. Hi ergo suam quisque tribum repræsentabat.

*V.* 17. QUOS TULERUNT, &c. Hunc versum ex Hebræo quidam ita reddunt: *Et accepit Moses & Aharon viros illos, qui cavati sunt cum nominibus*; id est, quorum nomina punctis sunt notata. Alii: *Viros istos, qui numcupati sunt in nominibus*. Verbum נקבו *nikkebu* convenit cum *numcupati*. Nonnulli: *Assumpsit itaque Moseh, & Aharon viros istos, qui expresse nominati fuerant*; vel *qui diserte expressi sunt nominibus suis*. Observant, verbum נקב *nakab* hic peculiarem modum significandi habere, nempe *excavare in dica*, seu *notare*, aut *signare foraminibus seu puncturis*: sic etiam sumi I. Paralip. XII. vers. 31. Vide Genes. XXX. vers. 28.

*V.* 18. RECENSENTES. יתילדו *iitialdu* verbum ex Hithpahel varie convertunt. I. *Aggeneraverunt se*. II. *Secundum genealogiam recensiti sunt*. III. *Genealogati*, seu *genealogizati sunt*. IV. *Ostenderunt a quo geniti essent*, sive *ostenderunt, & ediderunt suum genus*. V. *Natales suos professi sunt*.

*V.* 20. PER GENERATIONES ET FAMILIAS AC DOMOS SUAS. Notant progredi hic Mosen a genere ad speciem: primum generationes ponere, quia initium ab uniuscuiusque tribu fieri oportuit, nimirum a primo generis proauctore; deinde ad familias ( quas & domos patrum appellat, tamquam synonyma ) descendere; in familiis deinde censeri capita.

*V.* 51. QUISQUIS EXTERNORUM ACCESSERIT, OCCIDETUR; id est, quicumque non fuerit e tribu Levi, si propius accesserit ad admovendas manus, deponendo, aut erigendo tabernaculo, interficietur iudicum sententia. Sic vox *alieni*, & *extranei* sæpius sumitur in lege pro eo qui non esset de genere Sacerdotali, aut Levitico.

* Die 22. Aprilis 1622.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. IN DESERTO SINAI. Omnia enim hæc a cap. I. usque ad cap. X. num. 11. facta sunt in duodecima mansione, quæ fuit in Sina. IN TABERNACULO, in Sancto sanctorum, & propitiatorio.

*V.* 2. TOLLITE SUMMAM. Alius etiam census populi initus fuerat in deserto ante fabricam tabernaculi pro contributione ad eamdem excitandam Exod. XXXVIII. 25. Nunc secundo numeratur populus ad castra melius & ordinatius instruenda, & ut exactius populi numerus constaret, aptiusque castra circa tabernaculum disponerentur.

tur. FILIORUM ISRAEL: nulli enim proselyti, aut AEgyptii, aut ex aliis gentibus oriundi numerati sunt, licet non exigua horum esset multitudo inter Hebæos, ut patet Exod. XII. 38. QUIDQUID SEXUS EST MASCULINI: nam feminæ, & pueri ad bella inepti; hic autem ineunda erat summa virorum fortium, quorum usus in bello esse poterat.

*V.* 3. A VIGESIMO ANNO ET SUPRA: quia hæc ætas militiæ apta. OMNIUM VIRORUM FORTIUM. Omnes plane numerati, & omnes fortes erant divino beneficio: nam, ut est in Psal. *non erat in tribubus eorum infirmus*.

*V.* 4. PRINCIPES TRIBUUM. Princeps tribus erat primogenitus qui ab ipso capite tribus, sive a Patriarcha, verbi gratia Iuda, directe per lineam primogenitorum descendebat. Simili modo principes familiarum erant primogeniti familiæ illius.

*V.* 5. DE RUBEN. Tribus, & Patriarchæ ordine tori numerantur: primo filii uxoris Liæ, tum filii Rachelis, tandem filii ancillarum.

*V.* 16. NOBILISSIMI. Vox Hebræa *invitatos*, vel *vocatos* significat; sæpe tamen pro magnatibus, nominatis, illustribus, aut fama inclytis accipitur.

*V.* 17. QUOS TULERUNT: quorum nomina tulerunt, & in tabulas census retulerunt.

*V.* 20. PER GENERATIONES. Generatio hic latius patet quam familia, aut domus; & una generatio, sive, ut Latini loquuntur, *Gens*, plures familias, domosque amplectitur.

*V.*47. LEVITAE... NON SUNT NUMERATI: quia in castrorum metatione non collocabantur cum aliis tribubus, eo quod circa ipsum tabernaculum eius ministeriis deputati versabantur, ut patet num. 50. ideoque a duodecim tribubus secreti fuerunt tamquam pars, & tribus Domini, eius obsequiis dicata.

*V.* 50. ET QUIDQUID AD CAEREMONIAS PERTINET, omnia vasa, omnemque supellectilem tabernaculi. PER GYRUM TABERNACULI, & etiam atrii. Quo ordine circa tabernaculum consederint, habes infra cap. III.

*V.* 51. CUM CASTRAMETANDUM, cum castra locanda, & figenda erunt. EXTERNORUM: qui non sint de tribu Levi.

*V.* 52. PER TURMAS ET CUNEOS: Hebr. *per vexilla sua*.

*V.* 53. EXCUBABUNT IN CUSTODIIS, diligenter custodient excubantes.

## TIRINI.

*Vers.* 3. NUMERABITIS EOS PER TURMAS SUAS. Et in hoc distinguitur illud lustrum ab altero priore quod factum est Exod. XXXVIII. paulo ante erectum tabernaculum, ultimo mense anni prioris ab egressu ex AEgypto: quod illud prius lustrum institueretur ad censum per capita pendendum pro sumptibus fabricæ tabernaculi; istud vero secundo mense post erectum iam tabernaculum, proprie ad militarem delectum spectabat, & causa belli, atque exercitus ordinandi. Hinc numerando, in turmas, chiliarchias & centurias distribuebantur; & singulis harum sua capita, duces seu principes præficiebantur, non tam iure primogenituræ (quamquam ceteris paribus ratio illius haberetur) quam tribuum electione secundum merita, & res fortiter gestas singulorum.

Nota. Ab hac enumeratione bellatorum, a qua hic Liber initium sumit, & ab aliis pluribus enumerationibus, partim itinerum, & mansionum in deserto, quæ sequentibus capitibus recensentur, idem Liber accepit nomen Græce ἀριθμός, latine *Numeri*; licet plura alia tum historica, tum cæremonialia, tum iudicialia illo contineantur.

*V.* 49. TRIBUM LEVI NOLI NUMERARE. Quia Levitæ a militia erant exempti, teste Iosepho: non quod arcerentur, si vel necessitas id postularet, vel sponte militare vellent; sed quod cogi non possent. Patet: nam & Machabæi sacerdotes, & qui deinceps fuerunt pontifices simul ac populi duces, plurima bella gesserunt: & ipse Flavius Iosephus, quem iam testem citavi, sacerdos idem, & militum præfectus fuit, ut ipsemet passim scribit.

## EX GORDONI AUCTARIO.

Quæ hic, & deinceps narrantur usque ad cap. decim. vers. 11. gesta sunt in Sina, ubi numeratur mansio ab aliquibus octava, ab aliis duodecima.

*V.* 2. TOLLITE. Hic secundus populi census habetur, ut possint recte ordinari

ca-

castra. Prior habitus Exod. xxxvi. 25. fuit pro contributione ad fabricam tabernaculi. In hoc censu non sunt numerati proselyti, aut AEgyptii, quamvis horum satis magnus esset numerus.

*V.* 4. Principes familiarum erant primogeniti: Principes tribuum erant primogeniti recta descendentium a capite tribus.

*V.* 47. Vides ex versu 50. Levitas non debere numerari; utpote qui sepositi a castris astabant tabernaculo. Vide cap. III. de horum ordine.

# CAPUT II.

*Quæ tribus ad quamvis mundi plagam ordinentur; recensitis familiarum principibus.*

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: 2. Sin-
guli per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognatio-
num suarum, * castrametabuntur filii Israel, per gyrum ta-
bernaculi fœderis. 3. Ad Orientem Iudas figet tentoria per
turmas exercitus sui: eritque princeps filiorum eius Nahasson
filius Aminadab: 4. & omnis de stirpe eius summa pugnan-
tium, * septuaginta quatuor millia sexcenti. 5 Iuxta eum
castrametati sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanael filius Suar:
6 & omnis numerus pugnatorum eius, quinquaginta quatuor millia quadringenti.
7. In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon. 8. Omnis de stirpe eius
exercitus pugnatorum, quinquaginta septem millia quadringenti. 9. Universi qui
in castris Iudæ annumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringen-
ti: & per turmas suas primi egredientur. 10. In castris filiorum Ruben ad meri-
dianam plagam erit princeps Elisur filius Sedeur: 11. & cunctus exercitus pugna-
torum eius qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti. 12. Iuxta eum
castrametati sunt de tribu Simeon: quorum princeps fuit Salamiel filius Surisad-
daï: 13. & cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, quinquaginta
novem millia treccenti. 14. In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel: 15. &
cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, quadraginta quinque millia
sexcenti quinquaginta. 16. Omnes qui recensiti sunt in castris Ruben, centum
quinquaginta millia & mille quadringenti quinquaginta per turmas suas: in secun-
do loco proficiscentur. 17. Levabitur autem tabernaculum testimonii per officia
Levitarum & turmas eorum: quomodo erigetur, ita & deponetur. Singuli per
loca & ordines suos proficiscentur. 18. Ad occidentalem plagam erunt castra fi-
liorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud: 19. cunctus exer-
citus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quadraginta millia quingenti. 20. Et
cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadas-
sur: 21. cunctusque exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, trigintaduo
millia ducenti. 22. In tribu filiorum Beniamin princeps fuit Abidan filius Gedeo-
nis: 23. & cunctus exercitus pugnatorum eius qui recensiti sunt, triginta quinque
millia quadringenti. 24. Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim, * centum
octo millia centum per turmas suas: tertii proficiscentur. 25. Ad Aquilonis par-
tem castrametati sunt filii Dan: quorum princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai:
26. cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, sexaginta duo millia

ſeptingenti. 27. Iuxta eum fixere tentoria de tribu Aſer: quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran: 28. cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati ſunt, quadraginta millia & mille quingenti. 29. De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan: 30. cunctus exercitus pugnatorum eius, quinquaginta tria millia quadringenti. 31. Omnes qui numerati ſunt in caſtris Dan, fuerunt centum quinquaginta ſeptem millia ſexcenti: & noviſſimi proficiſcentur. 32. Hic numerus filiorum Iſrael, per domos cognationum ſuarum & turmas diviſi exercitus, ſexcenta tria millia quingenti quinquaginta. 33. Levitæ autem non ſunt numerati inter filios Iſrael: ſic enim præceperat Dominus Moyſi. 34. Feceruntque filii Iſrael iuxta omnia quæ mandaverat Dominus. Caſtrametati ſunt per turmas ſuas, & profecti per familias ac domos patrum ſuorum.

## BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Caſtrametabuntur filii Iſrael*. Alii ſcribunt genitivo caſu *filiorum:* minus apte.

V. 4. *Septuaginta quatuor millia ſexcenti*. Non ſcribas ſecundo caſu *ſexcentorum*.

V. 24. *Centum octo millia centum*. Non eſt omittendum poſterius *centum*.

## COMMENTARIA.

### SA.

*Verſ.* 2. PER GYRUM, ſcilicet diſtantia unius milliarii a tabernaculo, ſecundum Hebræos.

*V.* 3 IUDAS. Dicunt Hebræi in vexillo Iudæ fuiſſe leonem; Ruben, hominem; Ephraim, bovem; Dan, aquilam.

*V.* 5. CASTRAMETATI SUNT; pro, caſtrametabuntur. Hebr. *caſtrametantes*: ſic & infra.

*V.* 9. CASTRIS IUDAE, ſcilicet & duorum qui prope: ſic infra.

*V.* 14. DUEL. Hebr. *Rehuel.* Chald. *Dehuel*. LXX. *Raguel*.

*V.* 17. LEVABITUR, ſcilicet poſt caſtra Ruben. Nota, quod tabernaculum ferebatur in medio quatuor vexillorum primariorum: nam minora plurima. Vide infra cap. x. PER OFFICIA LEVITARUM, &c. Hebr. Chald. & LXX. ſignificant debere Levitas proficiſci in medio caſtrorum, & quemque proficiſci debere ut eſt caſtrametatus, ſcilicet ſub vexillis ſuis in ordine ſuo. Noſtra Editio indicat, quo ordine portantur res tabernaculi, eodem reponendas a Levitis.

### ESTII.

*Verſ.* 2. SINGULI PER TURMAS, SIGNA, ATQUE VEXILLA. In Hebræo unum vexillum attribuitur ſimul tribus familiis ſeu tribubus; atque ita in univerſum ſaltem quatuor fuere vexilla: ſed hæc præcipua erant & maiora: nam minora fuiſſe putantur ſingularum domorum. Porro tradunt Hebræi in maioribus illis vexillis, in primo vexillo pictam fuiſſe imaginem hominis, in ſecundo leonis, in tertio bovis, in quarto aquilæ. Quod ſi verum eſt, præter myſterium vel quatuor Evangeliorum, vel quatuor monarchiarum mundi, oſtenditur ex eo non ſimpliciter prohibitum fuiſſe Iudæis habere aliquam animantis imaginem, ſed tantum ne adoraretur. Rationes autem huiuſmodi imaginum ſingulis vexillis attributarum, qui diſcere cupit, videat apud Lyranum.

### MARIANAE.

*Verſ.* 5. IUXTA EUM. עליו *halau*, *ſuper eum*. Sed præpoſitio illa Hebræis pro *iuxta* ponitur, ut vertit Pagn. & pro *cum*, ut vertunt alii: ſcilicet *caſtrame-*

*metati sunt cum eo*. Noster aliquando hoc vertit pro *bal*, *iuxta*, aliquando *cum*, certe vers. 20.

*V*. 17. PER LOCA ET ORDINES SUOS. Hebr. *super manum suam*; sed *super* sumitur pro *in*, & *manus* pro *loco*, quia manu cuncta ut loco recipimus. Sic *mare magnum & spatiosum manibus* dicitur Psalm. CXIII. vers. 27. id est locis. Ergo sensus est quem Noster expressit: איש, *vir*, id est quisque: singuli in loco suo, aut per loca sua proficiscentur.

*V*. 18. AD OCCIDENTALEM PLAGAM. Hebr. *ad mare*: sic Sept. sed ea voce Occidens significatur, quoniam mare nostrum ad Occasum est Palæstinæ.

## MALVENDAE.

*Vers*. 2. SIGNA ATQUE VEXILLA. Duo hic vocabula ponuntur Hebraica: דגל *degel*, *vexillum*, *signum militare maius*, qualia & Romanis aquilæ: unde quidam conferunt cum transposito גדל *gadal*, *magnum esse*: & אותות *otot*, *signa militaria minora*. In Hebraico exercitu erant quatuor magna & insignia vexilla, nempe Iudæ, Ruben, Ephraim, & Dan; & multa alia minora. De his vexillis multa tradunt Hebræi: fides penes ipsos, quibus mirum commotos fuisse plurimos ex nostris Explanatoribus. Vide Drusium hic. PER GYRUM TABERNACULI. Hebr. *E regione*, *circum tabernaculum*. Quidam, *prope*, *iuxta*, *circum tabernaculum*. Alii, *ex adverso*, *procul circum tentorium*. Nam intercessisse volunt, ut verisimile est, spatium bis mille cubitorum inter castra Israelitarum, & arcam fœderis; quemadmodum in transitu Iordanis mandatum fuisse a Deo, & ab Israelitis factum legimus Iosue III. vers. 4.

*V*. 9. IN CASTRIS IUDAE, id est, quibus præerat Iudas, etsi non ex tribubus tantum suis; sed ex Issachare quoque, & Zebulone constabant. Sic deinceps vers. 16. 24. & 31.

*V*. 14. DUEL. Hebr. *Reghuel*. Hic supra cap. I. vers. 13. *Deghuel* vocatur, quod *Resch* & *Daleth* sint valde similes litteræ.

*V*. 17. LEVABITUR AUTEM TABERNACULUM TESTIMONII PER OFFICIA LEVITARUM ET TURMAS EORUM. Quidam Hebr. reddunt: *Tum proficiscetur tabernaculum ecclesiæ*, *nempe castra Levitarum in medio castrorum*. Illud *castra Levitarum*, vice expositionis positum volunt; quasi dicat: Mox ut locum mutabit tabernaculum ecclesiæ, id est turma deferens tabernaculum: castra scilicet Levitarum, quæ in medio quatuor vexillorum filiorum Israel proficiscentur. Alii: *Tentorium vero constitutionis proficiscetur cum turba Levitarum in medio castrorum*. Alii: *Tum proficiscetur tentorium conventus cum castris Levitarum in medio reliquorum castrorum*. QUOMODO ERIGETUR, ITA ET DEPONETUR. Quidam reddunt: *Quemadmodum castrametabuntur*, *sic proficiscentur*. Alii: *Et sicut castrametantur*, *sic etiam proficiscantur*. Nonnulli: *Sicut solent castrametari*, *sic proficiscuntor*. Nimirum eum ordinem, & locum, quem exercitus filiorum Israel, & Levitarum turma, ac tabernaculum, cum castrametabuntur, obtinebunt; eumdem servabunt cum proficiscentur, scilicet in ipsa profectione, seu itinere. Quidam, de Levitis tantum hanc clausulam intelligunt. SINGULI PER LOCA ET ORDINES SUOS. Hebr. *Quisque super manum suam*, *ad vexilla sua*. Quidam: *Quisque in loco suo*, *iuxta vexilla sua*, vel *pro vexilla sua*. Intelligunt vexilla minora & particularia: erant enim quatuor tantum vexilla primaria; minora vero pene innumera, quæ vers. 2. appellavit *signa*. Unde dicit, *per vexilla sua*, sequendo scilicet quisque suum particulare signum. Alii: *Unusquisque in loco suo*, *sub vexillo suo*. Nonnulli: *Quisque ad latus illius ad vexilla sua*. Exponuntque, *ad latus illius*, nempe tentorii conventus; quasi dicat: Sunto castra quadrata, quorum medium obtineat tabernaculum: sic ut nemo anteeat Levitis, sed omnes ad latus illorum procedant, faciantque castra. Alii aliter intelligunt: volunt enim, duas acies unam post aliam cum sex tribubus antecessisse; deinde subsecutos Levitas cum tabernaculo in medio; postremo duas alias acies cum aliis sex tribubus processisse, ita ut Levitæ a lateribus nudati essent, atque alium fuisse situm, & ordinem in proficiscendo, & in castrametando. Vide Caietanum.

MENOCHII.

*Verſ.* 2. SINGULI PER TURMAS, SIGNA; ATQUE VEXILLA, ET DOMOS COGNATIONUM SUARUM, &c. Hebr. *Singuli iuxta vexillum ſuum in ſignis domus patrum ſuorum caſtrametabuntur*. Tradunt Hebræi, Iſraelitas ita caſtrametatos fuiſſe circa tabernaculum ut ab illo per unum milliare abeſſent ex omni latere, quod non eſt intelligendum de Levitis, qui proximi erant tabernaculo, & atrio, quippe illius excubitores. *Vexilla*. Dicunt Hebræi, in vexillo Iudæ fuiſſe leonem; Ruben, hominem; Ephraim, bovem; Dan, aquilam. De hoc nihil certo conſtat, & crediderim eſſe Hebræorum Rabbinorum figmenta.

*V.* 9. PER TURMAS SUAS PRIMI EGREDIENTUR. Cum movenda erunt caſtra, hi primi, relicta ſtatione, procedere debebant: nec mirum, ſiquidem ut plurimum Orientem verſus ibant, & hæc caſtrorum, ac tabernaculi fœderis pars erat anterior.

*V.* 17. LEVABITUR AUTEM TABERNACULUM PER OFFICIA LEVITARUM; quaſi dicat: Tabernaculum diſſolutum portabitur a Levitis, ſecundum diſtincta eorum miniſteria, quæ capite ſequenti ſingulis Deus diſtribuit. QUOMODO ERIGETUR, ITA ET DEPONETUR; hoc eſt, iidem qui officium erigendi habuerint, iidem habebunt & deponendi.

TIRINI.

*Verſ.* 3. AD ORIENTEM IUDAS FIGAT TENTORIA. Hebraice, *Ad Orientem*, *ad anteriorem* tabernaculi *partem vexillum* ſit caſtrorum Iuda.

Ubi Nota primo, quod ſub uno eodemque vexillo ſeu labaro latebant tres tribus diverſæ, ita ut duæ quæ ad ſingulas plagas latera tenebant, ei quæ media erat aliquo modo ſubiectæ eſſent, vel ſaltem ad eam tamquam ad præcellentiorem reduci ſolerent *a*. Sic in parte orientali, quæ erat anterior tabernaculi pars, eaque digniſſima, in medio expanſum erat vexillum Iudæ: cui tribui tum hic, tum alibi ſemper primus locus defertur tamquam nobiliſſimæ, utpote cui ius primogenituræ quo ad regnum & imperium a patriarcha *b* Iacob collatum erat, & Meſſias ex ea naſci debebat. Ad latus dextrum Iudæ ſub eodem ipſius vexillo caſtrametabatur Iſſachar; ad ſiniſtrum Zabulon. Ad meridianum tabernaculi latus in medio erat Ruben cum ſuo vexillo, ſub quo ad utrumque illius latus erant Simeon & Gad. Ad plagam occidentalem vexillum Ephraim cum ſua tribu; & utrimque Manaſſe & Beniamin. Ad Septemtrionem in medio erat vexillum Dan cum eadem tribu, & ad eius utrimque latera Aſer & Nephthali.

Nota ſecundo, has duodecim tribus paulo remotius a tabernaculo caſtrametari ſolitas: nam intra illas omnes tribus in totius tabernaculi circuitu ſtationem ſuam habebant Levitæ, vicini plane atrio ſancto. Et quidem ad Orientem, qua ingreſſus erat in atrium, Moyſes & Aaron cum filiis ſuis; ad Occidentem Gerſonitæ; ad meridiem Caathitæ; ad Aquilonem Meraritæ, ut dicitur capite ſequenti.

Nota tertio, ex traditione Hebræorum, teſte Andrea Maſio, & Villalpando *c*, quatuor illa primaria vexilla & coloribus diſtincta fuiſſe, nempe iiſdem quos habebant lapidem illarum quatuor tribuum in rationali; & inſuper etiam certis notis ac ſignis: videlicet vexillum Iudæ ſigno leonis; Rubeni, hominis cum mandragoris, quas ad matrem attulerat Ruben Gen. xxx. verſ. 14. vexillum Ephraim ſigno bovis; Dan, aquilæ. Quibus allegorice ſignificabatur, tabernaculum, id eſt Eccleſiam Chriſti, inter hæc quatuor vexilla ſitam, per quatuor Evangeliſtas ad omnes mundi plagas devehendam ac diffundendam.

(*a*) Patet hic verſ. 9. 16. 24. & 31.
(*b*) Gen. xlix. & I. Paralip. v.
(*c*) Maſius in Ioſue vi. verſ. 9. Villalpan. in Ezech. T. II. p. II. Lib. V. diſp. II. cap. xxix.

GORDONI.

*Verſ.* 2. IUXTA EUM. Heb. עָלָיו *hhalau*, id eſt ſuper; tamen poni ſolet pro *iuxta*.

*V.* 18. OCCIDENTALEM: ad mare ergo noſtrum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Hebræi tradunt, caſtra verſus quatuor plagas diſtaſſe a tabernaculo per milliare.

*V.* 17. LEVABITUR TABERNACULUM: diſſolutum portabitur.

CA-



## CAPUT III.

*Levitæ in tabernaculi ministerium assumpti numerantur, cum suis principibus ac ministeriis, & loco primogenitorum Israel suscipiuntur, reliqua primogenita numerum Levitarum excedentia pretio redimuntur.*

1. HAE sunt generationes Aarôn & Moysi, in die qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai. 2. (*a*) Et hæc nomina filiorum Aaron: primogenitus eius Nadab, deinde Abiu, & Eleazar, & Ithamar. 3. Hæc nomina filiorum Aaron sacerdotum qui uncti sunt, & quorum repletæ & consecratæ manus ut sacerdotio fungerentur. 4. (*b*) Mortui sunt enim Nadab & Abiu, cum offerrent ignem alienum in conspectu Domini in deserto Sinai, absque liberis: functique sunt sacerdotio Eleazar & Ithamar coram Aaron patre suo. 5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 6. Applica tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis ut ministrent ei, & excubent, 7. & observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii, 8. & custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio eius. 9. Dabisque dono Levitas 10. Aaron & filiis eius, quibus traditi sunt a filiis Israel. Aaron autem & filios eius constitues super cultum sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. 11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 12. Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel, eruntque Levitæ mei. 13. (*c*) Meum est enim omne primogenitum: ex quo percussi primogenitos in Terra AEgypti: sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israel ab homine usque ad pecus, mei sunt: ego Dominus. 14. Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, dicens: 15. Numera filios Levi per domos patrum suorum & familias, omnem masculum ab uno mense & supra. 16. Numeravit Moyses, ut præceperat Dominus, 17. (*d*) & inventi sunt filii Levi per nomina sua, Gerson & Caath & Merari. 18. Filii Gerson: Lebni & Semei. 19. Filii Caath: Amram & Iesaar, Hebron & Oziel. 20. Filii Merari: Moholi & Musi. 21. De Gerson fuere familiæ duæ, Lebnitica, & Semeitica: 22. quarum numeratus est populus sexus masculini ab uno mense & supra, * septem millia quingenti. 23. Hi post tabernaculum metabuntur ad Occidentem, 24. sub principe Eliasaph filio Lael. 25. Et habebunt excubias in tabernaculo fœderis, 26 ipsum tabernaculum & operimentum eius, tentorium quod trahitur ante fores tecti fœderis, & cortinas atrii: tentorium quoque quod appenditur in introitu atrii tabernaculi, & quidquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi & omnia utensilia eius. 27. Cognatio Caath habebit populos Amramitas & Iesaaritas & Hebronitas & Ozielitas. Hæ sunt familiæ Caathitarum recensitæ per nomina sua: 28. omnes generis masculini ab uno mense & supra, octo millia sexcenti habebunt excubias Sanctuarii, 29. & castrametabuntur ad meridianam plagam. 30. Principesque eorum erit Elisaphan filius Oziel:

31. &

31. & custodient arcam, mensamque & candelabrum, altaria & vasa Sanctua-
rii, in quibus ministratur, & velum, cunctamque huiuscemodi supellectilem.
32. Princeps autem principum Levitarum Eleazar filius Aaron sacerdotis, erit
super excubitores custodiæ Sanctuarii. 33. At vero de Merari erunt populi Mo-
holitæ & Musitæ recensiti per nomina sua: 34. omnes generis masculini ab uno
mense & supra, sex millia ducenti. 35. Princeps eorum Suriel filius Abihaiel:
in plaga septemtrionali castrametabuntur. 36. Erunt sub custodia eorum tabulæ
tabernaculi & vectes, & columnæ ac bases earum, & omnia quæ ad cultum
huiuscemodi pertinent: 37. columnæque atrii per circuitum cum basibus suis,
& paxilli cum funibus. 38. Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id est
ad orientalem plagam, Moyses & Aaron cum filiis suis, habentes custodiam
Sanctuarii in medio filiorum Israel: quisquis alienus accesserit, morietur. 39. O-
mnes Levitæ, quos numeraverunt Moyses & Aaron iuxta præceptum Domini
per familias suas in genere masculino a mense uno & supra, fuerunt viginti duo
millia. 40. Et ait Dominus ad Moysen: Numera primogenitos sexus masculini
de filiis Israel ab uno mense & supra, & habebis summam eorum. 41. Tolles-
que Levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel, ego sum Dominus: &
pecora eorum pro universis primogenitis pecorum filiorum Israel. 42. Recensuit
Moyses, sicut præceperat Dominus, primogenitos filiorum Israel: 43. & fuerunt
masculi per nomina sua, a mense uno & supra, viginti duo millia ducenti se-
ptuaginta tres. 44. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 45. Tolle Le-
vitas pro primogenitis filiorum Israel, & pecora Levitarum pro pecoribus eo-
rum, eruntque Levitæ mei: ego sum Dominus. 46. In pretio autem ducento-
rum septuaginta trium, qui excedunt numerum Levitārum de primogenitis filio-
rum Israel, 47. accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram San-
ctuarii. (e) Siclus habet viginti obolos. 48. Dabisque pecuniam Aaron & filiis
eius, pretium eorum qui supra sunt. 49. Tulit igitur Moyses pecuniam eorum
qui fuerant amplius, & quos redemerant a Levitis 50. pro primogenitis filiorum
Israel, mille trecentorum sexagintaquinque siclorum iuxta pondus sanctuarii,
51. & dedit eam Aaron & filiis eius iuxta verbum quod præceperat sibi Do-
minus.

(a) Exod. VI. 23. (b) Levit. X. 1. 2. I. Par. XXIV. 2. (c) Exod. XIII. 2. Inf. VIII. 16. (d) Exod. VI. 16. (e) Exod. XXX. 13. Levit. XXVII. 25. Ezech. XLV. 12.

## BRUGENSIS

### ROMANAE CORRECTIONES.

V. 22. *Septem millia quingenti*. Non scribas *quingentorum* gignendi casu.

V. 49. *Et quod redemerant a Levitis*. Cave ne pluralem numerum *redemerant* corrigas per singularem *redemerat*.

### S A.

*Vers.* 3. REPLETAE, scilicet muneribus, quæ offerrent.

*V.* 7. MULTITUDINIS; quasi dicat, ut pro populo ministrent.

*V.* 10. EXTERNUS, scilicet non sacerdos. MORIETUR. Chald. *occidetur*, scilicet iudicum sententia. Sic infra.

*V.* 13. SANCTIFICAVI; id est, retinui mihi tamquam rem sanctam.

*V.* 26. TECTI, pro tabernaculi.

*V.* 28. EXCUBIAS; quasi dicat, vigilabunt in custodia.

V. 31.

*V.* 31. Altaria, scilicet incensi, & holocausti.

*V.* 32. Principum, scilicet de quibus supra; vel quasi dicat, summus Princeps.

*V.* 38. Accesserit, scilicet ad ministrandum in iis quæ ad Levitas pertinent.

*V.* 40. Habebis. Hebr. *Tolle*, seu *accipe*, ut vertit Chald. & LXX.

*V.* 46. In pretio, pro in pretium, scilicet redemptionis. Hebr. *pro redemptione*.

*V.* 49. A Levitis; id est, ne essent inter Levitas, vel in ea commutatione Levitarum pro primogenitis.

## ESTII.

*Vers.* 12. Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito. Quæritur quare Deus sibi vendicet Levitas pro primogenitis filiorum Israel. Respondet ipse Dominus: *Ex quo percussi primogenita in terra Ægypti, sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israel.* Quia igitur omnia primogenita Deo obligata erant, loco eorum deputavit quidquid masculini sexus erat in tribu Levi. Tum etiam quia noluit Deus ministerium sacrum per omnes tribus diffundi, ad vitandum occasionem idololatriæ, ideo unam tribum illi ministerio deputavit, & peculiariter tribum Leviticam potius quam aliam, quia Levitæ præ ceteris vindictam exercuerant, iussu Moysis, in adoratores vituli aurei, de quo sic Exod. xxxii. *Feceruntque filii Levi iuxta sermonem Moysi, occideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.*

*V.* 15. Numera filios Levi .... omnem masculum, ab uno mense et supra. Quæritur quare numerabantur ab uno mense & supra, cum in ea ætate constituti, apti esse non possent ad levitica ministeria? Sed ratio est, quia primogeniti filiorum Israel offerri debebant in illa ætate; Levitæ autem commutabantur pro primogenitis, ut dictum est, & proinde ab eadem ætate computandi erant.

*V.* 46. & 47. In pretio autem ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Levitarum .... accipies quinque siclos. Nascitur quæstio, quomodo Levitæ tantum dicantur inventi viginti duo millia, & ob eam causam primogeniti filiorum Israel, qui hunc numerum excesserunt, nempe ducenti septuaginta tres redimi debuerunt pretio, nempe quinque siclis in singula capita computatis, cum summæ familiarum Leviticarum simul collectæ, revera efficiant viginti duo millia & trecentos, ita ut proinde numerus Levitarum etiam excedat numerum primogenitorum ceterarum tribuum. Sed respondetur, trecentos illos Levitas quos Scriptura præterit, fuisse in sua tribu primogenitos, & proinde computari non debuisse pro primogenitis aliarum tribuum: Nam Domino debebantur primogeniti, non tantum aliarum tribuum, verumetiam ipsius tribus Leviticæ, quia percusserat omnem primogenitum Ægyptiorum sine exceptione. Detractis ergo his trecentis Levitarum primogenitis, reliqui Levitæ commutabantur pro primogenitis aliarum tribuum, & sic scilicet remanebant ducenti septuaginta tres pretio redimendi.

## MARIANÆ.

*Vers.* 10. Traditi sunt a filiis Israel: Levitæ filiis Aaron. Hebr. *dati dati*. Geminatio Hebræis æquipollet universitati; ac si diceret, dati omnes, nullo dempto; aut dati penitus.

*V.* 22. Ab uno mense et supra. Aliæ tribus numerantur a viginti annis, Levitica ab uno mense: quod Deo dicati a prima ætate sunt instituendi, separandique ab aliis.

*V.* 26. Et operimentum eius, tentorium &c. *Obel* & *Miscan* quæ hic sunt, differunt. *Miscan* proprie significat *cortinas interiores*, quæ plane tendebantur; *Ohel*, *cortinas ex pellibus*, quæ tugurii forma putamus fastigium & dorsum facere, ut difflueret aqua.

*V.* 27. Cognatio Caath, id est familia Caath. Habebit populos, id est familias.

*V.* 39. Viginti duo millia. Ex summis superioribus, viginti duo millia tre-

trecenti efficiuntur. Comestor ait, trecentos omitti, quod essent primogeniti, neque pro aliis primogenitis dari poterant qui pro se debebantur. Commentum probabile, si credi potest, in tanto Levitarum numero solos trecentos primogenitos fuisse. Fortasse ob aliquam maculam ii ministerio tabernaculi inepti erant. Aut, quod verius puto, minor numerus in tota summa supprimitur.

## MALVENDAE.

*Verf.* I. HAE SUNT GENERATIONES. Quidam hic *generationem* pro familia, cognatione, & affinitate accipiunt. Et quamquam contextus cognationem tam Mosis quam Aaronis proponat, tamen Aaronis solius familiam describit, eo quod ii tantum in sacrum ministerium assumpti sunt: ad quod describendum præsens narratio potissimum suscepta est: & cum fratres germani essent, cognatio utriusque eadem est, & ad utrumque pertinet. Mosis vero propago ubique fere siletur, quod plane mirum est. Alii exponunt: *Istæ sunt generationes*, id est acta, eventa, res gestæ, historia, seu narratio rerum Aaronis & Mosis. Vide Genes. VI. vers. 9. Aliqui reddunt: *Hæc autem sunt generationum Aharonis & Mosis*; id est, quæ hoc & sequenti capite dicentur, pertinent ad Levitas, ex quorum genere fuerunt Moses & Aaron. Hic tantum Aaronis nomen nomini Mosis præponitur, quod tractatus hic proprie sit de Sacerdotibus & Levitis, qui ex Aarone sunt propagati.

*V.* 3. QUORUM REPLETAE ET CONSECRATAE MANUS. Aliqui reddunt: *Quorum consecraverat ministerium*, Moses.

*V.* 4. CORAM AARON PATRE SUO, idest vivo adhuc, & superstite Aaron patre eorum. Sic Genes. II. vers. 28. Alii, tamquam ministri, vicarii, aut subrogati patris sui.

*V.* 6. ET EXCUBENT. Hunc versum alii sic reddunt: *Et custodiant custodiam eius, & custodiam universi cœtus coram tabernaculo ecclesiæ, ut exequantur cultum tabernaculi*; id est, & observent cultum, quem Aaron & filii eius observare tenentur, atque etiam ipse populus. Vult eos esse quasi nomophylacas tam iuris sacerdotalis, quam publici: nam etsi Sacerdotes erant in superiori gradu, Levitæ tamen erant secundarii adiutores. Custodiam Aaronis intelligunt, custodiam tabernaculi, & templi cultum, & quidquid Deus Sacerdotibus mandaverat: deinde sequitur pars altera, ut populum in officio contineant. Quidam ita convertunt: *Et ipsi custodiant observationem eius, & observationem universi cœtus ante tentorium constitutionis, ut obeant*, vel *peragant ministerium tabernaculi*. Nonnulli: *Observabuntque observationem eius, & observationem totius cœtus coram tentorio conventus, exercendo ministerium tabernaculi*. Exponuntque: Cum observantia sacerdoti ministrent, vices totius cœtus ministerio illo subeuntes: nam totius erat ministrare Domino: cuius vices primum gerebant primogeniti, ut Hebræi volunt, sicuti annotavimus Exod. XIX. vers. 22. & cap. XXIV. vers. 5. iamvero in horum locum Levitæ assumuntur. Vide vers. 8.

*V.* 8. VASA TABERNACULI. Heb. addunt: *Et custodiam filiorum Israel*, id est ea quæ alioqui deberent custodire filii Israel; sive custodiam quam alioqui filii Israel præstare tenerentur: nempe loco filiorum Israel ministrent in tabernaculo.

*V.* 10. QUIBUS TRADITI SUNT. Hebr. *dati, dati ei*; idest, qui dono dati sunt illi. Repetitio sensum auget; quasi dicat, qui omnino, ac certissime dati sunt ei. Quidam, *dedititi*: alii, *donati, donati*, seu *omnino donati sunt, ei*. CONSTITUES SUPER CULTUM SACERDOTII. Hebr. *Visitabis, & observabunt sacerdoturam suam*. Quidam reddunt: *Præficies*; & subaudiunt, tribui Levitarum. Alii: *Præficito, ut observent sacerdotium suum*. Id est, ut cum ad se ipsos attendant, ministeriumque suum, ut monet Paulus Actor. XX. tum ad Levitas sibi datos, qui ministerii parte sacerdotes, quibus donati sunt, sublevent, observantes ne quid alienum fiat a sacerdotali munere; tum denique ad populum Dei, cuius loco dati sunt administri. Nonnulli putant, distingui hic munus Sacerdotum a munere Levitarum: nam Sacerdotum erat curare res pertinentes ad Sacerdotium & sacrificia, nempe maiores res divini cultus; at Levitarum erat cura servitii, id est rerum inferiorum, ut dicitur vers. 7. & 8.

*V.* 15. AB UNO MENSE. Tunc enim,

no-

notant, primum purgabantur infantes ab impuritate partus, offerebanturque Deo primogenitorum nomine, Levit. XII. verſ. 4. ſic infra verſ. 22. 27. 34. 40.

*V.* 25. ET HABEBUNT EXCUBIAS IN TABERNACULO FOEDERIS. Heb. *Et custodia filiorum Gherſon in tentorio conventus*. Horum & reliquorum Levitarum munus fuſius explicatur cap. IV. quod hic per prolepſim dicitur.

*V.* 26. ET QUIDQUID AD RITUM ALTARIS PERTINET. Druſius ſecutus Lyranum, Vulgatum carpit, quod altare, & ea quæ ad ritum altaris pertinebant, non ſub cuſtodia Gherſonitarum, ſed Kebathitarum erant, e verſ. 31. & cap. IV. verſ. 15. Sed quidam intelligunt quidquid velorum & aulæorum altare ambiebat, & ad ritum & cultum altaris pertinebat: circumſeptum erat & tectum aulæis altare, ut commodius in eo ſacra peragerentur. *Et cortinæ atrii, & velum ianuæ atrii, quod ſuper tabernaculum, & ſuper altare circum*. Quidam: *Cortinæ item atrii, & aulæum oſtii atrii, quod erat iuxta tabernaculum, & iuxta altare per circuitum*. Alii: *Et tapetum ocellatorum atrii, cum tegumento portæ ipſius atrii, qui ſunt*, nempe tapetes, *ante ipſum tabernaculum, & ante altare circumquaque*. FUNES TABERNACULI, ET OMNIA UTENSILIA EIUS. Hic rurſus poſt Lyranum Druſius Noſtrum ſugillat, quod inter utenſilia tabernaculi erant candelabrum, & menſa, & vaſa eorum, quorum cuſtodia & cura non ad Gerſonitas, ſed ad Kebathitas pertineret, e verſ. 31. & cap. IV. verſ. 14. ſed facile conciliant, *omnia utenſilia eius*, ad uſum funium pertinentia, uti clavos, ſeu paxillos, Exodi XXVII. verſ. 19. cap XXXIX. verſ. 40. & cap. XXXVIII. verſ. 20. Heb. *Omni ſervitio eius*, vel *ad omne ſervitium*, ſeu *miniſterium eius*, aut *pro toto miniſterio eius*, id eſt funes qui erant neceſſarii ad uſum & opus, ſeu miniſterium tabernaculi.

*V.* 32. PRINCEPS AUTEM PRINCIPUM LEVITARUM ELEAZAR, &c. Varie alii hunc verſum ex Hebr. convertunt. I. *Porro princeps principum Levitarum* erit *Eleazar filius Aharon ſacerdotis: præfectura cuſtodientium cuſtodiam ſanctitatis* erit ei. II. *Summus autem princeps Levitarum fuit Eleazar filius Aharonis ſacerdotis, epiſcopus eorum qui excubant in cuſtodiis ſanctuarii*. III. *At princeps principum ordinis Levitici, Elghazar filius Aharon ſacerdotis: hæc præfectura cuſtodientium cuſtodiam ſanctuarii*. Exponunt: Ipſis Levitarum principibus præfectus, qui ſecundus erat a ſacerdote ſummo: quamobrem hæc dignitas ſecundarii ſacerdotis appellatur II. Reg. XXV. 21. & alibi. פְקֻדָּה *pekuddah* quidam hic vertunt *functio, numeratio, recenſitio, cenſus, recenſio*: ſed proprie eſt, *viſitatio, inſpectio, requiſitio; officium inſpectionis, inquiſitionis, requiſitionis; munus epiſcopi, epiſcopatus*, ut Noſter vertit Pſalm. CVIII. verſ. 8. *ordinatio, adminiſtratio alicui commiſſa, officium demandatum, præfectura, delegatio*. Notant, Paulum I. Timoth. I. verſ. I. ἐπιταγὴν dixiſſe, id eſt *ordinationem*: & I. Timoth. III. verſ. I. ἐπισκοπῆν, *epiſcopatum*. Et recte huic loco ea omnia ſignificata quadrant; quaſi dicat: Erit Eleazar archiepiſcopus Levitarum.

*V.* 46. IN PRETIO AUTEM DUCENTORUM SEPTUAGINTA TRIUM. Hebr. *Et redemptiones trium & ſeptuaginta, &c.* Alii: *Et pro redemptione*, vel *in redemptionem illorum trium & ſeptuaginta, &c.* Nonnulli: *Pro redimendis vero tribus & ſeptuaginta, &c.* Aliqui: *Quod* autem attinet *ad redemptos*, ſeu *redimendos illos tres & ſeptuaginta, &c.* ſic verſ. 48. & 49. Vim huius mandati ita concipiunt. Quoniam primogeniti omnium Hebræorum erant cum Levitis æquandi, & conſecrati erant Levitæ loco illorum, & Domino ſanctificati: nunc quia ſumma primogenitorum excedebat ſummam Levitarum, præcipitur, ut qui ſupereſſent ex illis, pretio quaſi redimerentur, & pro eorum unoquoque ſolverentur quinque ſicli, ut ea merces cederet in rem ſacram, loco eorum qui fuerant conſecrandi, vel pro quibus conſecrati non fuerant Levitæ: ne quiſquam eorum a divina caritate eſſet disiunctus.

*V.* 49. QUOS REDEMERANT A LEVITIS. Hebr. *Super redemptiones Levitarum*. Quidam, *ultra redemptos Levitarum*; ideſt, ultra illos qui redempti fuerant a Levitis. Alii: *Qui redempti erant Levitis*, id eſt commutatione Levitarum: nam pro uno primogenito dabatur unus Levita. Nonnulli, *præter redemptos per Levitas*.

## MENOCHII.

*Verſ.* I. GENERATIONES AARON ET MOYSI, filii Aaron & Moſis. Licet autem videantur tantum numerari filii Aaron, tamen utriuſque generatio recenſetur num. 27. & 28. huius capitis, ubi ſermo eſt de Levitis Amramitis: hi enim ſunt filii Aaron & Moſis, qui patrem Amram habuerunt. Et quidem initio capitis huius peculiaris mentio fit filiorum Aaron, quia hi ſacerdotium ſunt adepti; poſteri vero Moſis, qui in inferiori Levitarum gradu hæſerunt, cum reliquis Levitis Caathitis numerati ſunt.

*V.* 3. REPLETAE SUNT MANUS. Replere manus eſt illas ad ſacerdotium conſecrare: nam ſacerdotum novorum manus tum donis, & ſacrificiis, tum unctione olei implebantur.

*V.* 6. & 7. APPLICA, accedere fac. EXCUBENT, ET CUSTODIANT VASA TABERNACULI, in Hebr. eſt, *Cuſtodient cuſtodiam eius, & cuſtodiam omnis ſynagogæ*. Particula *Eius*, Aaronem refert, cuius cuſtodiæ omnia erant quæ in tabernaculo, quippe ſacrorum princeps. Eædem etiam erant cuſtodiæ totius ſynagogæ, & totius populi, quia omnes erant partes Reipublicæ; & quilibet pro ſuo virili ſacra tueri etiam ſuorum laterum obiectu debebat, ſi quis illa temerare auſus fuiſſet.

*V.* 9. DABISQUE DONO LEVITAS, &c. quaſi dicat: Levitas offeres Aaroni, & ſacerdotibus, ut eis ſerviant, idque gratis, & ſine pretio.

*V.* 10. A FILIIS ISRAEL: ut hac donatione Aaroni facta, a Deo primogenitos ſuos redimerent, ut patet num. 45. EXTERNUS, non ſacerdos. MORIETUR, iudicum ſententia *occidetur*: ſic Chaldæus.

*V.* 13. MEUM EST ENIM OMNE PRIMOGENITUM, non tantum iure creationis, ſed peculiari liberatione, & redemptione, cum eos ab Angelo percutiente eripui: Exodi XIII. 23. Rurſus mea ſunt primogenita, quia iuſto hoc meo præcepto ita fieri iubeo. SANCTIFICAVI MIHI: mihi ſanctificari, offerri, & conſecrari volo.

*V.* 15. AB UNO MENSE ET SUPRA. Ratio cur ab hac ætate ſumpta ſit Levitarum dinumeratio, erat quod etiam primogeniti poſt unum menſem redimerentur, ut habetur infra cap. XVIII. 16.

*V.* 17. INVENTI SUNT, non in vita, nam pridem obierant; ſed in cenſu hoc & numero.

*V.* 25. HABEBUNT EXCUBIAS IN TABERNACULO; hoc eſt, habebunt cuſtodienda ea quæ ſequuntur, hoc eſt ipſum tabernaculum, & operimentum, &c.

*V.* 26. IPSUM TABERNACULUM: non tabulas, columnas, aut baſes, nam hæc ferebant Meraritæ; ſed velum interius, ſive infimum, quod ex decem cortinis conſtabat, cui alia vela iniiciebantur. OPERIMENTUM EIUS, ſagum cilicinum, & ſagum ex pellibus arietum rubricatis, & ſagum ex pellibus ianthinis, de quibus Exod. XXVI. QUOD TRAHITUR ANTE FORES tabernaculi, & eſt quaſi illius ianua. IN INTROITU ATRII, aliud velum quod erat veluti ianua totius atrii. QUIDQUID AD RITUM ALTARIS PERTINET: quidquid ſcilicet velorum huc facit, nam de his eſt ſermo.

*V.* 28. HABEBUNT EXCUBIAS, id eſt cuſtodiam ſanctuarii, quoad vaſa, quæ ſequuntur.

*V.* 31. ET VELUM, quod oppanditur Sancto ſanctorum: huic enim involvenda erat arca portanda a Caathitis. Alia vela omnia a Gerſonitis portabantur.

*V.* 37. PAXILLI, qui figebantur ad funes intendendos, & firmandas columnas, & vela atrii, ne vento nimium agitarentur.

*V.* 41. TOLLES PECORA EORUM, &c. Separabis, ut mihi cum ipſis Levitis quaſi dedicentur, ſintque mea, ſicut ipſi Levitæ mei ſunt; non eſt tamen facta iſta pecorum ſeparatio, ut Domino cederent per ſacrificia.

*V.* 46. IN PRETIO AUTEM. Omnes Levitæ fuerunt viginti duo millia, primogeniti Iſrael viginti duo millia ducenti ſeptuaginta tres. Cum ergo Levitæ dati eſſent Deo pro primogenitis, ſupererat ut pro illis ducentis ſeptuaginta tribus ſatisfieret, qui Levitarum numerum excedebant. Iubet ergo Deus ut hi primogeniti redimantur, quinque ſiclis in ſingula capita perſolutis. Horum pretium Aaroni dari iubetur num. 48.

*V.* 48. DABISQUE PRETIUM. Pecunia primogenitorum 273. se redimentium ascendit ad 1365. siclos.

## TIRINI.

*Vers.* 25. HABEBUNT EXCUBIAS IN TABERNACULO FOEDERIS. Non quod vel illi, vel ulli alii Levitæ excubarint actu in ipso tabernaculo: nam ne ingredi quidem illud licebat Levitis, sed solis sacerdotibus qui per vices ministrabant. Ergo *in tabernaculo* hic idem est quod super tabernaculum & res tabernaculi, quæ singulis Levitarum familiis diversæ diversis commissæ erant. Neque enim hic per *excubias*, & *custodias* intelligitur actus solus excubandi, & custodiendi, sed insuper officium & onus curandi ut omnia bene custodirentur: neque id solum cum erectum staret tabernaculum, sed etiam cum in itinere deportandum esset, itemque cum dissolvendum, rursusque cum figendum esset. Ita ut singulis Levitarum familiis incumberet rationem reddere earum rerum, instrumentorum, ac partium tabernaculi, quæ iussu Dei cuique hoc capite custodiendæ committuntur.

*V.* 28. OMNES ...... HABEBUNT EXCUBIAS SANCTUARII, id est curam eorum quorum usus est in sanctuario. Ergo Caathitis ut dignitate inter Levitas primis, committebantur quæ maxime divina erant & sacrosancta. Ratio autem cur illi ceteris præferrentur, erat quod Moyses & Aaron, & consequenter sacerdotes omnes ex una illa Caathitarum familia prognati essent.

*V.* 39. OMNES LEVITAE... FUERUNT VIGINTI DUO MILLIA, præciso & rotundo numero, ut patet ex sequentibus.

Petes quomodo id constet, cum ex tribus ante subductis trium familiarum particularibus calculis colligatur summa maior alio trecentenario. Respondeo, trecentos illos non debuisse, sed nec potuisse, reliquo Levitarum numero accenseri, quod totidem essent inter ipsos Levitas primogeniti (puta post egressum ex AEgypto procreati) qui ratione suimet iam erant proprii Dei: quocirca non poterant venire in numerum aliorum Levitarum, qui pro primogenitis aliarum tribuum commutandi essent, & illorum loco substituendi, ac Deo appropriandi. Ita Petrus Comestor *a*, Abulensis, Lyranus, Dionysius Carthusianus, & Caietanus.

(*a*) Comestor in historia Scholastica.

## GORDONII.

*V.* 1. 3. & 4. QUomodo hic dicuntur recenseri generationes Mosis, cum tantum sit sermo de generatione Aaron? Certe quia agitur de maioribus Mosis, & de successione Aaron fratris, in cuius posteris describuntur posteri Mosis. De unctione quæ hic habetur vers. 3. vide Exod. cap. XXIX. Quod ait eodem vers. REPLETAE MANUS, id est muneribus. De morte item filiorum Aaron, Levit. cap. X. En interim Levitas loco primogenitorum Exod. cap. XIII.

*V.* 6. APPLICA. Heb. *Fac appropinquare*. Radix קרב, *appropinquavit*: הקרב *hakreu*, *appropinquare fac*.

*V.* 10. MORIETUR, scilicet iudicum sententia.

*V.* 13. SANCTIFICAVI: retinui ut rem mihi dicatam.

*V.* 25. HABEBUNT EXCUBIAS IN TABERNACULO FOEDERIS. Non excubabant intra tabernaculum; sed sensus est, Levitas hos habuisse custodiam tabernaculi, seu excubias super tabernaculum; seu vigilabant in custodia. Sane habebant stationem in circuitu tabernaculi.

*V.* 27. & 28. Per populos intellige familias, ut docet textus Hebraicus. Excubiæ sunt cura. Caathitæ hic præferuntur ceteris, quod Moses & Aaron essent ex Caathitarum familia.

*V.* 31. ALTARIA, incensi, & holocausti.

*V.* 39. Numerantur Levitæ ab ætate unius mensis, ex vers. 15. Iosephus III. Antiq. cap. XI. hunc numerum corrupit. Verum cum tantum sint hic vigintiduo millia, tamen maior numerus resultat ex tribus illis familiis superius recensitis: sunt enim 22300. millia: nam redundant 300. Sed dicendum est hos trecentos non fuisse hoc vers. 39. numeratos: quia totidem erant inter Levitas primogeniti, qui iam erant Dei; ac proinde non poterant pro aliarum tribuum primogenitis commutari. Ita Lyran. & Carthus.

*V.* 41.

*V.* 41. Fit quidem nunc in deserto commutatio, & substitutio Levitarum pro primogenitis filiorum Israel, persoluto pro residuis pretio, de quo hic vers. 46. & 47. Cur vero in terra promissionis, primogeniti non sint sic redempti Levitarum filiis, sed pretio quinque siclorum, varii varias dant rationes. Puto, ut maneret plenior memoria occisorum primogenitorum in AEgypto.

*V.* 46. In pretium, pro pretio redemptionis.

*V.* 50. Ex primogenitis. 273. per 5. multiplicatis, resultat numerus siclorum hic positus, nempe 1365.

Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 3. Repleri manus denotat promotionem ad munus sacerdotii, ubi manus ungebatur, nec deerant munera, & oblationes novis sacerdotibus.

*V.* 17. Et inventi sunt, recensiti sunt: nam plerique obierant.

## CAPUT IV.

*Ritus & officia Levitarum iuxta cuiusque familiam distribuuntur.*

1. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:
2. (*a*) Tolle summam filiorum Caath de medio Levitarum per domos & familias suas, 3. a trigesimo anno & supra, usque ad quinquagesimum annum, omnium qui ingrediuntur ut stent & ministrent in tabernaculo foederis.
4. Hic est cultus filiorum Caath: Tabernaculum foederis, & Sanctum sanctorum 5. ingredientur Aaron & filii eius, quando movenda sunt castra, & deponent velum quod pendet ante fores, involventque eo arcam testimonii, 6. * & operient rursum velamine ianthinarum pellium, extendentque desuper pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes. 7. Mensam quoque propositionis involvent hyacinthino pallio, & ponent cum ea thuribula & mortariola, cyathos & crateras ad liba fundenda: panes semper in ea erunt: 8. extendentque desuper pallium coccineum, quod rursum operient velamento ianthinarum pellium, & inducent vectes. 9. Sument & pallium hyacinthinum quo operient candelabrum cum lucernis & forcipibus suis & emunctoriis & cunctis vasis olei, quae ad concinnandas lucernas necessaria sunt: 10. & super omnia ponent operimentum ianthinarum pellium, & inducent vectes. 11. Nec non & altare aureum involvent hyacinthino vestimento, & extendent desuper operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes. 12. Omnia vasa, quibus ministratur in Sanctuario, involvent hyacinthino pallio, & extendent super operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes. 13. Sed & altare mundabunt cinere, & involvent illud purpureo vestimento, 14. ponentque cum eo omnia vasa, quibus in ministerio eius utuntur, id est ignium receptacula, fuscinulas ac tridentes, uncinos & batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine ianthinarum pellium, & inducent vectes. 15. Cumque involverint Aaron & filii eius Sanctuarium & omnia vasa eius in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath ut portent involuta: & non tangent vasa Sanctuarii,

ne

ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis: 16. super quos erit Eleazar filius Aaron sacerdotis, ad cuius curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, & compositionis incensum, & sacrificium, quod semper offertur, & oleum unctionis, & quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vasorum, quæ in Sanctuario sunt. 17. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: 18. Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum: 19. sed hoc facite eis, ut vivant, & non moriantur, si tetigerint Sancta sanctorum. Aaron & filii eius intrabunt, * ipsique disponent opera singulorum, & divident quid portare quis debeat. 20. Alii nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario priusquam involvantur, alioquin morientur. 21. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 22. Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos ac familias & cognationes suas, 23. a triginta annis & supra, usque ad annos quinquaginta. Numera omnes qui ingrediuntur & ministrant in tabernaculo fœderis. 24. Hoc est officium familiæ Gersonitarum, 25. ut portent cortinas tabernaculi & tectum fœderis operimentum aliud, & super omnia velamen ianthinum tentoriumque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis, 26. cortinas atrii, & velum in introitu quod est ante tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos, & vasa ministerii, 27. iubente Aaron & filiis eius, portabunt filii Gerson: & scient singuli cui debeant oneri mancipari. 28. Hic est cultus familiæ Gersonitarum in tabernaculo fœderis, eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. 29. Filios quoque Merari per familias & domos patrum suorum recensebis, 30. a triginta annis & supra, usque ad annos quinquaginta, omnes qui ingrediuntur ad officium ministerii sui & cultum fœderis testimonii. 31. Hæc sunt onera eorum: Portabunt tabulas tabernaculi & vectes eius, columnas ac bases earum, 32. columnas quoque atrii per circuitum cum basibus & paxillis & funibus suis. Omnia vasa & supellectilem ad numerum accipient, sicque portabunt. 33. Hoc est officium familiæ Meraritarum & ministerium in tabernaculo fœderis: eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. 34. Recensuerunt igitur Moyses & Aaron & principes synagogæ filios Caath per cognationes & domos patrum suorum, 35. a triginta annis & supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad ministerium tabernaculi fœderis: 36. & inventi sunt duo millia septingenti quinquaginta. 37. Hic est numerus populi Caath qui intrant tabernaculum fœderis: hos numeravit Moyses & Aaron iuxta sermonem Domini per manum Moysi. 38. Numerati sunt & filii Gerson per cognationes & domos patrum suorum, 39. a triginta annis & supra, usque ad quinquagesimum annum, omnes qui ingrediuntur ut ministrent in tabernaculo fœderis: 40. & inventi sunt duo millia sexcenti triginta. 41. Hic est populus Gersonitarum, quos numeraverunt Moyses & Aaron iuxta verbum Domini. 42. Numerati sunt & filii Merari per cognationes & domos patrum suorum, 43. a triginta annis & supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis: 44. & inventi sunt tria millia ducenti. 45. Hic est numerus filiorum Merari, quos recensuerunt Moyses & Aaron iuxta imperium Domini per manum Moysi. 46. Omnes qui recensiti sunt de Levitis, * & quos recenseri fecit ad nomen Moyses & Aaron, & principes Israel, per cognationes & domos patrum suorum, 47. a triginta annis & supra, usque ad annum quinquagesimum, ingredientes ad ministerium tabernaculi, & onera portanda, 48. fuerunt simul octo

mil-

millia quingenti octoginta. 49. Iuxta verbum Domini recensuit eos Moyses, unumquemque iuxta officium & onera sua, sicut præceperat ei Dominus.

(a) I. Paralip. xv. 15.

# BRUGENSIS

## ROMANAE CORRECTIONES.

V. 6. *Et operient rursum velamine ianthinarum pellium*. Sextum casum *velamine* quidam commutant cum quarto *velamen*; male. Porro pro *ianthinarum* quidam dant *hyacinthinarum*, tum hoc versu, tum pluribus sequentibus, eo iudicio quo supra Exod. xxv. 5.

V. 19. *Ipsique disponent opera singulorum*. Quia de portando hic agitur, putarunt quidam *onera* potius legendum esse quam *opera*; falsi.

V. 46. *Et quos recenseri fecit ad nomen Moyses*. Non est omittenda vox *recenseri*.

## NOTATIO.

Vers. 6. 8. 10. 11. 12. 14. 25. Frequens est hoc capite inter codices ista diversitas, quod pelles rerum sacrarum velamina alii *ianthinas* dicant, alii *hyacinthinas*. Eademque varietas aliis multis occurrit locis. Exodi xxv. vers. 5. xxvi. vers. 14. xxxv. vers. 7. ac 23. xxxvi. vers. 19. xxxix. vers. 33. Utrum autem Interpres verterit, facile dici non potest; tum quod varient codices, tum quod Hebrea vox תחש ( quæ locis his omnibus legitur ) admittat non minus unum quam alterum (1). Attamen videri potest *ianthinum* ab Interprete scriptum: & vel ex eo quod minus trita vox minus intelligeretur, vulgari mutata; vel ex eo quod LXX. *hyacinthinum* transtulerunt, hoc modo etiam nostris scribendum codicibus iudicatum; vel utraque ex causa *ianthinum* reiectum. Certe cum Hebraice תכלת legitur, nostri codices (2) *hyacinthum* aut *hyacinthinum* constanter habent: cum תחש quidam *ianthinum* scribunt. Hoc cum plurimis locis conspiciatur, coniici potest illud *hyacinthinum*, hoc *ianthinum* ab Interprete translatum. Quod si obiiciat quis, non mirum quod utraque vox ab Interprete *hyacinthinum* translata sit, cum a LXXII. utraque eo modo sit versa: dicat, unde in ordinaria Glossa, & aliis quibusdam vetustis exemplaribus *ianthinum* legatur? Sed quid opus est longiorem hac de re disputationem texere, cum ianthinæ & hyacinthinæ pelles eædem fortassis intelligi possint, utpote ab eiusdem coloris floribus nuncupatæ? Testatur enim Plinius (3) ianthinas vestes dictas a violis, Græco nomine ἴα vocatis, quæ apricis, & macris locis sponte proveniunt purpureæ. Hyacinthinas autem vestes ab hyacinthis dici, & purpureos esse hyacinthos ( quamquam & alterius coloris inveniantur ) nemo est qui nesciat. Vestes igitur pellesque coloris purpurei, & ianthinæ, & hyacinthinæ dici possunt. Vel cæruleæ vestes, ac pelles utroque hoc modo recte appellentur. Scribit enim Hieronymus in xvi. Ezechielis cap. vers. 10. utrumque & ianthinum, & hyacinthinum aerii & κυανέυ coloris esse. Tractat illa Ezechielis verba: *Calceavi te hyacintho*, sive, ut apud eum legitur, *ianthino*: docetque vocem תחש, quæ etiam ibi legitur, ab Aquila, & Symmacho *ianthina*, a LXX. & Theodotione, *hyacinthina* translatam. Porro recentiores Interpretes Hebræam vocem relinquunt, *thassum*, sive *taxum* scribentes; docentque nonnulli, animal esse varii coloris, Chaldæo ססגונא nominatum, quia colorum suorum varietate delectetur. Nonnulli bovem esse existimant, alii aliud opinantur. Dubium autem non est, quin pelles, quæ super cetera velamina ponendæ fuerunt, eiusmodi fuerint, quæ imbribus, & quibuscumque aeris iniuriis obsistere possent. Nec ambigendum est, quin sacrarum rerum tegmina pretiosa fuerint atque ornata, ac talia, quæ eos qui portabant, omnis reverentiæ admonerent.

(1) Id indicant Clarius & Hentenius: idipsum in xxv. Exodi caput censet Eugubinus.
(2) Exod. xxvi. vers. 1. ac 31. xxxv. vers. 6. ac 23. xxxvi. vers. 8. &c. Num. iv. vers. 6. 7. 9. 11. &c.
(3) Lib. XI. cap. vi. & viii.

COM-

# COMMENTARIA.

## SA.

*Verf.* 4. CULTUS, id eſt officium, ſeu miniſterium. Hebr. *opus*, ſeu *ſervitium*: ſic & infra. TABERNACULUM FOEDERIS, ET SANCTUM SANCTORUM, pro in tabernaculo fœderis, & Sancto ſanctorum, ut indicant Heb. Chald. & LXX.

*V.* 5. ANTE FORES, pro ante Sancta ſanctorum: nullæ enim aliæ fores præter velum: & quidem Hebr. Chald. & apud LXX. non eſt *ante fores*.

*V.* 7. MORTARIOLA. Exod. xxv. vertit *acetabula*: alii *cochlearia*. Vide infra cap. VII. SEMPER. Figura id Euchariſtiæ, quæ ſemper in Eccleſia eſt.

*V.* 13. ALTARE, ſcilicet holocauſti.

*V.* 16. SUPER QUOS ERIT. Hebr. *præfectura*, ſeu *functio*, ſcilicet erit, quæ ſequitur. LXX. *Epiſcopus*.

*V.* 18. PERDERE, ſcilicet relinquendo prædicta retecta, vel permittendo ut nuda tangant, aut videant.

*V.* 19. SI TETIGERINT SANCTA SANCTORUM. Hebr. *Cum acceſſerint ad Sancta ſanctorum*, id eſt res ſanctas, ſcilicet portandas.

*V.* 20. ALII NULLA CURIOSITATE VIDEANT &c. Hebr. *Ipſi autem non intrent, ut videant ſancta, cum involvuntur*, &c.

*V.* 26. TABERNACULUM, id eſt atrium.

*V.* 28. MANU, id eſt imperio, ſeu poteſtate.

*V.* 37. INTRANT TABERNACULUM. Hebr. Chald. & LXX. *Miniſtrant in tabernaculo*. PER MANUM MOYSI, id eſt per Moyſen.

*V.* 46. AD NOMEN, id eſt nominatim.

## ESTII.

*Verf.* 3. A TRIGESIMO ANNO ET SUPRA USQUE AD QUINQUAGESIMUM ANNUM. Huic videtur adverſari quod poſtea legimus cap. VIII. ubi dicitur Moyſi: *Hæc eſt lex Levitarum: A viginti quinque annis & ſupra, ingredientur ut miniſtrent in tabernaculo fœderis*. Reſpondeo, quod ab anno vigeſimo quinto incipiebant addiſcere miniſterium Levitarum, idque per certos quoſdam magiſtros ex Levitis ad hoc deputatos; anno autem ipſo trigeſimo admittebantur ad miniſterium exercendum. Merito autem non ante illam ætatem admittebantur, quia in illa ætate perficitur robur hominis tam corpore quam mente. Unde etiam ſecundum diſciplinam veterum canonum Eccleſiaſticorum, ad presbyterii gradum admittebatur nemo, niſi qui trigeſimum ætatis annum attigiſſet, & Chriſtus ipſe baptizatus eſt quaſi annorum triginta.

*V.* 13. ALTARE MUNDABUNT CINERE, ET INVOLVENT ILLUD PURPUREO VESTIMENTO. Quæritur, quare iſtud purpureo operimento involvitur, cum alia operirentur tegumentis hyacinthinis. Reſpondeo, id fieri ad deſignandum, quod ſub eo ignis lateret: oportebat enim ignem ſemel divinitus datum Levit. IX. ſemper in altari aſſervari, ſicut & ſemper aſſervatus fuit uſque ad captivitatem Babylonicam. Addunt Hebræi, cum moverentur caſtra, ignem hunc altari incluſum miraculo fuiſſe conſervatum. Sed de ea re poteſt non immerito dubitari; tum quia hic dicitur, *Mundabunt cinere*, ſive, ut in Hebræo eſt, *Excinerabunt*; tum quia huius miraculi nuſquam fit mentio, nec in Scriptura, nec apud Patres. Adde quod miracula fieri non ſoleant ſine neceſſitate; at ignis facile ſervari poterat naturali modo in vaſe aliquo convenienti. Obiici quidem e contra poteſt quod mox his ſubiicitur: PONENTQUE CUM EO, id eſt altari, OMNIA VASA, QUIBUS IN MINISTERIO EIUS UTUNTUR, ID EST IGNIUM RECEPTACULA, FUSCINULAS, &c. ignis autem purpureo veſtimento non poſſit includi. Sed reſpondeo, in Hebræo non addi *Ignium*. Deinde nihilominus etiam modi quidam concipi poſſunt naturali via ignem conſervandi.

*V.* 20. ALII NULLA CURIOSITATE VI-

VIDEANT QUAE SUNT IN SANCTUARIO, ALIOQUIN MORIENTUR. Non est quod hic urgeat aliquis quod dicitur, *nulla curiositate*; quasi, si vel casu, vel ex devotione quis ea videret, nihil pateretur: nam nec in Hebræo, nec apud Septuaginta ulla mentio est curiositatis. Nec verisimile est Bethsamitas illos omnes, de quibus I. Reg. VI. curiositate sola ductos vidisse arcam Domini, sed ut populus solet, nonnullos etiam aliqua devotione, ut nunc concurritur a plebe ad spectandam pompam aliquam sacram, & tamen a Deo percussi sunt. Sed Dominus populum illum veterem voluit timore contineri, & strictissime suis præceptis inhærere, ne ad idololatriam dilaberetur.

## MARIANAE.

*Vers.* 3. OMNIUM QUI INGREDIENTUR UT STENT. Hebr. *Omnis veniens ad exercitum ad faciendum opus*. Qui Deo mancipantur, quasi militiam suscipiunt. Et fortiores esse debent, nempe numerati a trigesimo anno, cum ad aliam militiam a vigesimo numerentur.

*V.* 4. TABERNACULUM FOEDERIS, ET SANCTUM SANCTORUM. Hebr. *In tabernaculo fœderis Sanctitas sanctitatum*; hoc est, quæ sanctissima sunt in tabernaculo, eorum, scilicet filiorum Caath, fidei permittuntur.

*V.* 6. VELAMINE IANTHINARUM PELLIUM. Sic Sept. at Hebr. *pelles taxi* habet. Vers. 8. & 12. idem repetitur.

*V.* 7. CRATERAS AD LIBA FUNDENDA. קשות הנסך *Kesoth hanesech*. Hebræi putant his verbis significari calamos medios operimenti: nimirum quod inter panes ii calami essent, ne se panes contingerent; eoque vocat calamos operimenti, quod operirent panes. LIBA. Hieronymus pro libatione aut infusione vini sumit.

*V.* 9. UNCINOS. Vocem Hebræam *labim* putant Hebræi *scopas* significare. BATILLA. An id est *Badil?*

*V.* 20. PRIUSQUAM INVOLVANTUR. Non videant alii quæ sunt in Sanctuario. Hebr. *Cum involventur*, seu *cooperientur*: nam בלע *balah* non tantum *devorare*, sed *operire* significat. Et quod dicitur, NULLA CURIOSITATE, additum est ab Hieronymo. Hebr. hoc tantum: *Et non venient ad videndum*.

*V.* 23. OMNES QUI INGREDIUNTUR. Hebr. *omnem venientem ad militandum militiam*. Geminatur verbum ob maiorem perspicuitatem. Sept. pro *a triginta annis*, *a quinque & viginti* dixerunt, quod fecerunt etiam vers. 3. & vers. 30. fortassis librarii est error. Vide infra cap. VIII. vers. 24.

*V.* 32. AD NUMERUM ACCIPIENT. Hebr. *In nominibus numerabitis*. Vasa omnia numerari, & nomina singulorum exprimi vult in rationario.

*V.* 47. INGREDIENTES AD MINISTERIUM TABERNACULI, ET ONERA PORTANDA. Hebr. *ad serviendum servitium operis*, *& servitium oneris*. Hebræus Schol. pro *servitio operis* explicat canendi ministerium, quod Levitis incumbebat. Explicat quo numero ii ministri essent, nempe 8580. Gotth. 8630. sed vitiose.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. TOLLE SUMMAM FILIORUM CAATH DE MEDIO LEVITARUM PER DOMOS ET FAMILIAS SUAS. Sensum huius versus Noster optime expressit. Alii sic: *Collige summam filiorum Kahath de medio filiorum Levi*, *iuxta familias suas*, *iuxtaque domos patrum suorum*. Nonnulli: *Recenseto capita filiorum Kohathi inter filios Levi*, *secundum familias eorum*, *per domum maiorum ipsorum*.

*V.* 3. QUI INGREDIUNTUR UT STENT. Hebr. *Omnem ingredientem*, seu *venientem ad militiam*, seu *exercitum*: alii, *venientem ad pugnam*: nonnulli, *aptum bello*; quasi dicat: In ea ætate qua aptus bello censetur, poterit in tabernaculo ministrare: sic in seqq. accipiunt. Quidam exponunt: *Omnem aptum ad obeundum hanc militiam*, id est serviendi sacerdotibus in tabernaculo erecto, aut cum proficiscendum est, ipsum deportandi: nam hæc duo erant ministerii genera apud ambulatorium tabernaculum. Simplicius tamen, inquiunt, fore videtur istud, si militiæ nomine ordinem intelligamus quasi militarem quem sacerdotes æque ac alii tenebantur cum Levitis observare, mandato Dei ad commo-

moditatem cultus, honestatemque publicam; quomodo etiam forensis militia in Iure, & militia urbana Ciceroni pro Muræna dicitur. Fuit etiam apud auctores inclinantis imperii militia Palatina. Notant nomen צבא *tzaba*, id est *militia*, seu *exercitus*, dici hic de cultu & ministerio Ecclesiastico, seu Sacerdotali, seu Levitico, quasi statio militaris in Ecclesia, ubi omnia certo tempore, & ordine decenter administrantur. Vide infra vers. 23. 30. 35. 39. 43. & cap. VIII. vers. 24.

*V.* 4. ET SANCTUM SANCTORUM. Hebr. *Sanctitas sanctitatum*; id est, sunt res sacratissimæ, quas administrare, seu in quibus servire debent: ministerium eorum est rerum sacratissimarum.

*V.* 15. ISTA SUNT ONERA FILIORUM CAATH. Hebr. *Ista onus filiorum Kehath*: nempe ista prædicta erunt onus &c. idest, hæc ex rebus tentorii conventus ferent Kehathitæ. Quidam annotant, Kehathitas etiam portasse arcam, donec sacerdotes numero aucti eam deportare possent, Deut. XXXI. vers. 9. Nam sacerdotum postea fuisse portare arcam, omnia historiarum exempla docent in libris Iosue, Iudicum, Samuelis, & Regum. משא *massa*, proprie est *onus*, *pondus*, *gravamen*, quod levatur, & imponitur alicui; quasi dicas, *levatio*, *elevatio*. Hic quidam pro *officio*, seu *ministerio*, sumunt quod levatur, & imponitur super aliquo, ut etiam I. Paralip. XV. 22. ac si dicat: Ista deportare erit munus & officium Kehathitarum. Aliqui reddunt: *Ista elevatio filiorum Kehath*; id est, ista sunt quæ levare, seu portare debent Kehathitæ. Vide infra vers. 19.

*V.* 18. NOLITE PERDERE POPULUM CAATH, &c. Recte quidam interpretantur: Id est, cavete ne incuria & negligentia vestra exscindantur, & pereant Kehathitæ; quasi dicat: Ipse Aaron & filii eius prius omnia diligenter involvant, ne nuda a Kehathitis tractentur, & propterea moriantur. Versu sequenti se ipsum exponit.

*V.* 19. SANCTA SANCTORUM. Hebr. *Sanctitates sanctitatum*, id est res illas tabernaculi sanctissimas, & sacratissimas.

*V.* 20. ALII NULLA CURIOSITATE, &c. Hunc versum diversimode ex Hebræo convertunt. I. *Ne ingrediantur ad videndum, quando operient sanctitatem, & moriantur*. II. *Et non ingredientur ad videndum iuxta absorbere sanctitatem*. III. *Ipsi vero non introeant, ut contemplentur quando involvuntur sancta, ne moriantur*; vel *quando velabunt sanctitatem, & moriantur*. IV. *Et non venient ad videndum sicut tegere sanctuarium*; id est, quo modo involvuntur & teguntur sancta, &c. V. *Et non venient inspectum*, sive *inspicere*, vel *veniant inspiciendo*: hypallage; id est, ne prius veniant quam tecta sint a sacerdotibus omnia, ut non moriantur si illa inspexerint: unde reddunt: *Ut non inspiciant veniendo, cum tegunt sacerdotes rem sanctam, & moriantur*. VI. *Et non ingrediantur ad videndum secundum præcipitare sanctum, ut moriantur*; id est, non ingrediantur ad videndum sanctum ex præcipitantia & temeritate, seu temere: metaphora ab his qui præcipitanter & temere deglutiunt. Verbum בלע *balagh* proprie est *absorbere*, *deglutire*, *præcipitare*, *ingurgitare*; quasi in guttur præcipitare, & demergere, seu præcipitanter deglutire, devorare, absorbere. Forsan hic sit metaphora, quod res illæ sacræ tabernaculi, vasa & instrumenta absorberentur, & deglutirentur a thecis, seu saccis, aut opertoriis, quibus involvebantur, ut ibi absconderentur & tegerentur, atque operirentur.

*V.* 23. OMNES QUI INGREDIUNTUR ET MINISTRANT IN TABERNACULO FOEDERIS. Hebræa plurifariam exprimunt. I. *Quotquot ingrediuntur in congregationem*, seu *in turmam*, *ut faciant opus in tabernaculo Ecclesiæ*. II. *Quotquot admittuntur in cœtum*, sive *in consortium illud eorum, qui administraturi sunt in tabernaculo fœderis*. III. *Quicumque aptus est militiæ, ut illi in tentorio constitutionis ministrent*. IV. *Omnem aptum ad obeundum militiam, ad exercendum ministerium in tentorio conventus*. Certum est hic, verbum *militare*, & nomen *militia* dici de cultu & ministerio ecclesiastico, quasi stationem militarem habere in tabernaculo fœderis. Ex verbo: *Omnem venientem ad militandum militiam, ad serviendum servitutem in tentorio constitutionis*. Neque dubium quin huc respexerit, hincque phrasim desumpserit Paulus I. Timoth. I. vers. 18. *Ut milites in eis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, &c.* Vide supra vers. 3.

& Exodi XXXVIII. verſ. 8.

*V.* 26. OMNIA QUAE AD ALTARE PERTINENT. Hebr. verbatim expreſſimus (*Et omnia vaſa ſervitii eorum*, *&* *omne quod fiet eis*, *&* *ſervient*.) Quidam ſic: *Et quæcumque facta ſunt*, ſeu *quæ fieri ſolent, pro illis*: *& ita miniſtrabunt*. Alii: *Omnia denique*, *quæ illis obveniunt*, *exequentur*, vel *facient*. Nonnulli: *Et quæcumque fiunt ad illa*, *ut ſubſerviant illis*.

*V.* 27. IUBENTE AARON. Hebr. *Super os Aharon*. Quod reddunt, *iuxta ſermonem*, vel *ſecundum verbum*, aut *ex præſtituto Aharonis*. Sic verſu 37. 41. 45. 49. ET SCIENT SINGULI CUI DEBEANT ONERA MANCIPARI. Optime ſenſum expreſſit; nos verba, quæ varie exponunt. I. *Et deponetis apud eos in cuſtodiam univerſa onera ipſorum*. II. *Et commendabitis ſuper eos in cuſtodia omne onus eorum*. III. *Et committetis illis in cuſtodiam univerſa onera ipſorum*; ideſt, quæcumque illi ferre debent. IV. *Et recenſebitis eis omnia onera eorum*, *quæ obſervent*. V. *Et numerabitis ſuper eos in cuſtodia omne onus eorum*; id eſt, numero tradetis eis, ut cuſtodiant omnia quæ ipſi portant. VI. *Et cenſebitis ſuper eos pro cuſtodia omnia onera eorum*. VII. *Et requiretis*, *inſpicietis ſuper eos in cuſtodia omne onus eorum*; id eſt, breviarium conficietis omnium eorum quæ illis cuſtodienda, & deferenda tradetis, ne aliquid amittatur, aut intervertatur: vel, & exacte diſtribuetis ſuper eos onera, quæ ferre, & cuſtodire debent. Verbum פקד *pakad*, *viſitare*, omnes prædictos ſenſus complectitur.

*V.* 28. ERUNTQUE SUB MANU ITHAMAR. Hebr. *Et cuſtodia eorum in manu Ithamar*; id eſt, omnia hæc facient mandante Ithamar. Alii: *Quorum obſervatio eſto in manu Ithamar*; id eſt, per Ithamarem habetor inſpectio illorum; iſque curato ut exequantur miniſteria ſua. Sic infra verſ. 33.

*V.* 31. HAEC SUNT ONERA EORUM: PORTABUNT TABULAS, &c. Hunc verſum nos verbatim, ut ſolemus, ex Hebraico reddidimus (*Et iſta obſervantia oneris eorum*, *omni ſervitio eorum in tentorio ſtationis*, *aſſeres ſcenæ*, *&* *transfugitoria eius*, *& ſtatuæ eius*, *&* *ſuſtentacula eius*.) Alii ſic offerunt. I. *Hæc autem erit cuſtodia oneris eorum*, *pro omni miniſterio eorum in tabernaculo Eccleſiæ*, *tabulæ tabernaculi*, *&* *vectes eius* *&* *columnæ eius*, *&* *baſes eius*. II. *Et hæc cuſtodia oneris eorum ad omne ſervitium eorum*, vel *ad omne miniſterium eorum*, ſeu *in omni cultu eorum*, *in tentorio conventus*: *aſſeres tabernaculi*, *&* *vectes eius*, *&* *columnæ eius*, *&* *baſes eius*. III. *Hæc autem eſto obſervatio oneris eorum*, *præter omne miniſterium eorum in tentorio conventus*, *ut portent aſſeres tabernaculi*, *&* *tranſtilla eius*, *columnaſque eius*, *&* *ſtylobatas eius*. Subaudiunt illud, *Ut portent*, e verſu 25. analogice.

*V.* 32. ET SUPPELLECTILEM AD NUMERUM ACCIPIENT, SICQUE PORTABUNT. Hebr. *Et in nominibus viſitabitis vaſa obſervantiæ oneris eorum*. Alii reddunt. I. *Et per nomina numerabitis*, *recenſebitis vaſa cuſtodiæ oneris eorum*, id eſt quæ committitis illis deferenda. II. *Et numerabitis nominatim inſtrumenta*, *quæ cuſtodient* *&* *ferent*. III. *Nominatim autem recenſetote omnia inſtrumenta obſervationis oneris eorum*; id eſt, quæcumque illis deportanda, ſervandaque tradetis, ea ſigillatim relata in indicem & breviarium deſcriptaque habetote, eiſque ex antigrapho committite.

*V.* 37. IUXTA SERMONEM DOMINI PER MANUM MOYSI. Hebr. *Super os Domini in manu Moyſis*, ideſt opera Moſis, numerante Moſe; vel mandato Domini facto per Moſen. Quidam: *Ex præſtituto Iehovæ per Moſen*; id eſt, quod præſtitutum renuntiavit Moſes, ut in mandatis acceperat. Sic verſ. 45. & 49. Alii: *In manu Moſis*, id eſt miniſterio Moſis.

*V.* 47. AD MINISTERIUM TABERNACULI, ET ONERA PORTANDA. Senſum expreſſit: verba ſunt: *Ad ſervire ſervitutem ſervitutis*, *&* *ſervitutem oneris in tentorio conſtitutionis*. Alii ſic exprimunt. I. *Ad peragendum miniſterium cultus*, *&* *ad peragendum opus oneris in tabernaculo Eccleſiæ*. II. *Ut miniſtraret in miniſterio*, *&* *inſerviret oneri geſtando in tentorio conſtitutionis*. III. *Ad exercendum miniſterium cultus*, *&* *miniſterium oneris in tentorio conventus*. Duo hæc erant Levitarum miniſterii genera apud ambulatorium tabernaculum, nempe ſerviendi ſacerdotibus in tabernaculo erecto; & cum proficiſcendum eſſet, ipſum deportandi, ut verſ. 3. obſervavimus.

*V.* 49.

*V.* 49. IUXTA VERBUM DOMINI RECENSUIT EOS MOYSES. Hebr. *Super os Domini recensuit eos in manu Moysi.* Quidam exponunt: *Recensuit eos*, nimirum cœtus, ex Mose cum Aarone & principibus Israelis constans, ut expositum est vers. 46. UNUMQUEMQUE IUXTA OFFICIUM ET ONERA SUA. Heb. *Virum virum super servitutem eius, & super onus eius.* Alii: I. *Singulos secundum ministerium suum, & secundum onus suum.* II. *Unumquemque iuxta ad ministerium suum, & iuxta ad onus suum.*

## MENOCHII.

*Vers.* 3. A TRIGESIMO ANNO ET SUPRA, USQUE AD QUINQUAGESIMUM. Hic enim numerantur tantum viri qui graviora onera, & partes tabernaculi ferre possent, cum movenda erant castra. UT STENT. Statio hic vocatur ipsa ministratio Levitarum in tabernaculo: sic num. 30. dicitur de Meraritis: *Omnes qui ingrediuntur ad officium ministerii sui.* Utrobique in Hebræo sunt eædem voces.

*V.* 4. HIC EST CULTUS FILIORUM CAATH: hoc est ministerium, hæc functio Caathitarum.

*V.* 5. AARON ET FILII EIUS. Etiam minores sacerdotes ingredi poterant Sanctum sanctorum ad illud deponendum, cum movenda erant castra. DEPONENT VELUM, quod dividit Sanctum sanctorum a Sancto.

*V.* 6. VELAMINE IANTHINARUM PELLIUM, non illo quo tabernaculum tegebatur, sed alio proprio. Nam & mensa, & candelabrum, & cetera suum habebant etiam velamentum ex ianthinis pellibus. PALLIUM TOTUM HYACINTHINUM. Aliud velamen proprium, non ex pellibus, sed e filis hyacinthini coloris compositum, ut patet ex Hebræo, in quo est תכלת *thechelet*, quod huiusmodi fila significat; non תחש *tachas*, quod pelles eo colore tinctas significat. INDUCENT VECTES, non in arcam, quia iam inducti erant, & numquam extrahebantur, ut patet Exod. xxv. 15. Inducere ergo est componere intra eadem velamina quibus arca contegitur, præter eas tamen vectium partes quæ humeros baiulantium premebant, & ab arca hinc inde longius excurrebant.

*V.* 7. MORTARIOLA erant scutellæ quibus simila in sacrificiis excipiebatur. CYATHOS, ad vina, & libamina: idem usus eorum vasorum quæ appellantur *Crateres*. PANES SEMPER IN EA ERUNT: panes propositionis in mensa, etiam cum deportatur, & de loco ad locum transfertur.

*V.* 10. INDUCENT VECTES. Etiamsi candelabrum non haberet annulos quibus immitterentur vectes, ut patet ex eius constructione, quæ describitur Exod. xxv. & xxxvii. vectes tamen adhibebantur cum erat transferendum, & ad illos alligabatur candelabri sarcina, vel super eos imponebatur: quod indicant LXX. *καὶ ἐπιθήσουσι αὐτὴν ἐπ' ἀναφορέων, & imponent illud super vectes.*

*V.* 11. ALTARE AUREUM, thymiamatis, quod aureis laminis erat obductum.

*V.* 13. SED ET ALTARE, holocaustorum. MUNDABUNT CINERE, ex victimis, & lignis combustis.

*V.* 14. FUSCINULAS AC TRIDENTES, UNCINOS ET BATILLA. In Hebræo est unica tantum vox מזלגות *mizlegot*, quæ fuscinulam significat, sive unum tantum dentem habeat, ut uncini, sive plures.

*V.* 15. NON TANGENT VASA, nuda scilicet, & non operta.

*V.* 16. SUPER QUOS, Caathitas, ERIT ELEAZAR, utpote ex Caath oriundus. Gersonitis vero & Meraritis præerat Ithamar iunior Aaronis filius; sed ita ut omnibus Eleazar præesset, generalem quamdam in omnes providentiam exercens. AD CUIUS, Eleazari. INCENSUM, ET SACRIFICIUM, &c. Non quod solus Eleazar sacrificaret, aut adoleret incensum; sed quod eius esset prospicere, ne simila, oleum, & incensum sacrificiorum materia deesset. SACRIFICIUM, QUOD SEMPER OFFERTUR: in Hebr. est *Mincha*: intellige ergo similam illam quæ asservabatur ad offerendum cum iugi holocausto.

*V.* 18. NOLITE PERDERE POPULUM CAATH. Ne permittatis Caathitas perdi, & occidi a me: quod fiet si tangant Sancta sanctorum, id est vasa tabernaculi sanctissima.

*V.* 28. Hic est cultus, ministerium. Hebr. עבודה *haboda*.

*V.* 37. Sermonem Domini per manum Moysi, sermonem, & imperium Domini, qui per Mosen, ut ita fieret, significavit.

*V.* 49. Unumquemque iuxta officium et onera sua, unicuique imperando, & munus, in quo ministrare debebunt, iniungendo.

## TIRINI.

*Vers.* 3. A Trigesimo anno usque ad quinquagesimum. Hæc ætas hic præscribitur filiis Caath non qua possent ministrare in tabernaculo (nam hoc citius licuit illis, puta ab anno 25. ut dicitur infra cap. VIII. 24. Et tempore Davidis, saltem in levioribus servitiis, & quasi in novitiatu, servire poterant ab anno 20. ut constat ex I. Paralip. XXIII. vers. 24. 25. 26. 27. 28.) sed de ætate qua, dum iter agendum esset, res tabernaculi deferre, ac manibus tractare possent. Hæc enim sacrarum sarcinarum baiulatio ut maiorem reverentiam, ita & ætatem firmiorem ac robustiorem deposcebat.

*V.* 4. Sanctum sanctorum ingredientur Aaron et filii eius. Etsi enim soli Aaroni, & summo Pontifici licitum esset semel per annum in Sancta sanctorum ingredi, fixo & stabilito tabernaculo; licuit tamen etiam inferioribus sacerdotibus, quamdiu per desertum vagabantur, urgente necessitate, cum refigendum alioque transferendum esset tabernaculum, illuc ingredi ad involvendam, efferendamque arcam.

Allegorice Innocentius III. *a* ex officiis Sacerdotum & Levitarum veteris legis, docet distincta quoque fuisse ministeria Acolythorum, Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum novæ legis. Tropologiam vide apud Rabanum.

(*a*) Innoc. Lib. I. de S. Altaris mysterio, a cap. II. usque ad VII.

## GORDONI.

*Vers.* 3. A Trigesimo anno; sed Septuaginta habent, *Ab anno vigesimo quinto*: & hic cap. VIII. vers. 24. sunt etiam anni viginti quinque. Sed nulla est in his contradictionis species: nam hoc vers. 3. agitur de Levitarum ætate, qui debebant deportare res tabernaculi, ubi firmior ætas requirebatur; at vero cap. VIII. præscribitur ætas ministrantium, quibus sufficiunt 25. anni usque ad 50. Quod vero habetur I. Paral. cap. XXIII. vers. 24. & 27. ætatem ministrantium Levitarum esse 20. annorum, hoc intelligendum est de administratione leviorum rerum: quod permittendum David iudicavit ad maiorem frequentiam, & splendorem novi templi, non abrogata lege de viginti quinque annis ad res omnes. Sed cur Septuaginta hic cap. IV. vers. 3. ubi de baiulis agitur, tantum ponunt viginti quinque annos; aliter sane Noster, & Hebræus: Eugubinus putat errore librariorum irrepsisse mendum. Alii rectius, qui commodo modo mentem Septuaginta interpretantur. Recte Vulgatus.

*V.* 4. Cultus, ministerium & officium.

*V.* 7. & 16. Ergo etiam in deserto panes propositionis apponebantur: nisi quis velit hæc omnia præscribi pro terra promissionis. Mortariola, coclearia, vel acetabula. Liba, pro libatione, & infusione. De oleo hic vers. 16. vide Exod. XXX. Sacrificium etiam cuius hic fit mentio, videtur Mincha, de qua supra Levit. cap. II.

*V.* 18. Nolite perdere, scilicet permittendo ut nuda videant, & tangant.

*V.* 37. Intrant tabernaculum. Hebr. & Septuag. *Ministrant in tabernaculo*.

## Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 5. Et filii eius. Quando movenda erant castra, minores etiam sacerdotes ingrediebantur Sanctum sanctorum ad illud deponendum. Quæ vero hic recensita deponebantur, nota sunt ex structura tabernaculi, de qua supra.

*V.* 7. Mortariola, scutellæ pro simila; vel acetabula.

*V.* 15. Non tangent vasa; intellige nuda.

*V.* 37. Per manum Moysi, per Mosen declaratum.



# CAPUT V.

*Qui immundi extra castra arcendi: satisfactio transgressionis per negligentiam: de primitiis ac oblationibus, & lege zelotypiæ.*

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Præcipe fi-
liis Israel, ut eiiciant de castris omnem leprosum, & qui
semine fluit, pollutusque est super mortuo: 3. tam mascu-
lum quam feminam eiicite de castris, ne contaminent ea *
cum habitaverim vobiscum. 4. Feceruntque ita filii Israel,
& eiecerunt eos extra castra, sicut locutus erat Dominus
Moysi. 5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
6. Loquere ad filios Israel: Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus pecca-
tis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint man-
datum Domini, atque deliquerint, 7. confitebuntur peccatum suum, & reddent
ipsum caput, quintamque partem desuper, ei in quem peccaverint. 8. Sin au-
tem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino, & erit sacerdotis, excepto arie-
te, qui offertur pro expiatione, ut sit placabilis hostia. 9. Omnes quoque pri-
mitiæ, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent: 10. & quidquid in
sanctuarium offertur a singulis, & traditur manibus sacerdotis, ipsius erit.
11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 12. Loquere ad filios Israel,
& dices ad eos: Vir, cuius uxor erraverit, maritumque contemnens 13. dor-
mierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet
adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro: 14. si
spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta
est, vel falsa suspicione appetitur, 15. adducet eam ad sacerdotem, & offeret
oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super
eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio in-
vestigans adulterium. 16. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram Domi-
no: 17. assumetque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pavi-
mento tabernaculi mittet in eam. 18. Cumque steterit mulier in conspectu Do-
mini, discooperiet caput eius, & ponet super manus illius sacrificium recorda-
tionis, & oblationem zelotypiæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in qui-
bus cum execratione maledicta congessit: 19. adiurabitque eam, & dicet: Si
non dormivit vir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti toro, non
te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi. 20. Sin autem
declinasti a viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro; 21. his
maledictionibus subiacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplumque
cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus
disrumpatur. 22. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tu-
mescente putrescat femur. Et respondebit mulier, Amen, amen. 23. Scribetque
sacerdos in libello ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in quas ma-
ledicta congessit: 24. & dabit ei bibere. Quas cum exhauserit, 25. tollet sa-
cerdos de manu eius sacrificium zelotypiæ, & elevabit illud coram Domino,
im-

imponetque illud super altare: ita dumtaxat, ut prius 26. pugillum sacrificii tollat de eo quod offertur, & incendat super altare & sic potum det mulieri aquas amarissimas. 27. Quas cum biberit, si polluta est, & contempto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur: eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. 28. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos. 29. Ista est lex zelotypiæ. * Si declinaverit mulier a viro suo, & si polluta fuerit, 30. maritusque zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini, & fecerit ei sacerdos iuxta omnia quæ scripta sunt; 31. maritus absque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam.

## BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Cum habitaverim vobiscum*. Cave ne primam personam singularem *habitaverim* commutes cum tertia plurali *habitaverint*.

V. 29. *Si declinaverit mulier a viro suo*. Quidam libri confodiunt vocem *mulier*, sed immerito.

## COMMENTARIA.

S A.

*Vers.* 3. CUM HABITAVERIM VOBISCUM. Hebr. & LXX. *In quorum medio ego habito*. Chald. *Quia maiestas mea habitat inter eos*.

*V.* 6. PER NEGLIGENTIAM. LXX. *per contemptum*. Hebr. & Chald. neutrum est.

*V.* 7. IPSUM CAPUT, id est sortem principalem, ut aiunt, scilicet totum damnum. Vide Levit. VII.

*V.* 8. DABUNT DOMINO. Nota hic, incerta, esse Domini, adeoque pauperum, vel Ecclesiæ. EXCEPTO ARIETE, id est præter arietem. UT SIT PLACABILIS HOSTIA. Hebr. Chald. & LXX. *Quo ipse expiatur*.

*V.* 9. AD SACERDOTEM, scilicet cui dant offerendas Domino.

*V.* 10. IPSIUS ERIT. Nota, quod offertur Ecclesiæ, esse sacerdotis.

*V.* 12. MARITUMQUE CONTEMNENS. Hebr. & Chald. *In maritum prævaricata*.

*V.* 15. SATI. Hebr. & LXX. *ephi*. Chald. *trium satorum*, quod idem est: ephi enim sata tria. HORDEACEAE. Chrys. Orat. IV. in Iudæos: *Non triticeæ, ut forma sacrificii calamitatem exprimeret*. INVESTIGANS ADULTERIUM. Heb. Chald. & LXX. *commemorans iniquitatem*; quasi dicat, Reducens in memoriam adulterium.

*V.* 17. SANCTAM, scilicet acceptam ex labro sancto, quod erat ante altare holocausti. TERRAE: sic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *pulveris*.

*V.* 18. RECORDATIONIS; id est, reducens in memoriam iniquitatem adulterii. AMARISSIMAS: scilicet postea tales fiebant. IN QUIBUS CUM EXECRATIONE, &c. Hebr. Chald. & LXX. *maledictas*: scilicet facientes adulteram maledictam, id est infelicem: sic etiam infra.

*V.* 21. IN MALEDICTIONEM; id est, faciat te infelicem, vel talem, ut imprecantes malum, dicant: Ita tibi contingat, ut illi mulieri. FEMUR, id est pudenda. Nota, quod Chald. vertit ut Noster. At LXX. de ventre quidem dicunt hic & infra *rumpi*; de femore autem, *cadere*. Hebr. de utero, *intumescere*: de femore, *cadere*.

*V.* 22. AMEN; id est, ita mihi contingat.

*V.* 23. DELEBIT. Alii: *Deletas*, seu *rasas mittet in aquas*, &c.

*V.* 25. IMPONETQUE. Hebr. Chald. & LXX. *Offeretque*.

*V.* 31. RECIPIET INIQUITATEM; id est, dabit pœnas.

E S.

## ESTII.

*Verſ.* 14. SI SPIRITUS ZELOTYPIAE CONCITAVERIT VIRUM. Zelotypia apud Græcos nomen habet ab æmulatione formæ, ſemperque tam zelotypa quam zelotypus in vitio accipiuntur. Eſt enim zelotypia animi ægritudo, ex eo quod alter quoque potitur, vel potiri exiſtimatur, quo ipſe delectatur, ut Cicero definit in Tuſculan. quarta. Sed Deus dicitur zelotes, quia ſummo iure, ſereniſſimoque iudicio nec gloriam ſuam dari alteri patitur, nec electum populum ſuum ab aliis amatoribus occupari; quomodo & Elias propheta dicit: *Zelatus ſum pro Domino*. Sed quæritur quare lex zelotypiæ permiſſa ſit viris, & non feminis. Prioris partis duæ redduntur cauſæ: una & præcipua, ne mariti ſævirent in uxores, quas habebant de adulterio ſuſpectas; altera, ut uxores continerentur in officio, & ab adulterii cogitatione cohiberentur, metu tam gravis pœnæ. Cur autem non ſimilis lex poſita ſit in favorem mulieris zelotypæ, cauſæ redduntur, primum ne per eam legem auctoritas viri imminuta videretur; tum quia mulieres ad ſuſpiciones vehementer pronæ (& quæ ratione affectus ſuos moderare multo minus noverunt quam viri) nimis temere ea lege uti potuiſſent; denique quia magis læditur coniugium per adulterium mulieris quam viri: per illud enim incerta redditur proles, & viro ſubſtituitur fetus alienus cum magna eius iniuria, quod non contingit ex adulterio viri. Unde nec vir uxoratus, ſi fornicaretur cum muliere ſoluta, obnoxius erat legi de lapidandis adulteris; ſed tamen mulier, quæ virum habens cum alio ſive uxorato, ſive ſoluto fornicata eſſet, una cum adultero lapidabatur, Levit. xx. & Deut. xxii.

*V.* 31. MARITUS ABSQUE CULPA ERIT, ET ILLA RECIPIET INIQUITATEM SUAM. Senſus eſt: Si illa deprehenditur polluta fuiſſe adulterio, maritus non immerito eam accuſavit, & caret culpa falſæ accuſationis: an vero careat omni culpa hoc non dicitur. Etenim utrum viri licite uti potuerint hac lege, an vero tantum ad duritiam cordis eorum permiſſa ſit, eo modo quo lex repudii permiſſa fuit, quæri poteſt. Et magis videtur quod tantum ſit permiſſa viris ob cauſam dictam. Unde in nova lege nihil tale permittitur. Sed neque hinc patrocinium aſſumere debent qui iudicio ferri candentis, aut aquæ ferventis innocentiam alicuius probari licite contenderent: quod aliquando in uſu fuit, & de quo multa in canonibus habentur. Iſta enim lex zelotypiæ fuit a Deo inſtituta, ſeu ſaltem permiſſa; illa vero probatio innocentiæ per ferrum candens, aut aquam ferventem, neque naturali vi, neque divina inſtitutione ad eam rem valet; ideoque ad ſuperſtitiones & tentationes Dei eſt releganda.

## MARIANAE.

*Verſ.* 2. SUPER MORTUO. Hebr. & Sept. *ſuper anima*. Sed Hieron. ad ſententiam reſpexit: hic enim *anima* pro cadavere ſumitur, ut ſæpe alias.

*V.* 6. PER NEGLIGENTIAM TRANSGRESSI FUERINT MANDATUM DOMINI. Hebr. *Ad prævaricandum prævaricationem in Domino*, aut *coram Domino*. Et verbum מעל *mahal* non prævaricationem quamcumque, ſed furtum & ſimilia ſignificat, quibus læditur frater. De quo peccato agit.

*V.* 7. ET REDDENT IPSUM CAPUT. Hebr. *Et reddet peccatum ſuum in caput eius*, ſcilicet reſtituet Domino id in quo ipſe peccavit.

*V.* 8. SIN AUTEM NON FUERIT QUI RECIPIAT. Hebr. *redemptor*: nempe neque qui læſus eſt, neque heres aut propinquus eius qui læſus eſt, detur Domino id quod reſtitui debebat ei qui erat læſus.

*V.* 9. OMNES QUOQUE PRIMITIAE. Hebr. *Et omnis oblatio ad omnes ſanctitates*; hoc eſt, omne donum quod offerunt ad ſanctificandum ſe.

*V.* 15. DECIMAM PARTEM SATI Hebr. *ephi*: & ſic vertunt Sept. Satum autem eſt tertia pas ephi, decima ephi vocatur Gomor. Exod. xvi. verſ. 36.

*V.* 16. OFFERET IGITUR EAM SACERDOS. Hebr. *Appropinquare faciet eam*. Septuaginta καὶ προσάξει αὐτὴν, *& adducet eam*, ſcilicet mulierem de adulterio ſuſpectam.

*V.* 18. DISCOOPERIET CAPUT EIUS, ſci-

scilicet mulieris suspectæ. Hebræus, *Revelabit cæsariem*, quæ reticulo tegitur, aut forte etiam radet caput.

*V.* 21. PUTRESCERE FACIAT FEMUR. Hebr. *femur cadens*, nempe præ sanie diffluens, quod Hieronymus dixit *putrescere*.

*V.* 26. PUGILLUM SACRIFICII TOLLAT DE EO QUOD OFFERTUR, ET INCENDAT SUPER ALTARE. Hebr. *Et sumet pugillum sacerdos de munere memoriam eius, & adolebit altare*.

*V.* 30. MARITUSQUE. Hebr. *aut maritus*, scilicet immerito uxorem accusarit: nam fieri potest ut uxore innoxia vir suspicionibus agatur. Ita lex utrique malo occurrit, & uxoris noxiæ, & mariti suspiciosi. Sed examine facto, si noxia mulier apparuerit, ipsa dabit pœnas, maritus innocens erit. Id ultimo vers. dicitur.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. POLLUTUSQUE EST SUPER MORTUO. Hebr. *Et contaminatum in anima*, vel *super animam*, vel *propter animam*. Vide hanc phrasim explicatam Levitici XXI. vers. 1.

*V.* 6. ET PER NEGLIGENTIAM TRANSGRESSI FUERINT MANDATUM DOMINI. Nos ex verbo Hebr. transtulimus (*Loquere ad filios Israel*: *Vir, aut vira quia facient de omnibus erratis hominis, ad transcendere transcensionem in* IHUH, *& piacularis erit anima ipsa*.) alii varie reddunt. I. *Ad mentiendum mentitionem in Iehovah*. II. *Fallendo falsitate contra Iehovah*. Procul dubio hic agitur de peccato usurpationis alieni, ut ex sequenti versu apparet. Vide Levitici VI. a versu 2. usque ad 7. Aliqui notant agi hic de eo qui fraude, vel vi aliquid surripuit, & falso iuravit se id non fecisse, & convictus fuit quod rem abstulit, e Levitici VI. vers. 5.

*V.* 7. CONFITEBUNTUR PECCATUM SUUM. Coniugatio Hitphael magnam hic vim ostendit: *Confiteri se facient peccatum suum*; idest, serio, ex animo, cum vera pœnitentia confitebuntur peccatum suum. Vide Levitici V. vers. 5. ET REDDENT IPSUM CAPUT. Hebr. *Et restituet reatum suum in capite eius*, idest in summa capitali. Quidam, *in solidum*: alii, *in integrum*: nonnulli, *in sorte sua*: aliqui, *quanti est*. Vide Levit. VI. vers. 5.

*V.* 8. SIN AUTEM NON FUERIT QUI RECIPIAT. &Hebr. *Et si non viro redimens*, seu *redemptor*, *vindex*, *assertor*, *ad restituendum reatum eum*, seu *cui restituatur reatus*. Explicant: Idest, si ille cui intulit damnum, mortuus fuerit, nec habuerit propinquum redemptorem, cui restituat damnum quod intulit mortuo; damnum illud restituetur Deo, & cedet sacerdoti. Quam interpretationem Chaldæus habet.

*V.* 10. ET QUIDQUID IN SANCTUARIUM &c. Hunc versum nostra Translatio ad verbum expressit (*Et vir ad sanctitates eius, ei erunt*: *vir, quod dabit sacerdoti, ei erit*.) Alii aliter. I. *Et cuiuscumque sanctificata, ipsius erunt*: *vir cum dederit sacerdoti, illius erit*. II. *Sancta quoque uniuscuiusque, ipsius erunt*: *& quidquid homo sacerdoti dederit, ipsius sit*; quasi dicat: Licet unicuique dare sanctitates, seu sanctificata, nempe oblationes suas sacras cuicumque sacerdoti voluerit: at quando quis dederit illa sacerdoti, ad eum sacerdotem pertinebunt sanctificata. III. *Similiter omnis oblatio omnium rerum sanctificatarum a filiis Israelis, quas attulerint ad aliquem sacerdotem, illius esto*. IV. *Et vir sanctitates eius ipsi erunt*: *vir, quod dabit sacerdoti, ipsi erit*. Primam clausulam ita exponunt, quod cuiusque viri sanctitates eius, hoc est sacrificia eius, & quælibet eis annexa, non erunt sacerdotis, sed ipsius offerentis: portio enim sacerdotis comprehenditur sub elevatione, vers. 9. & reliquæ partes comprehenduntur sub cuiuscumque viri sanctitatibus eius. Alii utriusque clausulæ dativum *ei*, ad sacerdotem referunt, *ei sacerdoti erunt*.

*V.* 16. OFFERET IGITUR EAM SACERDOS. Plerique *eam*, oblationem, seu mincha intelligunt: quod Noster indicasse videtur. Alii, *eam*, mulierem interpretantur, quam sacerdos ante tabernaculum, ubi erat Dei præsentia, sisteret. Unde reddunt: *Eamque iubens accedere sacerdos, sistet eam coram Iehovah*. Sed id iam dicetur vers. 18.

*V.* 17. AQUAM SANCTAM, id est benedictam. Alii, *aquam illam qua aspergebantur immundi*. Nonnulli, *aquam sacram*, id est sumptam, seu haustam ex sa-

sacro labro, in quod ad sacros usus importabatur; quodque erat iuxta altare holocaustorum.

*V.* 18. AQUAS AMARISSIMAS, IN QUIBUS CUM EXECRATIONE MALEDICTA CONGESSIT. Pulchra paraphrasis. Hebr. *Aquæ amaræ, execrantes.* Quidam: *Aquæ amaritudinum, quæ maledictionem important. Aquæ amaritudinum,* sic vocantur ab effectu, quia gravi acerboque supplicio afficiebant mulierem sontem, ut proxime sequentibus versibus explicatur. Maledicentes vero & execrantes dicuntur, quod mulieres impudicas redderent infelices & miseras. Aliqui reddunt, *aquas amarorum*, id est eorum qui amari sunt, hoc est exacerbati zelotypia, qui has aquas quasi propinandas curabant suis uxoribus.

*V.* 19. ET SI NON POLLUTA ES DESERTO MARITI TORO. Heb. varie reddunt. I. *Et si non declinaveris ad immunditiam sub viro tuo*, id est contempto marito tuo. II. *Et si non declinasti* ad eum, scilicet adulterum, *immunditie, loco mariti tui.*

*V.* 20. ET CONCUBUISTI CUM ALTERO VIRO. Hebr. *Et dedit vir in te concubitum suum*: alii, *descensionem suam*: quidam synecdochice, *semen suum*. Nonnulli reddunt: *Si indiderit in te aliquis* semen *concubitus sui*. Integram locutionem habes Levit. xv. vers. 17.

*V.* 21. HIS MALEDICTIONIBUS SUBIACEBIS, &c. Nos in nostra translatione verbis Hebraicis inhæsimus (*Et iurare faciet sacerdos viram in iuramento execrationis: & dicet sacerdos viræ: Dabit* IHUH *te execrationi, & iuramento, in medio populi tui, ad dare* IHUH *femur tuum cadens, & uterum tuum tumidum.*) Alii clarius ita reddunt. I. *Adiurabit, inquam, mulierem illam sacerdos, adiuratione maledictionis, & dicet mulieri: Det te Iehovah in maledictionem & adiurationem in medio populi tui, cum dederit Iehovah femur tuum cadens, & uterum tuum tumescentem.* II. *Obtesteturque sacerdos mulierem talem, direque devoveat, & dicat sacerdos mulieri: Det te Dominus in execrationem & in iuramentum in medio populi tui; cum scilicet effecerit Dominus ut femur tuum deiciatur, & uterus tuus intumescat.* III. *Adiurans, inquam, sacerdos mulierem illam adiuratione dirarum, dicet sacerdos mulieri illi: Ponat te Iehovah in formulam dirarum & iuramenti in medio populi tui; cum reddiderit Iehovah femur tuum cadivum, & ventrem tuum tumidum.* DET TE DOMINUS IN MALEDICTIONEM, vel in execrationem; id est, faciat te Dominus miseram & infelicem: faciat ut execrentur te omnes, & diris devoveant. Sic vers. 27. EXEMPLUMQUE. Hebr. *in iuramentum imprecatorium*; quasi dicat: Sis tam misera & infelix, ut publica & vulgata imprecatio sit: contingat tibi quod mulieri illi ter infelici contigit. Sis formula dirarum. PUTRESCERE FACIAT FEMUR TUUM. Quidam pudenda exponunt: *Pudenda tua putrescant.*

*V.* 22. AMEN, AMEN. אמן *amen* proprie est *veritas, fides, constantia, stabilitas, firmitas, ratitudo.* Notant esse assentientis, fidentis, affirmantis, asseverantis, approbantis, confirmantis particulam, (qua Hebræi communiter utuntur) vota, precationes, vel imprecationes, devotiones; quasi dicas: Sit ratum, seu firmum; vel fiat quod dictum, aut auditum est. Geminatum, ut hic, superlative significat; id est, firmissimum, ratissimum esto; verissime, & certissime fiat. Vide de *Amen* Angelum Caninium de locis novi Testamenti cap. v. & Forsteri Dictionarium pag. 40.

*V.* 23. ET DELEBIT EA AQUIS AMARISSIMIS. Hebr. *Et absterget, eradet ad aquas*, vel *aquis amaritudinum.* Disquirunt aliqui, num sacerdos schedam ipsam discerptam in aquas illas proiiceret; vel potius litteras illas maledictionum inscriptas in scheda, abraderet, & absttergeret, & rasuram ipsam, seu abstersionem in aquis mitteret, ut mulier maledicta illa & imprecationes in aqua hauriret. Hoc posterius verisimilius putant.

*V.* 27. QUAS CUM BIBERIT, SI POLLUTA EST, &c. Consimilem ritum explorandæ pudicitiæ uxoris in Stygis fonte, late describit Achilles Tatius lib. VIII. de Amoribus Clitophontis, & Leucippes. Dæmon enim semper simiam se Dei exhibet.

*V.* 28. FACIET LIBEROS. Hebr. *Et seminabitur semine.* Sed Noster optime sensum expressit: nam semen pro prole plerumque in Scriptura capi & pueri sciunt, ut Genes. xv. vers. 3. Quidam tamen intelli-

telligunt dici hic, quod non deferatur a marito quo ad torum, sed in eam utatur legitimo concubitu.

*V.* 31. MARITUS ABSQUE CULPA ERIT. Hebr. *Et vacuabitur vir a pravitate*. Quidam: *Et insons*, immunis, liber, impunis, innocens *ab iniquitate*. Cuius plane reus esset, si contra legem Dei tantum vitium in uxore dissimularet; aut suspicionem in animo aleret, quæ coniunctioni coniugali adversatur. Alii exponunt: Vir ille zelotypus impune illud faciet; mulier vero, quod impudica fuerit, dabit pœnas. ET ILLA RECIPIET INIQUITATEM SUAM. Hebr. *Et uxor ipsa levabit pravitatem suam*. Geminum sensum hæc verba hic ferre possunt. I. Si pudica fuit, levabit, tollet, auferet a se noxam suam, id est infamiam culpæ, & pœnam. II. Si impudica deprehensa fuit, & culpæ, & pœnæ erit obnoxia; iuste pendet pœnas iniquitatis suæ.

## MENOCHII.

*Vers.* 2. UT EIICIANT DE CASTRIS. Duplex erat immunditia legalis: levior una, quæ tantum arcebat a templo, non autem ab hominum convictu, neque in alios derivabatur per contagionem; alia gravior, & quæ alios inficiebat: tales erant qui hic numerantur, quique propterea extra castra agere iubebantur.

*V.* 3. CUM HABITAVERIM VOBISCUM, erecto tabernaculo. Eiectionis ergo ratio, ne inficiantur alii legali immunditia, & a sacris arceantur.

*V.* 6. EX OMNIBUS PECCATIS QUAE SOLENT HOMINIBUS ACCIDERE, scilicet cum fecerint aliquam iniuriam proximo, quale peccatum solent homines contrahere. PER NEGLIGENTIAM: scientes vetitum esse, sed illud servare negligentes, quamquam non contemnentes.

*V.* 7. REDDENT IPSUM CAPUT, ipsam rem quam acceperunt. Vide Levitic. VI. 3.

*V.* 8. SI... NON FUERIT QUI RECIPIAT: si non sit consanguineus, aut propinquus, qui in defuncti locum recipiat quod restituitur. ERIT SACERDOTIS: sacerdos enim est vicarius, & quasi heres Dei. EXCEPTO ARIETE. Si res furto ablata sit aries, & nemo sit cui restituatur, Domino sacrificabitur.

*V.* 9. AD SACERDOTEM, ad sacerdotes: primitiæ enim inter omnes sacerdotes dividebantur. Secus erat de sacrificiis: hæc enim sacrificanti cedebant.

*V.* 10. QUIDQUID IN SANCTUARIUM, &c. Quidquid ab offerentibus dabatur sacerdoti, sacerdotis erat, nisi offerens expresse dixisset se dare ad usum tabernaculi, vel templi: tunc enim cedebat tabernaculo, vel templo.

*V.* 13. IN STUPRO, in adulterio.

*V.* 14. SPIRITUS ZELOTYPIAE, zelotypia.

*V.* 15. DECIMAM PARTEM SATI. Satum inter aridorum mensuras numeratur, & continet modios tres. Hebr. dicitur *Epha*. LXX. habent *Ephi*. NON FUNDET SUPER EAM, oblationem scilicet zelotypiæ, OLEUM: quia oleum typus est misericordiæ, a qua zelotypus hic alienus est. NEC IMPONET THUS: quia thus symbolum est bonæ famæ; hic autem agitur de infamia adulteræ inurenda.

*V.* 17. ASSUMETQUE AQUAM SANCTAM, aquam deputatam ad usus sanctos in tabernaculo. Eadem vocatur amarissima num. 18. & 19. ET PAUXILLUM TERRAE DE PAVIMENTO: ut significaretur adulteram esse vilem instar pulveris qui pedibus calcatur. Eccl. IX. dicitur: *Mulier fornicaria quasi lutum conculcabitur*. Sumebatur terra hæc ex atrio tabernaculi, quia in eo hæc cæremonia exercebatur.

*V.* 18. DISCOOPERIET CAPUT EIUS: ut hac cæremonia intelligat mulier se coram Deo esse, cui nihil occultum, aut opertum; & si crimen contraxerit, illud confiteatur. SUPER MANUS ILLIUS, mulieris scilicet de adulterio suspectæ. SACRIFICIUM RECORDATIONIS: quia est sacrificium commemorans peccatum, quod num. 15. dicitur *Oblatio investigans adulterium*. Vel dicitur *Sacrificium recordationis*, quia hoc sacrificio oratur Deus ut velit puniendo ostendere se recordari adulterii; vel felici partu (de quo postea) eius innocentiam testari, si falso venit in suspicionem apud virum suum. IPSE, sacerdos. AQUAS AMARISSIMAS. Quæ numero decimo septimo

mo dicta est aqua sancta, nunc appellatur amarissima; tum quia maledictionibus sacerdotis erat quasi onusta & gravida; tum quia epota ab adultera amaritudine magna eam afficiebat.

*V.* 19. NON TE NOCEBUNT: tibi non nocebunt. LXX. habent, *Innoxia esto*.

*V.* 21. DET TE DOMINUS IN MALEDICTIONEM. Sis adeo misera & infelix, ut publica & communis hominum imprecatio & maledictio sit hæc: Contingat tibi quod illi adulteræ contigit. PUTRESCERE FACIAT FEMUR TUUM. Per femur intellige pudenda, & partes pudendis vicinas. Hebr. & Septuag. *Inflata, intumescentia*: quod in carnibus putrescentibus accidit.

*V.* 22. AMEN, ita fiat.

*V.* 23. IN LIBELLO. Non opus fuit libello, cum sufficeret chartula: quare Philo χαρτίδιον dixit; sed Hebræi quidquid inscribitur, ספר *sepher*, *librum*, appellant.

*V.* 24. TOLLET DE MANU EIUS SACRIFICIUM ZELOTYPIAE: nam numero 18. dictum fuerat super manus mulieris positum fuisse.

*V.* 27. PERTRANSIBUNT EAM. Hebr. *Ingredientur in eam*, vel vim suam exerent.

*V.* 28. INNOXIA: nullam patietur noxam, aut detrimentum. ET FACIET LIBEROS, in solamen afflictionis, & ut a viro imposterum ut fecunda diligatur. Idque illi contingit eo anno prole mascula suscepta.

*V.* 31. RECIPIET INIQUITATEM, dabit pœnas.

## TIRINI.

*Vers.* 7. REDDENT IPSUM CAPUT, id est capitale seu principale: nempe quod primo & ante omnia debet reddi rationem damni proximo illati, & iniuriæ factæ, quodque etiam, seposito iure positivo, ex sola iuris naturalis obligatione restitui debet. Agitur enim hic manifeste de delictis quæ in proximum, rem eius scienter & fraudulenter usurpando, committuntur. Itaque per *negligentiam* hic intellige neglectum præcepti divini: non quod contemnat formaliter; sed sciat tamen, & non curet implere. Rursus intellige hæc de peccatis occultis: quæ qua ratione sacerdoti aperienda & confitenda essent, dixi Levit. v. 5.

*V.* 15. NON FUNDET SUPER EAM, *oblationem*, OLEUM, NEC IMPONET THUS. His enim carere debebant oblationes omnes ubi de peccatis agebatur, Levit. v. vers. 11. nempe quia symbola sunt lætitiæ, & virtutis, quæ in peccatis locum non habent; hic præsertim ubi de crudeli zelotypiæ pœna & infami ultione agebatur.

Totius rei ordinem explicant Iosephus, Philo, & alii Rabbini *a*. Primo maritus zelotypus uxorem Ierosolymæ, vel ubicumque tabernaculum erat, sisti curabat ad ostium atrii sacri. Secundo dicebat sacerdoti iudici ad id deputato, se suspectam habere uxorem de adulterio. Tertio, negante uxore, sacerdos e labro, seu mari æneo hauriebat pauxillum aquæ, quæ ideo sancta hic vocatur, quia divino cultui, ac templi usibus deserviebat. Ita Chaldæus, Rabbi Salomon, Vatablus, Sa, Abulensis, Lyranus. His aquis inspergebat aliquid pulvisculi de pavimento atrii sancti, & maledictiones in easdem aquas congerebat: unde & amarissimæ hic vocantur, non a sapore, sed ab effectu quem virtute morali, sed inefallibili, ex Dei promissione, & potentia assistente producturæ erant. Quarto proferebat maledictiones in ipsam quoque mulierem, quæ hic recensentur vers. 19. & sequentibus: ut & ipsa mulier totidem verbis, si rea esset, eadem maledicta sibi imprecaretur: cogebatur enim singula comprobare, dicendo *Amen*, *amen*; id est, fiat, ita mihi fiat. Stabatque mulier nudo capite, more omnium reorum, & quasi spoliata insignibus pudoris ac pudicitię: &, ut ait Theodoretus, ad designandum omnia nuda & aperta esse in oculis Dei, cui sistebatur. Quinto has posteriores maledictiones scribebat sacerdos in libello seu charta, sive membrana: mox inscriptas eluebat aquis illis maledictis. Excipiebat sexto de manu mulieris oblationem zelotypiæ, puta farinam hordeaceam, quam paulo ante vers. 18. in vasculo collectam manibus illius imposuerat, & pugillum ex ea cremabat super altari holocaustorum, reliqua portione sibi in cibum retenta. Vocabaturque hoc *Sacrificium recordationis*, nempe respectu Dei, quem hoc sacrificio roga-

rogabant ut vellet exhibito certo signo ostendere se recordari vel adulterii, vel innocentiæ mulieris. Denique septimo ex aqua maledicta potum dabat mulieri, quæ, si rea erat, intumescente mox ventre, & computrescentibus verendis, post paulo extinguebatur, ait Iosephus, qui addit, inflari solitam aqua intercute, qua tam horrifice venter intumesceret ut tandem disrumperetur. Sin innocens esset mulier, nihil illi aqua nocebat, sed erat innocentiæ illius testis & custos, addit Iosephus, & colligitur ex vers. 28. huius capitis, illam tum certo atque infallibliter e primo cum marito congressu procreaturam decimo mense proximo prolem, & quidem masculam, quantumcumque antea fuisset sterilis & infecunda, Deo singulari cura sic comprobante mulieris innocentiam. Et hac quidem occulti adulterii certa exploratione, cuicumque ad manum esset, sapientissimo consilio consultum volebat Deus incolumitati mulierum Iudaicarum, quas alioqui zelotypi facile de medio violenta manu tollebant: simul etiam infami hac pœna deterrebat uxores ab omni adulterio quantumvis occulto. Ita Philo, & Iosephus.

(a) Ioseph. Lib. III. Antiq. cap. x. Philo lib. de Sponsalibus legibus. Rabbini apud Oleastrum hoc loco: & Sixtum Senens. Lib. II. Bibliothecæ. §. zelotypiæ debet.

## GORDONI.

*Vers.* 2. EIICIANT DE CASTRIS, extra castra omnium, & non tantum Levitarum. Aliqua quidem cæremonialia servabantur in deserto. De his & similibus immunditiis vide Levit. cap. XII. XIII. & XVI.

*V.* 6. PER NEGLIGENTIAM. *Per contemptum*, iuxta LXX. sed Heb. *ad prævaricandum*.

*V.* 7. CONFITEBUNTUR. De hac confessione Levit. VI. vers. 4. IPSUM CAPUT, sortem principalem. Vocat hic *caput*, quod est capitale, seu principale, præter accessorium hic additum a Deo.

*V.* 8. DABUNT DOMINO. Sic incerta Deo dantur in pauperibus, & Ecclesia.

*V.* 9. Scilicet quod offertur ad sanctificandum se.

*V.* 12. & 13. De lege zelotypiæ hinc usque ad finem capitis. Ab Hebræis vocatur תורת קנאת *thorath kennoth*.

*V.* 14. Hoc velut continuato apud Iudæos miraculo, probabatur uxor: ne alioqui mariti suspicaces prorumperent sæpe in uxoricidium. Hinc etiam illis permissus libellus repudii. Tales probationes quæ non sunt a Deo, non licent. Vide opus Theolog. Lib. VI. quæst. VIII. cap. III. ubi de tentatione Dei.

*V.* 15. SATI. Hebr. & Sept. *Ephi.* Satum est pars ephi tertia: sic decima pars ephi est gomor.

*V.* 17. AQUAM SANCTAM. Sept. ὕδωρ καθαρὸν ζῶν, *aqua munda, vivens*. Heb. מים קדשים *maiim kedoschim*, *aquæ sanctæ*: & hic vers. 18. vocatur aqua amarissima ab effectu, ob insequentes dolores: non ergo a sapore. Sanctæ etiam dicebantur, utpote sumptæ e labro, seu mari æneo, vase sacro, ubi aqua destinata ad sacrum usum.

*V.* 18. RECORDATIONIS, reducendo in memoriam crimen adulterii.

*V.* 31. RECIPIET INIQUITATEM, dabit pœnas ex lege.

## Ex EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 13. IN STUPRO, in adulterio.

*V.* 18. Amarissimam vocat aquam ab effectu: & quia erat onusta maledictione sacerdotis, vocata est sancta vers. 17.

*V.* 23. IN LIBELLO, in chartula. Hebræi quidquid scribitur vocant librum, ספר *sepher*.

*V.* 27. PERTRANSIBUNT, ingredientur, & vim ostendent suam.

CA-

# CAPUT VI.

*Nazaræorum conſecratio & oblatio; quibuſque verbis ſacerdotes populo benedicerent.*

1. LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Loquere ad
filios Iſrael, & dices ad eos: Vir, ſive mulier, cum fece-
rint votum ut ſanctificentur, & ſe voluerint Domino con-
ſecrare: 3. a vino, & omni quod inebriare poteſt, abſti-
nebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, &
quidquid de uva exprimitur, non bibent: uvas recentes
ſiccaſque non comedent 4. cunctis diebus quibus ex voto
Domino conſecrantur: quidquid ex vinea eſſe poteſt, ab uva paſſa uſque ad acinum
non comedent. 5. Omni tempore ſeparationis ſuæ (*a*) * novacula non tranſibit
per caput eius, uſque ad completum diem quo Domino conſecratur. Sanctus
erit, creſcente cæſarie capitis eius. 6. Omni tempore conſecrationis ſuæ ſuper
mortuum non ingredietur, 7. nec ſuper patris quidem & matris & fratris ſoro-
riſque funere contaminabitur, quia conſecratio Dei ſui ſuper caput eius eſt.
8. Omnibus diebus ſeparationis ſuæ ſanctus erit Domino. 9. Sin autem mortuus
fuerit ſubito quiſpiam coram eo, polluetur caput conſecrationis eius: quod ra-
det illico in eadem die purgationis ſuæ, & rurſum ſeptima: 10. in octava au-
tem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ, ſacerdoti in introitu
fœderis teſtimonii: 11. facietque ſacerdos unum pro peccato, & alterum in ho-
locauſtum, & deprecabitur pro eo, quia peccavit ſuper mortuo: ſanctificabit-
que caput eius in die illo: 12. & conſecrabit Domino dies ſeparationis illius,
offerens agnum anniculum pro peccato: ita tamen ut dies priores irriti fiant,
quoniam polluta eſt ſanctificatio eius. 13. Iſta eſt lex conſecrationis. Cum
dies quos ex voto decreverat, complebuntur; adducet eum ad oſtium taberna-
culi fœderis, 14. & offeret oblationem eius Domino, agnum anniculum immacula-
tum in holocauſtum, * & ovem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem im-
maculatum, hoſtiam pacificam, 15. caniſtrum quoque panum azymorum qui conſperſi
ſint oleo, & lagana abſque fermento uncta oleo, ac libamina ſingulorum: 16. quæ
offeret ſacerdos coram Domino, & faciet tam pro peccato quam in holocau-
ſtum. 17. Arietem vero immolabit hoſtiam pacificam Domino, offerens ſimul
caniſtrum azymorum, & libamenta quæ ex more debentur. 18. (*b*) Tunc ra-
detur nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis cæſarie conſecrationis ſuæ: tol-
letque capillos eius, & ponet ſuper ignem, qui eſt ſuppoſitus ſacrificio pacifi-
corum. 19. Et armum coctum arietis, tortamque abſque fermento unam de
caniſtro, & laganum azymum unum, & tradet in manus nazaræi, poſtquam
raſum fuerit caput eius. 20. Suſceptaque rurſum ab eo, elevabit in conſpectu
Domini: & ſanctificata ſacerdotis erunt, ſicut pectuſculum, quod ſeparari iuſ-
ſum eſt, & femur. Poſt hæc poteſt bibere nazaræus vinum. 21. Iſta eſt lex
nazaræi, cum voverit oblationem ſuam Domino tempore conſecrationis ſuæ,
exceptis his quæ invenerit manus eius: iuxta quod mente devoverat, ita faciet
ad

ad perfectionem sanctificationis suæ. 22. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 23. Loquere Aaron & filiis eius: Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: 24. (c) Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. 25. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. 26. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. 27. Invocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.

(a) Iudic. XIII. 5. (b) Act. XXIV. 24. (c) Eccli. XXXVI. XIX.

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 5. *Novacula non transibit per caput eius*. Alii scribunt *non ascendet super caput eius*; minus recte.

V. 14. *Et ovem anniculam immaculatam pro peccato*. Nequaquam omittendum *pro peccato*.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Vers.* 2. VOTUM, scilicet nazaræatus, id est separationis, scilicet a communi vivendi ratione, ut nunc faciunt Religiosi

*V.* 3. POTIONE, scilicet simili, seu quæ possit inebriare. Hebr. *sincera*.

*V.* 4. AB UVA PASSA USQUE AD ACINUM. Hebr. Chald. & LXX. *ab acino usque ad corticem*, id est a granis usque ad folliculos.

*V.* 5. TRANSIBIT, scilicet radendo. DIEM, idest tempus.

*V.* 6. SUPER, pro ad; quasi dicat: Non intererit funeri alicui.

*V.* 7. QUIA CONSECRATIO, &c. quasi dicat, quia nazaræus est.

*V.* 9. CORAM EO. Hebr. *iuxta eum*.

*V.* 10. FOEDERIS, pro tabernaculi, id est atrii: sic infra.

*V.* 11. DEPRECABITUR PRO EO. Hebr. *Expiabit eum*. Chald. & LXX. *Propitiabit pro eo*. PECCAVIT, &c. id est contaminatus est mortui hominis præsentia.

*V.* 12. DIES SEPARATIONIS, scilicet inde illos computando. IRRITI FIANT; id est, non computentur.

*V.* 13. CONSECRATIONIS. Hebr. & Chald. *nazaræi*.

*V.* 15. PANUM. Hebr. *placentarum*.

*V.* 18. CONSECRATIONIS SUAE, id est quam gestavit tempore nazaræatus, quo fuit Deo consecratus.

*V.* 20. PECTUSCULUM, &c. Hebr. *Pectus elevationis, & armus elevationis*.

*V.* 21. TEMPORE CONSECRATIONIS SUAE. Hebr. *pro nazaræatu suo*. LXX. *pro voto suo*. Chald. *pro consecratione sua*.

*V.* 24. BENEDICAT; id est, cumulet bonis.

*V.* 25. OSTENDAT .... TIBI. Heb. & LXX. *Illuminet super te*, seu *faciat lucere*; quasi dicat: Respiciat te vultu hilari. Chald. *Maiestatem suam ostendat tibi Dominus*: quem sensum reddidit Interpres noster, & videtur verior: hoc enim facit beatum.

*V.* 26. CONVERTAT. Hebr. & LXX. *Elevet*. Chald. *Auferet iram suam a te*. PACEM, id est tranquillitatem, seu prosperitatem.

*V.* 27. INVOCABUNTQUE, scilicet modo dicto. Hebr. & LXX. *Ponentque*. NOMEN MEUM. Chald. *benedictionem nominis mei*.

## E S T I I.

*Vers.* 18. TUNC RADETUR NAZARAEUS ANTE OSTIUM TABERNACULI. Quod ad Nazaræos attinet, Nazaræi dicti sunt ab Hebræa voce *Nasir*, quæ *separatum* significat. Nazaræi, velut sancti, & Domino consecrati, a re-

reliqua multitudine separabantur tempore consecrationis suæ. Sciendum autem fuisse Nazaræos in duplici genere. Quidam enim obstricti erant voto perpetuo, quemadmodum legimus in Samuele & Samsone, qui manserunt consecrati Domino per totum tempus vitæ suæ: & hi quidem typum gesserunt Christi, de quo prophetatum est: *quia Nazaræus vocabitur*: deinde etiam eorum qui tempore novæ legis voto perpetuo obligant se cultui divino, id est omnium Religiosorum, qui cænobiticam, seu monasticam vitam profitentur. Alii autem erant Nazaræi ad tempus dumtaxat, qui tempore consecrationis peracto, & oblato sacrificio, redibant ad priorem vitæ modum: & de talibus agitur hoc capite. Hi figuram gerunt eorum qui votum faciunt ad certum tempus vel abstinentiæ a carnibus, aut vino, vel profectionis ad loca sancta, vel alicuius rei similis.

*V.* 23. LOQUERE AARON ET FILIIS EIUS: SIC BENEDICETIS FILIIS ISRAEL: BENEDICAT TIBI DOMINUS. Nota. Iubetur sacerdos benedicere populo, & tamen non iubetur dicere: Ego tibi benedico, sed *Benedicat tibi Dominus*. Ex quo patet aliter benedicere sacerdotem, aliter Deum. Sacerdos benedicit ministerio, Deus potestate; sacerdos bene precando, Deus benefaciendo: nam Dei benedicere est benefacere. Sed quæret aliquis: Igitur quid interest inter benedictionem Episcopi aut sacerdotis, & cuiuscumque alterius hominis: nam quilibet etiam laicus potest alteri bene precari? Respondeo. Quantum ad affectum seu pronam voluntatem bene precandi aliquando potest nihil interesse, sed quantum ad bonæ precationis effectum seu fructum plurimum interest. Deus enim benedictioni sacerdotum, tamquam ministrorum suorum, promisit suæ benedictionis suffragium. Ita enim mox subiungitur in fine eiusdem huius capitis: *Invocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis*. Hoc si promittitur sacerdotibus veteris Testamenti, multo magis novi.

## MARIANAE.

*Vers.* 2. CUM FECERINT VOTUM UT SANCTIFICENTUR. Hebr. *Cum separaverit ad vovendum votum nazaræi ad separandum se Domino*. Verbum פלא *Pala* hoc loco *separare* significat; aliis locis *mirabilia facere*: quam significationem Septuaginta secuti videntur, cum dixerunt, *Qui magne*, seu *vehementer voverit*. Hieronymus sententiam magis quam verba secutus est. Et vere hoc loco de Nazaræi voto, & observantiis agit.

*V.* 3. ACETUM EX VINO. Hoc Hebraice non est, sed tantum quod præcedit, A VINO ET OMNI QUOD INEBRIARE POTEST. Hebr. *a vino & sicera*. Sed ex sententia Hieronym. potus omnis qui inebriat præter vinum sicera est: sic pro *sicera* posuit, *omne quod inebriare potest*. Hieronymi sententiam sequitur Kimhi.

*V.* 5. NOVACULA NON TRANSIBIT. Capilli Deo sacri erant, cui ut pro frugibus collatis partem offerebat, sic pro totius corporis incolumitate capillos. Ritus inter gentes etiam usitatus. Censorinus de Die natali, num. 2. illis verbis: *Quidam etiam pro cetera bona corporis valetudine crinem Deo sacrum pascebant*, id est alebant.

*V.* 6. SUPER MORTUUM NON INGREDIETUR: non ibit ad funus.

*V.* 7. QUIA CONSECRATIO DEI SUI SUPER CAPUT EIUS EST. Heb. *Quia nazaræatus Dei sui super caput eius est*: nempe id promissa cæsarie indicabatur. Ideo ad funus ire vetat.

*V.* 9. RADET ILLICO IN EADEM DIE PURGATIONIS SUAE, ET RURSUM SEPTIMA. Hebr. *Radet caput suum in die purificationis suæ, in die septima radet illud*. Ita semel radere iubetur, idque die septimo. Vox *Illico* Hebr. non est.

*V.* 11. QUIA PECCAVIT SUPER MORTUO. Ecce immunditia vocatur peccatum.

*V.* 13. ADDUCET EUM. Pagn. *Se ipsum*: sicque Hebræi explicant: quoniam quod sequitur, *Et offeret munus suum*, nolunt ad sacerdotem referri, sed ad ipsum Nazaræum: adduntque, hunc esse unum e tribus locis quibus relativum tertiæ personæ pro reciproco sumitur. Eodem Sept. respexere cum dixerunt: *Quacumque die compleverit dies voti sui, offeret ipse*.

*V.* 18. TUNC RADETUR NAZARAEUS .... CAESARIE CONSECRATIONIS SUAE. Hebr. *Radet Nazaræus* ca-

*caput nazaræatus sui:* sed bene Hieronymus pro *caput* posuit *cæsarie*.

*V.* 20. Sicut pectusculum, quod separari iussum est, et femur. Significat, canistrum in quo sunt lagana, fore sacerdotis, præter pectus & armum, quæ ex hostia debebantur illi etiam.

*V.* 21. Quae invenerit manus eius. Hoc est, si quid præterea voluerit ex voto, & potuerit offerre, id faciat iuxta votum quod vovit; sic faciet super legem nazaræatus sui: supple, id adiiciat. Ad hanc sententiam Vulgatæ verba dirigenda sunt, non satis cum Hebraicis convenientia.

*V.* 27. Invocabuntque nomen meum: nimirum ineffabile, quod in benedicendo populo exprimi mandat.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. Cum fecerint votum ut sactificentur. Hebr. *Vovendo votum naziræi*. *Nazaræus* dicebatur, id est *separatus*, *segregatus*, *abstractus*, *exemptus* ab aliis, qui ex pio voto, devotione, religione, sanctimonia ab aliis in ratione vivendi se separabat, & a certis rebus abstinebat, ac Deo consecratus erat; quasi dicas, *diadematus*, *coronatus*, *serto redimitus*, *eximius*. Erant enim quidam homines inter Hebræos, qui ut liberius vacarent legi discendæ, & divino cultui, aliorum commercio se se abdicabant ad tempus, & Deo se totos dedebant, a certis rebus abstinentes in honorem Dei, & pietatis operibus vacantes. Et se voluerint Domino consecrare. Hebr. *Ad separare*, *segregare se Domino*. Quidam: *Se naziræum fore Iehovæ*.

*V.* 3. Et quidquid de uva exprimitur. Vocem משרה *mischrah* varie exponunt. I. *Nec ullum succum*, vel *liquorem*, *uvarum*: aiunt enim significare quemlibet succum seu liquorem expressum ex uvis, non tantum musteum. II. *Et omnem madefactionem*, vel & *omne madefactum uvarum*, vel *uvis*. III. *Et omnem expressionem uvarum*. IV. *Et omnem dilutionem ex uvis*. V. *Et omnem macerationem*, *dissolutionem uvarum*, id est omnem potum e maceratis uvis. VI. *Et omne residuum*, seu *omnem reliquiam uvarum*. VII. *Et omnem infusionem uvarum*; quando scilicet uvæ pressæ prælo macerantur aqua: ut est vinum secundarium. VIII. *Et omnem massarim uvarum*. Massaris uvæ Africanæ species, Plinio lib. XII. cap. XXVIII. & in prooemio lib. XXIII. sed ridiculum est massarim, cuius usus tantum in medicamentis, & odoramentis, auctore Plinio, huc accire. Isti sunt qui vocum assonantias aucupantur, *Mischrah*, massaris: frigide plerumque, & inepte. Quidam putant interdici hic Nazaræis poscam, & quas Hispani vocant *aguapie*, *raspada*, *arrope*, vinum coctum, & id genus.

*V.* 4. Ab uva passa usque ad acinum. Duæ voces Hebraicæ hic ponuntur, quæ hic tantum, nec alibi occurrunt: חרצנים *chartzannim*, quam exponunt *grana*, *acinos*, *nucleos acinorum*, *interiora acinorum*, seu *uvarum*; & זג *zag*, quam interpretantur *corticem*, *cutem*, *folliculum*, seu *pelliculam uvarum exteriorem*. Thalmudici, teste Aben Ezra, e contrario tradiderunt, *chartzannim* esse exterius, & *zag* interius uvarum.

*V.* 5. Crescente caesarie capitis eius. Varie Hebr. convertunt. I. *Crescere sinet crinem capitis sui*. II. *Nutriendo libertatem*, *capillitium capitis sui*. Vocat autem Moses cæsariem seu comam *libertatem*, quia libera est a novacula, seu forcipe, sicut ipse se exponit, cum mox addit, *Capillitium capitis sui*. III. *Nutriendo* scilicet *comam capillorum capitis sui*. IV. *Crescere faciendo nudationem*, seu *nuditatem*, *capilli capitis sui*. Ex verbo, *Grandescere facere*, *magnificare feriationem capilli*, *pili*, *capitis sui*. פרע *peragh* omnia ista complectitur, *feriationem*, *libertatem*, *vacuitatem*, *otiositatem*, *comam*, *cæsariem*, *capillitium*, *nuditatem*: quod coma sit libera, feriata, nuda, vel a pileo & tegumento, quo opus non habet; vel a forcipe, seu novacula. Vide Exodi XXXII. vers. 25. & Levitici x. vers. 6.

*V.* 6. Super mortuum non ingredietur. Heb. *Super animam mortui non veniet*. Quidam hic *animam* intelligunt cadaver, corpus exanime: alii funus, & officium quod pro mortuo peragebatur; quasi dicat: Non intererit funeri, nec curabit cadaver mortui. Vide cap. v. vers. 1. Sic vers. 11.

*V.* 7. Quia consecratio Dei sui

SUI SUPER CAPUT EIUS EST. Heb. *quia* נזר *nezer Dei sui super caput eius*. Quidam, *quia coma*, *cæsaries*, *Dei sui &c.* id est, in capite suo gestat crinem, quem non curat tondendum in honorem Dei. Alii, *quia diadema*, *corona*, *sertum Dei sui*, *&c.* Nonnulli, *quia naziræatum Dei sui gerit in capite suo*. Coma enim seu cæsaries, erat symbolum, & quasi corona ac diadema suæ Deo consecrationis. Vide infra vers. 9.

*V.* 9. MORTUUS FUERIT SUBITO. בפתע פתאום *bepetagh pitom*. Quidam vertunt, *repente*, *subito*: alii, *in eventu repentino*: nonnulli, *in momento subito*: aliqui, *subito & repentino casu*: alii, *statim*, *mox*. Nec desunt qui, *fataliter & subito*. Concursus duorum vocum fere synonymarum, rem maxime repentinam & improvisam denotat. CAPUT CONSECRATIONIS EIUS. Hebr. *caput* נזר *nezer eius*, id est *caput comæ*, *cæsariei*, *coronæ*, *diadematis*, vel *naziræatus eius*, nimirum caput illud intonsum & comatum, quod indicium erat eius consecrationis, & quasi quædam sacra cæremonia suæ dedicationis. Sic vers. 1. ET RURSUM SEPTIMA. Noster videtur intellexisse, nazaræum pollutum mortui fortuiti præsentia præcipi bis caput radere; primum ipso die, cum primum contactu mortui pollutus se mundavit; secundo, die septimo sequenti. Alii vero die tantum septima a pollutione purificandum ipsum, & caput eius abradendum intellexerunt: quibus astipulantur Hebræa: *Et radet caput suum in die purificationis suæ*, *in die septima radet illud*. Notant, illud *In die septima*, esse exegesim superiorum: nam erant impuri ex cadavere ad diem usque septimum, & septimus demum appellatur purgationis dies, ut Levitici XV. vers. 13. & infra cap. XII. vers. 14.

*V.* 11. QUIA PECCAVIT SUPER MORTUO. Heb. *De eo quod peccavit super anima*, vel *circa illud cadaver*; id est, ab eo quod deliquit, in delictum incidit, & a sanctimonia legitima imprudens aberravit.

*V.* 12. ET CONSECRABIT DOMINO DIES SEPARATIONIS ILLIUS. Hebr. *Et separare faciet Domino dies naziræatus sui*; id est, de integro incipient se separare a superioribus rebus, totidem dies quot separatum se fore voverat; redintegrabitque complementum voti, ac si nunc primum votum numcupasset; quasi dicat: Ab octavo illo die incipiet rursus numerare tempus nazaræatus sui, id est tempus quo voverat se nazaræum fore. Tunc incipiet nazaræum agere ac si antea non egisset: ut statim hoc eodem versu se exponit. UT DIES PRIORES IRRITI FIANT. Hebr. *Et dies priores cadent*; id est, dies præcedentes contaminationem non reputabuntur, aut numerabuntur; tempus anteactum quo fuerat nazaræus, reputabitur pro nihilo.

*V.* 13. ADDUCET EUM, nempe sacerdos: id enim Noster palam intellexit. Hebr. quidam reddunt: *Venire faciet*, *adducet se ipsum*, vel *applicet se se*. Alii: *Adducet istud*, nimirum quod duobus sequentibus versibus exprimitur.

*V.* 15. PANUM AZYMORUM, QUI CONSPERSI SUNT OLEO. Omisit hic nonnulla. Hebr. *Azymorum similæ*, *placentas permixtas oleo*. Quidam sic: *Azymorum*, *similam placentarum permixtarum*. Hypallage, id est *placentas*, seu *collyras*, *similæ*, vel *e simila*, *conspersas oleo*.

*V.* 21. EXCEPTIS HIS QUAE INVENERIT MANUS EIUS, &c. quasi dicat: Id faciet quod præscriptum est, nisi plura possit, aut velit facere. Hebr. *Præter id quod attinget*, vel *assequetur manus eius*, *prout fuerit votum eius quod vovit*, *sic faciet præter legem naziræatus sui*; id est, præter id quod sponte voverit, prout sunt facultates ipsius. Lex enim continet res tam a paupere quam a divite necessario offerendas: & ita interpretantur sequentia. Alii reddunt: *Exceptis his quæ apprehenderit manus eius*: *iuxta rationem voti sui quod vovit*, *sic faciet iuxta præscriptum separationis suæ*.

*V.* 24. BENEDICAT TIBI; id est, augeat te omnifaria copia bonorum spiritualium, & temporalium.

*V.* 25. OSTENDAT DOMINUS FACIEM SUAM TIBI. Hebr. *Illuminet*, *illustret*, *lucere faciat Dominus faciem suam ad te*, ~~*vel tibi*;~~ id est, respiciat te vultu hilari, nitido, lucenti, splendido, benevolo. ET MISEREATUR TUI. Hebr. *Et gratificavit te*: gratia, favore, beneficio te prosecutus est, & ornavit. Quidam: *Et gratiam faciat tibi*. Non sine mysterio

usus est præterito, ad indicandam certitudinem gratiæ divinæ, cum primum Deus aliquem respicit; quasi dicat: Ut primum Deus illuminabit super te vultum suum, puta te gratificatum a Deo, & eius gratia donatum. Sic vers. 26.

*V.* 26. ET DET TIBI PACEM. Hebr. *Et posuit tibi pacem*; id est, cum primum Deus vultum suum ad te attollet, existima te iam felicem & beatum factum. Sic vers. 25. *Pax* Hebræis pro incolumitate, felicitate, prospero rerum statu.

*V.* 27. INVOCABUNTQUE NOMEN MEUM SUPER FILIOS ISRAEL. Hebr. *Et ponent nomen meum super filios Israel*; vel *& imponent nomen meum filiis Israel*. Quidam exponunt: Id est, cum sacerdotes populo benedicent, in formula ipsa benedictionis adiungent nomen meum quadrilitterum, & ineffabile IHUH; id est, in hoc sacro nomine meo benedicent filiis Israel; vel facient, curabunt, dabunt operam ut Israelitæ vocentur de nomine meo, populus sanctus selectus IHUH. Alii reddunt: Et imponentes manus filiis Israelis, invocabunt nomen meum, & ego benedicam eis; id est, duobus signis testatam facient populo gratiam meam, quam ego pro fide mea facturus sum nominis mei invocatione, & manuum suarum impositione publica & solemni: quæ duo elegantissime consecutione quadam elliptica hoc loco innuuntur. Benedictiones fieri solitas cum impositione manuum, & invocatione nominis Dei, exemplum exstat Genesis XLVIII. vers. 14. & seqq. Aliqui exponunt: *Et ponent nomen meum super filios Israel*; id est, curabunt, ut re ipsa, nedum voce, & invocatione, nomen meum inseratur mentibus populi, ut illud revera ament, venerentur, & in eo fidant. ET EGO BENEDICAM EIS; id est, efficiam in populo quæ in iis benedictionibus continentur: omnibus bonis cumulabo eos, cum spiritualibus, tum temporalibus.

## MENOCHII.

*Vers.* 2. FECERINT VOTUM UT SANCTIFICENTUR. Heb. *Cum separaverint*, vel *mirificaverint se ad vovendum*; id est, cum voverint votum Nazaræi ut separent se a communi hominum consuetudine, & vivendi ratione (quod quid novum, & mirum est) & consecrent se Domino.

*V.* 3. OMNI QUOD INEBRIARE POTEST: quod generali nomine *Sicera* dicitur. Heb. שכר *scechar*, Græce μέθυσμα; quasi dicat, inebriativum. ET EX QUALIBET ALIA POTIONE, quæ scilicet inebriandi vim habeat. QUIDQUID DE UVA EXPRIMITUR. Hebr. *Madefactionem uvarum non bibet*: quidquid scilicet de uvis madefactis, & aqua dilutis post primam vini expressionem, exprimitur. Græci vocant δευτερίαν οἶνον, *vinum secundarium*: Latini *Loram* dicunt. Vide Columell. Lib. XII. cap. XL.

*V.* 4. USQUE AD ACINUM. Sept. ἕως γιγάρτου: est autem γίγαρτον granum quod intra uvæ folliculum latet.

*V.* 5. NOVACULA NON TRANSIBIT PER CAPUT EIUS, USQUE AD COMPLETUM DIEM. Nec novacula radet caput, nec forcipe capillum tondebit tempore nazaræatus. QUO DOMINO CONSECRATUR, non coma, sed Nazaræus.

*V.* 6. SUPER MORTUUM NON INGREDIETUR. In hoc Nazaræus æquabatur summo Sacerdoti, de quo Levit. XXI. num. 11. & utrique id conveniebat propter consecrationem, licet diversi generis in utroque, utramque tamen in suo genere summam.

*V.* 17. QUIA CONSECRATIO DEI SUPER CAPUT EIUS EST. Quia coma intonsa super caput eius est, quæ ostendat illum esse Domino separatum, coronatum, & consecratum; & in hac cæsarie videtur præcipua fuisse Nazaræorum cæremonia.

*V.* 9. CAPUT CONSECRATIONIS EIUS, pro consecratio capitis. RADET ILLICO. Cæsaries quasi polluta radebatur ut nova succresceret, & dies præteriti nazaræatus irriti censebantur, cogebaturque de novo tempus voti inchoare: quod intellige de eo qui Nazaræus ad tempus fiebat, nam perpetuus numquam radebatur, quomodocumque pollueretur.

*V.* 10. IN INTROITU FOEDERIS TESTIMONII, id est in introitu tabernaculi.

*V.* 11. FACIET, sacrificabit. UNUM, turturem. PECCAVIT SUPER MORTUO: contaminatus est, noxam legalem con-

contraxit. SANCTIFICABITQUE CAPUT EIUS IN DIE ILLO; &c. id eſt, ex eo tempore incipiet rurſus numerare tempus nazaræatus, quo ſe fore Nazaræum voverat.

*V.* 13. ADDUCET, ſacerdos, EUM, Nazaræum. AD OSTIUM TABERNACULI, ut pro eo offerat præſcripta ſacrificia.

*V.* 15. CONSPERSI, ſubacti oleo, cum farina pinſeretur, & ſubigeretur. LIBAMINA SINGULORUM, quæ præſcribuntur cap. xv. verſ. 4. huius libri. Hæ nimirum erant oblationes acceſſoriæ, & ſecundariæ, ſine quibus hoſtia pacifica non offerebatur. Vide ſupra Exod. XXIX. 2. & Levit. VII. 12.

*V.* 18. TOLLETQUE, ſacerdos. PONET SUPER IGNEM. Comburentur capilli Nazaræi in honorem Dei, tamquam illi ante conſecrati. SUPER IGNEM, QUI EST SUPPOSITUS SACRIFICIO PACIFICORUM. Abulenſis putat fuiſſe ignem altaris, ne profano igne hi capilli ſanctificati exurerentur. Lyranus putat fuiſſe ignem culinæ, in qua pacificorum carnes in caldario coquebantur: quam ſententiam ſequitur Bonfrerius hic, de hoc fuſe diſputans. Nec obſtat ratio Abulenſis: quia ille etiam ignis quo carnes pacificorum coquebantur, aliquo modo ſacer erat, licet poſſet dici profanus comparatione ignis altaris.

*V.* 19. ARMUM COCTUM aqua fervida, ſive elixatum: hoc enim ſignificat vox Hebræa בשל *baſcal*, & Græca apud LXX. ἑφθός. TORTAM ABSQUE FERMENTO. Tortas appellat quas vocavit panes num. 15. Hanc tortam noſter Interpres alibi vocat *cruſtulam*, vel *collyridem*.

*V.* 20. SANCTIFICATA; hoc eſt, quidquid elevaverit, & elevando Deo obtulerit, & conſecraverit. SICUT PECTUSCULUM, &c. hoc eſt, ſicut pectuſculum, ita & femur; ſive tam unum, quam aliud. ET FEMUR. Hic *femur* armum ſignificat, ut patet ex Hebræo, & LXX. qui βραχίονα habent, id eſt *brachium*.

*V.* 21. EXCEPTIS HIS QUAE INVENERIT MANUS EIUS: ad quæ ſcilicet ſponte ſe obſtringere voluerit. IUXTA QUOD MENTE DEVOVERAT, &c. Votum enim privata lex eſt, quæ iuxta voventis mentem interpretationem accipit. AD PERFECTIONEM SANCTIFICATIONIS SUAE. Hebr. *iuxta legem nazaræatus ſui*, quæ videlicet ſpectat perfectionem eius in ſanctitate ſtatus illius temporis, veteris ſcilicet Teſtamenti.

*V.* 24. BENEDICAT TIBI DOMINUS: det tibi copiam omnium bonorum.

*V.* 25. OSTENDAT DOMINUS FACIEM SUAM TIBI, hilarem, propitiam, benignam. Hebr. habet: *Illuminet Dominus faciem ſuam ſuper te*; id eſt, Dominus ſit tibi inſtar lucis, & lucernæ, quæ dirigat omnes actus tuos.

*V.* 26. CONVERTAT DOMINUS VULTUM SUUM AD TE, conſoletur, adiuvet, protegat te: hæc enim facit Dominus ad nos converſus; contraria his, averſus.

*V.* 27. INVOCABUNTQUE NOMEN MEUM SUPER FILIOS ISRAEL. Quaſi dicat: Cum benedicent ſacerdotem filios Iſrael, adiungent benedictioni tuæ nomen meum tetragrammaton. ET EGO BENEDICAM EIS: benefaciam cumulando eos bonis.

## TIRINI.

*Verſ.* 2. VIR, SIVE MULIER, CUM FECERINT VOTUM UT SANCTIFICENTUR. Hebraice eſt, *Vir, vel mulier, cum admirabilem ſe præſtiterit vovendo votum Nazaræi ad ſeparandum ſe Domino*. Hinc patet primo, etiam e ſexu femineo Nazaræas fuiſſe; ſecundo, votum nazaræatus admirabile, & valde excellens apud Iudæos fuiſſe, unde a Septuaginta *Egregium*, a Philone *a*, & aliis paſſim *Magnum Votum* vocatur; tertio, *Nazaræum* nomen, ſeu *Nazir*, ut eſt in Hebræo ( נזיר *a radice* נזר ) ſignificare ſeparatum ab aliis, non qualicumque modo, ſed peculiari profeſſione ſanctimoniæ & religionis, ac dignitate ſtatus. Qua ratione Nazaræi erant a communi aliorum hominum ſtatu ac genere vitæ ſeparati.

Sed nota primo, duplicis generis fuiſſe Nazaræos. Quidam perpetui erant, qui per totam vitam hoc inſtitutum vel Dei iuſſu, vel voto ſeu proprio, ſeu parentum ſuorum tenebant; verbi gratia Samſon, Samuel, Ioannes Baptiſta, Iacobus Minor.

Alii solum erant temporales, & de his agitur hoc capite.

Nota secundo, cæremonias nazaræatus fuisse, primam, nec vinum, nec siceram, nec quidquam quod inebriare posset, bibere, quin nec de uva, seu recente, seu sicca, seu passa, comedere: ut sic palam faceret se sobrietati studere, omnemque crapulam aversari, ex qua tot pullulant vitia, & religionis pietatisque omnis neglectus. Secundam, non poterant illi crines præscindi *usque ad completum diem quo Domino consecratur*, id est toto tempore quo ipse ex voto debet manere consecratus. Tertiam, *super mortuum non ingredietur*, morticinum humanum contingendo, vel morienti astando, ne patri quidem, vel matri. Et in hoc Nazaræus æquabatur summo Pontifici *b*. Et par ratio quoad utrumque redditur, cur id illi specialiter inhibitum sit, *quia consecratio Dei sui super caput eius est*; hoc est, quia speciali valde consecratione est Deo consecratus, ut supra diximus: & Nazaræus nominatim etiam caput, adeoque & capillos capitis habet consecratos Deo, utpote in Dei honorem nutritos; & completo nazaræatu, in eiusdem honorem detondendos, & cremandos. Nam quarto, finito iam voti tempore, post oblatum Deo agnum, ovem, & arietem, sacra Nazaræo cæsaries ante ostium atrii detondebatur, & a sacerdote mittebatur in ignem non altaris, ut vult Abulensis, sed culinæ, in qua carnes pacificorum coquebantur, ut habet Chaldæus, & docet Lyranus. Atque ita expleto voto poterat bibere vinum; hoc est, desinebat esse Nazaræus.

Allegorice Rupertus hæc omnia aptat Christo Nazaræno. Tropologice Religiosis novi Testamenti Cyrillus, Gregorius, Innocentius III. S. Thomas, & eleganter Hieronymus, Platus *c*. Plura vide de his Levit. ult. vers. 2.

(*a*) Philo Lib. de Temulentia & de Victimis.
(*b*) Levit. xxi. vers. 11.
(*c*) Cyrill. Lib. XVI. de Adorat. in spiritu. Greg. Lib. XXXII. Moral. cap. xxxvii. Innoc. III. sup. cap. iv. citatus S. Thom. II. II. q. clxxxvi. a. 6. Platus Lib. II. de Bono statu Religiosi cap. xix.

GORDONI.

*Vers.* 2. NAzaræi isti erant, ut tempora illa ferebant, Religiosi, qui ut libere vacarent meditationi rerum divinarum, segregabant se a commercio aliorum. Eorum aliqui habebant votum perpetuum, ut Samson Iudic. xii. vers. 7. & Samuel; alii ad tempus certum, ut Paulus Act. xxi. vers. 23. De his non perpetuis iam agitur. Sane ut hic dicitur vers. 6. non poterat funeri interesse. Nazaræus, id est separatus. נזר *nazar*, *separare*. נזיר *nazir*, *nazaræus*, in Niphal significat separatum religione. Et hoc loco in Hiphil להזיר *lehazir*, *ad separandum*. Demum Math. 11. vers. ult. de Christo, *Nazaræus vocabitur*, hoc est Sanctus, ex Hieronymo, & non tantum quia a Nazareth urbe. Vide Serar. Iudic. cap. iii. vers. 6. & 7. Votum hoc Nazaræi vocabitur εὐχὴ μεγάλη, *Votum magnum*.

*V.* 3. Nazaræus abstinebat proinde a sicera, de qua Levit. cap. x. vers. 9. & quavis alia potione vers. 3. scilicet quæ inebriare potest: item ab uva passa; quæ hic non significat uvam siccam (ut vulgo solet) sed ipsos uvarum cortices, & folliculos, qui post compressionem uvarum remanent. Recte ergo Latinus vertit etiam hoc sensu, *Uvam passam*.

*V.* 6. SUPER MORTUUM NON INGREDIETUR. Non ibit ad funus, quia scilicet Nazaræus est, ex Hebr.

*V.* 9. RADET. Semel tantum hic radet caput, ut clare docet textus Hebr.

*V.* 12. Hic immunditia vocatur peccatum, ut observat Mariana. Dies priores dicuntur irriti; hoc est, non computabuntur.

*V.* 15. De his oblationibus vide supra Exod. xxix. vers. 2. & Levit. vii. vers. 12. Per libamen intellige tam libamen vini, quam mincham: nam hostia pacifica non offerebatur sine his accessoriis, & secundariis oblationibus; sicut nec sine his offerebatur holocaustum: tantum erat hostia pro peccato, quæ non habebat has accessorias oblationes.

*V.* 19. TORTAMQUE. Sane suadet vox Hebræa חלה *challa*, hic per *tortam* intelligi panes de quibus vers. 15. nam utrobique est eadem vox Hebræa. De

Laga-

Lagano vide citatis locis Exod. xxix. & Levit. vii.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 5. NOVACULA, sed nec forfice.
*V.* 20. Quidquid elevaverit, & elevando obtulerit Deo.
*V.* 21. Exceptis aliis rebus ad quas sponte se vult obligare, voti interpretatio optima est mens voventis.
*V.* 26. CONVERTAT VULTUM: adiuvet, & consoletur.

## CAPUT VII.

*Oblationes principum duodecim tribuum in dedicationem tabernaculi & altaris: loquitur Dominus Moysi de propitiatorio.*

1. FActum (a) est autem in die qua complevit Moyses tabernaculum, & erexit illud: unxitque & sanctificavit cum omnibus vasis suis, altare similiter & omnia vasa eius. 2. Obtulerunt principes Israel & capita familiarum, qui erant per singulas tribus, * præfectique eorum qui numerati fuerant, 3. munera coram Domino, sex plaustra tecta cum duodecim bobus. Unum plaustrum obtulere duo duces, & unum bovem singuli, obtuleruntque ea in conspectu tabernaculi. 4. Ait autem Dominus ad Moysen: 5. Suscipe ab eis ut serviant in ministerio tabernaculi, & trades ea Levitis iuxta ordinem ministerii sui. 6. Itaque cum suscepisset Moyses plaustra & boves, tradidit eos Levitis. 7. Duo plaustra & quatuor boves dedit filiis Gerson, iuxta id quod habebant necessarium. 8. Quatuor alia plaustra & octo boves dedit filiis Merari, secundum officia & cultum suum, sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. 9. Filiis autem Caath non dedit plaustra & boves: quia in sanctuario serviunt, & onera propriis portant humeris. 10. Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die qua unctum est, oblationem suam ante altare. 11. Dixitque Dominus ad Moysen: Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris. 12. Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab de tribu Iuda: 13. fueruntque in ea, acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos, iuxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 14. mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso: 15. bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 16. hircumque pro peccato: 17. & in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc est oblatio Nahasson filii Aminadab. 18. Secundo die obtulit Nathanael filius Suar, dux de tribu Issachar, 19. acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, iuxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 20. mortariolum aureum habens decem siclos, plenum incenso: 21. bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 22. hircumque pro peccato: 23. & in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos

culos quinque. Hæc fuit oblatio Nathanael filii Suar. 24. Tertio die princeps filiorum Zabulon, Eliab filius Helon, 25. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, ad pondus ſanctuarii, utrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: 26. mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo: 27. bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: 28. hircumque pro peccato: 29. & in ſacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Eliab filii Helon. 30. Die quarto princeps filiorum Ruben, Eliſur filius Sedeur, 31. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, ad pondus ſanctuarii, utrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: 32. mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo: 33. bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: 34. hircumque pro peccato: 35. & in hoſtias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Eliſur filii Sedeur. 36. Die quinto princeps filiorum Simeon, Salamiel filius Suriſaddai, 37. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, ad pondus ſanctuarii, utrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: 38. mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo: 39. bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: 40. hircumque pro peccato: 41. & in hoſtias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Salamiel filii Suriſaddai. 42. Die ſexto princeps filiorum Gad, Eliaſaph filius Duel, 43. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, ad pondus ſanctuarii, utrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: 44. mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo: 45. bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: 46. hircumque pro peccato: 47. & in hoſtias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Eliaſaph filii Duel. 48. Die ſeptimo princeps filiorum Ephraim, Eliſama filius Ammiud, 49. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, ad pondus ſanctuarii, utrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: 50. mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo: 51. bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: 52. hircumque pro peccato: 53. & in hoſtias pacificorum, boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Eliſama filii Ammiud. 54. Die octavo princeps filiorum Manaſſe, Gamaliel filius Phadaſſur, 55. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, ad pondus ſanctuarii, utrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: 56. mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo: 57. bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: 58. hircumque pro peccato: 59. & in hoſtias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Gamaliel filii Phadaſſur. 60. Die nono princeps filiorum Beniamin, Abidan filius Gedeonis, 61. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, ad pondus ſanctuarii, utrum-

utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 62. & mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 63. bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 64. hircumque pro peccato: 65. & in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Abidan filii Gedeonis. 66. Die decimo princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Ammisaddai, 67. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 68. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 69. bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 70. hircumque pro peccato: 71. & in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Ahiezer filii Ammisaddai. 72. Die undecimo princeps filiorum Aser, Phegiel filius Ochran, 73. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii; utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 74. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 75. bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 76. hircumque pro peccato: 77. & in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Phegiel filii Ochran. 78. Die duodecimo princeps filiorum Nephthali, Ahira filius Enan, 79. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila oleo conspersa in sacrificium: 80. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 81. bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 82. hircumque pro peccato: 83. & in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Ahira filii Enan. 84. * Hæc in dedicatione altaris oblata sunt a principibus Israel, in die qua consecratum est: acetabula argentea duodecim; phialæ argenteæ duodecim; mortariola aurea duodecim: 85. ita ut centum triginta siclos argenti haberet unum acetabulum, & septuaginta siclos haberet una phiala; id est, in commune vasorum omnium ex argento sicli duo millia quadringenti, pondere sanctuarii: 86. mortariola aurea duodecim plena incenso, denos siclos appendentia pondere sanctuarii; id est, simul auri sicli centum viginti: 87. boves de armento in holocaustum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, & libamenta eorum: hirci duodecim pro peccato. 88. In hostias pacificorum, boves viginti quatuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt in dedicatione altaris, quando unctum est. 89. Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio quod erat super arcam testimonii inter duos Cherubim, unde & loquebatur ei.

(*) Exod. xl. 16.

BRU-

## BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Præfectique eorum qui numerati fuerant*. Non omittatur enclitica particula *que*.

V. 84. *Hæc in dedicatione altaris oblata sunt*. Non est surrogandus quartus casus *dedicationem* in locum sexti. Idem cavendum infra vers. 88.

## COMMENTARIA.

SA.

*Vers.* 3. TECTA, scilicet in modum lecticarum, seu rhedarum, quæ vulgo *Carrozze*.

*V.* 7. NECESSARIUM, scilicet ad suum ministerium.

*V.* 11. DIXITQUE; pro, dixerat enim.

*V.* 13. ACETABULUM. Verbum Hebræum significat *scutellam magnam*, *& latam*. LXX. *discum*. PHIALA vas erat libatorium. SACRIFICIUM, scilicet cibarium. Hebr. *Minchah*.

*V.* 20. MORTARIOLUM. Alii, *cochlear*, scilicet vas parvum in modum cochlearis, ad thus, vel eiusmodi aliud continendum: id enim significat vox Hebræa.

*V.* 27. BOVEM. Hebr. Chald. & LXX. *vitulum*, seu *iuvencum*: sic etiam infra.

*V.* 89. UT CONSULERET ORACULUM. Hebr. Chald. & LXX. *ad loquendum cum eo*, scilicet Domino.

ESTII.

*Vers.* 2. OBTULERUNTQUE PRINCIPES ISRAEL ET CAPITA FAMILIARUM. Recensentur oblationes duodecim tribuum Ephraim & Manasse filiis Ioseph pro singulis tribubus computatis, ut iusserat Iacob moriens. Neque quidquam obtulisse refertur tribus Levitica: nimirum quia ista tribus cum esset destinata & consecrata ministerio tabernaculi, & sacrificiis offerendis, non debebat dare quæ offerrentur, sed magis ab aliis accipere offerenda. *Quis enim*, ut Apostolus ait, *suis stipendiis militat umquam?*

*V.* 9. FILIIS AUTEM CAATH NON DEDIT PLAUSTRA ET BOVES, QUIA IN SANCTUARIO SERVIUNT, ET ONERA PROPRIIS PORTANT HUMERIS. Hinc intelligi potest quare fuerit Oza percussus I. Paralip. XIII. quia nimirum, cum debuisset arcam suis, & fratrum Caathitarum humeris portare, contra legem imposuit eam plaustro: cuius peccatum Deus prodidit, quando bobus calcitrantibus arca casura videbatur, nisi ipse, quod ei non licebat, manu eam sustentasset.

MARIANAE.

*Vers.* 3. SEX PLAUSTRA TECTA, scilicet obtulerunt principes, Hebr. *plaustra operimenti*, pro operta. Septuaginta, ἓξ ἁμάξας λαμπηνικάς, id est *sex currus regios*, λαμπήνη *currum regium*, seu *lecticam* significat. Aquila *tectas* vertit; Eusebius Emissenus *veloces*; alius *paratas*, *instructas*.

*V.* 9. QUIA IN SANCTUARIO SERVIUNT. Hebr. *quia servitus sanctitatis*, id est sanctuarii, *super eos*, *humero portant*. Ideo filiis Caath plaustra non dantur.

*V.* 13. ACETABULUM ARGENTEUM PONDO CENTUM TRIGINTA SICLORUM. Heb. *scutella argenti pondo centum triginta*: sic Sept. sed Hieronymus addidit *siclorum*, quoniam in phiala quæ proxime ponitur, explicatur fuisse pondo septuaginta siclorum iuxta pondus sanctuarii: nempe erant minores sicli populares & didrachmi.

*V.* 14. MORTARIOLUM EX DECEM SICLIS AUREIS. Hic etiam additur *siclis*: nam in Hebræo est *cochlear unum decem auri*, pro aureorum: sicque vertere Septuag. Et est verisimile, aureos Hebræos unius drachmæ fuisse, non quatuor, ut sicli.

*V.* 17. ET IN SACRIFICIO; pro, *in sacrificium*, ut Septuaginta, *obtulit boves duos*.

MAL-

## MALVENDAE.

*Verſ.* 1. FACTUM EST AUTEM IN DIE QUA COMPLEVIT MOYSES TABERNACULUM, &c. Hunc verſum quidam ex Hebræo ita reddunt: *Fuit autem, quo die abſolverat Moyſes erigere tabernaculum, & ungens illud, ſanctificaverat illud cum omnibus inſtrumentis eius: & altare cum omnibus inſtrumentis eius: cum, inquam, unxiſſet iſta, & ſanctificaſſet iſta: ut offerrent principes Iſraelis, &c.* Exponuntque: *Quo die*, id eſt die ſecundo, ſecundo menſe, anni ſecundi ab exitu ex AEgypto, ſupra cap. I. verſ. I. nam primo die menſis primi erectum fuit tabernaculum, Exodi IV. verſ. II. poſtea vero menſe eodem reliquo conſecratum, ut docetur in libro Levitici: hoc autem altare, nimirum holocauſti, poſtremo loco & ſuo ordine reſtabat conſecrandum cum toto miniſterio ſuo: cuius miniſterii bona pars cum Levitæ fuerint, optime Levitarum deditio & aſſumptio anteceſſit huius altaris conſecrationem. Alii volunt inverſum hic eſſe ordinem hiſtoriæ, & hoc caput de oblatione principum immediate annectendum capiti XL. Exodi. Vide Interpretes de his copioſe differentes. ALTARE SIMILITER ET OMNIA VASA EIUS. Hebr. addunt: *Et unxit ea, & ſanctificavit ea*. Explicant, quæ poſtremo reſtabant conſecranda. Nam hactenus tabernaculum, & quæ intus erant, Moſes ſanctificaverat Levitici VIII. verſ. IO. cum adminiſtris ipſius; nunc vero de ſanctificatione agitur altaris holocauſti, & adminiſtrorum, ac inſtrumentorum eius.

*V.* 2. PRINCIPES ISRAEL ET CAPITA FAMILIARUM. De his late actum cap. I.

*V.* 3. PLAUSTRA TECTA. עגלות צב *gheglotb tzab*, varie reddunt. I. *Plauſtra tumoris*, id eſt tumida, tecta ſuperne, quaſi inflatus uterus, ſeu in modum uteri tumentia, vel ſpeciem tumentis uteri præ ſe ferentia. II. *Plauſtra operimenti*, ſeu *tegumenti*, id eſt in modum lecticarum facta, *lecticas*. III. *Plauſtra camerata*. IV. Quidam *tzab* volunt eſſe decurtatum ex צבא *tzaba*, vertuntque *plauſtra militaria*. V. *Plauſtra tumbæ*, id eſt in modum tumbæ concamerata. Ego non dubito inſtar eorum fuiſſe quæ vulgo dicimus *coches*, vel *carroças*. Quidam annotant eiuſmodi currus, ſeu plauſtra tecta, parata in eum uſum ut in iis vaſa, utenſilia, inſtrumenta, & ſacræ veſtes tabernaculi mundius, & decentius veherentur, atque a cæli iniuriis defenderentur. Non recte alii *vitulas*.

*V.* 5. ET TRADES EA LEVITIS, IUXTA ORDINEM MINISTERII SUI. Hebr. *Et dabis ea Levitis unicuique*, ſcilicet genti Levitarum, ut in ſequentibus explicatur; *prout eſt miniſterium eius*: quod miniſterium ſupra cap. IV. fuſius exponitur. Illud, *Iuxta ordinem miniſterii ſui*, Hebr. ex verbo, *ſecundum os ſervitii, cultus, miniſterii, operis eorum*, id eſt iuxta rationem, præſcriptum, modum, pro ratione miniſterii eorum, in portandis oneribus ſacri tabernaculi. Sic in ſeqq.

*V.* 7. IUXTA ID QUOD HABEBANT NECESSARIUM. Hebr. *Prout erat miniſterium eorum*. Supra cap. IV. verſ. 24. 25. 26.

*V.* 8. SECUNDUM OFFICIA ET CULTUM SUUM. Supra cap. IV. verſ. 31. 32. 33. SUB MANU ITHAMAR. Hebr. *In manu Ithamar*. Alii, *Penes Ithamarem*.

*V.* 9. QUIA IN SANCTUARIO SERVIUNT, ET ONERA PROPRIIS PORTANT HUMERIS. Supra cap. IV. verſ. 15.

*V.* 10. IN DEDICATIONEM ALTARIS. Hebr. *dedicationem*, vel *initiationem altaris*. Quidam, *cum dedicatione altaris*, id eſt, die ſecundo quo ſanctificabatur altare, ut ſequentia verba docent, exegetice. Plerique, *pro dedicatione altaris*.

*V.* 11. IN DEDICATIONEM ALTARIS. Hebr. *initiationi altaris*. Quidam, *in dedicatione altaris*; id eſt, ea die qua dedicatum eſt.

*V.* 12. PRIMO DIE OBTULIT, &c. Quod hic a principe tribus Iuda, publico ſuæ tribus nomine oblatum dicitur, de ſequentibus quoque principibus aliarum tribuum eſt intelligendum: nam idem tantumdem quod Nahaſſon, alii etiam ſinguli obtulerunt, uti Moſes ſigillatim deſcribit.

*V.* 14. MORTARIOLUM. כף *caph*, proprie *curvitas*, *cavitas*, *concavitas*: inde dictum eſt eo nomine inſtrumentum cavum, ſeu concavum, a volæ ſimilitudine:

ne: *cochlear*, *acerram*, *lancem*, *mortariolum* reddere solent.

*V.* 86. DENOS SICLOS APPENDENTIA. Hebr. *Decem*, *decem cochleare*; id est, singula cochlearia pendebant decem siclos; vel, denum siclorum unaquæque acerra erat.

*V.* 89. CUMQUE INGREDERETUR MOYSES TABERNACULUM, &c. Consecrato tabernaculo, quando intrabat Moses, colloquebatur cum Deo, ut Deus illi promiserat Exodi xxv. 22. nam ante consecrationem eius aliter cum ipso loquebatur Deus. Nonnulli putant Mosi peculiariter concessum ut ipsum Sanctum sanctorum, ut Dei internuntius, quoties opus esset, introiret. Hebræi volunt, Mosen foris extra velum positum inde audire solitum vocem Dei e propitiatorio manantem. Quidam hanc vocem, & collocutionem spiritualem, sive intellectualem putant, in interna contemplatione: alii rectius corpoream, & sensibilem.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. COMPLEVIT MOSES TABERNACULUM, ministerio Beseleel, & sociorum.

*V.* 3. PLAUSTRA TECTA: ne vasa, instrumentumque sacrum, quod illis erat convehendum, conspici posset a populo, neve læderentur ab imbre, aut grandine, &c. LXX. habent ἁμάξας λαμπηνικάς. Hesychius λαμπήνην illustrium virorum, aut feminarum vehicula fuisse desuper operta.

*V.* 8. QUATUOR ALIA PLAUSTRA, &c. Filiis Merari plures boves, & plura plaustra data sunt, quia graviora habebant onera, scilicet columnarum omnium, præter alia onera tabularum, basium, &c. adeo ut Abulensis putet omnia eorum onera non potuisse quatuor hisce plaustris imponi, sed quædam ab eis debuisse humeris portari. CULTUM, ministerium: hoc enim vox Hebraica significat. SUB MANU, cura, potestate, præfectura, ITHAMAR; quasi dicat: Ithamar præerat Gersonitis, & Meraritis, eorumque vasis, & supellectili.

*V.* 9. QUIA IN SANCTUARIO SERVIUNT; ea autem quæ ad sanctuarium pertinent, non plaustris vehenda, sed humeris gestanda erant, ob ipsorum sanctitatem, & reverentiam.

*V.* 11. SINGULI DUCES, principes tribuum. IN DEDICATIONEM ALTARIS, holocaustorum, quod præter unctionem cum aliis tabernaculi vasis communem, habebat aliam specialem dedicationem, per septem dies, quotidianam scilicet unctionem, & sacrificia, Exod. XXIX. 36. & 37. præscripta: unde & quotidie in tabernaculi totius, sed maxime altaris huius dedicationem offerebant principes vicissim, & viritim sua munera.

*V.* 13. ACETABULUM. Vide de acetabulis dicta Exod. xxv. 26. Hæc tamen acetabula cum argentea fuerint, non fuisse videntur in usus sanctuarii, cum omnia sanctuarii vasa aurea fuisse sciamus: idem dicendum de phialis. Fuerunt ergo in usum atrii, & altaris holocausti. PONDO, pondere. PHIALA. Vide supra Exod. xxv. 29. IN SACRIFICIUM. Hæc similæ oblatio addenda erat partim holocaustis, si incocta erat; partim pacificis, si cocta.

*V.* 14. MORTARIOLUM. Vide sup. cap. IV. num. 7. Hic in Hebr. est vox כף *caph*, quam noster Interpres alibi phialam vertit: sed quia alia vox, quæ phialam vertit, hic præcessit, vertit mortariolum; quasi dicat, parvam phialam ad capiendum incensum.

*V.* 84. IN DIE, id est in tempore: nam oblatio hæc duravit per duodecim dies.

*V.* 89. CONSULERET ORACULUM, Dei sedentis in Sancto sanctorum super propitiatorium.

## TIRINI.

*Vers.* 1. IN DIE QUA COMPLEVIT MOYSES TABERNACULUM. Dies Hebræis idem sæpe est quod tempus. Et certum est ex vers. 84. tempus ut minimum duodecim dierum comprehendi nomine diei. Ceterum videntur hæc principum donaria facta prius tempopore quam reliqua quæ primis huius libri capitibus, totoque Levitico recensentur.

*V.* 23. De acetabulo aliisque vasis hoc capite recensitis, vide notas nostras de mensuris in Prolegomenis Commentarii.

Petes ad quos usus servierint hæc vasa argentea, cum omnia sanctuarii vasa debuerint esse aurea. Respondeo: Non servie-

vierunt usibus sanctuarii, sed altaris holocaustorum in atrio ante sanctuarium; verbi gratia, acetabula, ut in iis armus coctus, & libamina e farina & oleo offerrentur; phialæ, ut ex iis vinum in altari libaretur, &c.

## GORDONI.

*Vers.* 1. Male hinc aliqui duplicem exponunt, aut etiam quotidianam tabernaculi erectionem. Notandum proinde est, hic esse histerologiam: nam hæc oblatio principum, quæ hic narratur, facta est ipso primo die mensis primi, anni secundi: nempe quo die facta fuit erectio, & consecratio tabernaculi, de quo Exod. XL. vers. 18. Perinde ergo est, ac si hoc caput septimum fuisset caput quadragesimum primum Exodi. Nec multum absunt a simili transpositione rerum gestarum duo insequentia capita. Oblatio hæc principum duravit per dies duodecim:

*V.* 13. Phialæ erant pro vino libaminis. Vas libatorium. Acetabula sunt de quibus Exod. cap. XXV. vers. 29. Voce Hebraica acetabulum significat scutellam magnam. Septuaginta discum intelligunt.

*V.* 14. MORTARIOLUM ex vi vocis Hebrææ significat vas instar cochlearis ad continendum, vel quid simile.

*V.* 85. De siclo, & siclorum valore sæpe superius, Gen. cap. XXII. & alibi. De pondere sanctuarii, seu iusto, supra.

## EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 13. Hæ argentea vasa videntur fuisse ad usum atrii, & altaris holocausti: nam vasa sanctuarii fuerunt aurea,

*V.* 14. MORTARIOLUM, ut dixi cap. IV. vers. 7.

*V.* 84. IN DIE, in tempore: nam oblatio per duodecim dies fuit.



# CAPUT VIII.

*Candelabri & lucernarum situs, ac forma; ætasque, & consecratio Levitarum.*

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere
Aaron, & dices ad eum: † Cum posueris septem lucernas,
candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe
ut lucernæ contra boream e regione respiciant ad mensam
panum propositionis, contra eam partem quam candelabrum
respicit, lucere debebunt. 3. Fecitque Aaron, & imposuit
lucernas super candelabrum, ut præceperat Dominus Moy-
si. 4. Hæc autem erat factura candelabri, ex auro ductili, tam medius stipes,
quam cuncta quæ ex utroque calamorum latere nascebantur: iuxta exemplum
quod ostendit Dominus Moysi, ita operatus est candelabrum. 5. Et locutus est
Dominus ad Moysen, dicens: 6. Tolle Levitas de medio filiorum Israel, & pu-
rificabis eos 7. iuxta hunc ritum: Aspergantur aqua lustrationis, & radant
omnes pilos carnis suæ. Cumque laverint vestimenta sua, & mundati fuerint,
8. tollent bovem de armentis, & libamentum eius similam oleo conspersam:
bovem autem alterum de armento tu accipies pro peccato: 9. & applicabis Le-
vitas coram tabernaculo fœderis, convocata omni multitudine filiorum Israel.
10. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas su-
per eos: 11. & offeret Aaron Levitas, munus in conspectu Domini a filiis Is-
rael, ut serviant in ministerio eius. 12. Levitæ quoque ponent manus suas su-

per capita boum, e quibus unum facies pro peccato, & alterum in holocaustum Domini, ut depreceris pro eis. 13. Statuesque Levitas in conspectu Aaron & filiorum eius, & consecrabis oblatos Domino, 14. ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei: 15. & postea ingredientur tabernaculum fœderis, ut serviant mihi. Sicque purificabis & consecrabis eos in oblationem Domini: quoniam dono donati sunt mihi a filiis Israel. 16. (a) Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vulvam in Israel, accepi eos. 17. Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus quam ex iumentis. Ex die quo percussi omne primogenitum in terra AEgypti, sanctificavi eos mihi: 18. & tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel: 19. tradidique eos dono Aaron & filiis eius de medio populi, ut serviant mihi pro Israel in tabernaculo fœderis, & orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad sanctuarium. 20. Feceruntque Moyses & Aaron & omnis multitudo filiorum Israel super Levitis quæ præceperat Dominus Moysi: 21. purificatique sunt, & laverunt vestimenta sua. Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini, & oravit pro eis; 22. ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron & filiis eius. Sicut præceperat Dominus Moysi de Levitis, ita factum est. 23. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 24. Hæc est lex Levitarum. A viginti quique annis & supra, ingredientur ut ministrent in tabernaculo fœderis. 25. Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt: 26. eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non faciant. Sic dispones Levitis in custodiis suis.

(a) Exod. XIII. 2. Sup. III. 13. Luc. II. 23.

## BRUGENSIS

### Lectionum Varietas.

V. 2. *Cum posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe, ut lucernæ contra boream, e regione respiciant ad mensam panum propositionis: contra eam partem quam candelabrum respicit, lucere debebunt*. Magna pars horum verborum, hæc inquam, *candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe, ut lucernæ contra boream e regione respiciant ad mensam panum propositionis*, omittitur ab Hebræis, & Græcis codicibus, quinetiam a quibusdam Latinis manuscriptis. Videri possit addita fuisse explicationis causa ex Exodi XL. 41.

## COMMENTARIA.

### S A.

*Vers.* 2. Contra boream, pro ad boream. Respicit: scilicet secundum latitudinem respiciebat mensam, atque in eam partem lumen proiiciebat; secundum longitudinem vero respiciebat Sancta sanctorum.

*V.* 7. Lustrationis, id est expiationis: de qua infra cap. XIX.

*V.* 8. Bovem. Hebr. Chald. & LXX. *vitulum*: & sic infra.

*V.* 10. Manus suas, scilicet velut suo testimonio approbantes.

*V.* 11. Munus, id est oblationem.

*V.* 12. Depreceris. Hebr. *ad expiandum*. Chald. & LXX. *ad propitiandum*.

*V.* 15. Tabernaculum, id est atrium: sic infra.

*V.* 17.

*V.* 17. SANCTIFICAVI, id est consecravi.

*V.* 19. ET ORENT. Hebr. *ad expiandum*. Chald. & LXX. *ad propitiandum*, scilicet ad reddendum illis placatum Deum. SANCTUARIUM, id est tabernaculum, scilicet ut ministrent.

*V.* 21. ELEVAVITQUE, id est obtulit: solebant enim elevari oblata Domino.

*V.* 26. ERUNTQUE; pro, sed erunt. FRATRUM SUORUM. Hebr. Chald. & LXX. *cum fratribus suis*. CUSTODIANT, scilicet vasa; mystice vero animas, quæ a senibus præcipue custodiendæ. OPERA, scilicet quæ antea solebant. CUSTODIIS, id est functione, seu iis quæ observare debent.

## ESTII.

*Verf.* 7. ASPERGANTUR AQUA LUSTRATIONIS (Levitæ) ET RADANT OMNES PILOS CARNIS SUAE. Aqua ista erat, cui commixti erant cineres vaccæ combustæ, ut est infra cap. XIX. servabatur autem ad purgationem eorum qui ex tactu mortui, vel aliunde immunditiam contraxerant. Fuit hæc aqua typus quidam & figura aquæ benedictæ, cuius est antiquissimus usus in Ecclesia: sicut enim aqua illa legalem immunditiam tollebat; ita aqua precibus Ecclesiæ consecrata, spiritualem immunditiam aufert, puta venialia, ac quotidiana delicta.

Secundo radebantur omnes pili carnis. Cuius duplex ratio assignatur: una, ut Levitæ Domino consecrandi hoc pacto mundiores essent corpore; alia, quatenus declarabatur quia Levitæ offerrentur pro primogenitis aliarum tribuum, quæ potissimum pollutæ fuerant in adoratione vituli. Atqui idololatria lepra quædam est spiritualis; præceperat autem lex leprosis, quando mundandi erant, radi debere omnes pilos corporis: Levitæ ergo nomine eorum pro quibus offerebantur, tamquam a lepra mundandi, ad hunc modum radi debebant.

*V.* 9. & 10. ET APPLICABIS LEVITAS CORAM TABERNACULO, CONVOCATA OMNI MULTITUDINE FILIORUM ISRAEL. CUMQUE LEVITAE FUERINT CORAM DOMINO, PONENT FILII ISRAEL MANUS SUPER EOS. Hac cæremonia significatur Levitas offerri ac donari Domino a populo Israel. Simul etiam significari potest populi consensus in designandis verbi Dei, ac sacramentorum ministris, non quidem necessarius, sed convenienter requirendus, nisi quid obstet: quemadmodum etiam antiquis Ecclesiæ temporibus plerumque factum legimus, quando populus sedatus erat, & non in partes diversas sectus. De qua re vide nostra in IV. Sent. dist. XXIV.

*V.* 24. HAEC EST LEX LEVITARUM: A VIGINTI QUINQUE ANNIS ET SUPRA, INGREDIENTUR UT MINISTRENT IN TABERNACULO. Quomodo hoc non repugnet ei quod cap. IV. videtur requiri ætas triginta annorum, vide ibi explicatum vers. 3.

## MARIANAE.

*Verf.* 2. CUM POSUERIS SEPTEM LUCERNAS. Hebr. *Cum ascendere facies*. Pagn. & Vatabl. *Accendere facies*. Quod in Vulgata sequitur, *Candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe, ut lucernæ contra boream e regione respiciant ad mensam panum propositionis*, hoc totum in Gotthicis non est, neque in Complutensibus; in Lovan. iugulantur obelo: neque Hebraice, neque Græce est, quod in Romanis non est consideratum. Nam cum proxima verba obscura essent, CONTRA EAM PARTEM QUAM CANDELABRUM RESPICIT (Hebr. *e regione facierum candelabri*) aliquis adiecit illam explicationem: nam revera lucernæ non respiciebant candelabrum in quo erant, sed mensam, quæ ex adverso erat, & ad Septemtrionem. Et fortassis hoc loco vox Hebraica *El-mul* non significat *contra*, sed *iuxta*, aut *in*; ac si diceret: Lucernæ lucebunt ad facies candelabri, id est in candelabro. Sic proximo versu Hieronymus, ubi sunt eadem verba, posuit: *Et imposuit lucernas super candelabrum*.

*V.* 4. EX AURO DUCTILI, id est malleis subacto. Sept. *ex auro solido*: & vocem Hebraicam *miksah* id significare plerique contendunt.

*V.* 7. ASPERGANTUR, Levitæ, AQUA LUSTRATIONIS. Hebr. *aqua peccati*; sed omnes intelligunt per ea verba aquam lustralem.

*V.* 21.

*V.* 21. ET ORAVIT PRO EIS. Hebr. *Et expiavit eos*, scilicet Levitas Aaron: sic etiam Septuaginta, *Aaron purificans eos*.

*V.* 24. A VIGINTI QUINQUE ANNIS ET SUPRA. Ecce unde fortassis Sept. in numeratione Levitarum pro *triginta annis*, quod est in Hebr. posuerunt *viginti quinque annos* cap. IV. vers. 23. ne viderentur divini libri sibi repugnare. Sed nimirum illis quinque annis instituebantur, ut deinde perfecti ministri essent, ideo ibi non numerantur.

*V.* 26. UT CUSTODIANT. Maiores quinquaginta annis otio redduntur, cura tantum costodiendi relicta. Romani maiores sexaginta annis militia solvebant. QUAE SIBI FUERINT COMMENDATA. Hebr. *Ut custodiant custodiam*, nempe ætate illa maiores.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. CUM POSUERIS SEPTEM LUCERNAS. Hebr. *Cum ascendere feceris in lucernas*. Quidam: *Quando accendes tu lucernas*. Alii: *Cum aptabis, dispones, ordinabis, concinnabis, tu lucernas*. Nonnulli: *Cum collocas tu in sublimi lampades*. Vide Exodi xxv. vers. 37. Plerique lucernas exemptiles putant. CONTRA EAM PARTEM QUAM CANDELABRUM RESPICIT. Hebr. *E regione facierum candelabri*. Quidam, *contra faciem candelabri*. Candelabrum hic aliqui intelligunt medium candelabri stipitem, quem Scriptura vocat medium calamum. Aliqui, *versus candelabrum*. Alii, *e regione faciei hychnuchi*, id est ultra, citra, & ex omni parte qua hychnuchus videri potest, ut Exodi xxv. vers. 37. exprimitur, & nos ibi observavimus.

*V.* 7. AQUA LUSTRATIONIS. Heb. *Aquas peccati*, id est quæ adhiberentur ad expiandum peccatum. Vide de ista aqua infra cap. XIX. Unde hic reddunt, *aquas expiationis, purificationis; aquas expiatorias*, seu *lustrales*.

*V.* 10. PONENT FILII ISRAEL MANUS SUAS SUPER EOS. De hoc ritu impositionis manuum cum ad functionem publicam in Ecclesia quis designaretur, qua cæremonia quis ad officium aliquod vel munus ecclesiasticum consecrabatur, egimus plenius Exodi XXIX. 10. Vide Numer. XXVII. vers. 18.

*V.* 11. ET OFFERET AARON LEVITAS, MUNUS IN CONSPECTU DOMINI. Hebr. *Et elevabit, ventilabit, agitabit Aharon Levitas, elevationem, ventilationem, agitationem coram Domino*. Ritum *Tenuphah* descriptum habes Exodi XXIX. vers. 24. Proculdubio sacra ea cæremonia, qua Aaron unum aut alterum Levitam aliorum omnium nomine ante Dominum elevavit, seu agitavit: synecdochice plena & integra Levitarum oblatio Deo designatur. Sic vers. 13. 15. 21.

*V.* 19. UT SERVIANT MIHI PRO ISRAEL IN TABERNACULO FOEDERIS. Hebr. *Ad servire servitium Israel*. Quidam: *Ut exerceant ministerium filiorum Israelis in tentorio conventus*, id est ministerium quo ministraturi fuissent primogeniti Israel, ut faciebant ante assumptam tribum Leviticam ad ministerium. Vide quæ notavimus supra cap. III. vers. 7. & 8. & Exodi XIX. vers. 22. & cap. XXIV. vers. 5. Quod vero dicitur, *In tabernaculo fœderis*, Levitæ nec Sanctum sanctorum, nec Sanctum ingrediebantur; sed in atrio tabernaculi ministrabant: Sacerdotes minores in Sanctum; summus Sacerdos solum ac semel in anno in sacratissimum Sanctum introibat. Sic capiendus supra versus 15. ET ORENT PRO EIS. Hebr. *Ad expiandum super filios Israel*. Quidam exponunt: *Ad deprecandum* Deum pro *filiis Israel*; vel *ad placandum* Deum *erga filios Israel*; seu *ad propitiandum*, aut *reddendum propitium* Deum *filiis Israel*. Id quod secutus est Noster. Aut quia pro expiatione populi a Domino accipiebantur; aut quia ministrabant in sacrificiis Domini, per quæ fiebat populi expiatio. Alii reddunt: *Ut sint pretium redemptionis pro filiis Israelis*; id est, ut suis personis & ministeriis Israelitas liberent, ac redimant, exsolventes pro illis quod illorum erat præstare. Nec hæc interpretatio abludit a ratione verbi כפר *cipper*, quod interdum *pretio redimere*, *& expiare* significat: & כופר *copher* est λύτρον, seu *pretium redemptionis*. Vide Exodi XXI. vers. 30. NE SIT IN POPULO PLAGA: quæ proculdubio esset, si per se ipsi accedentes, non per Levitas mihi postmodum ministrarent, ut contigit

Oziæ

Oziæ regi II. Paralip. xxvi. verſ. 16. qui rapuit ſibi munus ſacerdotum.

*V.* 24. Haec est lex Levitarum. Hebr. *Hæc, iſta, quæ Levitis*; vel *Hoc, iſtud, quod Levitis*. Quod ita reſolvunt: Hoc eſt quod ad Levitas pertinet. A viginti quinque annis et supra. Obſervant miniſterii Levitici diverſum hic initium ſtatui, & ſupra cap. iv. verſ. 3. & I. Paralip. xxiii. verſ. 3. iis enim in locis trigeſimo anno Levitæ ponitur; hic vigeſimo quinto: ita ut quinque annorum diſcrimen intercedat. Quidam ita conciliant, trigeſimum annum ibi deputari ad deportandum, curamque habendum vehendorum in tabernaculo inſtabili, & ambulatorio; hic autem ſermonem eſſe de aliis miniſteriis Levitarum, quibus a vigeſimo quinto poſſunt admoveri. Alii volunt ſpatium quinque annorum datum Levitis ad tyrocinium primum venientibus: quia vigintiquinque annos nati, reliquis accenſi miniſtrare tenerentur; ſed anno demum trigeſimo munus ſuum plene exequi inciperent. Quamobrem ſupra cap. iv. verſ. 3. dicere Moſen, *Omnem aptum ad obeundum militiam, &c.* hic vero, *Venient ad militare, &c.* Sed & tempore David regis cum pluribus opus eſſet Levitis ad officia ianitorum, cantorum, &c. non ſine Dei iuſſu delecti ſunt a vigeſimo anno, I. Paralip. xxiii. verſ. 27. Ingredientur ut ministrent in tabernaculo foederis. Hebr. *Venient ad militare militiam in ſervitio*, vel *miniſterio, tentorii conſtitutionis*; id eſt, venient ad ſtandum in ſtatione muneris ſui ſacri cum reliquis, & obſervandam rationem miniſterii. Vide cap. iv. verſ. 3.

*V.* 25. Servire cessabunt. Heb. *Revertetur a militia ſervitii*, ſeu *miniſterii eius*; id eſt, licebit, ſi volet, miſſionem petere, & accipere.

*V.* 26. Eruntque ministri fratrum suorum, &c. Nos in translatione noſtra hunc verſum ex Hebr. ad verbum expreſſimus (*Et miniſtrabit ad fratres ſuos in tentorio ſtationis, ad obſervare obſervantiam; & ſervitium non ſerviet. Sic facies Levitis in obſervantiis eorum.*) Alii clarius ſic reddunt. I. *Sed miniſtrabit cum fratribus ſuis in tabernaculo Eccleſiæ, ut munere ſuo illi fungantur; at miniſterium non adminiſtrabit*; id eſt, non faciet quæ facere ſolebat ante quinquageſimum annum: *ſic facies de Levitis in cuſtodiis eorum*; id eſt, iuxta ea quæ facere ſolent. II. *Sed cum fratribus ſuis ſerviat in tentorio conſtitutionis, ut obſervent cuſtodiam: nihil autem gravis ſervitii faciet*; vel *& cultum non peraget: ſic ages cum Levitis in obſervatione eorum.* Exponuntque: *Sed cum fratribus ſuis ſerviat*; id eſt, fratres ſuos iuvet conſilio: *ut obſervent cuſtodiam*; id eſt, ut fungantur illi recte ſuo officio. III. *At vero ſerviat fratribus ſuis* obeuntibus *militiam in tentorio conventus, obſervando obſervationem*; id eſt, inſpectionem habendo in alios, ut quique fungantur miniſterio ſuo, & aliis ſint nomophylaces: *quamvis miniſterium ipſi non exerceant. Sic facito Levitis in obſervationibus eorum*, id eſt in ſingulorum miniſteriis: quo ſenſu accipitur hæc vox ſæpius ſupra cap. iv.

## MENOCHII.

*Verſ.* 2. Lucernae... respiciant ad mensam panum propositionis. Hæc menſa erat in qua quaſi convivabatur Deus: nemo autem convivatur in tenebris, ſed in lumine; in tabernaculo autem nulla erat feneſtra, itaque lucernæ accenduntur.

*V.* 4. Haec autem erat factura candelabri. Paucis repetit de ſtructura candelabri, quæ fuſius habetur Exod. xxv. 31. & deinceps, & xxvii. 17. & deinceps.

*V.* 7. Aqua lustrationis, quæ mixta eſt cineribus vitulæ rufæ, de quibus cap. xix. Radant omnes pilos carnis suae. Cuius rei tropologiam vide apud S. Greg. Lib. V. Mor. cap. xxiii. nam hæ cæremoniæ proculdubio myſterio non vacant.

*V.* 8. Libamentum eius; hoc eſt, tali hoſtiæ addi conſuetum, de quo vide infra cap. xv. num. 9.

*V.* 10. Ponent filii Israel manus super eos: ut hac manuum impoſitione ſignificent, & teſtentur ſe Levitas contribules ſuos a ſe abdicare, & Domino quaſi munus, aut ſacrificium offerre, in eiuſque dominium, & miniſterium transferre.

*V.* 12. Levitae quoque ponent ma-

MANUS SUAS SUPER CAPITA BOUM. Bos erat Levitarum sacrificium, sicut Levitæ ipsi quoddam populi sacrificium fuerunt: itaque utrobique manuum impositio super capita. UNUM FACIES PRO PECCATO, non tu, sed Aaron: facies ergo non per temetipsum, sed per Aaronem Pontificem: nam num. 11. dictum fuerat, *Offeret Aaron Levitas*. Nec tamen improbabile ipsum Mosen sacrificasse, quod & textus noster, & versio LXX. videntur indicare. Vide Bonfrerium hic.

*V.* 15. INGREDIENTUR TABERNACULUM FOEDERIS. Hebr. *Ingredientur ad ministerium suum in tabernaculo fœderis*, videlicet ut illud portent: nec enim erat aliud officium Levitarum. CONSECRABIS EOS IN OBLATIONEM. Hebr. *Elevabis eos, vel agitabis eos*, ea cæremonia adhibita quam Hebræi vocant *Tenupha*, de qua Exod. XXIX. 24. dixi. Elevati ergo sunt Levitæ eo ritu quo elevabantur victimæ. Probabile non multos Levitas nunc consecratos, sed quot erant ad præsentem necessitatem ministerii tabernaculi necessarii.

*V.* 19. NE SIT IN POPULO PLAGA, si laicus, & profanus sacro officio se immiscuerit, contra præceptum meum.

*V.* 21. ELEVABITQUE EOS AARON, ritu tenupha, de quo num. 15.

*V.* 24. INGREDIENTUR, Levitæ.

*V.* 26. SIC DISPONES LEVITIS, &c. ut scilicet custodiant vasa tabernaculi, ea ætate, & modo, quem iam præscripsi. OPERA AUTEM IPSA NON FACIENT, quæ scilicet prius facere solebant cum vires erant integræ. IN CUSTODIIS SUIS. Vocat custodias in plurali, quia variis familiis varia custodienda dabantur. Unde plures erant custodiæ.

## TIRINI.

*Vers.* 7. ASPERGANTUR AQUA LUSTRATIONIS, cuius descriptio habetur cap. XIX. commixtis scilicet illi cineribus vaccæ rufæ combustæ pro peccato. Unde in Hebræo, & Chaldæo vocantur aquæ peccati. His iisdem aquis purificantur ii qui contactu cadaveris, vel simili, super mortuo pollutione contaminati erant. Et allegorice adaptat illas S. Paulus sanguini Christi, ad Hebr. IX. vers. 13. Et hæc inspersio aquæ lustralis, erat prima cæremonia qua consecrabantur Levitæ. Secunda erat abrasio pilorum omnium totius corporis: ut designaretur, resecandas iis esse omnes rerum sæcularium superfluitates, omniaque mortua e male olentia opera, inquit Theodoretus. Tertia lotio vestimentorum, quæ puritatis affectuum morumque index erat. Quarta oblatio bovis pro ipsis, unius in holocaustum, & alterius pro peccato: quibus designabatur ipsos Deo totos immolari tum in laudem & honorem Dei, tum in expiationem peccatorum totius populi. Unde quinto ponebant principes, totius populi nomine, manus suas super Levitas, hoc ritu donantes illos & consecrantes Deo, & vice sui transferentes illos in perpetuum obsequium illius. Denique sexto elevabat, hoc est offerebat, illos Aaron Deo, tamquam hostiam sacram, & perpetuos ministros. Tum demum licebat illis ingredi tabernaculum fœderis, non illud expresse sumptum, quod Sanctum vel Sanctuarium vocabatur, nam in illud non nisi sacerdotibus ingredi fas erat; sed atrium, quod sub dio erat ante Sanctuarium: nam in hoc solo atrio Levitæ sua ministeria sacerdotibus præstabant.

## GORDONI.

*Vers.* 2. SIngulæ voces quæ sunt in Latino codice, non sunt in Hebræo; sensus tamen est idem quem Latinus interpres expressit paraphrastice. Aliqua etiam hic de rebus dicuntur per hysterologiam, & hic ponuntur, quamvis ad historiam Levitici pertineant.

*V.* 3. & 4. De candelabro, lucernis, & eo pertinentibus, lege Exod. cap. XXV. & cap. XXVII. AURO DUCTILI, malleis subacto.

*V.* 7. Describitur ritus consecrandi Levitas. De hac aqua lustrationis infra cap. XIX. & de qua mentionem facit Paulus Heb. cap. IX. vers. 13. Observant hic Interpretes, abrasis pilis denotari mortali sensu abradenda esse superflua: morale est.

*V.* 17. De primogenitis permutandis, vide cap. III. vers. 41.

*V.* 21. ELEVAVITQUE, obtulit. Oblata Deo, solebant elevari.

*V.* 24. Quod est hic de ætate, explicatum

tum est cap. IV. vers. 3. Disparitas annorum suppleri etiam potest, quia quinque sunt anni pro institutione ministrorum: his adde 25. exibunt anni 30.

*V.* 25. Maiores 50. annis liberantur a custodia, ut apud Romanos sexagenarii militia solvebantur.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 8. LIBAMENTUM EIUS. Erant aliqua libamenta quæ certis quibusdam hostiis addi debebant, de quibus cap. XV. vers. 9.

*V.* 12. UNUM FACIES, scilicet per Aaronem ex Numer. cap. IX. Nectamen negandum est, Moisen aliquando sacrificasse. Vide apparatum ad Exodum de Pontifice.

*V.* 21. ELEVABITQUE, ea cæremonia qua solebant elevari victimæ. Hebræis תנופה *Tenupha*, de qua Exod. XXIX. 24. נוף, *agitatare*.



# CAPUT IX.

*Quo tempore debeant mundi phase celebrare, & quo immundi: nubes tabernaculum operiens ducit exercitum.*

1. LOcutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno
secundo postquam egressi sunt de terra AEgypti, mense
primo, dicens: 2. (*a*) Faciant filii Israel phase in tempore suo, 3. quartadecima die mensis huius ad vesperam,
iuxta omnes cæremonias & iustificationes eius. 4. Præcepitque Moyses filiis Israel ut facerent phase. 5. Qui fecerunt tempore suo: quartadecima die mensis ad vesperam,
in monte Sinai. Iuxta omnia quæ mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii
Israel. 6. Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant
facere phase in die illo, accedentes ad Moysen & Aaron, 7. dixerunt eis: Immundi sumus super anima hominis: quare fraudamur ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel? 8. Quibus respondit
Moyses: State ut consulam quid præcipiat Dominus de vobis. 9. Locutusque
est Dominus ad Moysen, dicens: 10. Loquere filiis Israel: Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat phase Domino
11. in mense secundo, quartadecima die mensis ad vesperam: cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud: 12. non relinquent ex eo quidpiam usque mane, (*b*) & os eius non confringent, omnem ritum phase observabunt. 13. Si
quis autem & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phase,
exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit
tempore suo: peccatum suum ipse portabit. 14. Peregrinus quoque & advena si
fuerint apud vos, facient phase Domino * iuxta cæremonias & iustificationes
eius. Præceptum idem erit apud vos tam advenæ quam indigenæ. 15. (*c*) Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque mane: 16. sic fiebat iugiter: per
diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis. 17. Cumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israel:
& in loco ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur. 18. Ad imperium Domini

proficiſcebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum. (d) Cunctis diebus quibus ſtabat nubes ſuper tabernaculum, manebant in eodem loco: 19. & ſi eveniſſet ut multo tempore maneret ſuper illud, erant filii Iſrael in excubiis Domini, & non proficiſcebantur, 20. * quot diebus fuiſſet nubes ſuper tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant. 21. Si fuiſſet nubes a veſpere uſque mane, & ſtatim diluculo tabernaculum reliquiſſet, proficiſcebantur: &, ſi poſt diem & noctem receſſiſſet, diſſipabant tentoria. 22. Si vero biduo aut uno menſe vel longiori tempore fuiſſet ſuper tabernaculum, manebant filii Iſrael in eodem loco, & non proficiſcebantur: ſtatim autem ut receſſiſſet, movebant caſtra. 23. Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiſcebantur: erantque in excubiis Domini iuxta imperium eius per manum Moyſi.

(a) Exod. xii. 5. (b) Exod. xii. 46. Ioan. xix. 36. (c) Exod. xl. 16. (d) I. Corinth. x. 1.

## BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 14. *Iuxta cæremonias, & iuſtificationes eius*. Omnino retinendum eſt *eius*, non mutandum cum reciproco *ſuas*.

V. 20. *Quot diebus*. Alii habent *quotquot diebus*.

## COMMENTARIA.

### S A.

*Verſ.* 3. AD VESPERAM. Heb. *inter duas veſperas*. Vide Exod. XII. ſic & infra. IUSTIFICATIONES, id eſt ritus. Hebr. *iudicia*, id eſt mores, ſeu normas: ſic & infra.

*V.* 5. TEMPORE SUO. Hebr. *in primo*, ſcilicet menſe, Chald. *in menſe Niſan*. IN MONTE. Hebr. Chald. & LXX. *in deſerto*.

*V.* 6. ANIMA, id eſt cadavere: ſcilicet quia funeri interfuerat.

*V.* 7. FRAUDAMUR. Chald. *Prohibemur*.

*V.* 8. CONSULAM. Hebr. Chald. & LXX. *Audiam*.

*V.* 11. LACTUCIS AGRESTIBUS. Hebr. *amaritudinibus*, id eſt *herbis amaris*, ut vertit Chald. & LXX.

*V.* 13. EXTERMINABITUR ANIMA; id eſt, digna eſt morte. PECCATUM SUUM IPSE PORTABIT; id eſt, dabit pœnas peccati.

*V.* 14. IDEM, ſcilicet obſervandum; quaſi dicat, idem ritus. Hebr. *ſtatutum unum*. Chald. *præceptum unum*. LXX. *lex una*.

*V.* 15. TENTORIUM, ſcilicet eam partem ubi erat tabernaculum.

*V.* 19. ERANT... IN EXCUBIIS DOMINI. Hebr. Chald. & LXX. *Cuſtodiebant cuſtodiam Domini*, id eſt mandata.

*V.* 21. DIEM ET NOCTEM, id eſt integrum diem: dixerat enim, *Per noctem*. Hebr. indicatur, ſi die vel nocte ſe tollebat nubes, eos eadem hora proficiſci: idque etiam videntur LXX. ſignificare. At Chald. ut Noſter.

*V.* 23. MANUM MOYSI, id eſt Moyſen.

### E S T I I.

*Veſ.* 6. ECCE AUTEM QUIDAM IMMUNDI SUPER ANIMA HOMINIS, QUI NON POTERANT FACERE PHASE IN DIE ILLO. Quod dicitur, *Super anima hominis*, duobus accipi poteſt: vel hoc ſenſu; quaſi dicat: Ita immundi erant, ut ad eſum agni paſchalis admitti non poſſent: vel hoc ſenſu: *Super anima hominis*, id eſt ſuper mortuo, eo quod mortuum corpus contigiſſent, vel funeri interfuiſſent. Atque hic ſen-

sensus verior est: nam phrasi Hebraica anima ponitur pro homine, & non tantum pro homine vivo, sed etiam mortuo, propter animam quæ corporis fuerat, atque iterum futura per resurrectionem certo credebatur. Ex hoc loco autem manifestum est, non semper immunditiam legalem cum aliqua culpa fuisse coniunctam, immo etiam contrahebant illam qui ex officio humanitatis mortuum sepeliebant: unde & hic dicunt: *Quare fraudamur?* De quibus disponens Moyses ex ore Domini, differt huiusmodi immundos non in annum proximum, sed in mensem proximum. Sic & Ecclesia eos qui in festo Paschali parati non sunt, ut communicent mensæ Dominicæ, non vult differri in proximum annum, sed in proximum diem dominicum.

*V.* 20. AD IMPERIUM DOMINI ERIGEBANT TENTORIA, ET AD IMPERIUM ILLIUS DEPONEBANT. Quid sit erigere & deponere, vide supra cap. I. vers. 51.

## MARIANAE.

*Vers.* I. MENSE PRIMO. Confer hoc cum primo capite, videbis Moysen non sequi in narratione ordinem temporis. Ibi Deus mense secundo, hic primo locutus est eodem anno.

*V.* 6. QUIDAM IMMUNDI SUPER ANIMA HOMINIS. Cadavere polluti erant.

*V.* 10. IN VIA PROCUL IN GENTE VESTRA. Hebr. *in via procul ad vos*, vel *ad generationes vestras*; hoc est, qui fuerit in via longinqua, sive in hac regione inter vos, sive inter alienigenas.

*V.* 17. CUMQUE ABLATA FUISSET NUBES. Hebr. *& ad os ascensionis nubis*. Sed Hieronymus sententiam expressit.

*V.* 19. IN EXCUBIIS DOMINI. Hebr. *Custodiam Domini servabant*; id est, non movebatur populus, quod ipse præceperat, ne stante nube moverent castra.

*V.* 20. QUOT DIEBUS FUISSET NUBES. Hebr. *Et erat cum esset nubes diebus numeri*, hoc est paucis diebus, *non proficiscebantur*: sic Chald. melius Noster pro *dies numeri* intellexit dies quocumque numero, *Quot diebus*.

*V.* 21. SI FUISSET NUBES. Locus in Sept. corruptus ut intelligi non possit, ex Cyril. de Adoratione restituatur Lib. V. *Si ascenderit nubes, proficiscuntur die aut nocte*. Modo in Græcis codicibus deest illud, *Si ascenderit nubes*: ea vero obscuritatis causa.

*V.* 22. VEL LONGIORI TEMPORE. Hebr. *vel diebus*; sed per *dies* Hebræi intelligunt annum, quoniam diebus annus completur: sicque vertit Pagninus. Chald. *vel tempore in tempore*, quod Hieronymus dixit *longiori tempore*. Sed quoniam mensis præcessit, putant Hebræi per vocem *dies*, quæ sequitur, significari *annum*. Ego in Hebræo supplerem *pluribus*, vel *diebus pluribus*, quod Noster dixit *longiori tempore*.

## MALVENDAE.

*Vers.* I. LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN. Quidam recte per præteritum plusquam perfectum reddunt: *Allocutus autem fuerat Iehova Mosen, &c.* nimirum ante Israelitarum censum, qui mense secundo illius anni secundi contigit, supra capite I. Unde patet Mosen haud servare ordinem historiæ: nam ea quæ hoc capite referuntur, contigerunt anni secundi egressionis ex AEgypto mense primo, ut hic vers. I. dicitur; census autem filiorum Israel, eiusdem anni mense secundo, ut cap. I. vers. I. quocirca istud caput primo præmittendum videbatur; sed translata est hæc narratio huc usque propter pascha immundorum, & iter facientium, dilatum in mensem secundum.

*V.* 3. IUXTA OMNES CAEREMONIAS. Heb. *secundum omnia statuta eius*, seu ritus, cultus præscriptos, Exodi XII. & Levit. XXIII. ET IUSTIFICATIONES EIUS. Heb. *Et secundum omnia iudicia eius*, mores, consuetudines, rationes, modos, normas, conditiones, qualitates status eius. Omnia ista complectitur vox משפטים *mischpatim*. Sic vers. 14.

*V.* 6. QUI NON POTERANT FACERE PHASE. Prohibitum enim fuerat ne immundus sacrificio pacificorum vesceretur, Levitici VII. vers. 20. 21. quale censebatur phase.

*V.* 7. OBLATIONEM OFFERRE DOMINO. Heb. *Korban*, *munus*, *donum*, ni-

mirum pascha, velut imperatum præstitæ a Deo liberationis monumentum. Sic infra vers. 13.

*V.* 10. IN GENTE VESTRA. Hebr. *per generationes vestras*. Quidam, *e genere vestro*: voluntque per verba hæc notari eos qui ob fluxum, vel ob menstrua, aut puerperium sunt immundi. Alii, *e posteris vestris*.

*V.* 11. COMEDENT ILLUD. Ut factum fuit temporibus Ezechiæ Regis II. Paralip. XXX. vers. 2. & 15.

*V.* 15. OPERUIT ILLUD NUBES, &c. Hebr. *Operuit nubes tabernaculum, ad tentorium testimonii*. Quidam reddunt, *supra tectum testimonii*; quasi dicat: Nubes illa erat super tabernaculum, sed præcipue super eam partem in qua erat arca. Alii: *Operuit nubes ipsa tabernaculum interdiu versus tentorium testimonii*.

*V.* 17. CUMQUE ABLATA FUISSET NUBES, &c. Nos hunc versum ex Hebr. totidem verbis reddidimus (*Et ori ascendere fieri nubem de supra tentorium*: *& post sic movebunt filii Israel*: *& in loco quo scenitabit ibi nubes, ibi desidebunt filii Israel*.) Alii clarius ita convertunt. I. *Et ad os sustolli nubem desuper*, seu *cumque nubes sustolleretur ab ipso tentorio*, vel *cum autem discedebat nubes a tabernaculo, postea proficiscebantur filii Israel*: *atque in loco in quo manebat nubes, ibi castrametabantur filii Israel*. II. *Prout autem efferens se nubes illa supra tentorium illud*, proficiscebatur; *ita postmodum proficiscebantur filii Israelis*: *& in loco ubi residebat eadem nubes, ibi castrametabantur filii Israelis*. Atque ita exponunt: *Efferens se*; id est, e tentorio cui insidebat, in altum assurgens, ut in oculis omnium Israelitarum esset, eoque signo profectionem omnibus imperaret: *& in loco ubi residebat*; id est, quasi subsidens conquiescebat de integro in tabernaculo. Quibus significationibus optime respondent formularum verba, quibus Moses in stationibus, profectionibusque instituendis orabat Deum, infra cap. X. vers. 35. 36. Vide etiam Exodi XL. vers. 35. & 36. Iam Gen. XVII. vers. 22. notavimus, verbum עלה *ghalah* cum de nube, aliisve similibus rebus dicitur, quæ sunt veluti cælestes, tum significare *recedere*, *subduci e conspectu & oculis hominum*, *disparere*, *evanescere*: quod eiusmodi res ceu cælestes cum e conspectu nostro subducuntur, sursum ascendere videantur. Equidem hic nubes illa non penitus evanescebat, sed in altum sublata, castra filiorum Israel antecedebat cum proficiscerentur; & cum starent, tabernaculo insidebat. Signum autem proficiscendi erat, cum e tabernaculo sursum se efferens, ipsa castra præcedere incipiebat, viam monstrans. Vide Exodi XIII. vers. 21. 22.

*V.* 18. AD IMPERIUM DOMINI. Hebr. *super os Domini*. Quidam, *ex præstituto Iehovæ*, vel *secundum os Domini*: etsi hæc non ore, sed signo nubis testata faciebat Dominus. Catachresis. Sic in sequentibus.

*V.* 19. ERANT FILII ISRAEL IN EXCUBIIS DOMINI. Hebr. *Et observabant filii Israel observationem Iehovæ*. Id est, non movebant nec mutabant castra nisi ex imperio Domini; observabant ad unguem quod observandum illis Dominus præceperat in motione vel mutatione castrorum, signo illo nubis: ut hoc idem sit cum illo *super os Domini*: ut illud bis dictum indicet quanto in his studio & diligentia, curaque uterentur Israelitæ. Qui sensus firmari videtur e versu 23. Alii: Id est, tunc vacabant cultui Domini in erecto tabernaculo.

*V.* 20. QUOT DIEBUS. Heb. *Diebus numerus*, vel *diebus numeri*, subaudiunt *exigui*. *Dies numeri*, phrasi Hebraica, id est dies pauci, qui facile numerari possunt. Sic *homines numeri*, id est pauci, Genes. XXXIV. vers. 30. & Deut. XXXIII. vers. 6.

*V.* 21. SI FUISSET NUBES A VESPERE, &c. Hunc versum paulo obscurius a nobis ex Hebræo conversum (*Existentia, quod erit nubes de vespera usque ad mane, & ascensa erit nubes in mane*; *& movebunt*: *aut die & nocte, & ascensa erit nubes*; *& movebunt*,) alii lucidius ita reddunt. I. *Fiebat & hoc, cum nubes maneret a vespera ad mane usque, nubesque mane ascenderet, solvebant*: *aut si nubes per diem & noctem mansisset, & deinde ascenderet, solvebant*. II. *Sive accideret ut esset illa nubes a vespere usque mane*; *postea efferens se proficisceretur nubes illa mane, tum proficiscebantur*: *sive per diem & noctem, cum efferens se proficiscebatur nubes illa, tum proficiscebantur*.

*V.* 22.

*V.* 22. Si vero biduo, aut uno mense, vel longiori tempore. Pro *biduo* Hebr. est יומים *iomaiim*, *duale*, id est duobus diebus: pro *longiori tempore*, Heb. *diebus*, plerique vertunt *anno*; sed universe plures dies proprie significantur.

*V.* 23. Erantque in excubiis Domini. Hebr. *Observationem Domini observabant*; id est, quæcumque Deus observare iusserat, observabant.

## MENOCHII.

*Vers.* 3. Ad vesperam. Hebr. *inter duas vesperas*, quod explicavi cap. xii. Exod. num. 6. Iuxta omnes caeremonias et iustificationes eius, id est iuxta ritus, & circumstantias omnes præscriptas Exod. xii. Mandata Dei dicuntur iustificationes, quod sine illis recte, iuste, ac legitime quidpiam non fiat.

*V.* 5. Qui fecerunt tempore suo. Hoc tamen phase non manducarunt qui nati sunt post egressum ex AEgypto, quia incircumcisi; quamquam nec poterant per ætatem, quia tenelli infantes erant.

*V.* 7. Immundi sumus super anima, quia scilicet cadaver hominis tetigimus: tales enim Levit. xxii. 4. arcebantur ab omni sacrificio. Fraudamur, prohibemur, arcemur.

*V.* 10. Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat phase Domino. Illud in gente vestra, iungendum cum voce *Homo*, hoc pacto: *Homo* de *gente* vestra, Hebræus scilicet, *qui immundus fuerit*, aut peregre, cessante immunditia, vel ad suos reversus, faciet phase mense secundo, si primo facere non potuit, dictis impedimentis exclusus: si secundo non poterat, phase in tertium, aut ulteriorem mensem transferre fas non erat. Idemque iudicium de immundis ob tactum cadaveris.

*V.* 13. Peccatum, pœnam peccati.

*V.* 14. Peregrinus quoque et advena, &c. si religione Hebræus sit.

*V.* 15. Nubes, columna nubis. A vespere autem. Columna per diem nubis speciem habebat, per noctem vero ignis.

*V.* 18. Ad imperium Domini moventis per Angelum columnam nubis.

*V.* 19. Multo tempore maneret, nubes scilicet. Super illud, tabernaculo. Erant in excubiis Domini. Sistebant quasi excubantes, & advigilantes, & nubem an moveretur observantes. Vel sensus est: Erant in stationibus, & mansionibus in eodem loco, quas Dei iniussu relinquere non poterant.

*V.* 21. Dissipabant tentoria, deponebant, suaque omnia dissolvebant.

*V.* 23. Erantque in excubiis Domini. Vide hoc cap. num. 19.

## TIRINI.

*Vers.* 2. Faciant .... phase, seu celebrent pascha, primum scilicet post egressum ex AEgypto.

*V.* 3. Iuxta omnes caeremonias et iustificationes eius, id est iuxta omnes ritus a Deo præscriptos Exod. xii. qui dicuntur hic *Iustificationes*, quia sine his nihil iuste seu recte, ac legitime fiebat. Igitur pueri ab egressu AEgyptiaco nati, quia necdum circumcisi erant, festi huius epuli participes esse non poterant. Et quia deinceps annis sequentibus quotquot nascebantur in deserto, non circumcidebantur, & seniores paulatim moriebantur, hinc toto illo tempore omissum fuit pascha usque ad ingressum in terram promissam.

Petes unde habuerint Israelitæ farinam hoc paschate, ex qua panes azymos coquerent, cum victitarent manna cælesti. Respondeo: Sicut ad panes propositionis, & ad varia sacrificia farinam tum hordeacam, tum triticeam (ut patet ex præcedentibus capitibus) habuerunt ex vicina Madianitide; ita ex eadem facile tantum farinæ comparari potuit, quantum sufficeret exiguo pani azymo singulis familiis conficiendo: nam satis erat si singuli exiguum panis istius frustulum esui agni adhiberent, cæteraque ex manna supplerent.

*V.* 10. Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat phase Domino. *In gente vestra* coniunge cum *Homo*; quasi dicat: *Homo* de *gente vestra*, si primo mense *fuerit immundus super anima*, id est pollutus ex contactu cadaveris, vel curatione fune-

funeris; vel si *fuerit in via procul*, seu in remota peregrinatione, celebret is pascha suum mense secundo.

Petes primo, an idem faciendum fuerit etiam omnibus aliis alia immunditia, aut alio legitimo impedimento, primo mense detentis, verbi gratia morbo, peste, bello; vel puerperis, menstruatis, seminifluis, vel contactu morticini bestiæ immundæ pollutis. Negat Serarius *a*. Sed Respondeo, verosimilius esse, omnibus illis, & quotquot alio rationabili impedimento involuntario prohibiti fuissent primo mense, id secundo mense præstandum fuisse. Ita Philo, & eadem erat omnium ratio. Et exemplum Ezechiæ regis ita docet II. Paralip. xxx. celebrantis cum toto populo pascha mense secundo, sed longe aliis impedimentis quam quæ hic recensentur præpedito, quominus celebraret primo mense.

Petes secundo: Quod si quis etiam secundo mense legitime præpediretur, an poterat tertio vel quarto mense pascha celebrare? Respondeo non potuisse, neque eius rei vel exemplum exstat, vel mentio fit uspiam in Scripturis, vel historiis.

Petes tertio: Quid, si quis nullo legitimo præpeditus impedimento neglexisset mense primo pascha celebrare? Respondeo: Publica iudicis sententia occidendus erat, ut hic dicitur vers. 13.

*V.* 15. De columna nubis vide Exodi XIII.

(*a*) Serar. in V. Iosue q. XXVIII.

## GORDONI.

*Vers.* 1. HIC primum dat mensem; cap. 1. dixit de secundo.

*V.* 2. Pascha in Sina celebratum fuit ordine secundum: nam primum fuit celebratum in AEgypto, Exod. cap. XII. nec amplius in deserto celebratum pascha. In hoc phase non servarunt legem de azymis; sed pro azymo, manna usi sunt. Observandum est mansisse Hebræos in Sina annum integrum, exceptis diebus tredecim; & omnia quæ narrantur a capite XIX. Exodi, & toto Levitico, & usque ad X. cap. Numer. vers. 11. gesta esse in Sina. Sed (quod hinc etiam colligi potest) nec hoc capite, ut dicebam, servatur ordo temporis: nam capite primo Numerorum narratur census populi, qui habitus est mense secundo; hoc autem phase, de quo in præsentia, peractum est mense primo: utrumque quidem anno secundo. De Sina monte vide Exodi III.

*V.* 6. Arcebatur ab esu agni omnis immundus, Exod. XII. vers. 4. Hinc iam nascitur lex nova, ut qui ex immunditia, vel occasione itineris impeditus, non poterat cum aliis pascha celebrare, celebret illud tempore de quo hic statuitur. ANIMA HOMINIS hic cadaver designat.

*V.* 11. Permittitur his impeditis ut mense secundo celebrent pascha (servatis solitis cæremoniis) non tamen mense tertio, vel quarto: quia nec lex, nec consuetudo hoc permittit. LACTUCIS AGRESTIBUS, herbis amaris.

*V.* 14. & 15. De hoc peregrino & advena vide Exod. cap. XII. Quæ sequuntur vers. 17. & deinceps, describunt nubem, de qua dixi Exod. cap. XIII. vers. 21. Ea viam monstrabat in Chanaan: qua consistente figebant stationem; ea vero recedente a tabernaculo, parabant se ad iter. Et hinc erat (prout monebat eos nubes) ut modo minus, modo diutius hærerent in aliqua statione. Erat nubes creata res, & cui præsidebat Angelus: hinc Psalm. XCVIII. vers. 7. *In columna nubis loquebatur ad eos*. Habebat interdiu speciem nubis; noctu speciem ignis, hoc est lucis, sed rubeæ.

*V.* 19. Non sunt istæ excubiæ Levitarum, de quibus cap. III. vers. 25. sed hoc loco excubiæ Domini, sunt ipsæ stationes, seu mansiones, & quas deserere non licebat Israelitis, donec Dominus per nubem iuberet. IN EXCUBIIS DOMINI. Hebr. *Custodias Domini servabant*.

### EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 6. Nec etiam phase hoc gustabant nati post exitum de AEgypto, præ ætate, & nondum circumcisi.

*V.* 21. DISSIPABANT TENTORIA, deponebant.

# CAPUT X.

*Usus tubarum: quo ordine mota sint castra de deserto Sinai: orat Moyses cognatum Hobab ut cum ipsis proficiscatur: & verba quæ loquebatur Moyses cum elevaretur, vel deponeretur arca.*

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Fac tibi duas
tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem
quando movenda sunt castra. 3. Cumque increpueris tubis, con-
gregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis.
4. Si semel clangueris, venient ad te principes, & capita mul-
titudinis Israel. 5. Si autem prolixior atque concisus clangor
increpuerit, movebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam. 6. In se-
cundo autem sonitu & pari ululatu tubæ, levabunt tentoria qui habitant
ad meridiem: & iuxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profe-
ctionem. 7. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clan-
gor erit, & non concise ululabunt. 8. * Filii autem Aaron sacerdotes clangent
tubis: eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. 9. Si exieri-
tis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant adversum vos, clange-
tis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut
eruamini de manibus inimicorum vestrorum. 10. Si quando habebitis epulum,
& dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis,
ut sint vobis in recordationem Dei vestri: ego Dominus Deus vester. 11. An-
no secundo, mense secundo, vigesima die mensis, elevata est nubes de taberna-
culo fœderis: 12. profectique sunt filii Israel per turmas suas de deserto Sinai,
& recubuit nubes in solitudine Pharan. 13. Moveruntque castra primi * iuxta
imperium Domini in manu Moysi. 14. (a) Filii Iuda per turmas suas: quo-
rum princeps erat Nahasson filius Aminadab. 15. In tribu filiorum Issachar fuit
princeps Nathanael filius Suar. 16. In tribu Zabulon erat princeps Eliab filius
Helon. 17. Depositumque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filii
Gerson & Merari. 18. Profectique sunt & filii Ruben, per turmas & ordinem
suum: quorum princeps erat Helisur filius Sedeur. 19. In tribu autem filiorum
Simeon, princeps fuit Salamiel filius Surisaddai. 20. Porro in tribu Gad erat prin-
ceps Eliasaph filius Duel. 21. Profectique sunt & Caathitæ portantes sanctua-
rium. Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum.
22. Moverunt castra & filii Ephraim per turmas suas, in quorum exercitu prin-
ceps erat Elisama filius Ammiud. 23. In tribu autem filiorum Manasse princeps
fuit Gamaliel filius Phadassur: 24. & in tribu Beniamin erat dux Abidan filius
Gedeonis. 25. Novissimi castrorum omnium profecti sunt filii Dan per turmas
suas, in quorum exercitu princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai. 26. In tribu
autem filiorum Aser erat princeps Phegiel filius Ochran. 27. Et in tribu filio-
rum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan. 28. Hæc sunt castra, & pro-
fectiones filiorum Israel per turmas suas quando egrediebantur. 29. Dixitque
Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ, cognato suo: Proficiscimur ad locum,

quem

quem Dominus daturus est nobis: veni nobiscum, ut benefaciamus tibi: quia Dominus bona promisit Israeli. 30. Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed revertar in terram meam, in qua natus sum. 31. Et ille: Noli, inquit, nos relinquere: tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster. 32. Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi. 33. Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres providens castrorum locum. 34. Nubes quoque Domini super eos erat per diem cum incederent. 35. Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses: (b) Surge, Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, a facie tua. 36. Cum autem deponeretur, aiebat; Revertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.

(a) Sup. 1. 7. (b) Psal. lxvii. 2.

# BRUGENSIS

## ROMANAE CORRECTIONES.

V. 8. *Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis*. Nominativus pluralis *sacerdotes*, non cedat genitivo singulari *sacerdotis*.

V. 13. *Iuxta imperium Domini in manu Moysi*. Quidam scribunt *in manum*, quidam *per manum*; sed primum, *in manu*, Hebræo consonat.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Vers.* 3. TUBIS, scilicet utraque. TABERNACULI, scilicet atrii.

*V.* 4. SEMEL, idest *cum una sola*, ut est Hebr. Chald. & apud LXX.

*V.* 5. PROLIXIOR ATQUE CONCISUS. Alii, *iubilatione*. Chald. *ululatione*.

*V.* 9. ERIT RECORDATIO, &c. id est, recordabitur Deus vestri, &c.

*V.* 10. EPULUM. Heb. *lætitiam*. CALENDAS. Hebr. *in initiis mensium*. LXX. *in neomeniis*, id est noviluniis, scilicet principiis mensium. RECORDATIONEM, scilicet qua Deus recordetur vestri.

*V.* 11. SECUNDO, scilicet ab exitu ex AEgypto.

*V.* 17. DEPOSITUMQUE EST; pro, iam depositum fuerat: scilicet antequam inciperent proficisci.

*V.* 21. SANCTUARIUM, id est res sanctuarii.

*V.* 29. HOBAB, id est Iethro: forte redierat ad Moysen. Vel est recapitulatio. Vide Exod. XVIII. Vel iste est filius Iethro. Vide Exod. II. ubi Iethro vocatur Raguel. COGNATO. Chald. & LXX. *socero*.

*V.* 30. IN QUA NATUS SUM. Hebr. Chald. & LXX. *ad cognationem meam*.

*V.* 31. PONERE DEBEAMUS. Hebr. potest intelligi *posuerimus*: quod etiam Chald. & LXX. magis indicant. ERIS DUCTOR. Hebr. *Fuisti pro oculis*: sed præteritum pro futuro. Chald. *Vidisti magnalia facta nobis oculis tuis*.

*V.* 33. PER DIES TRES; quasi dicat, toto illo itinere trium dierum. PROVIDENS: scilicet ubi arca subsistebat, ibi castrametabantur.

*V.* 35. ELEVARETUR. Hebr. *Proficisceretur*. Chald. & LXX. *Elevaretur*.

*V.* 36. DEPONERETUR. Heb. Chald. & LXX. *Quiesceret*.

## E S T I I.

*Vers.* 29. DIXITQUE MOYSES HOBAB FILIO RAGUEL MADIANITAE, COGNATO SUO. Hunc Hobab quidam putant eumdem esse cum Iethro, de quo habemus Exod. XVIII. quod

quod ad Moysem adduxerit uxorem eius & liberos. Sed huic sententiæ repugnare videtur, primum, quod Iethro non fuerit filius Raguel, sed ipse Raguel; qui enim Exodi II. vocatur Raguel sacerdos Madian, & socer Moysi, idem Exodi XVIII. vocatur Iethro, quando suam filiam, quæ erat uxor Moysi, ad eum adducebat. Deinde de Iethro legimus Exodi XVIII. quod postquam aliquamdiu fuisset cum Moyse, reversus abierit in terram suam. Denique quorsum idem homo trinomius sine evidenti aliqua causa? Proinde probabilior est aliorum sententia dicentium, quod Hobab iste non fuerit ipse Iethro, sed filius eius, quem Iethro discedens videtur reliquisse apud Moysem cum Sephora sorore eius, quamquam illud Scriptura eo loco non expresserit; nunc autem volentem abire ad patrem suum, Moyses conatur retinere adhuc apud se.

Neque obstat, quod Septuaginta hic verterunt *Socero suo*: nam vox Hebræa *chotem*, & *socerum*, & *cognatum*, id est affinem, significat. Et forte etiam quod Septuaginta in genitivo verterunt *soceri*, postea vitio temporis mutatum est in dativum *socero*.

*V.* 31. NOLI, INQUIT, NOS RELINQUERE: TU ENIM NOSTI IN QUIBUS LOCIS PER DESERTUM CASTRA PONERE DEBEAMUS, ET ERIS DUCTOR NOSTER. Sed quorsum hæc, cum castra moverentur non ductu alicuius hominis, sed ductu & mandato Domini, per indicium nubis erigentis se, & præcedentis tabernaculum, ac proinde hac in parte non egebant homine ductore? Respondendum videtur, quod licet ductu nubis castra moverentur, aut quiescerent, tamen in ipsa castrorum dispositione non superfluum fuisse consilium humanum: castra enim Israelitarum per immensum spatium extendebantur, nubes autem soli tabernaculo certum locum designabat. Poterat ergo Hobab, aut quicumque alius peritus locorum, consilium dare, quæ pars regionis castris accommodatior esset, vel ob propinquitatem fontium, vel pascuorum, vel quæ securior esset ab hostibus.

*V.* 35. CUMQUE ELEVARETUR ARCA, DICEBAT MOYSES: SURGE, DOMINE, *&c.* Arca præsentiam Domini significabat, eo quod inde Dominus responsa daret, & ibi invocari vellet. Dominus ergo surgebat, accepturus requiem, quando arca transferebatur in eum locum, ubi erat mansura. Philistæi quoque, arca Domini in exercitum Hebræorum illata, dicebant: *Deus venit in castra*. Dicebatur ergo Dominus surgere, quando arca levabatur; & rursum reverti ad multitudinem exercitus Israel, quando post profectionem reponebatur in medio castrorum.

MARIANAE.

*Vers.* 2. DUCTILES. *Solidas*, quidam: sed tubæ solidæ esse qui possunt? QUANDO MOVENDA SUNT CASTRA. Hebr. *ad vocandum populum, & ad movendum castra*: sic Septuaginta. Itaque tubæ in utrumque usum erant.

*V.* 5. SI AUTEM PROLIXIOR ATQUE CONCISUS CLANGOR INCREPUERIT. Hebr. *Et clangetis clangorem*. Ea geminatio significat clangoris vehementiam & geminationem. Quod aliis verbis significavit Hieronymus. Et sane vox תרועה *Theruhah* non *clangorem* quemvis, sed *vehementiorem* significat. Quod melius ex vers. 7. intelligitur, ubi ad vocandum populum, priorem clangorem adhiberi mandat, *Tithkehu* dicens; neque posteriorem, *Theruhah* scilicet, adiungi. Proximis quoque versibus explicat, quando, & quibus in rebus priori clangore, quando posteriori uti deberent, uti ex vocibus Hebraicis melius perspicitur.

*V.* 10. SI QUANDO HABEBITIS EPULUM. Hebr. *In die lætitiæ vestræ canetis tubis*: sic Sept.

*V.* 12. PROFECTIQUE SUNT PER TURMAS SUAS. Hebr. *per stationes*, aut *profectiones suas*.

*V.* 21. AD ERECTIONIS LOCUM. Addita verba ad explicationem, quæ neque Hebraice sunt, neque Græce.

*V.* 29. DIXITQUE MOYSES HOBAB FILIO RAGUEL MADIANITAE, COGNATO SUO. Hebraice est חתן *hothen*, quam vocem Hieronymus fere ubique vertit in *cognatum*: Hebræi autem, qui in *soceri* significatione sumunt, ponunt eam in genitivo, ut referatur non ad Hobab, qui fuit levir Moysis, sed ad Raguel: *Dixit Hobab filio Raguelis soceri sui*. Vide Exod. XII. & Iudic. II. cap.

*V.* 31. ET ERIS DUCTOR NOSTER. Hebr. *Et fuisti*, aut *eris nobis ad oculos*, vicem oculorum fungeris; ut solent exploratores, ductoresque.

*V.* 35. SURGE DOMINE. Hinc desumptum *Deus in adiutorium meum intende*, Psal. LXIX. vers. 1.

*V.* 36. CUM AUTEM DEPONERETUR. Hebr. *Quiesceret*. AIEBAT: REVERTERE DOMINE. שובה *subah* significat *revertere*, ut posuit Hieron. & *quiescere*, quod Hebræi sequuntur: neque est absonum, ut qui in elevatione arcæ dicebat, *Exurge Domine*; in requie diceret, *Quiesce Domine*. AD MULTITUDINEM EXERCITUS ISRAEL. Heb. *decem millia millium Israel*; pro, quiesce, aut revertere in decem millibus millium Israel, nempe *in multitudinem*, ut Hieronymus posuit.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. TUBAS. חצוצרות *chetzotzeroth*, *tubas*, *buccinas*, interpretantur. Quidam a חצץ *chatzatz*, vel קצץ *katzatz*, a sono acuto, & conciso deducunt: ut Latini *taratantara* etiam a sono dixerunt. Alii a חצר *chatzar*, *atrio*, geminata secunda littera, derivant: quod buccinæ non intra ædes, sed in atriis, & sub dio personent. Iosephus III. Antiquit. cap. 11. *Invenit autem Moses & buccinæ speciem ex argento factæ talem. Canna erat tibia paulo crassior, longitudine paulo minus cubitali, cuius os tantum patebat, quantum ad inflandum sufficeret, desinebatque in extremitatem campanulæ similem, quemadmodum tuba. Asosra vocatur hoc genus apud Hebræos.* Est ipsissima tuba Romana, qua in bellis, & sacris utebantur: nempe ex ære vel argento directo ducta, canali ad exitum latiore, in modum campanulæ desinens: cuius nunc usus apud Europæos.

*V.* 3. INCREPUERIS TUBIS. Verbum תקע *takagh* aiunt proprie esse *figere*, *infigere*, *imprimere*; & quando cum voce tubæ coniungitur, tum significare *increpare*, *concrepare*, *imprimere* spiritum in angustum tubæ, ut perstrepat. Aliis est *clangere sono æquabili ac fixo*. Quibusdam *inflare*. *Tubis*, ambabus nimirum simul, ut ex collatione sequentis versus apparet.

*V.* 5. SI AUTEM PROLIXIOR ATQUE CONCISUS CLANGOR INCREPUERIT. Hebr. *Et clangetis taratantara*. Alii, *vociferationem, ululatum, sonum fractum, & incisum classicum*. Quidam, *ovationem*, *iubilationem*. Aliqui: *Et imprimetis triumphum*. De voce תרוע *teruagh* vide Exodi XXXII. 17. Levit. XXIII. vers. 24. Ego: *Et concrepabitis taratantara*; subaudi primum, ut ex comparatione sequentis versus intelligitur.

*V.* 7. SIMPLEX TUBARUM CLANGOR ERIT, ET NON CONCISE ULULABUNT. Heb. diversimode exprimunt. I. *Sonabitis, & non facietis sonum prolixum & concisum*. II. *Imprimetis, sed non triumfabitis*. III. *Increpabitis, concrepabitis, & non classicum canetis*. IV. *Clangetis solum, sed non edetis fractum sonum*. V. *Personabitis, & non iubilabitis*. VI. *Clangetis, & non fragore sonabitis*: vel *& non frangetis*, scilicet vocem tubæ. VII. *Clangetis, & non vociferabimini*, seu *ululabitis*. Discrimen horum duorum sonorum, quod illis notum erat, nobis non plene compertum. Quidam notant, forsitan תקע *takagh* fuisse *clangere* tantum tuba, vel buccina concrepare; at הריע *heriagh*, *classicum canere*, *taratantarizare*. Vide Iosue VI. vers. 6.

*V.* 10. SI QUANDO HABEBITIS EPULUM. Hebr. *Et in die lætitiæ vestræ*. Quidam exponunt: Id est, si quando vos Deus lætitia publica extra ordinem affecerit, cuius lætitiæ nomine par sit Ecclesiam publicas ei gratias agere, ut Psalm. XLVII. & CXVII. & I. Machab. IV. vers. 39. aut ordinariam vobis legem agitandæ lætitiæ tulerit, ut fecit exemplis sequentibus. DIES FESTOS. מועדים *moghadim* varie reddunt; 1. *in statutis*, *statis temporibus vestris*; 2. *in statis feriis vestris*; 3. *in solemnitatibus vestris*. Vide Levitici XXIII. vers. 2. in his feriis & solemnitatibus, in quibus nominatim lætitia publica imperabatur, ut apparet & Deuteron. XVI. vers. 11. & 14. ET CALENDAS. Hebr. *Et in principiis mensium vestrorum*. Vide exemplum de his Nehemiæ VIII. vers. 9. erant enim sacræ neomeniæ, infra cap. XXVIII. 11. & Isaiæ LXVI. vers. 23. Vide Psalm. LXXX. vers. 4.

*V.* 11. ANNO SECUNDO, &c. Hunc versum sic aliqui paraphrastice ex Hebr. con-

convertunt: *Fuit autem anno secundo, mense secundo, vigesimo die mensis, ut efferens se nubes illa a tabernaculo testimonii, proficisceretur*: monstrans scilicet viam Israelitis, & castra antecedens.

*V.* 12. IN SOLITUDINE PHARAN. De Pharan vide Genes. XIV. vers. 6. Hic locus postea dictus est *Chibroth Taavah*, occasione sequentis historiæ, infra cap. XI. vers. 34.

*V.* 13. IUXTA IMPERIUM DOMINI IN MANU MOYSI. Hebr. *Super os Domini, in manu Mosis*: vel *secundum os Domini, per manum Mosis*, id est eo ordine quem præscripserat Dominus supra cap. II.

*V.* 21. TAMDIU TABERNACULUM PORTABATUR, DONEC VENIRENT AD ERECTIONIS LOCUM. Heb. *Et facient erigere tabernaculum usque ad venire eorum*, vel *eos*. Quidam: *Et erexerunt tabernaculum donec venirent ipsi*. Alii: *Et illi erexerunt tabernaculum donec isti venirent*: vel *ut erigerent illi tabernaculum, dum ii veniebant*. Exponuntque: Erigebant autem tabernaculum Ghersonitæ & Meraritæ, qui præcedebant, in loco ubi nubes residebat, donec venirent Kahathitæ, vel interim dum veniebant Kahathitæ, sancta portantes, ut scilicet ii appellentes, invenirent paratum iam tabernaculum, in quod sancta involuta inferrent.

*V.* 25. PER TURMAS SUAS. Hebr. addunt: *Colligens omnia castra per exercitus suos*. Nonnulli exponunt: Id est, erat postremum agmen secum trahens reliquam partem castrorum; vel erat ultima acies, quæ omnes qui vel defatigatione, vel morbo, vel alia causa castra sequi non poterant, aut impedimenta ob quæ priora agmina assequi non poterant, ad se colligebat, & recipiebat. Sic Iosue VI. vers. 9. Unde quidam hic vertunt: *Extrema acies omnium illorum castrorum, per exercitus suos*.

*V.* 28. HAEC SUNT CASTRA, ET PROFECTIONES FILIORUM ISRAEL. Heb. tantum est, *Istæ profectiones filiorum Israel*, id est proficiscendi rationes, & proficiscentium ordines.

*V.* 29. DIXITQUE MOYSES HOBAB, &c. Quidam per plusquam perfectum vertunt: *Dixerat autem Moseh Chobabo, &c.* videlicet cum primum ad ipsum venisset Exodi XVIII. nam ibi paucis hæc historia Iethronis (qui idem Chobab) attingitur, quia hic fusius fuerat describenda. FILIO RAGHUEL MADIANITÆ COGNATO SUO. Disquirunt Interpretes quisnam fuerit iste Chobab. Quidam volunt esse ipsum Iethro socerum Mosis: unde hic Hebr. reddunt: *Et dixit Moseh ad Chobab filium Raghuel Madianitam socerum Moseh*. Alii magis existimant fuisse filium Iethro, fratrem Sephoræ uxoris Mosis, quasi fratrium, seu sororium Mosis: atque Hebr. vertunt: *Et dixit Moseh ad Chobab filium Raghuelis Madianitæ soceri Moseh*. Utrumque sensum patiuntur Hebræa: nos posteriorem hunc sequimur: quod Iethro iam discesserat a Mose in regionem suam, Exodi XVIII. vers. 27. QUIA DOMINUS BONA PROMISIT ISRAELI. Hebr. *Quia Dominus dixit bonum de Israele*. Sic Genes. XVIII. vers. 19.

*V.* 30. NON VADAM TECUM, SED REVERTAR IN TERRAM MEAM, IN QUA NATUS SUM. Aliqui hanc partem ex Hebræo ita convertunt: *Non iam ibo, sed cum ad terram meam, & ad cognationem meam ivero*. Hebr. כי אם *chi im*, id est quinimmo, capiunt pro *sed cum*, ut Genes. XXXII. vers. 26. *Non dimittam te, sed quam cum benedixeris mihi*. Addunt autem illud *Iam*, quia certum, inquiunt, est ex Iud. I. vers. 16. cap. IV. vers. 11. I. Samuel. XV. vers. 6. II. Reg. X. vers. 15. I. Paralip. II. vers. 55. & Ieremiæ XXXV. genus Iethronis fuisse Israelitis coniunctum, & inter eos habitasse. Sed nihil opus est eiusmodi in sacrum contextum infarctionibus, quibus isti plerumque sibi licenter indulgent: cum quamvis Chobab primum postulationem Mosis aspernatus fuerit; tamen ex aliis Scripturæ locis eruitur, ipsum postea secutum Hebraica castra, eiusque progeniem inter Israelitas propagatam.

*V.* 31. NOLI, INQUIT, NOS RELINQUERE. Quidam: *Ne, quæso, deseras nos*; & intelligentes de Iethro socero Mosis, exponunt: Id est, ne abeas emanendi consilio, sed antequam hinc proficiscamur, revertere. Sic eum dimisit Moses a se Exodi XVIII. vers. 27. TU ENIM NOSTI IN QUIBUS LOCIS PER DESERTUM CASTRA PONERE

DEBEAMUS, ET ERIS DUCTOR NOSTER. Hebr. *Quia super sic*, vel *quia*, *propterea, cognovisti desidere nostrum*: alii, *mansiones*, *metationes*, *castrametationes nostras in deserto*; *& eris nobis in oculos*, vel *pro oculis*. Quidam exponunt: *Et fuisti nobis pro oculis*. Id est: Tu nosti quomodo hactenus vixerimus in deserto isto squalido, ubi nullus est ager qui coli possit, sed tantum montes, & valles sunt in eo; profuitque nobis auxilium & consilium tuum: quanto magis nunc egemus prudentia tua, cum terram promissam ingressuri sumus. Nec putes quod frustra nos comitaturus sis: quandoquidem te participem facturi sumus omnium bonorum quæ Dominus tandem nobis exhibebit in terra quam nunc ingrediemur. Sed Hebræa potius postulant futurum: *Et eris nobis pro oculis*, vel *in oculos*, id est oculorum loco. Quidam exponunt: Eris nobis carissimus, tam carus ut sunt oculi. Sic Plautus: *Euge oculus meus*, id est unice carus. Idem: *Salve oculissime homo*, id est carissime. Alii: *Fungeris nobis oculorum officio*: eris nobis explorator locorum, ac dux itineris; quasi dicat: Versatus es in locis huius deserti, & nosti locorum opportunitatem: dux nobis eris, & tuo consilio in metationibus, & profectionibus utemur. Quamvis in capiendis locis castris opportunis abunde instrueretur Moses externo nubis signo, ut cap. IX. vidimus, & a Deo ipso sive interius, sive exterius moneretur; at non propterea vult Deus humana subsidia respui: & quia Chobab locorum peritus facile monstrare poterat pascua, fontes, arbores, & id genus alia aut necessaria, aut opportuna.

*V.* 33. ARCAQUE FOEDERIS DOMINI PRAECEDEBAT EOS, PER DIES TRES PROVIDENS CASTRORUM LOCUM. Hebræi existimant toto tridui itinere arcam antevertisse castra; duplicemque aiunt fuisse arcam: unam Mosis, dictam fœderis Domini, quæ tridui itinere præcederet castra; alteram Beseleel, quam Levitæ portabant in medio vexillorum. Vide hic Drusium. Sed sunt ista futilia. Plerique intelligunt illo tridui itinere quod Israelitæ confecerunt, arcam antecessisse, sed proxime castra proficiscentia; non quod triduo; antequam castra, arca ad locum metatorium appulerit. Unde colligunt vel hac vice tantum antecessisse arcam; vel, exceptam a generali illo mandato, Leviticam tribum cum toto tabernaculo in metationibus, & profectionibus in medio castrorum esse debere, supra cap. II. vers. 17. Quidam tamen longe aliter Hebræa accipiunt, voluntque arcam non ante, sed in medio castrorum, nimirum loco a Deo præscripto, processisse: unde reddunt: *Et arca fœderis Iehovæ profecta est in conspectu illorum itinere tridui*. Quod ita interpretantur: Id est, tantum iter sine intermissione emensi sunt Israelitæ, quia aspectabili Dei præsentia regebantur, & confirmabantur virtute; qui in nube præivit semper toto itinere tridui velut dux itineris, nec ante triduum restitit: cuius signum arca in mediis castris a sacerdotibus gestata versabatur in oculis omnium: supra cap. II. vers. 17. & cap. XIX. vers. 17. Quapropter Moses vers. 36. his verbis utitur *Dum arca consisteret*, *&c.* nam stante nube, stabant sacerdotes ferentes arcam; his stantibus, castra in circuitum ponebantur. Equidem Hebræa recte reddi possunt utroque modo: *Et arca fœderis Domini proficiscebatur ante eos*: vel *in conspectu eorum*, *viam trium dierum*.

*Providens castrorum locum*. Heb. *ad indagare illis quietem*. Quidam, *explorando eis locum quietis*; id est, hic illic recognoscendo stationem, quæ foret comoda. Humanitus dictum.

*V.* 35. CUMQUE ELEVARETUR ARCA. Hebr. *In proficisci arcam*. ב נסע *bi nesoagh*. *Nun* est inversum, in omnibus cum manuscriptis, tum impressis exemplaribus. Hebræi notant, id non carere mysterio; sed mysterium non expediunt. Hariolantur *Nun* inversum significare amicam & salutarem conversionem ad populum suum, ad preces Mosis; vel vim & efficacitatem potentiæ divinæ, quæ tum se in hostes verteret.

*V.* 36. REVERTERE DOMINE AD MULTITUDINEM EXERCITUS ISRAEL. Varie Hebr. reddunt. I. *Revertere Iehovah ad myriades millium Israelis*. II. *Requiesce Iehovah in myriadibus millium Israelis*. III. *Da quietem Iehovah myriadibus millibus Israelis*; id est, da requiem, aut sedes quietas multitudini Israelis, quæ prope infinita est.

ME-

## MENOCHII.

*Verſ.* 2. DUAS TUBAS ARGENTEAS, ad convocandum populum, primo ad movendum caſtra; ſecundo ad feſta; tertio ad ſacrificia; quarto ad bella. Iubet nunc fieri duas; non tamen vetat fieri plures. Factæ ſunt ex argento ob reverentiam cultus divini, & ut eſſent magis ſonoræ. DUCTILES, laminis ſcilicet malleorum contuſione diductis.

*V.* 4. SI SEMEL CLANGUERIS. Hebræus habet, *Si una tuba clanxeris*: ſic etiam Chaldæus & LXX. & ſenſus poteſt eſſe idem: nam qui una tuba canit, quodam ſenſu ſemel canit; qui duplici, quodammodo bis canit, etiamſi ſimul ſonum edant.

*V.* 5. CONCISUS, interciſus, interruptus brevi aliqua morula.

*V.* 9. ET ERIT RECORDATIO VESTRI CORAM DOMINO, &c. quaſi dicat: Deus recordabitur veſtri in prælio cum clangetis iuxta hoc eius præceptum, ut eruat vos ab hoſtibus, & victores faciat.

*V.* 10. EPULUM ſolemne, & ſacrum ex hoſtiis pacificis; ſive epulum quod fit prævio ſacrificio, illudque claudit, quale erat in conſecratione regum: pariter in calendis, id eſt in neomenia, ſive novilunio, primo ſcilicet die menſis lunaris: hic enim dies Iudæis erat feſtus. IN RECORDATIONEM DEI, &c. ut Deus veſtri recordetur, ut dixi num. 9.

*V.* 11. ANNO SECUNDO ab egreſſu ex AEgypto. NUBES, columna nubis.

*V.* 12. IN SOLITUDINE PHARAN: in loco qui poſtea dictus eſt *Sepulcra concupiſcentiæ*, in quo fuit decimatertia Hebræorum manſio.

*V.* 13. IUXTA IMPERIUM DOMINI IN MANU MOYSI: quod ſcilicet Deus dedit per Moſen miniſtrum ſuum.

*V.* 21. PORTANTES SANCTUARIUM, vaſa ſancta Sanctuarii, id eſt Sancti, & Sancti ſanctorum.

*V.* 29. HOBAB FILIO RAGUEL. LXX. & alii cenſent hunc eſſe Iethro cognatum Moſis; verius tamen eſt, quod alii auctores exiſtimant, eſſe illius filium.

*V.* 30. IN TERRAM MEAM, Madian.

*V.* 31. TU ENIM NOSTI, &c. Non eguit Moſes ductore in deſerto, qui ſequebatur columnam nubis, quique in locis iis verſatus fuerat annis quadraginta cum paſceret greges Iethro ſoceri ſui; ſed optavit Hobab ſororium ſuum hac arte Iudæorum veræ religioni adiungere. Ita cenſent aliqui. Vel etiam dici poteſt, quod verum puto, optaſſe Moſen apud ſe habere Hobab, ut peculiaria quædam diſceret ex eo, quæ vel decurſu temporis mutata fuerant, vel quorum Moſes oblitus erat tanta temporis, & locorum longinquitate, varietateque negotiorum. Nec ex motu columnæ aliud Hebræi diſcebant quam quo iter eſſet dirigendum: reliqua ex ſpeculatoribus, & locorum peritis, qualis erat Hobab, cognoſcenda erant.

*V.* 33. PROFECTI SUNT ERGO, &c. Tacet Hobab; itaque veriſimile eſt eum acquieviſſe, & manſiſſe cum Moſe. PROVIDENS CASTRORUM LOCUM. Faciebat hoc columna nubis, & conſequenter arca, cui nubes incumbebat. In Hebr. eſt *Ad explorandum*, vel *inveſtigandum illis requiem*, locum ſcilicet in quo commode quieſcerent.

*V.* 35. CUMQUE ELEVARETUR ARCA, ut moverentur caſtra. SURGE DOMINE, &c. quaſi hactenus arcæ inſidens quieviſſet.

## TIRINI.

*Verſ.* 2. DUAS TUBAS ARGENTEAS, ſcilicet ut ſint magis ſonoræ. Hæ I. Mach. XVI. verſ. 8. & a Ioſepho paſſim vocantur *ſacræ tubæ*, quod uſibus ſacris eſſent deputatæ, nec niſi a ſacerdotibus inflarentur, primo ad convocandum populum ad concionem circa tabernaculum; ſecundo ad caſtra movenda; tertio, ad pugnandum cum hoſte tempore belli; quarto in epulo ſacro, & publica populi lætitia, verb. grat. ob victoriam obtentam, aliave inſignia beneficia: item in feſtis maioribus, quibus totus populus Ieroſolymam, vel ubi tabernaculum erat, confluebat: denique & in calendis ſeu noviluniis, quæ & feſta erant Iudæis ceſſatione ab operibus ſervilibus, & peculiarem in templo habebant ſolemnitatem & victimas ſpeciales. Harum ſacrarum tubarum numerum auxit poſtea Salomon,

teſte

teste Iosepho *a*, ad viginti myriades, seu ad ducenta millia.

*V.* 21. CAATHITAE PORTANTES SANCTUARIUM, hoc est res sanctuarii, mensam, candelabrum, altare necnon, &c. Hæc humeris suis deferebant semper Caathitæ in medio duodecim tribuum, quarum sex præcedebant illos, sex aliæ sequebantur. Porro reliqua tabernaculi supellex, & eiusdem structura, a Gersonitis, & Meraritis devehebatur plaustris post tres primas tribus, novem reliquis subsequentibus. Devehebatur, inquam, DONEC VENIRETUR AD ERECTIONIS LOCUM, nubis columna iam quiescente. In Hebræo, Chaldæo, & LXX. est *Erigebant tabernaculum*, scilicet Gersonitæ, quoadusque venirent ipsi Caathitæ, qui res sanctuarii in illud iam erectum inferrent. Et hæc videtur ratio fuisse cur Gersonitæ, & Meraritæ non cum Caathitis in medio castrorum incederent, sed præirent, ut interea dum hi adventarent cum sacratiore supellectili, tempus illis suppeteret erigendi tabernaculum in quod illa inferretur. Ceterum ipsa arca sub columna nubis semper tota castra præcedebat, quæ dum quiescerent, referri debebat a primis initiis castrorum, post priores tribus ad locum tabernaculi a Levitis interea erecti.

*V.* 29. DIXIT MOYSES HOBAB FILIO RAGUEL, seu filio Iethro soceri sui sacerdotis Madian, qui & Raguel vocabatur Exodi II. & III. Non ergo erat ipsemet Iethro, ut vult Abulensis, Lyranus, & Scaliger ex traditione Rabbinorum; sed filius Iethro cognatus Moysis, cuius sororem Moyses in coniugem acceperat. Ita Theodoretus, Paulus Burgensis, Caietanus, Oleaster, & alii.

Petes primo: Quomodo Moyses audet hunc petere ductorem in desertis locis, cum nubes a Deo dux ipsis viarum assignata esset? Respondeo: Non petit illum habere ducem viæ, sed ducem consiliorum in variis, & anxiis dubiis quæ per viam occurrere solent; verbi gratia, ubinam essent fontes, qua parte firmanda adversus vicinos hostes castra, &c.

Petes secundo, an manserit Hobab cum Moyse. Respondeo, ita prorsus videri. Quin & triginta octo post annis, cum exscindendi essent Madianitæ, evocavit inde Moyses etiam reliquos filios Iethro affines suos, qui cum Hebræis deinde ingressi sunt terram promissam, ut patet Iudic. IV. vers. II. vocabanturque Cinæi, Iudic. I. vers. 16. a cognomine Iethro qui Cinæus vocabatur. Et hi inter Iudæos sedem stabilem fixerunt, non tam in domibus, quam in tabernaculis, ac fere in solitariis locis piam religiosamque vitam ducentes, a vino & aliis deliciis abstemii, continua legis divinæ meditatione ac contemplatione occupati: ut colligitur ex Iudicum I. & 4. clarius ex I. Paralip. II. vers. ult. clarissime ex Ieremiæ XXXV. ubi Rechabitæ vocantur a Rechab, qui erat vel hic Hobab, vel parens eius Iethro, ut fuse docet Serarius: vel, ut melius a Lapide *b* & quidam alii, erat parens Ionadabi socii Regis Iehu, IV. Reg. X. vers. 23. huius enim Ionadabi parens diserte vocatur Rechab Ieremiæ XXXV. vers. 6. Recte vero probat idem Serarius *c* ex S. Nilo, & Suida, Rechabitas eosdem fuisse cum Essenis: & ab his vitam anachoreticam ac monasticam ad Christianos derivatam esse; ut non iam ab Elia, sed ab hoc Hobab viro pio ac sancto, initium vitæ Religiosæ peti possit. Iidem hi Cinæi cum Iudæis, inter quos morabantur, & reliqui quoque Cinæi Iethronis posteri, qui in Madianitide remanserunt, post multa sæcula vastandi, & ab Assyriis in captivitatem abducendi prædicuntur Numer. XXIV. vers. 22. Ex iisdem ortus erat Haber Cinæus Iudic. IV. cuius uxor Iahel Sisaram occidit.

(*a*) Ioseph. Lib. VIII. Antiq. cap. II.
(*b*) Corn. a Lapide in Ierem. XXXV. vers. 2.
(*c*) Serarius in Trihæresio Lib. III. cap. IX. X. &c.

## GORDONI.

*Vers.* 2. DE forma tubæ huius, Ioseph. III. Antiq. cap. XI. Tuba etiam convocabat nunc Principes, nunc populum ad concionem. DUCTILES, hoc est non fusiles, sed quæ fiunt laminis, contusione malleorum deductis. Vocantur hæ *Tubæ sacræ* I. Machab. cap. XVI. vers. 8. Duplex usus hic tubarum designatur vers. 3. & 4. &c. ad vocandum populum, & ad movendum castra.

*V.* 9. ULULANTIBUS TUBIS. Sonum hunc designat vox Hebræa esse fortem, & concisum. Has etiam tubas in bello inflabant sacerdotes, ex Ioseph. Antiq.

tiq. Lib. VIII. cap. v. Vide Iosue vi. ubi sacerdotes corneas saltem tubas inflabant: tubæ sacræ hic erant argenteæ.

*V.* 10. QUANDO HABEBITIS EPULUM .... CANETIS TUBIS: in die lætitiæ canetis tuba.

*V.* 11. Mansio Hebræorum fuit in Sina per annum, ut dixi, detractis fere tredecim diebus: nam ex cap. xix. Exod. vers. 1. ventum est ad Sina, anno primo, mense tertio, die tertio. Discedunt iam inde anno secundo, mense secundo, die vigesima, ut hic dicitur. Dixi fere, quia non constat an primus mensis fuerit vacuus, vel plenus.

*V.* 12. Itur in solitudinem Pharan, ubi mansio est nona. Postea locus dictus est *Sepulchra concupiscentiæ*. Recensentur omnes mansiones cap. xxxiii.

*V.* 29. Hobab iste iuxta Septuaginta fuit Iethro socer Mosis. Probabilius est Hobab esse filium Iethronis, seu fratrem Sephoræ: nam Iethro antea reversus est in Madian, Exod. xviii. vers. ult. Mansit alter cum Mose. Putatur esse Rechab, unde Rechabitæ. Serar. Lib. III. Trihæresеon, cap. ix.

*V.* 31. ERIS DUCTOR. Hebr. *Fuisti pro oculis*: præteritum pro futuro.

*V.* 35. ELEVARETUR. Elevare, & deponere significat hic proficisci, & quiescere.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 5. CONCISUS, interruptus, brevi mora intercisus.

*V.* 11. & 12. ANNO SECUNDO ab egressu. IN SOLITUDINE, ubi ponitur a quibusdam mansio nona, vel, ut aliqui volunt, decima tertia.

*V.* 31. TU ENIM NOSTI. Volebat sororium suum secum retinere, utpote cui nota erant vicina loca, & regionum mores; hoc indicabat. Cum taceat Hobab, probabile est mansisse cum Hebræis.

# CAPUT XI.

*Murmuris pœna plexi Iudæi coturnicum carnes impetrant; turbatoque Moysi spiritu, Deus illius onus in septuaginta seniores partitur, qui omnes prophetant, puniturque populus propter carnium concupiscentiam.*

1. INterea ortum est (*a*) murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et (*b*) accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem. 2. Cumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis. 3. Vocavitque nomen loci illius, Incensio: * eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini. 4. Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, * flagravit desiderio, sedens & flens, iunctis sibi pariter filiis Israel, & ait: (*c*) Quis dabit nobis ad vescendum carnes? 5. Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepe, & allia. 6. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. 7. (*d*) Erat autem Man quasi semen coriandri, coloris bdellii. 8. Circuibatque populus, & colligens illud, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. 9. Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & man. 10. Audivit ergo Moyses flentem po-

populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est furor Domini valde: sed & Moysi intoleranda res visa est: 11. & ait ad Dominum: Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus universi populi huius super me? 12. Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum? 13. Unde mihi carnes ut dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes ut comedamus. 14. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi. 15. Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. 16. Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, 17. ut descendam, & loquar tibi: & auferam * de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris. 18. Populo quoque dices: Sanctificamini: cras comedetis carnes: ego enim audivi vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? bene nobis erat in AEgypto. Ut det vobis Dominus carnes, & comedatis: 19. non uno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti quidem, 20. sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, & fleveritis coram eo, dicentes: Quare egressi sumus ex AEgypto? 21. * Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum huius populi sunt: & tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro? 22. (*e*) Numquid ovium & boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient? 23. Cui respondit Dominus: (*f*) Numquid manus Domini invalida est? Iam nunc videbis utrum meus sermo opere compleatur. 24. Venit igitur Moyses, & narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. 25. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de Spiritu qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cumque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt. 26. Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requievit Spiritus: nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. 27. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, & nuntiavit Moysi, dicens: Eldad & Medad prophetant in castris. 28. Statim Iosue filius Nun, minister Moysi, & electus e pluribus, ait: Domine mi Moyses prohibe eos. 29. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum? 30. Reversusque est Moyses, & maiores natu Israel in castra. 31. (*g*) Ventus autem egrediens a Domino, * arreptans trans mare coturnices detulit, * & demisit in castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram. 32. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, * congregavit coturnicum, qui parum, decem coros: & siccaverunt eas per gyrum castrorum. 33. (*h*) Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. 34. Vocatusque est ille locus, Sepulcra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt * populum

qui

qui desideraverat. Egressi autem de Sepulcris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, & manserunt ibi.

(a) Psal. lxxvii. 19. I. Corinth. x. 10. (b) Psal. lxxvii. 21. (c) I. Corinth. x. 3. (d) Exod. xvi. 14. Sap. xvi. 20. Psal. lxxvii. 24. Iaon. vi. 31. (e) Ioan. vi. 10. (f) Isaiæ lix. 1. (g) Psal. lxxvii. 26. 27. (h) Psal. lxxvii. 30.

## BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Eo quod incensus fuisset*. Non mutes *incensus* cum *succensus*.

V. 4. *Flagravit desiderio*. Non addas *carnium*, aut *carnis*.

V. 17. *De spiritu tuo*. Nec hic addas *sancto*.

V. 21. *Et ait Moyses*. Denique nec hic addas *ad Dominum*.

V. 31. *Arreptans trans mare coturnices*. In loco participii passivi *arreptas*, quod est in aliis libris, substitutum est activum *arreptans*.

Ibidem. *Et demisit in castra*. Non mutes *demisit*, quod est deiecit, cum *dimisit*.

V. 32. *Congregavit coturnicum, qui parum, decem coros*. Merito hic omissa est vox *multitudinem*, quam quidam adiecerant, non animadvertentes genetivum *coturnicum* regi a *coros*.

V. 34. *Populum qui desideraverat*. Non addas *carnem*, multoque minus scribas *Populum quem percussit Dominus quia desideraverat carnes*.

## COMMENTARIA.

### SA.

*Vers.* 1. PRO LABORE. Id additum ab Interprete, CONTRA DOMINUM. Hebr. *in auribus Domini*. Chald. & LXX. *coram Domino*. DOMINI, id est a Domino missus.

*V.* 2. ABSORPTUS, id est extinctus.

*V.* 3. VOCAVITQUE, scilicet qui nomen indidit.

*V.* 4. VULGUS QUIPPE, pro vulgus vero: aliud enim videtur id a superiori. Hebr. & *vulgus*. QUOD ASCENDERAT. Hebr. *qui inter illos*. ET AIT; pro, & dixerunt, scilicet utrique.

*V.* 6. ARIDA, id est non contenta.

*V.* 7. BDELLII. Bdellium gemma est alba. Perlam quidam esse volunt.

*V.* 8. FRANGEBAT; poterat tamen comedi infractum, & crudum. TORTULAS, id est placentas. OLEATI, scilicet cum melle. Vide Exod. XVI.

*V.* 10. INTOLERANDA RES VISA EST. Hebr. Chald. & LXX. *Displicuit*.

*V.* 14. GRAVIS EST MIHI. Hebr. *gravis præ me*, id est supra vires meas.

*V.* 15. SIN ALITER TIBI VIDETUR. Hebr. Chald. & LXX. *Si sic tu facis mihi*.

*V.* 16. MAGISTRI. Hebr. *Principes*, seu *primates*. Chald. *præfecti*. LXX. *scribæ*.

*V.* 17. AUFERAM, pro accipiam: neque enim a Moyse ablaturus erat, aut ab aliquo. SPIRITU, id est Spiritu sancto, quem dedi tibi: August. V. de Trin. TUO. Hebr. *Qui est super te*, id est in te.

*V.* 18. SANCTIFICAMINI; id est, attendite puritati; seu *præparamini*, ut vertit Chald. CRAS. Hebr. Chald. & LXX. *in crastinum*: coniungitur enim cum *sanctificamini*. UT DET VOBIS, &c. Hebr. Chald. & LXX. *Et dabit vobis Dominus carnes, & comedetis*.

*V.* 20. MENSEM DIERUM, id est integrum. NAUSEAM, id est fastidium: alii, *abominationem*; LXX. *choleram*.

*V.* 22. NUMQUID, &c. Non dubitat de Dei potentia, sed modum quærit. August. in Num. quæst. XIX.

*V.* 23. MANUS, id est potentia.

*V.* 25. CESSAVERUNT, scilicet tota illa die, vel quoties opus fuit prophetare, id est loqui mysteria.

*V.* 26. REMANSERANT, scilicet ex humilitate, dum se honore indignos arbitrantur. Hieronymus epist. CXXVII.

*V.* 28. ELECTUS E PLURIBUS, scilicet ad ministrandum ei. Hebr. *ex electis eius*. LXX. *electus eius*.

*V.* 29. AEMULARIS, id est zelaris, seu zelo commoveris.

*V.* 31. A DOMINO, id est iussu Domini. EX OMNI PARTE: scilicet in omnem partem erat spatium unius diei, ut indicant Hebr. quæ habent *Iter diei huc, & iter diei illuc*: itemque Chald. & LXX. VOLABANTQUE IN AERE. Id non est Hebr. aut Chald. aut in LXX. aperte, sed ita ut possit intelligi vel de volatu, vel de altitudine cumuli iacentium.

*V.* 32. SICCAVERUNT. Hebr. & Chald. *Extenderunt*, LXX. *Siccaverunt*.

*V.* 33. DEFECERAT; id est, in dentibus desierat esse. Repetitio præcedentis. Vel quasi dicat: Nondum mansus erat, seu confectus dentibus. Hebr. *necdum concisus*, seu *contritus*, scilicet dentibus.

## ESTII.

*Vers.* 4. VULGUS QUIPPE PROMISCUUM, &c. Non est recapitulatio eius quod præcessit, ut sensisse videtur Hieronymus, qui vertit *quippe*, cum in Hebræo tantum sit coniunctio *&*; sed est novæ rei gestæ narratio. Quod liquet, quia ibi in principio capitis murmur, hic autem concupiscentia punitur; & pœna diversa est, & diversa nomina locis sunt indita, ibi incendii, hic sepulcrorum concupiscentiæ.

*V.* 17. & 25. AUFERENS DE SPIRITU QUI ERAT IN MOYSE, ET DANS SEPTUAGINTA VIRIS. Abstulisse dicitur Deus de spiritu qui erat in Moyse, non de spiritu humano loquens, sed divino, id est non de anima hominis, sed de Spiritu sancto: deinde nec ita ut Moyses postea desineret habere Spiritum sanctum, sed ut eum quem Moyses habebat, etiam alii haberent. Non enim dicitur: Auferens spiritum a Moyse, & dans septuaginta viris; sed *Auferens de spiritu*, &c. Postremo non significatur per hoc spiritus dispertitus fuisse, ut partem haberet Moyses, partem septuaginta viri, aut minus Moyses haberet de spiritu quam antea; sed significatur, quod ex eodem spiritu gratiæ quo repletus Moyses populum illum regebat, etiam alii adiutorium essent habituri ad eumdem populum regendum. Etenim auferre hic non accipitur, ut quando dicitur in Evangelio, *Auferte ab eo mnam, & date ei qui habet decem mnas*; sed positum est auferre pro accipere, vel sumere, hoc sensu: Accipiam de spiritu Moysis, & dabo septuaginta viris: quomodo Dominus in Evangelio dicit: *Ille de meo accipiet*.

*V.* 21. & 22. ET TU DICIS: DABO EIS ESUM CARNIUM MENSE INTEGRO? NUMQUID OVIUM ET BOUM MULTITUDO CAEDETUR? &c. Cur Moyses in his verbis non accusatur infidelitatis & diffidentiæ, sicut infra cap. xx. idem ipse cum fratre suo ob verba similia graviter a Domino reprehenditur etiam cum denuntiatione pœnæ? An dicendum, Moysem hoc loco non dubitare de potentia ac veritate Dei, sed quærere de modo rei implendæ? Etenim etsi verba utrobique similia essent, Deus tamen, qui cordium inspector est, videre potuisset ea diverso sensu hic, & illo alio loco fuisse prolata, sicut accidit in interrogatione beatæ Virginis ad Angelum, *Quomodo fiet istud*? Luc. 1. & Zachariæ ad eumdem, *Unde hoc sciam*? Quibus exemplis productis, Augustinus quæstionem præsentem solvit in quæstione super Numeros. An fatendum, etiam hoc loco Moysem peccasse quadam fidei vacillatione verbis temere prolatis significata? Deum tamen hoc eius peccatum dissimulasse, quia non fiebat coram populo, sed in secreto colloquio cum Deo? Nam peccatum infra cap. xx. commissum ex eo maxime aggravatur quia Deum non sanctificaverant Moyses & Aaron, nec ei honorem potentiæ dederant coram filiis Israel, sed contra per verba quædam diffidentiæ ad populum prolata, honorem Dei læserant. Sic enim ibi eis dicitur: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis*. Et idem repetitur adhuc inferius cap. XXVII. Deut. II.

*V.* 29. QUIS TRIBUAT UT OMNIS POPULUS PROPHETET? Quæres quomodo hoc recte optet Moyses, cum Paulus I. Corinth. XII. illud, *Numquid omnes Prophetæ?* velut absurdum proferat: nam sic frustra esset donum prophetiæ, quia non essent quibus prophetarent. Sed dicendum est, Moysem non hoc absolute optare, ut omnes in populo sint prophetæ; sed tantum voluit significare nihil obesse suæ personæ dignitati, pro qua zelo quodam immoderato movebatur Iosue, etsi

etsi omnes prophetarent, si ita Deo visum esset; quasi dicat: Non volo quemquam a prophetia prohiberi mei causa. Hoc enim præcedit, QUID AEMULARIS PRO ME?

## MARIANAE.

*Vers.* I. IGNIS DOMINI. *A Domino* explicant Septuag. Alii: *Ignis magnus devoravit castrorum partem*.

*V.* 4. VULGUS QUIPPE PROMISCUUM. In Hebraico non est redditio causæ, sed absolute, *Collectio quæ in medio eius desiderarunt*, scilicet carnes. Hi erant AEgyptii, & ex aliis gentibus: quia addit mox, *iunctis sibi pariter filiis Israel*.

*V.* 7. COLORIS BDELLII. Hebræi *bdellium* explicant aut *vitrum*, aut *unionem*. Vide Genes. II. vers. 12. Septuag. *crystallum*.

*V.* 8. TORTULAS SAPORIS QUASI PANIS OLEATI. Hebr. *subcinericios panes*, *saporis quasi olei viridis*.

*V.* 14. GRAVIS EST MIHI. Sic Sept. at Hebr. *Gravis est præ me hic populus*, *ferre non possum*.

*V.* 16. QUOD SENES POPULI SINT AC MAGISTRI. Hebr. *præfecti* seu *rectores*: id etiam vox *magistri* significat. Vide ætatem requiri, & usum in iis qui præficiendi sunt.

*V.* 17. AUFERAM DE SPIRITU TUO. Vox Hebraica אצל *azal* significat *auferre*, quod Hieronymus posuit, & Sept. quomodo *spiritus* sumi debet pro respiratione & labore. Significat etiam *appropinquare*, *communicare*, ut ex una lucerna accenduntur aliæ: & hoc secutus Chald. dixit: *Multiplicabo spiritum tuum*, dona tua; prophetiæ spiritum cum illis participabo.

*V.* 20. MENSEM DIERUM vocat mensem plenum, qui diebus triginta completur.

*V.* 23. UTRUM MEUS SERMO OPERE COMPLEATUR. Hebr. *Num pretiosum tibi sit verbum meum*, id est non otiosum, sed opere impletum. Dei verba.

*V.* 25. NEC ULTRA CESSAVERUNT. Vox Hebraica יספו *iasaphu* & hanc significationem recipit, & contrariam, *Nec ultra addiderunt*: quod sequitur Chald. & ex eo Pagn. nempe prophetarunt eo die, neque propheta runt amplius.

*V.* 31. ARREPTANS TRANS MARE COTURNICES. Hebr. *a mari*. Et vox *volabant* non est in Hebræo, ut intelligi possit, ea multitudine fuisse, ut aliæ super alias accumularentur, duorum cubitorum altitudine.

*V.* 32. QUI PARUM, DECEM COROS. Corus triginta modios continebat. Insolitum carnes mensurari, & non potius ponderari. Chald. *decem acervos* dixit. ET SICCAVERUNT. Hebr. *Et extenderunt*, scilicet ad solem; intellige, sale adhibito, ne putrescerent.

## MALVENDAE.

*Vers.* I. INTEREA ORTUM EST MURMUR POPULI, QUASI DOLENTIUM PRO LABORE, CONTRA DOMINUM. Paraphrasi exposuit fontem. Pro illo *Quasi dolentium pro labore*, est participium plurale masculeum Hithpahel, כמתאוננים *cemitoNenim*, præfixo *Caph* nota similitudinis: quod mirum quam diversimode reddant. I. *Et fuit populus sicut iniuste de aliquo conquerentes*. II. *quasi dolentes*. III. *quasi mentientes*, aut *seducentes*. IV. *quasi mæsti mussitantes*, seu *murmurantes*. Ut illud Virgilii XI. AEneidos:

*Flent mæsti, mussantque patres ....*

Sic verbum Hebraicum Noster reddidit Threnor. III. vers. 39. V. *quasi occasionantes*, seu *causantes malum*, seu *molestiam*, a verbo אנה *anah*, ut Exodi XXI. 3. VI. *sicut lamentantes*, *lugentes*, *lacrimantes*, *plangentes*, *queritantes*. VII. Quidam vertunt: *Contigit autem cum populus molestiam*, & *dolorem quemdam causaretur*. VIII. Alii: *Cum autem populus plane queribundi essent*. IX. Nonnulli: *Et factum est*, *cum populus concupiscerent*: ab און *aven*, *concupiscentia mala*. Hunc sensum firmant sequentia a vers. 4. ubi exegetice declaratur quodnam fuerit peccatum populi, nempe concupiscentia carnium. In *mitoNenim*, primum *Nun* est inversum, ut cap. X. vers. 35. Causam ignorant, & mirantur Hebræi: divinant tamen denotare ingentem perversitatem, & impietatem, atque aversionem populi a Deo, qui penitus oblitus divinæ erga se caritatis & benignitatis, ac tot tantorumque beneficiorum immemor, tam turpem, tam subito defectionem meditatus fuerit. Sed ob

 hanc

hanc causam quot inversæ litteræ esse debuerant in Scriptura? Devoravit extremam castrorum partem. Quidam intelligunt ignem deflagrasse, & grassatum fuisse in eos qui erant in finibus castrorum, hoc est in vulgus illud collectum ac promiscuum, quod cum Israele egressum fuerat ex AEgypto, ut habetur Exodi XII. vers. 39. qui primum videlicet murmurare cœperunt contra Dominum, atque etiam eo Israelem incitarunt. Vide vers. 4.

*V.* 2. ET ABSORPTUS EST IGNIS. Verbo שקע *schakagh*, omnia ista subsunt, *depressus*, *oppressus*, *profundatus*, *demersus*, *in profundum submersus fuit*, *ignis*. Quidam: *Et compressus est ignis ille*. Alii: *Et resedit ignis*; id est, extinctus est. Non dubitarim a terra absorptum, ut Noster exposuit. Consimile exemplum de igne erumpente e terra, & compresso, narrat Cornelius Tacitus Annal. XIII. extremo.

*V.* 3. VOCAVIT, scilicet Moses, vel is qui nomen loco indidit. Sed notum est, Hebræis tertiam personam activam passive plerumque, seu impersonaliter sumi. *Vocavit* pro *vocatum est*, qui modus loquendi usitatus est Hebræis.

*V.* 4. VULGUS QUIPPE PROMISCUUM. אספסף *asapsuph*, nomen geminatum ab אסף *asaph*: aiunt esse *collectionem magnam & numerosam*, *vulgus collectum*, *turbam collectam*. Nam geminatio auget significationem. Unde & Interpretes Chaldæi voce quoque geminata & plurali reddiderunt, ערברבין *gharabrebin*, id est *mixturæ*, quod Exodi XII. vers. 38. dicitur ערוב *gharob*, id est *mixtio*. Quidam hic vertunt, *Et aggregatio*: alii, *& colluvies*: nonnulli, *convenarum quoque turba*. Intelligunt fuisse vulgus promiscuum, seu colluviem externorum & advenarum, qui sese adiunxerant populo Israelitico: a quibus cœpta est defectio, quique Israelitas in eamdem traxerunt. Alii peculiariter volunt fuisse turbam illam miscellaneam, qui ex AEgypto Israelitis mixti ascenderant, Exod. XII. vers. 38. Ii idololatriæ innutriti, Israelitas sæpe ad quæque pessima inducebant. FLAGRAVIT DESIDERIO. Hebr. *Concupiscere se fecerunt concupiscentiam*; vel *avere se fecerunt avitionem*: si Latinitas pateretur, vel *aviditatem*; id est, graviter, ardenter concupierunt, flagrarunt desiderio, ut Noster dixit, SEDENS, ET FLENS, IUNCTIS SIBI PARITER FILIIS ISRAEL. Hebr. *Et reversi sunt, & fleverunt etiam filii Israel*. Quidam: *Et aversi sunt*; subaudi, a Deo in corde suo, defecerunt ab eo. Alii: *Quare rursus fleverunt filii Israel*. Verbum revertendi constructum cum verbo *flendi*, sumunt adverbialiter pro rursus, denuo, iterum. Vide de hac phrasi Genes. XXVI. vers. 18. ut respiciat quod vers. 1. dixerat, *Et fuit populus sicut lugentes*. Quod Noster dixit *sedens*, deduxit a ישב *iaschab*, & non a שוב *schub*. Aparet hic Israelitas a convenis exemplo & sermone provocatos ad murmurandum fuisse.

*V.* 5. RECORDAMUR PISCIUM QUOS COMEDEBAMUS IN AEGYPTO GRATIS. Quidam exponunt, vili & exiguo pretio. Sed lucem huic loco dat Herodotus Lib. II. numer. 37. cum de AEgyptiis refert: *De piscibus gustare nefas est illis*. Unde nihil mirum gratis Israelitas comedisse pisces, quos AEgyptii non attingebant. PEPONES. אבטחים *abattichim*, a fiducia quidam dictos volunt, quod secure & firmiter terræ incumbant, ac innitantur. Alii componunt ex אביב *abib*, *procrescentia*, *pube*, *maturescentia*, & בטח *batach*, *fidere*, quod pepones fidenter procreicant, pubescant, & maturescant, plenique fint succo pubertatis suæ. Aliqui vocem esse AEgyptiam coniectantur; plerique Arabicam: Arabes enim melones *bathecas* vocant, a quibus Hispani suas *badeas*, & *albudecas* acceperunt. PORRI חציר *chatzir*, est *fenum*, seu *gramen* oblongius ac crassius: ego *virorem*, seu *viriditatem* potius exposuerim: semel autem, nimirum hoc loco, aiunt esse speciem *porri*, *sectilis*, quod speciem feni habet, & sectum cito renascitur: quem Plinius Lib. XIX. cap. VI. *sectivum* appellat, & cito succrescit: *Laudatissimus*, inquit, *in AEgypto*. Alii *porrum capitatum* vertunt, de quo Plinius Lib. XX. cap. VI. ET CEPE. Huic voci, & toti illustrando versui mirifice facit Diodorus Siculus Lib. I. num. 56. ubi de AEgyptiis memorat: *Non pauca esculentorum nonnulli ex ipsis non comedunt: dum alii lentes, alii fabas, nonnulli caseos, aut cepas, & id genus vesca (quorum copia tamen AEgyptus abundat) omnino ne quidem degustent*.

Cepas

Cepas non edere AEgyptios, Plutarchus de Iside, & Osiride, Gellius Lib. XX. Noctium Atticarum cap. VII. affirmant. Sed & Iuvenalis Satyra XV. de eisdem AEgyptiis.

*Porrum & cepe nefas violare, ac frangere morsu:*
*O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis*
*Numina!*

Plinius Lib. XIX. cap. VI. *Allium, cepasque inter Deos iureiurando habet AEgyptus.* Ut nihil mirum, si præ copia, & quod ab iis ut a numinibus abstinerent AEgyptii, Hebræi illis libenter vescerentur. Herodotus Lib. XI. num. 125. de Pyramide a Cheope AEgypti rege constructa: *In ipsa pyramide litteræ AEgyptiæ conscriptæ indicant quantum sit erogatum in operarios, pro apio* ( raphano ) *cepis, & alliis: quod interpres earum litterarum, ut probe reminiscor, aiebat in summa mille & sexcenta talenta pecuniæ esse.* ALLIA. שומים *schumim* quidam arbitrantur vel vocem esse AEgyptiacam, vel ab אשם *ascham*, aut שמם *schamaam*, *afuare*, appellationem habere, quod homines assilent gravi cum odore, & sapore.

*V.* 6. ANIMA NOSTRA ARIDA EST; id est, exarescimus, & contabescimus penuria rerum omnium. Cum man diversos sapores indueret pro voluntate, & gustu comedentium, Sapientiæ XVI. vers. 21. quod etiam fatentur Hebræi, quid est quod isti pisces, & cucumeres, pepones, porros, cepas, & allia nunc tantopere concupiscant, cum ea omnia in man gustare potuissent? Hebræi tradunt, man omnes gustus exhibuisse, præter harum sex specierum: nimirum quod istæ species sint duræ ac difficilis concoctionis, nec satis salubres. Sed certe gula nullum habet finem, & depravata quæcumque potius quam salubria quærit: forsan isti illis assueti, eas in propria specie mandere cupiebant.

*V.* 7. COLORIS BDELLII, id est coloris gummi arboris bdellii, quod est translucidum simile ceræ, teste Plinio Lib. XII. cap. X. Alii, *coloris unionis*, seu *margariti*. Album, seu candidum fuisse, dicitur Exodi XVI. vers. 31. De bdellio vide quæ notavimus Genes. II. vers. 12. & in Paradiso nostro, cap. XLIII. & XLIV. ubi hunc locum accurrate expendimus, & בדולח *bedolach*, *piper*, aut *garyophillum* fuisse, haud spernendis coniecturis ostendimus.

*V.* 8. CIRCUIBATQUE. שטו *schatu* varie exponunt: *Investigaverunt, exploraverunt, circuierunt, discursaverunt, diffuderunt se, declinaverunt, itaverunt, circumeundo dimiserunt se, peragrarunt, percurrerunt, cursitaverunt.* PANIS OLEATI. לשד השמן *lescead hasschemen* varie convertunt, *recentis, viridis olei*: alii, *ubertatis*, seu *partis eximiæ olei*: quidam, *laticis olei*: aliqui, *humidi radicalis olei.* Nonnulli vertunt *humoris præstantissimi ex oleo*, nimirum eius qui est in summo, & supernatat in oleo: nam illud optimum & præstantissimum esse, docet Plutarchus Lib. VII. Quæstionum convivalium quæst. III. Nec pugnat quod hic scribitur, cum Exodi XVI. vers. 32. man ita sapore suo referebat crustulum mellitum, ut simul etiam haberet suavitatem olei præstantissimi: scilicet erat sapor eius sicut placentæ oleo, & melle consperſæ, seu maceratæ. Quidam secuti Chaldæos Interpretes reddunt, *pastæ olei*, seu *oleatæ*: alii, *placentæ oleo delibutæ.*

*V.* 10. SINGULOS PER OSTIA TENTORII SUI. Hebr. *Virum unumquemque ianuæ*, seu *ad ostium tentorii sui*, vel *eius*: quidam istud *eius* ad Mosen referunt, id est *eius Mosis*; ut in seditionibus militaribus fieri concursus solet ad tabernaculum seu prætorium Imperatoris. Tacitus Annal. I. de Germanicarum legionum seditione adversus Germanicum: *Concursuque ad ianuam facto.* Quem sensum firmari aiunt e vers. 13. Sed præstat sensus Nostri & aliorum, cuneos seditiosorum ante ostia tabernaculorum privatorum, passim per castra factos.

*V.* 12. NUTRIX. אומן *omen*, participium masculeum verbi אמן *aman*, *credidit*, *fisus est.* Aiunt idem esse quod fidus, fidelis, curator, procurator, dispensator, œconomus, nutritius, cuius fidei, & curæ infans seu puer alterius commissus est, eum ut fideliter curet; cuius fideli administrationi officium aliquod concessum, & commendatum est: a fide scilicet, quæ in dispensatore potissimum spectari solet, atque requiritur. Quod & S. Paulus Apostolus significare, & data quasi opera hanc vocem

vocem Hebræam explicare voluit I. Corinth. IV. verf. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: quod superest autem, illud requiritur in dispensatoribus, ut πιςὸς, id est fidus, fidelis aliquis reperiatur, &c.* Hic omnes *nutritium* vertunt. Noster ut magis affectum, curamque nutricationis exprimeret, fecit enallagen generum, quod mulieres maiorem caritatem, & curam erga infantes gerant, quam viri.

*V.* 14. SUSTINERE OMNEM HUNC POPULUM. Hebr. *Levare, portare, omnem populum istum*. Quidam hic esse putant ellipsim nominis coniugati, redduntque: *Ferre onus totius populi huius: nam grave hoc est supra me*: idque colligunt e verf. 11. & 17. ubi vox *onus* exprimitur. Sed maior auxesis loquendi est *ferre omnem populum*, quasi nedum onus, & curam eos regendi; sed totum ipsum populum veluti humeris meis, aut sinu impositum ferre debeam, tamquam nutritius, aut baiulus, ut verf. 12.

*V.* 15. NE TANTIS AFFICIAR MALIS. Hebr. *Et non videbo malum meum*. Hebræi aiunt Mosen scripsisse, *Et non videbo malum tuum*; sed scribas correxisse *Non videbo malum meum*. Sed sunt ista mera nugamenta Iudæorum: quibus si delectaris, adito Galatinum Lib. I. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. VIII.

*V.* 16. SEPTUAGINTA VIROS. Longe ii diversi & numero, & munere ab illis de quibus Exod. XVIII. verf. 21. ut ibi observavimus. QUOS TU NOSTI QUOD SENES POPULI SINT; id est, quos revera scis esse senes, & dignos qui præsint aliis; vel scis esse tales re & opere, quales nomine & vocatione sunt. AC MAGISTRI. שוטרים *schoterim*. De hac voce fuse disseruimus Exod. v. verf. 6. Varie hic reddunt, *Principes, præfecti, primates, moderatores*; sed proprie diximus esse *statores, apparitores*.

*V.* 17. ET AUFERAM DE SPIRITU TUO. ואצלתי *veatzalti* varie interpretantur. I. *Et asservabo, præservabo, de spiritu qui super te*. II. *Et segregabo, seponam*, &c. III. *Et capiam, tollam, de spiritu*, &c. nempe de spiritu gratiæ ad administrandam rempublicam: non ut ideo minus haberet Moses; sed ut illi tantum haberent de spiritu Dei, quantum admensurus ipsis erat Deus vocationis auctor, ut Mosi adiumento essent. IV. Quidam ex voce אציל *atztzil, cubitus, angulus*, vel *magnus, grandis*, reddunt: *Et angulabo*, seu *cubitabo, de spiritu, qui super te*; id est, quasi extendam, & producam in angulos, seu cubitos, de spiritu qui est in te, & ponam super ipsos septuaginta, ut quasi anguli, seu cubiti fulciant, & sustineant, & asservent communem tuam curam. V. *Et grandibo, vel magnificabo de spiritu tuo, &c.* eodem fere sensu, extendam in maius, seu in plures, ut indicetur nulla imminutio aut detractio spiritus Mosis, sed extensio & diffusio in plures. Utuntur Hebræi satis apto exemplo, ut si ex lumine unius candelæ plures aliæ accendantur, priore nulla ex parte imminuta. De his septuaginta senioribus multa tradunt Hebræi, quibus nihil commovemur. Vide hic Explanatores, & seorsim Notas Drusii.

*V.* 20. IN NAUSEAM. לזרא *lezara* varie reddunt. I. *In dispersionem*; id est, ex naribus spargetis, & flabitis carnes devoratas; evometis eas per os, & per nares. Solent enim vomentes non solum per os, sed etiam per nares cibum indigestum emittere. II. *In abalienationem, fastidium, nauseam*. III. *In reiectamentum*, quod tamquam alienum fastidimus, aut cum fastidio eiicimus. IV. Septuaginta, *in choleram*. V. Nonnulli Hebræorum, *in gladium, in excidium*. VI. Chaldæi Interpretes, *in offendiculum*: utrumque nimis alienum. זרא *zara* potest esse a *zarah, spargere, dispergere*; & a זור *zur, alienare*, quod est rectius.

*V.* 21. ET AIT MOYSES: SEXCENTA MILLIA PEDITUM, &c. Non hoc dixit Moses ex diffidentia (cuius tamen nomine, altero in facto postea fuit reprehensus, & multatus a Deo, infra cap. xx. verf. 12. ut etiam Zacharias Lucæ I.) sed amplius cognoscendi studio: quamobrem huic studio succurrit sententia Domini, non quæ vindicaret, inquit S. Augustinus, sed quæ doceret consulentem; qua Deus non de verbis, ut homo, sed de cordibus, ut cordium cognitor, iudicat. Hebræorum quidam Mosen hic diffidentia peccasse autumant: alii, quos & nostri sequuntur, non de divina potentia dubitasse, sed hæsisse in modo, ac perquisisse, ut Virgo Deipara, *Quomodo*

*modo fiet istud?* Adito Explanatores.

*Vers.* 22. NUMQUID OVIUM ET BOUM, &c. Hebr. *Num grex & armentum iugulabitur eis, Et inveniet eis?* Quidam passive exponunt: *& invenietur eis?* id est, poteruntne certe tot greges & armenta inveniri, quæ eis satis esse possint? Alii notant מצא *matza*, præsertim cum dativo constructum, significare interdum *sufficientiam, copiam, facultatem, potentiam*. Unde hic exponunt: *Et inveniet eis?* id est, & sufficiet, satis erit eis? Similem constructionem observant Iosue XVII. vers. 16. Iudic. XXI. vers. 14. Psalm. XX. vers. 9. Nonnulli reddunt: *Numquid oves & boves mactabuntur pro eis, ut conveniet pro eis?* id est, ut sufficiat eis, ut sit sufficientia illis?

*V.* 23. NUMQUID MANUS DOMINI INVALIDA EST? Heb. *Num manus Domini abbreviabitur, decurtabitur?* Quidam: *An manus Iehovæ curta esset?* id est finita, minutave facultas, adeo ut non possit eousque pertingere? His enim verbis Deus non redarguit Mosen diffidentiæ; sed ita visum est ei respondere, quia malebat Deus opere ipso potentiam suam demonstrare, & Mosen humanæ infirmitatis conscium detinere in incerto, quam modum futuri facti (de quo citra necessitatem rogabat Moses, & quod citra periculum nescire poterat) exponere.

*V.* 24. CONGREGANS SEPTUAGINTA VIROS, &c. Nonnulli reddunt: *Et congregavit septuaginta viros e senioribus populi, quos sistit circa tentorium* conventus; id est, iussit convenire, & se sistere: etiam si duo ex illis id non fecerint, vers. 26.

*V.* 25. PROPHETAVERUNT. Quidam exponunt, voluisse Deum præsenti hoc signo prophetandi, seu ventura prædicendi, vocationem istorum toti populo obsignare, atque testatam facere. Hebræi *prophetare* hic accipiunt pro, divino spiritu incitante, cantica & laudes Dei celebrare: ut I. Samuelis X. vers. 5. *Obvium habebis cœtum prophetarum descendentium de Bamah, & ante eos erunt lyra, tympanum, & tibia, & cithara, & ipsi prophetantes*. Ubi Chaldæi Interpretes: *Et ipsi laudes dicunt*. Et vers. 10. *Et requievit super eum spiritus Dei, & prophetavit in media eorum*. Ubi etiam Chaldæi: *Et laudes dicebat inter eos*. Sic sumitur verbum prophetiæ I. Paralip. XV. vers. 22. Forsan haud inepte exposuerimus *prophetabant*; id est, divina quædam & exteriora signa ostendebant accepti divini spiritus, quasi Numine inflati, gestu, sermone, aliisque manifestis indiciis divinum impulsum prodederent. NEC ULTRA CESSAVERUNT. Verbum יספו *iasaphu*, proculdubio Chaldæus Interpres, & Noster a סוף *suph*, *desinere, finire, cessare*, deduxerunt, quasi esset scriptum יסופו *iasuphu*. Immo notant aliqui, quando verbum *iasuph* in fine sententiæ absolute ponitur, ut hic, tum significationem habere contrariam, sicut verbum *suph*, quemadmodum etiam Chaldæus reddidit verbo פסקין *pasekin*, id est *cessaverunt, defecerunt*: vide Deuteron. V. vers. 22. id est, numquam desiit, aut cessavit divinus spiritus eis infusus; numquam eos deseruit, quamdiu populo præfuerunt. Alii ab *iasaph* derivant, redduntque: *Et non addiderunt*, vel *adiecerunt*, scilicet prophetare. Ita LXX. & Hebræi omnes, ac recentiores nostri; quasi dicat: Tantum hoc die prophetarunt, & non amplius. Unde quidam reddunt: *Fuitque cum resideret super eos spiritus ille, ut tum prophetarent, & non amplius*: ut indicet signum illud præsens prophetandi datum illis ad obsignandum tantum vocationem eorum in populo, ideo temporarium fuisse in eis prophetiæ donum, ut Sauli contigit I. Samuel. X. vers. 13. Et fortasse in verbo prophetandi posita est propterea formula Hithpahel, יתנבאו *iitnabbeu*, *& prophetare se fecerunt*, ut indicaretur, impulsu magis quodam divino, & præter ordinem tunc tantum prophetasse.

*V.* 26. NAM ET IPSI DESCRIPTI FUERANT. Hebr. *Et ipsi in conscriptis*, vel *inter conscriptos* erant; id est, erant ex septuaginta illis senioribus electis, nominatis, descriptis, designatis a Mose ad regendum populum. Romane diceremus: Erant ex Patribus Conscriptis. Mira hic comminiscuntur Hebræi de istorum LXX. seniorum per schedulas conscriptas electione: de quibus vide Lyranum, & Drusium.

*V.* 28. ELECTUS E PLURIBUS. Hebræa hæc omnia ferunt, *ex electis*, vel *iuvenibus eius*; aut *a iuventutibus suis*. Quidam exponunt: Quem elegerat a iuventuti-

tutibus eius; vel qui minister erat Mosis a iuventute eius, vel sua. בחור *bachur* significat *electum ex aliis* ad munia publica gerenda, sive domi, sive militiæ. בחרים *bachurim*, *electi*, seu *iuvenes*; בחורים *bechurim*, *iuventutes*: quod hic magis congruit.

*V.* 29. QUID, INQUIT, AEMULARIS PRO ME? Hunc versum paulo obscuriorem in Hebræo, apertius alii ita exprimunt: *Cui dixit Moseh: An invides tu mea causa? atqui utinam totus populus Iehovæ essent prophetæ, indente Iehovah spiritum suum illis.*

*V.* 31. VENTUS AUTEM EGREDIENS A DOMINO, id est miraculose excitatus a Deo. Fuit autem Euro-Auster, ut dicitur Psalm. LXXVII. vers. 26. & plane miraculosus, cum coturnices aquilone potius, quam austro volent. Aristoteles Lib. VIII. de Historia Animalium, cap. XV. *Coturnices austrum flantem moleste ferunt, propterea quod minus habiles sunt ad volandum: est quippe ventus & humidus, & gravis. Itaque aucupes captant ex austro venandi occasionem. Nequeunt autem volare ob gravitatem: corpulentæ enim valde sunt: idcirco cum clamore volant, quia laborant.* Plinius Lib. X. cap. XXIII. *Coturnices austro non volant, humido scilicet, & graviore vento; aura tamen vehi volunt propter pondus corporum, viresque parvas: hinc volantium illa conquestio labore expressa. Aquilone ergo maxime volant, ortygometra duce.* Vide in Sapient. XVI. vers. 2. TRANS MARE. Hebr. *De mari*, proculdubio Rubro, seu a sinu Arabico: nam inde ventus perflabat. Iosephus Lib. III. cap. I. *Magna vis coturnicum, quod genus avium præ ceteris Arabicus sinus alit, superato interiacente mari longo vastatu fessarum, qui alioquin etiam non est sublimis, in Hebræos defertur.* Sed puto falsum transvolasse eas totam latitudinem sinus Arabici, cum sint parvo volatu. Plinius Lib. X. cap. XXIII. *Coturnices (parvæ avis, & cum ad nos venit, terrestris potius quam sublimis) advolant, & hæ simili modo non sine periculo navigantium, cum appropinquavere terris: quippe velis sæpe insidunt, & hoc semper noctu, merguntque navigia.* Non ergo altum mare involant. VOLABANTQUE IN AERE DUOBUS CUBITIS ALTITUDINE SUPER TERRAM. Hebr. nihil de volatu dicitur, sed tantum missas coturnices hinc & inde in circuitu castrorum tanto spatio terræ utrimque, quantum diurno itinere confici potest, *idque ad duos cubitos in superficie terræ.* Quod intelligi potest, coturnices mortuas, aut vivas sine volatu iacuisse continuis acervis altitudine duorum cubitorum, quod est plane immensum miraculum: & congruit hic sensus mensuræ, quam quisque collegit: nam qui minimum collegit, contraxit decem coros, id est trecentos modios, ut vers. seq. dicitur: erant autem plusquam sexcenta millia colligentium: fac collegisse tantum per singulas domos. Noster vero intellexit volatu demissas binis cubitis e terra; quarum volatum terrestrem potius quam sublimem describit Plinius. Et fere intelligo ab utraque parte castrorum, longitudine, & latitudine occupasse terram unius diei itinere.

*V.* 32. COTURNICUM multitudinem. Mirum, quod iis Deus Israelitas paverit tanta copia, de quibus Plinius Lib. X. cap. XXIII. extremo: *Coturnicibus veratri semen gratissimus cibus, quam ob causam eas damnavere mensæ, simulque comitialem propter morbum despui suetæ, quem solæ animalium sentiunt præter hominem.* His obsistunt recentiores medici: nunc plane in Europa eas mensarum esse delicias cernimus. ET SICCAVERUNT EAS PER GYRUM CASTRORUM. Hebr. *Et expanderunt sibi expandendo per circuitus castrorum.* Quidam exponunt: Captas aviculas vivas expanderunt in scirpeis caveis per circuitum tabernaculorum, nutrientes eas in mensem donec maiorem partem devorarent. Alii: *Et expanderunt eas expandendo*; id est, composite expanderunt eas sibi circa castra: nimirum ad siccandum, ut facilius a putredine conservarentur.

*V.* 33. ADHUC CARNES ERANT IN DENTIBUS EORUM. Videlicet completo mense integro, de quo vers. 20.

*V.* 34. VOCATUSQUE EST ILLE LOCUS. Hebr. *Et vocavit nomen loci illius.* Vide supra vers. 3. SEPULCRA CONCUPISCENTIAE. קברות התאוה *kibroth hattaavah.* Hæc est tertiadecima statio seu mansio filiorum Israel proficiscentium de AEgypto in terram promissam, Num. XXXIII. 16. erat in deserto Pharan, supra cap. X. vers. 12. VENERUNT IN HA-

HASEROTH. Hæc eſt quartadecima ſtatio. Euſebius, & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Haſeroth pars eremi, ubi Maria & Aharon contra Moſen locuti ſunt. Habitaverunt autem quondam Hevæi in Haſeroth uſque ad urbem Gazam. Verum hæc loca non Haſeroth, ſed Haſerim appellari Hebræi putant*. Ita quidem appellantur Deut. II. verſ. 23. Sed inter *Chatzeroth* & *Chatzirim* Hebræis in ſignificato nullum eſt diſcrimen, ſed in genere, quod illud ſit femineum, hoc vero maſculeum: fuiſſe autem in deſerto Pharan, aut in confinio, certum eſt e Deuter. I. verſ. I. & S. Hieronymus diſerte affirmat epiſtola cxxvII in decima quarta manſione; ſignificat autem חצרות *chatzeroth, atria, villas, prædia, cortes, aulas, caulas, curias, loca ſubſidia in quibus fenum, aut gramen creſcit alendis pecoribus*. Unde fortaſſe nomen loco inditum; quod Scenitæ, ſeu Nomades Arabes iis locis habitarent. Vide Geneſ. xxv. verſ. 16. Quidam exiſtimant eſſe Gazorum Paleſtinæ urbem non procul a Liviade, cuius meminit Ptolemæus Lib. V. cap. xvi. Vide in Deuter. I. verſ. I. ET MANSERUNT IBI. Hebr. *Et fuerunt*. Plerique: *Et ſubſliterunt ibi*. Ex verbo: *Et fuerunt in Chatzeroth*: nimirum occaſione hiſtoriæ, quæ ſequenti capite narratur.

## MENOCHII.

*Verſ.* I. QUASI DOLENTIUM PRO LABORE, fatigatione ſcilicet itineris, quia tres continuos dies cum parvulis, iumentis, & ſarcinis ambulaverant. IGNIS DOMINI, a Domino profectus, vel ignis ingens, & vehemens, & terribilis: ſic enim vocantur *Cedri Dei*, *Montes Dei*, id eſt cedri magnæ, montes excelſi. DEVORAVIT EXTREMAM CASTRORUM PARTEM, in qua veriſimiliter erant AEgyptii, qui Iſraelitas ad hanc murmurationem incitaverant. Fortaſſe etiam aliqui, qui laſſitudinem ſimulabant, in extrema hac acie igne abſumpti fuerunt.

*V.* 2. ABSORPTUS EST IGNIS: vel ſimpliciter extinctus eſt; vel, quod vox *abſorptus* indicare videtur, terra, unde prodierat, abſorptus eſt: & vocem Hebræam שקע Hebræorum aliqui docent ſignificare *in profundum deprimi, ſubmergi*.

*V.* 3. VOCAVITQUE NOMEN LOCI ILLIUS INCENSIO, locus hic ab igne vocatus eſt *Incenſio*; ſed a pœna gulæ vocatus eſt *Sepulcra concupiſcentiæ*, ut patet num. 34. eſt enim hic unus & idem locus, uti & murmur. Fieri poteſt ut totus locus dictus ſit *Sepulcra concupiſcentiæ*; pars vero eiuſdem loci, quæ igne conflagravit, *Incenſio* appellata ſit.

*V.* 4. VULGUS PROMISCUUM, AEgyptiorum, qui Hebræorum caſtra ſequebantur. FLAGRAVIT DESIDERIO, carnium, & ceparum AEgypti: quamvis enim Hebræi ſuos greges ſecum ducerent, tamen promiſcuum illud vulgus carnes in poteſtate non habebat; & alii etiam ovibus parcebant, ut eas in terram promiſſam adducerent, interim manna victitantes, ne earum numerum imminuerent. Cepas comedere AEgyptiorum aliquibus erat religio: nam ut ait Iuven. Sat. penult.

*Porrum & cepe nefas violare, ac frangere morſu.*

Sed non omnes hac ſuperſtitione tenebantur.

*V.* 5. GRATIS, vili pretio, & quaſi nullo.

*V.* 6. ANIMA NOSTRA ARIDA EST: appetitus noſter languet, nauſeat, & quaſi exareſcit. Nam licet manna eos ſapores exhiberet, optabant varietatem non tam in ſapore quam in colore, exteriorique forma ciborum, ut ſimul cum ventre, oculos etiam, & manus explerent.

*V.* 7. COLORIS BDELII. Bdellium ex Plin. Lib. XII. IX. unguis colorem refert, eſtque candidum, & lucidum. De colore, & ſapore manna vide dicta Exod. XVI. 31.

*V.* 10. MOYSI INTOLERANDA RES VISA EST: quod ſcilicet omnis populus ulularet, & carnes poſceret.

*V.* 12. PORTA EOS IN SINU TUO: magna enim charitate ſuos fovere Principes debent.

*V.* 15. INTERFICIAS ME: peto ut mori liceat. Levis aut nulla puſillanimitatis culpa: itaque non reprehendit illum Dominus, ſed conſolatur.

*V.* 16. CONGREGA MIHI SEPTUAGINTA VIROS. Conſtituerat prius, Iethro ſuggerente Exod. XVIII. decanos, & tribunos, qui lites deciderent; ſed adhuc erat provocatio ad Moſen, qui etiam quæ ad

ad Dei cultum spectabant, procurabat, & maiores etiam causæ ad ipsum deferebantur. Constituit ergo Deus hos septuaginta, qui hæc tria æque ut Moses præstarent, ideoque eos æque ac Mosen spiritu prophetico insignivit, ut familiariter Deum consulerent in dubiis, & ab eo edocerentur. QUOS TU NOSTI QUOD SENES POPULI SINT, non tam ætate, quam prudentia, & moribus.

V. 17. DESCENDAM, inclinando columnam nubis, in qua ago quasi dux vester. AUFERAM DE SPIRITU TUO, accipiam. Chaldæus: *Augebo de spiritu, qui est super te, & ponam super eos*. DE SPIRITU, prophetico, ut colligitur ex num. 25. quo & populum regere scias, & dubia explicare, & occulta cognoscere, & futura prævidere, & Dei laudes eodem spiritu dictante exequi.

V. 18. SANCTIFICAMINI, parate vos: nam *Sanctificari* in sacris Litteris nonnumquam simpliciter significat *comparare se*. Ita explicant Lyran. & Abulens. Chal. etiam vertit: *Præparate vos*.

V. 20. MENSEM DIERUM, mensem integrum, seu omnibus diebus mensis. EXEAT PER NARES. Statim explicat cum ait: ET VERTATUR IN NAUSEAM.

V. 21. SEXCENTA MILLIA PEDITUM, scilicet armatorum Hebræorum: nam feminarum, puerorum, servorum, & AEgyptiorum numerus facile excrescebat ad trigesies centena millia.

V. 23. MANUS, potestas.

V. 25. PROPHETAVERUNT. Divino instinctu in divinas laudes eruperunt: sic Saul dicitur prophetasse, cum quasi enthusiasmo actus, Dei laudes cecinit I. Reg. x. NEC ULTRA CESSAVERUNT: nec eos amplius spiritus ille propheticus, quem ad populi regimen acceperant, destituit.

V. 26. REMANSERANT, ex humilitate, dum se honore indignos arbitrantur. Ita Hieronymus epistola CXXVII.

V. 27. ELDAD ET MADAD PROPHETANT IN CASTRIS. Alii sexagintaocto prophetabant præsente Mose in tabernaculo, & Mosi quasi coniuncti, & subiecti; duo vero illi, absente, & inscio Mose. Itaque veritus Iosue ne hoc Mosis auctoritatem imminueret, per Mosen prohibere conatur.

V. 28. ELECTUS E PLURIBUS, intimus, maxime familiaris. In Hebræo est, *ex electis eius*, iuvenibus, ac ministris, ac inter eos lectissimus, & carissimus.

V. 30. REVERSUS IN CASTRA, ex tabernaculo ad circumiacentia castra.

V. 31. EGREDIENS A DOMINO, præter naturæ ordinem a Deo missus. TRANS MARE, Rubrum. COTURNICES. Dantur secundo coturnices, nam primo datæ fuerant Exod. XVI. 13. LXX. habent *ortygometram*. Illud parelon *μήτρα* adiungitur quibusdam animalibus, quæ in suo genere grandiora sunt; sic Echinometra est Echinus grandior, & spinosior: de quo Plin. Lib. IX. cap. XXI. Itaque ortygometra est grandior coturnix, quæ dux coturnicum dicitur. DEMISIT IN CASTRA: decidere fecit in castra circumcirca per tantum spatii quantum uno die confici solet.

V. 32. QUI PARUM, DECEM COROS. Corus continebat triginta modios. Demus in quolibet modio fuisse tantum viginti coturnices, perinde ac modius continet viginti libras frumenti: hinc sequitur quod quilibet colligens triginta modios, collegerit sex millia coturnicum, & consequenter quod unus hominum millio collegerit sex millia milliones; ac proinde totus populus, qui tres capitum milliones explebat, collegerit duodeviginti millia millionum coturnicum. SICCAVERUNT EAS, ne putrescerent, sed in sequentes dies servari possent.

V. 33. ADHUC ESCAE ERANT IN DENTIBUS EORUM, expleto tamen mense quo carnibus coturnicum saturati sunt, ut promiserat Dominus num. 20. PLAGA MAGNA, ignis, qui deinde precibus Mosis repressus, & absorptus est, ut dictum est num. 3.

V. 34. IN HASEROTH. Hæc est quartadecima mansio.

## TIRINI.

*Vers.* 4. VULGUS PROMISCUUM, scilicet AEgyptii, & si qui forte aliarum nationum alii, qui Israelitis ex AEgypto recedentibus se coniunxerant, Exod. XII. vers. 38. Hi, inquam, huius

huius murmurationis auctores, & incentores fuere. Et erant hi in extrema castrorum parte, ut fere vulgus solet: unde mirum non est, *ignem Domini*, id est ignem maximum, a Deo de repente excitatum, extremam potius castrorum partem, utpote in qua murmuratores isti restiterant, quam aliam quamvis partem corripuisse.

*V.* 14. NON POSSUM SOLUS SUSTINERE. Quomodo queri poterat Moyses se solum sustinere totum pondus, cum iam ante a consilio Iethro Exod. XVIII. iunctos sibi haberet tot millenarios, centenarios, quinquagenarios, decanos, iudices, qui eum sublevabant, & minores causas iudicabant? Respondeo: Omnes isti solum in civili administratione, ac forensibus negotiis Moysen iuvabant; sed curam spiritualium solus ipse sustinebat, ut erat Deum consulere, legis difficultates explanare, populum docere & instruere, &c. Et defectui instructionis populi videtur hic Moyses adscribere hanc populi murmurationem, & carnium expostulationem. Cui proinde, uti iustæ, Moysis querelæ obsecutus Deus dispertivit onus illius in septuaginta seniores, quos eodem spiritu prophetico instruxit, quo Moyses instructus erat, ut exemplo Moysis populum ipsi quoque instruerent, & occurrentes difficultates partim sua prudentia, partim recursu ad Deum componere studerent. Unde non alia ratione dicit hic Deus, *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis*, quam sicut ab una candela lumen aufertur quo plures aliæ candelæ accenduntur, nihil tamen luminis priori candelæ detrahendo. Ita Origenes, Augustinus, Theodoretus *a*. Addit Lyranus, Moysen etiam morali influxu, licet imperfecto, nempe per desiderium ac preces suas, ad huius spiritus in alios effusionem concurrisse.

Petes primo, qualis fuerit hæc prophetia horum septuaginta. Respondeo, mixtam fuisse ex proprie, & stricte sumpta prophetia, qua futura, & occulta panduntur; & latius, atque improprie sumpta, qua qui divinas laudes canunt, vel Scripturas interpretantur, vel divina mysteria exponunt, prophetare dicuntur. Et quidem de Eldad, & Medad, qui ex humilitate se subduxerant *b*, neque ad tabernaculum cum reliquis a Moyse designatis accurrerant, nonnulli Hebræi tradunt, prophetasse de Moysis morte, & Iosue in principatum successione. Similia habes in Thargo Ierosolymitano *c*. Et hanc dicunt rationem fuisse cur Iosue a Moyse petierit duos istos præ ceteris prohiberi. Quamvis alii velint, id Iosue ex metu petiisse, ne Moysis auctoritati ex horum duorum prophetatione aliquid decideret, eo quod isti non ad Moysis præsentiam & præsentationem, ac forte etiam deprecationem, ut ceteri, apud tabernaculum accepissent spiritum propheticum, sed quasi independenter a Moyse, cui illum acceptum ferre non deberent.

Petes secundo, an hic spiritus in omnibus illis continuo permanserit. Respondeo: Ita noster Interpres affirmat vers. 25. & Oleaster, & Fursterus, & Tigurini, & Chald. sed LXX. Interpretes cum Caietano, & Vatablo, ibidem versione plane contraria dicunt, illos quidem eo die prophetasse, at postea desiisse prophetare. Sed utramque versionem (quam utramque fert verbum Hebræum יסף *iasaph*) commode conciliabis, si dicas non cessasse umquam in eis spiritum prophetiæ in actu primo, & etiam quoad ordinarios actus secundos, quibus ad iudicandum, & instruendum populum divinis illustrationibus sæpe indigebant; cessasse tamen quoad actus illos extraordinarios, & insolentem prophetandi modum, quo prima illa die correpti fuerunt, ut quasi entheati, & alieno potius quam proprio spiritu acti, mira stupendaque proderent; ut Sauli post (I. Reg. x. & XIX.) & aliis pluribus accidit.

Nota, hos septuaginta seniores non solum separatim, necessitate sic exigente, ut iam dixi, populum docuisse, ac iudicasse; sed etiam communi subinde consilio res maioris momenti definiisse, & vice Moysis difficultates dissolvisse, tamquam supremum quoddam Iudaicæ monarchiæ concilium ac senatum, a quo nulla deinceps esset appellatio. Unde Sanedrim Iudæorum exordium sumpsit.

*V.* 31. COTURNICES. Septuaginta, & Liber Sapientiæ, XVI. 19. habent *Ortygometram* (ὀρτυγομήτραν) quam Hesychius vocat *coturnicem maximam*: Galli, & Itali, *regem*, vel *matrem coturnicum*: hæc enim re-

liquis coturnicibus dux esse solet cum ad calidiores agminatim devolant regiones, teste Aristotele, Solino, Plinio, & aliis *d*. Verum, quia dux & imperator numquam est sine exercitu, hinc Septuaginta, & alii, cum dicunt delatam in castra ortygometram, innuunt etiam aliarum coturnicum ingentes copias eodem delatas fuisse. Certe ducentis hominum myriadibus, quot erant tunc temporis in castris, toto mense alendis, opus fuit innumeris coturnicum myriadibus. Unde merito David, ad hanc ipsam copiam indicandam ait (Psalm. LXXVII. 27.) *Pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata*. Sed immensæ copiæ miraculum augebat etiam ipsa qualitas & præstantia horum volatilium: nam coturnices Iudæis in deliciis fuisse, testis est Philo; & Athenæus inter lautiora mensæ fercula recenset; Aristoteles *e* perdicibus eas comparat; & nostri sæculi mores idem probant.

(*a*) Orig. hom. VI. in Num. Aug. quæst. XVIII. in Numer. Theod. etiam quæst. XVIII.
(*b*) Ita Hieron. epist. CXXVII. Strabo, Caietanus, Abulensis, Lyranus, Sa, Bonfrer.
(*c*) Apud Serarium in Libr. I. Iosue cap. VII. quæst. IV.
(*d*) Arist. Lib. VIII. Hist. anim. cap. XII. Solin. cap. XVII. Plin. Lib. X. cap. XXIII.
(*e*) Philo Lib. I. de Vita Moys. Athen. Lib. IX. Dipnosoph. Arist. sup.

## GORDONI.

*Vers.* I. CONTRA DOMINUM. Hebr. *in auribus Domini*.

*V.* 4. & 5. Locus ab igne, & pœna murmurantium, vocatur *Incensio*; & idem locus ex gula, dictus est *Sepulcra concupiscentiæ*. Habebant quidem Hebræi pecora aliqua, sed pauca, & quæ nullo modo sufficerent tot hominum millibus, ut hic vers. 22. Item illæ abiectorum hominum, & murmurantium colluvies, nulla habebant pecora.

*V.* 7. Bdellium est in Arabia, gummi translucidi genus ex arbore exundans. Vide Genes. cap. II. vers. 12. de Manna, Exod. cap. XVI.

*V.* 16. Constituti quidem sunt iudices, seu decani Exod. XVIII. sed ab his patebat recursus, & appellatio ad Mosen. Iam, ut minus adhuc oneris incumbat Mosi, eliguntur septuaginta iudices: quod servatum est etiam in terra promissionis; ubi septuaginta aderant Pontifici, suo consilio: & Græce συνέδριον est. Qui hic constituti sunt, æque ac Moses de negotiis statuebant: unde etiam propheticum accipiunt hic spiritum. Non cessarunt autem prophetare; hoc est, statis temporibus prophetabant deinceps. At in terra Chanaan carebant hoc spiritu, & consilio tantum aderant summo Pontifici, qui suprema potestate præsidebat, Deutor. XVII. vers. 9.

*V.* 17. & 25. AUFERAM DE SPIRITU TUO. Non est hic quasi materialis partitio spiritus, aut virtutis personalis divisio; sed quia hi septuaginta habebant spiritum similem, & qualem habet Moses: fere, inquiunt aliqui, ut cum una candela accenditur ab alia. Sed Deus donorum, & spiritus auctor est; & qualem habet unus, talem dat quibus vult.

*V.* 20. USQUE AD MENSEM DIERUM; hoc est, ad mensem integrum dabitur vobis copia, & tanta ut evomatis. *Mensis dierum*, idiotismus Hebraicus: seu qui est XXX. dierum: alius est cavus.

*V.* 21. SEXCENTA MILLIA. Non dubitat Moses, sed admiratur Dei potentiam, & magnitudinem: cui Deus: Ne sis sollicitus, videbis quem ostendis te ignorare.

*V.* 24. CONGREGANS SEPTUAGINTA. Deerant quidem duo ex toto hoc numero, ut patet hic ex vers. 26. sed, ut sæpe notatum est, Scriptura solet non raro uti numero magno, omissa fractione modica.

*V.* 25. NEC ULTRA CESSAVERUNT: prophetaverunt, & non cessaverunt eo die loqui mysteria. Vox יספו *iasaphu*. Pag. *Et non addiderunt*, scilicet post diem illam.

*V.* 31. Quo vento, ex quo mari, & ex qua parte transmarina sint arreptæ coturnices, parum refert. Coturnicem Græci ὄρτυγα vocant. Septuag. Hebræam vocem שלו *selau* solent vertere ὀρτυγομήτραν. Ingens vero copia declaratur, quando undique circa castra erant hæ aves ad iter unius diei, ut explicat textus Hebr.

*V.* 33. NEC DEFECERAT: non defierat esse sub dentibus. Hebr. *Nondum concisus*, vel *antequam esset concisus*.

Ex

**Ex Eiusdem Auctario.**

℣. 6. Anima nostra arida est. Quamvis manna daret saporem cibi quem quisque optabat; adhuc carnalis populus res ipsas quibus carebat, externamque earum speciem optabat.

℣. 7. De manna, eiusque colore vide Exod. xvi. 31.

℣. 18. Sanctificamini: estote parati.

℣. 21. Sexcenta millia. Hic numerus armatorum; reliqua multitudo longe maior erat. Et quid si ad trigesies centena millia?

℣. 32. Qui parum. Ingens ergo collectus est coturnicum numerus, si numerus populi attingebat tres milliones.

℣. 33. Hæc plaga accidit exacto mense post immissos coturnices, ut vides ex vers. 19. & 20. Est vero plaga ignis, quam descripsit initio cap. vers. 3.



# CAPUT XII.

*Aaron & Maria in mitissimum Moysen murmurant, apud quos Deus Moysen laudat a familiaritate erga Dominum: Maria lepra percussa, & septem diebus a populo separata, sanitati restituitur.*



Locutaque est Maria & Aaron contra Moysen propter uxorem eius AEthiopissam, 2. & dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locutus? * Quod cum audisset Dominus (3. erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra) 4. statim locutus est ad eum, & ad Aaron & Mariam: Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuissent egressi, 5. descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam. Qui cum iissent, 6. dixit ad eos: Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. 7. At non talis servus meus Moyses, (a) qui in omni domo mea fidelissimus est: 8. (b) ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi? 9. Iratusque contra eos, abiit: 10. nubes quoque recessit quæ erat super tabernaculum: & ecce Maria apparuit (c) candens lepra quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra, 11. ait ad Moysen: Obsecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod stulte commisimus, 12. ne fiat hæc quasi mortua, & ut abortivum quod proiicitur de vulva matris suæ: ecce iam medium carnis eius devoratum est a lepra. 13. Clamavitque Moyses ad Dominum, dicens: Deus, obsecro, sana eam. 14. Cui respondit Dominus: Si pater eius spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & postea revocabitur. 15. Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus: & populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria.

(a) Hebr. iii. 2. (b) Exod. xxxiii. 11. (c) Deuter. xxiv. 9.

BRU-

# BRUGENSIS

## Romana Correctio.

V. 2. *Quod cum audisset Dominus*. Sequitur in plerisque libris *iratus est*, quod redundare merito censuerunt Correctores, perficiendamque sententiam esse illis verbis quarti versus *statim locutus est ad eum*, inclusis parenthesi verbis intermediis, *Erat enim Moyses, &c.* Certe etiam libri nostri antiqui omittunt *Dominus*, quod alii addunt verbo *locutus est*.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Vers.* 1. AEthiopissam. Madian vicina erat AEthiopiæ orientali. Vel quasi dicat, nigram. August. in Num. quæst. xx. ait Madianitas dictos etiam AEthiopes, ut patet II. Par. xiv. Nota, quod indigne ferebant duxisse alienigenam.

*V.* 2. Per solum Moysen, &c. quasi dicat: Num solus Moyses propheta?

*V.* 3. Erat enim. Hebr. *Erat autem*; quasi dicat: Moyses etsi rescierat, tamen tacebat, ut qui esset mansuetissimus.

*V.* 4. Tabernaculum, scilicet ostium atrii: sic etiam infra.

*V.* 6. Visione, scilicet ecstasi.

*V.* 7. Domo, scilicet populo.

*V.* 8. Ore enim ad os, id est familiariter. Palam, id est clare. Hebr. *in visione*. LXX. *in specie*; quasi dicat, Multo clarius quam ceteri. AEnigmata; quasi dicat, obscure.

*V.* 9. Abiit, scilicet Angelus per quem Deus loquebatur.

*V.* 10. Tabernaculum, id est ostium tabernaculi.

*V.* 11. Imponas, &c. id est, imputes in peccatum; quasi dicat, Ignosce.

*V.* 14. Spuisset, quasi dicat: Quanto magis, cum ego lepra velut sputo perfuderim. Rubore suffundi; quasi dicat: Præ rubore non comparere.

## ETSII.

*Vers.* 1. Propter uxorem eius AEthiopissam. Nonnulli voluerunt Moysem duas habuisse uxores, unam Sephoram filiam Raguelis, & hanc AEthiopissam, quam Tharbam filiam regis AEthiopum cognominant. Sed verisimilius est, eamdem Sephoram hic AEthiopissam vocari, secundum ea quæ diximus de duplici AEthiopia, quando egimus de Paradiso Genes. ii.

*V.* 8. Ore enim ad os loquor ei: et palam, et non per aenigmata et figuras Dominum videt. Significat Dominus se loqui cum Moyse audibili voce, sicut loquitur homo cum proximo suo; immo & se ab eo videri in corporali specie, scilicet per angelicum ministerium: quæ species, ut admodum verisimile est, erat humana Christi venturi imago. Itaque non per ænigmata, id est non per obscura signa, ut Vatablus interpretatur, sed ore, ut diximus, ad os. Neque tamen negat hic locus, Deum etiam aliis quibusdam aliquando sic visum fuisse, & collocutum, ut Abrahæ sub quercu Mambre, Iacob luctanti cum Angelo, Manue Patri Samsonis videnti Angelum Dei, & aliis; sed ab aliis tantum removet id quod Moysi tribuit, scilicet ordinarie sic Deum videre, & cum eo colloqui.

## MARIANAE.

*Vers.* 1. Locutaque est Maria et Aaron. In Hebraico verbum etiam est feminini generis, nam in ea lingua verbum sequitur genus dictionis, quæ illi proxime iungitur; sed & indicatur Mariæ noxam maiorem fuisse, quando illa sola percutitur lepra: & forte a muliebri iurgio inter Mariam & Moysis.

tis uxorem cœpit murmur. PROPTER UXOREM EIUS AEthiopissam. In Hebr. additur, *Quia duxerat eam*. Hæc fuit Sephora Madianitis; sed vocatur *AEthiopissa* ab AEthiopia, quam in Asia tum divinæ Litteræ ponunt, tum Auctores profani. Chald. pro *AEthiopissa* ponit *pulchram*.

*V.* 4. STATIM LOCUTUS EST AD EUM. פתאם *pithom* est *subito*, *quod non cogitamus*: deducitur a פתי *pethi*, hoc est *simplex*, aut *parvulus*, quoniam tales solent festinare.

*V.* 9. ABIIT: scilicet Deus discessit a columna unde erat locutus.

*V.* 12. ECCE IAM MEDIUM CARNIS EIUS DEVORATUM EST A LEPRA. In Hebraico neque est *ecce*, neque *a lepra*, & potest referri ad abortivum, quod de ventre mortuum & semicorruptum prodit: sic enim habet: *Ne obsecro sit sicut mortuus, qui in egredi de vulva matris suæ, & devoratum est dimidium carnis suæ.*

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. LOCUTAQUE EST MARIA ET AARON. Cohæret hæc narratio cum præcedenti capite; ac si dicat: Cum essent in Haseroth, locuta est Maria. Notant præponi hic Mariam Aaroni, quia peccati auctor fuit, ideo in illam animadversum est, infra vers. 10. PROPTER UXOREM EIUS. Hebr. *Super causis*, vel *occasionibus uxoris AEthiopissæ*. Multa hic differunt interpretes de causis & occasionibus oblocutionis Mariæ, & Aaron adversus Mosen: sed nonnulli ita simpliciter exponunt, id est hoc argumento potissimum utebantur, ut Mosen prophetam non esse tantum confirmarent quanti habebatur, eo quod uxorem duxisset alienigenam. Atque hanc interpretationem verba ipsa sacri contextus satis confirmant: *Et oblocuta est Miriam & Aharon in Mosen propter uxorem AEthiopissam quam accepit. Et dixerunt*: *Num solummodo equidem per Mosen locutus est Iehovah? nonne etiam per nos locutus est?* ac si dicat: Nihil est quod præ nobis æstimandus sit Moses in munere prophetiæ, nam & alienigenam uxorem duxit, quod maxime dedecet prophetam Dei: nec nos minus prophetæ sumus quam ille, cum per nos etiam locutus sit Deus, ut per illum. AETHIOPISSAM. Plerique Tzipporam Madianitidem intelligunt: vocari autem Madianitas Chusitas, seu AEthiopes, non quod ex Chus progeniti essent, sed quia obtinebant partem regionis Chus, Genes. x. vers. 7. & Genes. xxv. vers. 2. Equidem plerique existimant Arabiam, & regiones illas quæ inter utrumque sinum Arabicum & Persicum interiacent, ac præsertim terram Madian, appellari interdum in Scriptura Chus, seu AEtiopiam: de qua re fuse egimus in Paradiso cap. XXXVII. & XXXVIII. & in Antichristo Lib. VI. cap. XVI. Nec satis id approbavimus in postremo nostro iudicio. Atqui hic uxorem Mosis AEthiopissam, non Sephoram, aut Tzipporam Madianitidem, sed Tharbim filiam regis AEthiopum sub AEgypto, quam Mosem uxorem duxisse, auctores sunt Iosephus, Cedrenus, Zonaras, & plures alii, intelligendam esse, non multum a verisimilitudine alienum existimavimus in Paradiso, cap. XXXVII. & Lib. VI. de Antichristo cap. XVIII. posterioris editionis. Vide quæ illis locis abunde de hac controversia disseruimus.

*V.* 3. VIR MITISSIMUS. ענו *ghanau* communiter exponunt *mansuetus*, *mitis*, *modestus*, *submissus*, *demissus*, *humilis*; quasi dicat: Oblocutio Mariæ, & Aaron non latebat Mosen; verum ipse tacebat, quod esset vir mitissimus qui nulla re offenderetur. Hanc iniuriam ab illis modeste ferebat, ut erat iniuriarum patientissimus, & humilitate summa; neque de sua auctoritate cum ullo concertabat, vel Deum vindicem appellabat. Quidam reddunt: *Et vir Moses humanus valde*. Alii vocem *ghanau* non distrahunt a genuina & primaria significatione verbi ענה *ghanah*: convertuntque: *Et vir ille Moses afflictus*, *oppressus*, *humiliatus vehementer*; id est, solus ille portavit onus totius populi.

*V.* 7. FIDELISSIMUS EST. נאמן *neeman* omnia ista complectitur *fidus*, *fidelis*, *curator*, *procurator*, *dispensator*, *œconomus*. Sic dictus a fidelitate, quæ in œconomo & dispensatore potissimum spectari solet. Vide supra cap. 11. vers. 12. Sic hunc locum accepisse videtur Paulus Hebræorum III. sub initium.

V. 8

*V.* 8. Et palam. Hebr. *Et visio*, vel *visione*, vel *in visione*, seu *& visionem*. Nominativus magis accedit Hebraicis, & maiorem emphasim habet; quasi dicat: Visio hic intercedit, quanta fieri potest evidentia adest. Quidam paraphrastice reddunt: *Adeo ut speciem*, *&c.* Per aenigmata. חידות *chidot* proprie *acumina*, *acute & argute dicta*, *ænigmata*, *problemata*, *obscure dicta*, *quæ requirunt acumen ingenii cum ad eorum compositionem*, *tum ad intelligentiam & declarationem*. Aliqui חידה *chidah* conferunt cum יחיד *iachid*, *unicus*, *singularis*, quod *chidah sit oratio*, *quæ singularem sententiam contineat*. Partem illam huius versus, quam Noster ita reddidit, *Et palam*, *& non per ænigmata*, *& figuras Dominum videt*, diversimode ex Hebræo reddunt quidam sensui Nostri consentanee, in hunc modum: *Atque in visione*, *& non per ænigmata*, *neque per similitudinem Iehovah aspiciet*. II. *Et visione*, *sed non in ænigmatibus*, *& simulacro intuetur Dominum*. III. *Et visionem*, *& non in ænigmatibus*, *& similitudine Domini aspiciet*. Iuxta quas interpretationes duo posteriora membra, *ænigmata*, *& similitudo*, opponuntur priori membro *visioni*; & in tertio membro negationem secundi subaudiunt, *neque in similitudine*, aut *neque similitudinem*. Alii vero ultimum membrum *similitudinem* seu *figuram*, non cum medio *ænigmatibus*, sed cum primo *visione*, coniungunt sensu affirmante, faciuntque illi synonymum, vertuntque: *Et visionem*, *& non in ænigmatibus: & ideam Domini contemplabitur*. Et quidem aliqui existimant verba Hebraice traiecta, & inversa, quæ ita ordinant: *Adeo ut speciem similitudinemque Iehovæ intueatur*, *ac non per ænigmata*. Speciem & similitudinem, seu imaginem Domini, intelligi volunt aliquam puta singularem, & aliquatenus, ut describit Moses Exod. xxxiii. & xxxiv. qua videlicet communicaverit Moses cum Deo quam familiarissime, Deuter. xxxiv. vers. 10. Vide quæ de hac visibili & aspectabili Dei forma, imagine, specie annotavimus Exod. xxxii. vers. 18. 20. 23. & Exod. xxxiv. vers. 5. Illud vero, *Et non per ænigmata*, ita exponunt: Id est, non iisdem umbraculis obductis cum Deo communicat quæ aliis Israelitis sunt opus, prout se illis dicitur retexisse Deus, sed quam maxima fieri potest evidentia. Videbant illi nubem, splendorem; ignem, tonitrua, vocem Domini audiebant; at speciem & imaginem aspectabilem Dei non videbant, uti Moses. Detrahere servo meo Moysi? Hebr. *Obloqui in servo meo*, *in Mosch*? Emphasis cum gradatione; quasi dicat, in servo meo: & quod maius est, in tali servo qualis Moses, quo non præstantior alter.

*V.* 11. Ne imponas nobis hoc peccatum, &c. Heb. quidam reddunt: *Ne obtrudas nobis peccatum hoc*, *quod imprudenter ausi sumus*, *& quod commisimus*; id est, ne imputes nobis hoc in peccatum, quia stulte egimus, & peccavimus. Ac si dicat: Fateor nos peccasse, ideo ignosce nobis. Alii: *Ne*, *quæso*, *imponas nobis peccati pœnam*, *quo stulte egimus*, *& quo peccavimus*; id est, ne imponi sinas, sed deprecare illam. Quod stulte commisimus. Hebr. sunt duo verba, *quod stulti facti sumus*, *& quod peccavimus*. Prius verbum יאל *iaal*, varie potest reddi. I. *quod ausi fuimus*, *aggressi fuimus*, *attentavimus*. II. *quod voluimus*. III. *quod incœpimus*. IV. *quod paravimus*. V. *quod resolvimus*. VI. *quo dissoluti sumus*. Vide Genes. xxxviii. vers. 27.

*V.* 12. Quasi mortua. Hebr. *Sicut mortuus*; id est, sicut fetus putrescens in utero; sicut abortivum, quod cum eiicitur ex utero, iam fere eius caro corrupta, & consumpta magna ex parte est.

*V.* 14. Cui respondit Dominus: nempe cum iam annueret petitioni Mosis. Saltem septem diebus; id est, si pater terrenus aliquod gravis in eam iræ signum edidisset, puderet eam saltem septem dies redire in conspectum eius: quanto igitur magis eam pudere debet in his castris versari hac plaga affectam, in quibus ego gravissime ab ea offensus habito? Secluditor igitur, &c. Vide Levit. xiv. vers. 8. Separetur septem diebus: quod iustum est, legitimumque purgationis tempus. Vide quæ annotavimus supra cap. vi. vers. 9. Sic infra cap. xxxi. vers. 19. Et postea revocabitur. Hebr. *Colligetur*, *aggregabitur*; id est, liberata a lepra, postea in cœtum recipietur.

## MENOCHII.

*Verf.* 1. PROPTER UXOREM EIUS AETHIOPISSAM: Sephoram Madianitidem, quæ fortaſſe, quod uxor eſſet Moyſis, præferebat ſe Mariæ, quod hæc animo æquo ferre non poterat. In hoc tamen murmure præcipue peccaſſe videtur Maria, quæ Aaron contra Moſen concitavit, quæ etiam lepra percuſſa eſt.

*V.* 2. NUN PER SOLUM MOYSEN LOCUTUS EST DOMINUS? quaſi dicat: Num ſolus Moſes propheta? ERAT ENIM MOYSES VIR MITISSIMUS. Mitiſſimus Moſes iniuriam non ulciſcitur, ideo illius patrocinium ſuſcipit Deus. Scripſit hanc de ſe laudem Moſes, quia calamus Spiritus ſancti ad hoc ſcribendum impellentis.

*V.* 6. IN VISIONE, id eſt in imaginaria, vel intellectuali repræſentatione, & raptu.

*V.* 7. IN OMNI DOMO MEA, in toto cœtu Iſrael.

*V.* 8. ORE ENIM AD OS, &c. eo modo qui habetur Exod. XXXIV. 6. Vide dicta Exod. cap. XXXIII.

*V.* 10. NUBES RECESSIT, non procedendo, & præeundo, ſed aſcendendo ſupra tabernaculum.

*V.* 11. IMPONAS NOBIS, imputes.

*V.* 12. QUASI MORTUA, lepra carnes illius excedente; vel mortua morte civili ob ſeparationem leproſorum a cœtu aliorum,

*V.* 14. SPUISSET; quaſi dicat: Quanto magis cum ego eam lepra quaſi ſputo perfuderim. SEPTEM DIEBUS. Iis elapſis a Deo curata eſt, & revocata. In eius autem revocatione obſervatæ non ſunt cæremoniæ, & expiationes leproſis præſcriptæ Levit. XIV. nam ipſa Dei ſanatio per miraculum, & revocatio erat ſufficiens luſtratio, & expiatio.

## TIRINI.

*Verf.* 1. PROPTER UXOREM EIUS AETHIOPISSAM, quæ erat Sephora Madianitis filia Iethro. Pro quo nota, duplicem eſſe AEthiopiam: Occidentalem unam in Africa remotius ultra AEgyptum porrectam, zonæque torridæ ſubiectam: cui nunc imperat Preſto-Ioannes. Alteram Orientalem, quæ alias Arabia dicitur: certe Arabiæ pars eſt, compleċtiturque Madianitas, alioſque populos qui ad Arabicum ſinum vergunt verſus Auſtrum. Ita Herodotus, Plinius *a*, S. Auguſtinus, Theodoretus, & alii. Et ex hoc capite vocatur Sephora AEthiopiſſa, quia Madianitis. AEmula hæc erat, & exoſa Mariæ ſorori Moyſis: quam vero ob rem incertum. An forte quia uxor erat Moyſis principis omnium ſupremi, voluit præferri Mariæ, quæ non niſi ſoror erat? Ita cenſet Abulenſis. An, ut Theodoretus, quod deformis eſſet? An denique, ut alii, quod alienigena eſſet? ac proinde convenire indicarent tam Aaron quam Maria, ut a toro principis abeſſet quæ vel forma, vel natalibus ſuis tam ſublimi officio ac dignitati mariti non parum detraheret? Moyſe vero hæc, & ſimilia illis urgentibus, forſan & exprobrantibus, manſuete reſpondente, ſe ſalva conſcientia non poſſe ſine iuſtiore cauſa illam dimittere, certoque ſibi ex Dei revelatione conſtare, id nequaquam licere: veroſimile eſt, illos reieciſſe, ſe æque Prophetas eſſe, & cum Deo collocutos, ut ſcire poſſent quid liceret. Quin & inter notos ac familiares hac de re ſæpius queſtos eſſe colligitur ex verſ. 2. Moyſe incredibili manſuetudine omnia diſſimulante: donec Deus iniuriæ amico ſuo illatæ iudex ac vindex palam docuit, donum prophetiæ conceſſum Moyſi multum præcellere dono quod Aaroni, Mariæ, aliiſve Prophetis communicatum eſſet: ſcilicet quod his tantum revelatio fieret per imagines ſeu formas rerum ſenſibilium in phantaſia repræſentatas, ſive ea dormientibus fieret, ſive vigilantibus, & ſenſu utentibus; ſic currum Cherubinorum vidit Ezechiel (cap. I.) ollam ſuccenſam, & virgam vigilantem Ieremias (cap. I.) Daniel (cap. VII.) tot beſtias, &c. at Moyſi revelatio fieret per intellectualem viſionem abſque interventu phantaſmatum & formarum ſenſibilium, & quidem de rebus maxime arcanis, prorſuſque divinis: quod eſt nobiliſſimum prophetiæ donum quod in hac vita Deus communicat, nec niſi intimis amicis ſuis. Et Aaron quidem his audi-

auditis videtur resipuisse, ac proinde pœnam evasisse; Maria vero pertinacior in scelere, lepra subito perfusa fuit, & castris expulsa.

*V.* 14. SI PATER EIUS, graviter iratus filiæ, SPUISSET IN FACIEM ILLIUS, nonne deberet illa præ rubore aliquot diebus vitare conspectum patris, quem tam graviter offendisset? Subaudi, multo magis debet pudefieri, & confundi Maria ob indignationem meam, & a conspectu meo refugere, qui non sputo, sed lepra faciem eius perfudi. Unde & mox subdit: SEPARETUR SEPTEM DIEBUS EXTRA CASTRA, & a conspectu meo arceatur, ac pudore tantisper suffundatur.

## GORDONI.

*Vers.* 1. LOCUTA, ותדבר *vatedabber*, verbum femininum. Hæc AEthiopissa, est Sephora Madianitis uxor Mosis: Madian enim est in AEthiopia orientali, quæ est Arabia, de qua Habacuc III. tamen hodie sola occidentalis AEthiopia, quæ est ultra AEgyptum, retinet hoc nomen AEthiopiæ. Causa forte cur insurrexerit Maria, fuit, dum Sephora se Mariæ præferebat.

*V.* 8. ORE ENIM AD OS. Hinc aliqui eliciunt cum Augustino, Mosen vidisse essentiam; sed multi dissentiunt.

*V.* 9. ABIIT, scilicet a loco in quo locutus est: vers. 5. a columna.

### EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 3. MITISSIMUS. Expediebat, & Deus ita inspiravit, ut extaret posteris exemplum hoc de virtute Mosis.

*V.* 14. SI PATER EIUS SPUISSET, &c. quasi diceret: Quanto magis cum sit percussa lepra, idque a Deo. At cur in lepra Mariæ curanda non sunt servatæ legis cæremoniæ? Quia Deus, qui & percussit, & sanavit, non subiiciebatur his legibus.



# CAPUT XIII.

*Missi exploratores ad considerandam terram promissionis, palmitem cum botro aliisque fructibus in fertilitatis signum referunt; qui tamen universi, præter Caleb & Iosue, murmur in populo concitant.*

1 PRofectusque est populus de Haseroth, fixis tentoriis in deserto Pharan. 2. Ibique locutus est Dominus ad Moysen, dicens:
3 Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus, ex principibus. 4. Fecit Moyses quod Dominus imperaverat, de deserto Pharan mittens principes viros, quorum ista sunt nomina. 5. De tribu Ruben, Sammua filium Zechur. 6. De tribu Simeon, Saphat filium Huri. 7. De tribu Iuda, Caleb filium Iephone. 8. De tribu Issachar, Igal filium Ioseph. 9. De tribu Ephraim, Osee filium Nun. 10. De tribu Beniamin, Phalti filium Raphu. 11. De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi. 12. De tribu Ioseph, sceptri Manasse, Gaddi filium Susi. 13. De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli. 14. De tribu Aser, Sthur filium Michael. 15. De tribu Nephthali, Nahabi filium Vapsi. 16. De tribu Gad, Guel filium Machi. 17. Hæc sunt nomina virorum quos misit Moyses ad considerandam Terram: vocavitque Osee filium Nun, Iosue. 18. Misit ergo eos Moyses ad considerandam terram Chanaan, & dixit ad eos: Ascendite per meridianam plagam.

gam. Cumque veneritis ad montes, 19. considerate terram, qualis sit: & populum qui habitator est eius, utrum fortis sit an infirmus: si pauci numero an plures, 20. ipsa terra, bona an mala: urbes quales, muratæ an absque muris: 21. humus, pinguis an sterilis, nemorosa an absque arboribus. Confortamini, & afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus quando præcoquæ uvæ vesci possunt. 22. Cumque ascendissent, exploraverunt Terram a deserto Sin, usque Rohob intrantibus Emath. 23. Ascenderuntque ad meridiem, & venerunt in Hebron, ubi erant Achiman & Sisai & Tholmai filii Enac: nam Hebron septem annis ante Tanim urbem AEgypti condita est. 24. *a* Pergentesque usque ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis & de ficis loci illius tulerunt: 25. qui appellatus est Nehel escol, id est Torrens botri, eo quod botrum portassent inde filii Israel. 26. Reversique exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuita, 27. venerunt ad Moysen & Aaron & ad omnem cœtum filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutique eis & omni multitudini ostenderunt fructus terræ: 28. & narraverunt, dicentes: Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognosci potest: 29. sed cultores fortissimos habet, & urbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi, 30. Amalec habitat in meridie, Hethæus & Iebusæus & Amorrhæus in montanis: Chananæus vero moratur iuxta mare & circa fluenta Iordanis. 31. Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus, & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. 32. Alii vero, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. 33. Detraxeruntque terræ, quam inspexerant, apud filios Israel, dicentes: Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. 34. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur.

(*a*) Deut. I. 24.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Verf.* 9. NUN. LXX. *Nave*.

*Verf.* 12. SCEPTRI. Heb. & Chald. *ex tribu*.

*V*. 20. BONA. LXX. *pulchra*.

*V*. 21. PRAECOQUAE, id est præcoces.

*V*. 22. INTRANTIBUS; quasi dicat, prope Emath, vel ubi est via in Emath. LXX. *ad introitum Emath*. Vide Iosue XIII. & infra cap. XXXIV.

*V*. 23. ENAC, id est gigantum. TANIM: sic Chald. & LXX. at Hebr. צען *Soan*, seu *Zoan*: scilicet binominis est.

*V*. 24. UVA SUA. Hebr. Chald. & LXX. *botro uno*.

*V*. 27. CADES, Iosue XIV. dicitur *Cadesbarne*. LOCUTIQUE. Hebr. Chald. & LXX. *referentesque rem*, scilicet quod viderant.

*V*. 33. DEVORAT; quasi dicat, Est insalubris, seu occidit.

## E S T I I.

*Verf.* 23. NAM HEBRON SEPTEM ANNIS ANTE TANIM URBEM AEGYPTI CONDITA EST. Non temere istud de Hebron dicitur hoc loco: indicatur enim ratio eius quod præ-



cedit,

cedit, filios Enac, qui gigantes erant, morari in Hebron. Nam ut ante diluvium, ita etiam statim post extitere gigantes, qui potentia populos opprimerent, qualis fuit Nemrod. Significat ergo Moyses non mirum esse, quod in Hebron residui fuerint gigantes ex antiqua stirpe gigantum, quandoquidem civitas illa fuerit antiquissima, ac vicina temporibus diluvii, utpote ante Tanim antiquissimam AEgypti urbem condita; sed nihil timendum esse a gigantibus: Deum facile eos posse disperdere, sicut disperdidit ædificatores turris Babel.

*V.* 28. & 29. QUAE REVERA FLUIT LACTE ET MELLE, UT EX HIS FRUCTIBUS COGNOSCI POTEST; SED CULTORES FORTISSIMOS HABET, ET URBES GRANDES ATQUE MURATAS. Nempe consuetudo detractorum, & hominum mendacium est ut sermonem suum incipiant a narratione quorumdam verorum, quo sic facilius etiam falsa persuadeant. Et quidem hos exploratores etiam miscuisse falsa quædam suis sermonibus, liquet ex verbis Caleb, Iosue XIV. *Nuntiavique quod mihi verum videbatur*, utique significans alios in quibusdam fuisse mentitos, scilicet in eo quod dixerunt, *Quibus comparati quasi locustæ videbamur*; item in eo quod nimium exaggerarunt hominum fortitudinem, & urbium munitiones, ac denique dixerant: *Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est*. Sed recte respondit Caleb, qui & ipse cum ceteris exploraverat: *Ascendamus & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam*, & cap. seq. ipse simul, & Iosue socius in explorando: *Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem, ita eos possumus devorare, recessit ab eis omne præsidium*.

*V.* 33. TERRA QUAM LUSTRAVIMUS, DEVORAT HABITATORES SUOS. Alluditur ad hunc locum cap. XXXVI. apud Ezechielem. Et varie hæc verba explicantur. Primo ut sit sensus: Id est, habitatores terræ illius cito moriuntur, & consumuntur præ nimia cæli intemperie. Alii referunt non ad aeris malam affectionem, sed ad tyrannidem gigantum, qui reliquos eius terræ homines opprimendo velut devorarent. Vide ibi Ezech. XXXVI.

MARIANAE.

*Vers.* 17. VOCAVITQUE OSEE FILIUM NUN, IOSUE. Iam superius ad se Moyses vocaverat Iosue, ut cap. XI. vers. 28. sed hoc loco ea nominis mutatio refertur.

*V.* 18. ASCENDITE PER MERIDIANAM PLAGAM. Hebr. *Ascendite hanc*, nempe terram, *in meridie*, *per meridiem*. Vel deest præpositio *in*: *Ascendite hanc*, pro in hanc: sic Hebræus.

*V.* 23. FILII ENAC. Hic erat de genere gigantum ex superioribus. Chald. *filii gigantis* posuit, pro *filii Enac*.

*V.* 24. TORRENTEM BOTRI. Vox נחל *nahal* & *torrentem*, & *vallem* significat: prius sequitur Hieronymus, posterius Sept. neque multum interest; sed *botri* appellationem ab eo accepisse videtur quem exploratores sumpserunt: sic vers. proximo dicitur.

*V.* 29. SED CULTORES FORTISSIMOS HABET. Hebr. אפס *ephes*, pro qua voce Hieron. vertit *sed*, proprie significat *finem*, fortassis hac sententia: Summa; aut denique, cultores fortes sunt: quasi his verbis addant ad priores laudes, & terræ dotes.

*V.* 31. CALEB COMPESCENS MURMUR. Ex verbis exploratorum populus concitatur in Moysem. Hebraica sic habent: *Et silere fecit Caleb populum ad Moysem*; id est, ne obloqueretur contra Moysem.

*V.* 33. DETRAXERUNTQUE TERRAE. Hebr. *Et produxerunt infamiam terræ*. דבה *dibbah*, *infamiam* significat, tam veram quam falsam. Hoc loco dicunt Hebræi significare *falsam*, quoniam iungitur verbum יצא *iaxa*, *produxit*. DEVORAT HABITATORES SUOS; vel propter insalubritatem cæli, quod mendacio fingunt; vel propter civilia bella quibus se conficiebant.

*V.* 34. MONSTRA .... DE GENERE GIGANTEO. Hebr. *gigantes de genere gigantum*. Hebraice *gigantes* dicuntur נפלים *nephilim*, *cadentes*: sive quia iis visis præ terrore cadebant homines; sive quia de cælo lapsi tempore Enos: sic Hebræus; nempe quo filii Dei accesserunt ad filias hominum.

MAL-

MALVENDAE.

*Verſ.* 1. **F**IXIS TENTORIIS IN DESERTO PHARAN. Hebr. *Et caſtrametati ſunt in deſerto Pharan*. Intelligunt nimirum per eas ſtationes ſive manſiones, quæ deſcribuntur infra cap. XXXIII. a verſu 18. uſque ad verſum 36. nam eo verſu ponitur ſtatio in deſerto Tzin, unde mittuntur Exploratores hic infra verſ. 22.

*V.* 2. IBIQUE LOCUTUS EST, &c. Exponunt: Id eſt, poſtquam pervenerunt in Kadesbarne, quæ eſt in deſerto Tzin: inter quod deſertum Pharan multæ fuerunt ſtationes, quæ nominantur infra cap. XXXIII. a verſu 18. ad 36. Vide infra verſ. 22. & cap. XXXII. verſ. 8.

*V.* 3. MITTE VIROS. Miſſionem exploratorum primum populum poſtulaſſe a Moſe, dicitur Deuter. 1. verſ. 22. Moſen autem ea de re conſuluiſſe Dominum, qui ei reſponderit ut eos mitteret, plane hic affirmatur. QUI CONSIDERENT TERRAM. Verbum תור *tur*, aiunt proprie ſignificare *indagare per gyrum*, *ſeu circulum*, *inveſtigare circumquaque*, *explorare*, *circumeundo perluſtrare*, *inquirere*, *intueri*, *contemplari per ordinem*, *& gyrum*. Quod his exploratoribus recte convenit.

*V.* 17. VOCAVITQUE OSEE FILIUM NUN, IOSUE. Hebr. *Et vocavit Moſeh ipſi Hoſeagh filio Nun*, *Iehoſuagh*. Utrumque nomen eiuſdem rationis & ſignificatus. *Hoſeagh* eſt infinitivus, vel imperativus coniugationis Hiphil verbi ישע *iaſchagh*, *ſalvavit*; *Iehoſuagh* vero refert formam tertiæ perſonæ futuri Hiphil vel Hophal, eiuſdem verbi, *ſalvabit*. Quidam *Hoſeagh* volunt eſſe decurtatum ex *Iehoſuagh*; & Moſen dignitatis, & amplitudinis ergo, præfixiſſe ei hic *Iod*. Hebræorum nonnulli, non hic primum Moſen ipſi Ioſue nomen commutaſſe exiſtimant; ſed tunc antea quando delectus imperator adverſus Amalecitas, eos concidit, & ſalutem populo attulit Exodi XVII. verſ. 9. Sic Antiochus Aſſiriæ rex, *Soter*, id eſt Servator, eſt dictus a victoria de Galatis. Unde per pluſquam perfectum hic exponunt: *Et vocaverat Moſeh*, *&c.* ſcilicet iam antea. Conſtat a *Salute* nomen dictum, & recte ei ab eventu nomen impoſitum, quod dux & imperator populi, ipſum in terram promiſſam introduxit: typus verus æterni Filii Dei Ieſu Chriſti generis humani aſtertoris, & monarchæ, qui nos ſervavit, ac in cælum introduxit: atque utrique idem omnino nomen *Iehoſuagh*, vel *Ieſuagh*.

*V.* 18. CUMQUE VENERITIS AD MONTES. Montanam regionem intelligunt.

*V.* 20. MURATAE AN ABSQUE MURIS. Hebr. *Num in caſtrametationibus*, *an in munitionibus*. Quod bifariam capi poteſt. I. Num populus habitet in caſtris, id eſt in apertis locis, ut ſunt caſtra, & minime muro cinctis; an in locis munitis, & muro cinctis. II. collective: Num urbes ſint caſtris, & munitionibus firmatæ.

*V.* 22. A DESERTO SIN. Scribitur Hebr. צן *Tzin*, idem quod Kades, infra cap. XXXIII. verſ. 36. de quo ibi dicemus. USQUE ROHOB, INTRANTIBUS EMATH. Notant, Rechob, & Chamath civitates conterminas fuiſſe promiſſæ terræ, ad radices Libani: priorem Occidentem verſus ad Sidonem, poſteriorem ab Oriente; quaſi dicat: Ingreſſi a parte meridiana, pervenerunt uſque ad terminos aquilonares. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Roob*, *quam tranſierunt exploratores qui cum Ieſu filio Nave miſſi ſunt*; *& uſque hodie vicus Rooaba in quarto lapide Scythopoleos ſic vocatur*, *qui & Levitis ſeparatus fuit*. De *Emath*, ſeu *Chamath*, vide quæ notavimus Geneſ. X. verſ. 18. & in Antichriſto Lib. IV. cap. XVII. Quod hic dicitur *intrantibus Emath*, Hebr. eſt לבוא חמת *Lebo Chamath*: putant eſſe unum nomen proprium: quaſi dicas, *Introitum*, vel *Aditum Emath*, ſeu Epiphaniæ Cœles-Syriæ.

*V.* 23. ET VENERUNT IN HEBRON. Hebr. eſt ſingulare: *Et venit in Hebron*; vel eſt enallage numeri, pro *venerunt*; vel *& venit*, ſcilicet Caleb ſolus, ut Hebræi volunt, quo nomine Hebronem ſibi depoſcet Ioſue XIV. verſ. 12. nam volunt, exploratores non omnes ſimul exploraſſe terram, ſed vel binos ſingula loca. Vide infra verſ. 26. NAM HEBRON SEPTEM ANNIS &c. Famoſæ urbis vetuſtatem Moſes celebrat: de qua vide quæ notavimus Geneſ. XIII. verſ. 18. Geneſ. XXIII. verſ. 2. & 12. & Ioſue XIV. verſ. 15. ANTE TANIM URBEM AEGYPTI. Non dubium quin nomen

*Tanis*

*Tanis* ex Hebraico *Tzoan* defluxerit: clarissimam AEgypti metropolim constat. Strabo Lib. XVII. *Taniticum ostium*, *&* *Tanitica præfectura*, *&* *Tanis maxima in eo urbs*. *Inter Taniticum Pelusiacumque ostium sunt lacus*, *&c.* Tanitana plaga apud Herodotum Lib. II. numer. 166. Tanitis præfecturæ, & Tanitici ostii meminit Plinius Lib. V. cap. IX. & X. De eisdem, & de Tanai AEgypti metropoli ad ostium Taniticum, Ptolemæus Lib. IV. cap. V. Sed & Antoninus in Itinerario Biniamin Tudelensis scribit, Tzoan suo tempore fuisse regiam Arabum Mahumetanorum; urbemque fuisse muris cinctam, munitamque. Eius mentio exstat Psal. LXXVII. vers. 12. 23. Isaiæ XIX. vers. 11. Ezech. XXX. vers. 14. Regiam quoque fuisse regum AEgypti tempore Mosis, ubi Moses tot mirabilia patrarit, quidam ex locis Psalmi, & Isaiæ coniectantur: ut ea de causa hic eius mentionem Moses intulisse videatur, quod AEgyptii ventose nimis vetustatem regiæ suæ metropolis iactarent.

*V.* 24. QUEM PORTAVERUNT IN VECTE DUO VIRI. Mira fertilitas, & magnitudo uvarum: maior etiam illa de qua Plinius Lib. XIV. cap. I. *Magnitudinem infantium puerorum in interiore Africæ parte exuperant*. Strabo Lib. II. *In Margiana imum vitis truncum inveniri aiunt sæpe, qui duabus viri ulnis contineatur: uvam bicubitalem*. Et Lib. XI. eadem Margiana: *Ferunt inveniri vites ibi frequenter, quarum caudex tantus sit, quantum duo viri queant amplecti: uvam bicubitalem*. Forsterus in radice כפר, hæc scribit: *Atque huc referre volui quæ mihi quidam honestus vir narravit. In terra, ut vocant, sancta, in qua octennium monachus commoratus fuerat, circa Hebron botros, seu racemos tantæ magnitudinis nasci, ut unum vix duo viri portare queant; & in una arbore tantum unam uvam talem nasci. Is autem cum siti multum premeretur ægrotus, nec esset quidquam quo eam restinguere posset, memor erga me eius racemi, tantum unum ex eo granum seu acinum exoptavit: posse enim certo affirmans integrum diem eo sitim restinguere. Nunc autem fructum illum a Saracenis eius loci incolis ipsorum lingua Musi dici. Hactenus ille*. Hæc Forsterus: quibus quoque video Mercerum fuisse commotum. Vide eumdem Forster. in שכל nomine אשכול *eschcol*.

*V.* 25. NEHELESCHOL, ID EST TORRENS BOTRI. Brocardus: *Ad Hebron tres numerantur leucæ contra Aquilonem, declinando paululum ad Occidentem, ad Nebel eschcol, id est Torrentem botri, unde exploratores portaverunt palmitem uvæ. A Nebel eschcol octo numerantur leucæ versus Ierusalem, ad domum Zachariæ quam intravit prægnans virgo Maria salutatura Elisabeth*. Vide sacros Topographos.

*V.* 26. REVERSIQUE EXPLORATORES, &c. Quidam putant non omnes simul explorasse terram, sed vel singulos, vel binos singula loca. Quod colligunt e Iosue XIV. 12. ubi Caleb Hebronem sibi deposcit eo nomine: & de Iosue ibidem dicitur non quod vidit, sed quod audivit in ea esse enakim, id est gigantes. Vide supra vers. 23.

*V.* 27. CADES, de qua diximus Genes. XIV. 7. & Genes. XVI. 7. Quidam notant hic, esse civitatem Idumæis finitimam, infra cap. XX. vers. 16. decimam octavam stationem ab ingressu Pharanis, infra cap. XXXIII. quæ tractui nomen dedit. Hic autem de tractu intelligendum esse: nam in urbem non venerunt Israelitæ, nisi post annos triginta octo, ut habetur infra cap. XX. vers. 1. & 16. LOCUTIQUE EIS. Hebr. *Et redire fecerunt eis verbum*. Plerique exponunt: *Et retulerunt eis rem, negotium, nuntium*. Quidam: *Et converterunt eis verbum*. Fortassis indicat exploratores relationem, & rem totam suæ explorationis invertisse; multo aliter de terra, quam erat, referentes; vel longe secus quam de ea Israelitæ speraverant. ET OMNI MULTITUDINI. עדה *ghedah*, *cœtus*, *conventus*; a יעד *iaghad*: & *ghedah* eisdem litteris, & punctis, *testis*, *testimonium*, a עוד *ghud*: unde hic quidam reddunt: *Et retulerunt eis negotium*, *&* *omne testimonium*; id est, exposuerunt suam relationem, & testimonium perhibuerunt de terra; quid nimirum ipsi de ea sentirent, testati sunt abunde.

*V.* 29. SED. אפס כי *ephes ci*. Aiunt *ephes* esse proprie *defectum*, *cessationem*, *finem*, *terminum*, ultra quem nihil aliud superfit: quamquam singulariter in lingua Latina commodius verti non possit nisi per particulam exclusivam seu determinativam, quæ tamen ex circumstantiis & constructione varie reddi soleat: *nisi*, *solum*,

*lum*, *tantum*, *solummodo*, *tantummodo*; *nonnihil*; *nemo*, *nullus*. Quando subsequitur *ci* ut hic, communiter reddunt: *Nisi quod fortis populus*. Quidam: *Ceterum fortis populus*. Alii: *Certe fortis*. Nonnulli: *Exceptio, quia populus*. Possit reddi: *Defectus, quia robustus populus*. Et est phrasis Hebraica elegantissima, quam Hispanice scite repræsentamus: *La tierra muy buena es, la falta, o el defecto que tiene es, que la gente es valiente*. Aliter: *Finis, quia populus prævalidus*. Hispanice: *En fin, en conclusion, en remate, el pueblo es bravo*.

*V.* 31. Inter haec Caleb compescens murmur populi. ויהס *veiachas* est defectivum, cum secundum normam debuisset esse ויהסה *vaiachaseh* futurum Hiphil; id est, *silere fecit*, *tacere fecit*, *quiescere fecit*, *sedavit Caleb populum*. Ut indicet Caleb non penitus potuisse sedare vim acerrimæ seditionis, quæ exarserat. Est hic *Samech* magnum præter morem, & est octava magna littera, quæ in Hebraicis Bibliis occurrit: mysterium ego non assequor: fortasse ad indicandam atrocitatem tumultus, & præclaros conatus, atque invictum animum Calebi ad eum compescendum. Vide Levitic. xiii. vers. 33. Nec tantum fuit Caleb, qui seditioni obviam iit; sed etiam Iosue, ut apparet e cap. xiv. vers. 6. Sed est synecdoche in laudem Caleb. Murmur populi, qui oriebatur contra Moysen. Hebr. *Populum ad Moseh*. Quidam subaudiunt, *populum* venientem *ad Mosen*, id est iam concitatum & convenientem ad Mosen, ut solet fieri in seditionibus. Vide supra cap. ii. vers. 10. Unde suspensa sententia, & interiecta parenthesi usque ad vers. sequentem, ita nonnulli hunc versum reddunt: *Et quamvis compesceret Caleb populum venientem ad Mosen*, animadvertens scilicet populum iam seditionem moliri: ( *dicebat enim, Immo ascendamus, ut hereditario iure possideamus eam, nam omnino prævalebimus adversus eam*; ) *tamen alii viri qui ascenderant cum eo, dicebant, &c.* Alii vero illud *ad Mosen* accipiunt pro *contra Mosen*, quod secutus est Noster, & plerique alii.

*V.* 32. Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere. Quidam reddunt: *Non poterimus ascendere contra populum illum*. Alii: *Non prævalebimus ascendendo ad istum populum*.

*V.* 33. Devorat habitatores suos. Hebr. *Comedens*, *consumens habitatores suos*. Quidam exponunt: Est aere noxio & pestilenti, ac gravi cælo: parum in ea vivunt homines. Alii: Durissima est, ac difficillima cultura, ita ut in ea colenda hominum vires consumantur. Nonnulli: Ardet intestinis & civilibus bellis, ita ut se mutuis cædibus consumant. Procerae staturae est. Hebr. *Homines dimensionum*, *mensurarum magnarum*. Vide Levitic. xix. vers. 35. id est monstrosæ magnitudinis, seu proceritatis. Sic I. Paralip. xx. vers. 6.

*V.* 34. Filiorum Enac. ענק *ghanak* hic, ut supra vers. 23. & 29. plerique pro nomine proprio cuiusdam celeberrimi gigantis accipiunt, a quo vastæ magnitudinis stirps propagata sit, fueritque gigantum generis proauctor, unde postea ceteri gigantes dicti sint in Scriptura *AEnakim*. Alii pro appellativo sumunt, ab *ghanak*, *torque*, qua insigniti viri illi incedebant; quasi dicas, torquatum. Erat enim torques, insigne quo viri celebres ornabantur; ut apud Romanos *Torquati*, illustris familia. Nonnulli, quasi *tortores*, dictos putant humani generis mastyges, & oppressores. Diximus de his plenius in Paradiso, cap. lvii. Nec desunt qui *ghanak*, *ducem*, *regem*, interpretentur, quod Græcis ἄναξ sit *rex*. Hinc putant nomen Anactis gigantis apud gentiles fluxisse, de quo Pausanias in Atticis, pag. 34. *Apud Milesios vero ante ipsam urbem est Lade insula: ea rursus in duas parvas scinditur insulas: earum alteram Asterii dicunt, quod fuerit in ea sepultus Asterius Anactis filius* ( *Anactem terræ filium fuisse tradunt*:) *cadaver eius nihilo est decem cubitis brevius*. Beniamin Tudelensis in Itinerario: *In Damasco urbe Israelitarum vidi intra palatium pendentem hominis costam, unius ex AEnakim novem Hispanicorum palmorum latitudine. Dicitur autem ille fuisse ex antiquissimis regibus AEnak, nomine Abchamaz, ut ex sepulcri illius lapide inscripto est indicatum: in quo scriptum etiam est, illum in toto orbe regnasse*. Forsan *Achiman* ille vers. 23. quem Hebræi fabulantur sic dictum, quasi, *Frater meus quis?* quod ei robo-

robore, & magnitudine non esset frater, id est similis, in toto orbe. Hispanice, *No tenia par*: ut Iob XXX. vers. 29. dicitur: *Frater fui draconum*, id est similis. DE GENERE GIGANTEO. Hebr. *De gigantibus*, id est gigantes de gigantibus ortos. Alii, *gigantes præ gigantibus aliis*; id est, qui superant reliquos gigantes, & robore, & magnitudine.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. DE HASEROTH, ubi fuit decima quarta mansio. FIXIS TENTORIIS IN DESERTO PHARAN: pergendo figere tentoria in deserto Pharan. Hæc porro decima quinta mansio, in quam proxime ex Haseroth venerunt, fuit Rethma, ut patet Num. XXXIII. 48.

*V.* 3. MITTE VIROS, QUI CONSULENT TERRAM CHANAAN. Petierat hoc populus, ut patet Deuteron. I. 22. consultus per Mosen Dominus annuit. EX PRINCIPIBUS: non summis, nam aliis nominibus vocabantur, ut patet cap. X. 14. sed ex aliis primariis viris.

*V.* 12. DE TRIBU IOSEPH, SCEPTRI MANASSE. Ex Hebr. verti potest, *De tribu Ioseph, de tribu Manasse*; sed noster Interpres, ut vitaret eiusdem vocis repetitionem, secundo loco sceptrum posuit מטה *matte*, quod sua primaria significatione virgam, baculum, sceptrumve significat: hinc accipitur pro regno, dominatione, ac tribu.

*V.* 17. VOCAVITQUE OSEE FILIUM NUN, IOSUE. Moses Osee nomen in Iosue mutavit, addita initio nominis littera *Iod*, primo ut certiorem victoriam de Chananæis polliceretur: nam Osee significat *Salva*; Iosue vero *Qui salvabit*. Secundo ut doceret a Deo expectandum bonum bellorum exitum: addita enim nomini Iosue prima littera nominis Dei tetragrammati sumpta cum reliquo nomine, videtur exhibere hunc sensum: *Dei salus*, Salvator a Deo datus. Tertio quia prævidebat spiritu prophetico Iosue, sive Iesum hunc, ut eum vocant LXX. fore typum Iesu Christi Salvatoris: idem enim in Hebr. utriusque nomen est, iisdemque litteris, & punctis scribitur ישוע *Iesuha*.

*V.* 21. QUANDO IAM PRAECOQUAE UVAE VESCI POSSUNT, mense Iunii.

*V.* 22. INTRANTIBUS EMATH, qua itur, & intratur in Emath regionem, quæ ab Aquilone terram sanctam terminabat.

*V.* 23. FILII, nepotes, & posteri Enac gigantis. TANIM URBEM AEGYPTI, celebrem scilicet, &, ut aliqui volunt, regiam. Psalm. LXXVII. 12. dicitur, *Fecit mirabilia in terra AEgypti in campo Taneos*. Crebra apud Ieremiam Tanis, seu Taphnis mentio est cap. II. XLIII. XIV. & XLVI.

*V.* 24. PALMITEM CUM UVA SUA, Hebr. & Chald. habent: *Palmitem, & botrum uvarum unum*. Alibi etiam apud profanos auctores leguntur nasci botri immani magnitudine. Vide Cornelium a Lapide hic. DUO VIRI. S. Ambr. serm. LXXII. de S. Cypriano, ait fuisse Iosue, & Caleb.

*V.* 28. LACTE ET MELLE: est fertilissima.

*V.* 30. AMALEC HABITAT IN MERIDIE. Dicunt hoc Exploratores, non quasi terra Amalecitarum pertineret ad terram Hebræis promissam, sed quia vicina erat, ita ut Amalecitæ ingressum in Chananæam facile prohibere possent.

*V.* 34. DEVORAT HABITATORES SUOS: insalubris est, noxia, & pestilens. Falsum hoc erat. QUASI LOCUSTAE. Hyperbole nimia, & mendax ad populum terrendum.

## TIRINI.

*Vers.* 17. VOCAVITQUE OSEE;... IOSUE, nimirum additione *Iod*, quæ prima est littera in nomine Dei tetragrammato, quæ subinde pro toto nomine proprio poni solet, ut fit in aliis etiam nominibus; verbi gratia apud Romanos, C. pro Caio; P. pro Publio; M.T.C. pro Marco Tullio Cicerone. Addidit vero Moyses hanc nominis illius litterulam, ut quod antea significabat *salvatorem*, iam significaret *Domini salvatorem*, nempe destinatum a Deo salvatorem, & per quem Deus popolum salvare decrevisset. Ut sic typus per omnia congrueret veritati; & Iosue non tantum rebus gestis, sed & ipso suo nomine referret verum Iesum nostrum Salvatorem. Unde & Septuaginta pro *Iosue* ubique vertunt Ἰησοῦν, *Iesum*. Videtur vero hoc nomen illi a Moyse mutatum fuisse

fuisse non modo (cum nulla iam adesset occasio id honoris illi præ ceteris principibus exhibendi) sed paucis ante mensibus, cum debellando Amalecitas Exodi XVII. salvatoris officio iussu Dei primum fungi cœpit: nam ex tunc, & semper deinceps vocatur non Osee, sed *Iosue*. Ita Origenes, Augustinus, Theodoretus, Caietanus, Oleaster, Serarius, contra Iustinum *a*, Lyranum, & Abulensem.

*V.* 23. FILII ENAC, id est posteri illius famosi gigantis Enac, qui urbem Hebron incolebant. Quod nomen licet uni proprium fuerit, subinde tamen appellative in Scripturis ponitur pro quovis gigante: & sic fere usurpant Septuaginta, & Chaldæus. Huius Enac parens Arbe dictus fuit, Iosue XV. vers. 13. & ipse gigas, unusque e maximis, a quo Hebron prius dicta fuit *Cariath-arbe*, id est *civitas Arbe*, Iosue XIV. 15.

*V.* 24. PALMITEM CUM UVA SUA (Hebraice, *cum botro uvarum*) QUEM PORTAVERUNT IN VECTE DUO VIRI, forte Iosue & Caleb: nam reliqui iam tunc videntur parum propensi fuisse ad regionis fertilitatem vel verbis deprædicandam, quanto minus ad tanto labore comprobandam. Vide Serarium *b*. Porro ingentis magnitudinis botrum hunc fuisse Scriptura indicat, cui deportando & vectis, & duo robustissimi viri necessarii fuerint. De similibus quibusdam ingentis ponderis botris, etiam qui currui iustum essent pondus, vide Plinium & Serarium.

*V.* 33. TERRA DEVORAT HABITATORES SUOS. Quo rictu? quo dente? an terræmotu? an latrociniis, aut civilibus atque intestinis bellis? Non ita intellexerunt exploratores; sed aere noxio ac pestilente plurimos confici fingebant, ut hoc terrore populum magis ab ea regione averterent. Quid enim magis horrent mortales quam aerem infestum & insalubrem? Et hoc erat splendidum istorum exploratorum mendacium. In ceteris, licet vera dicerent maiori ex parte, peccabant tamen etiam gravissime, quod quæ laudanda essent, oculis, gestu, modo referendi minuerent, ac deprimerent; contra vero, pericula omnia, oculorum, vultus, gestus acrimonia in maius extollerent. Addit Iosephus, acerbe inculcasse, magnos & profundos amnes esse superandos, arduos montes transcendendos, &c. Et licet falsæ horum depositioni fortissime sese opponeret Caleb non solus, licet hic solius ipsius fiat mentio, sed una cum Iosue, ut ex sequentibus *d* patet, & Ecclesiasticus expresse affirmat; non tamen creditum fuit paucis contra multos testantibus.

(*a*) Orig. hom. II. in Exod. Aug. ser. XCV. de Temp. Theod. quæst. XXV. in Exod. Caiet. hic & Oleaster. Serar. Lib. I. Iosue cap. II. quæst. VI. Iustin. cont Tryphon.

(*b*) Serar. sup. cap. VIII. quæst. VII.

(*c*) Plin. Lib. XIV. cap. I. Serar. sup.

(*d*) Num. XIV. vers. 6. & 30. & cap. XXXII. vers. 12. & Deut. I. vers. 36. Eccl. XLVI. vers. 9.

## GORDONI.

*Vers.* I. OMnes deinceps mansiones usque ad trigesimam tertiam, fuerunt in amplissimo deserto Pharan, per annos fere 38. Itur ab Haseroth, ubi fuit mansio 14. venitur ad Rethma, ubi est mansio decima quinta, ut patet Num. cap. XXXIII. vers. 18.

*V.* 9. NUN. Apud Septuag. est *Nave*.

*V.* 12. Missi sunt exploratores ex Cadesbarne, anno secundo exitus sub initium Iunii: missi ex decima quinta mansione, quæ est Rethma. Lege Adrichomium, & Deut. cap. I. & hic vers. 27.

*V.* 17. OSEE FILIUM NUN, IOSUE. Cur Osee filium Nun vocavit, mutato nomine, Iosue? Non est contemnendum quod a quibusdam affertur, hanc mutationem nominis fieri per additam initio prioris nominis litteram Iod, quæ est prima in nomine tetragrammato; ut significaretur hunc filium Nun, fore non tantum salvatorem, quod significat Osee, sed salvatorem Dei, seu a Deo missum. Rem explicat Hieronymus Osee cap. I. ubi dicit יהושע *Iehoschuahh* significare salvatorem Domini, cum tamen vox הושע, *hoscheahh*, *Osee*, tantum significet salvatorem. Vide radicem ישע, quæ in coniugatione Hiphil הושיע *hoschiahh*, significat *salvare*.

*V.* 22. ROHOB urbs Levitica postea, & in Tribu Aser, Iosue XXI. vers. 31. EMATH in Tribu Nephtali, Iosue cap. XIX. vers. 35. Et hæc est via, quæ vocatur exploratorum.

*V.* 23. FILII ENAC nepotes sunt gigantis Enac: hinc gigantes communiter in Scripturis vocantur filii Enakin. De his dixi Iosue X. vers. 3. & ibid. cap. XIV. & XV.

&xv. Consentiunt facile Geographi, TANIM (Hebr. צען tsohhan) esse inter primas AEgypti urbes, non procul a Memphi sitam, & in qua Moses coram Pharaone edidit signa; ferunt a filiis Noe Titanibus conditam. De campo Taneos, Psalm. LXXVII. vers. 12.

*V.* 24. & 25. Postea appellata est *Vallis botri*. De botri magnitudine in quibusdam regionibus, lege Plin. Libr. XIV. cap. I. & Serar. Libr. I. Iosue cap. VIII. quæst. II. In Hebr. est, *Torrens*, vel *Vallis botri*. Habetur in textu NEHELESCOL, hoc est quod iam dixi: nam נחל *nachal* est *vallis*, vel *torrens*; אשכל *esc.ol*, *botrus*.

*V.* 27. QUOD EST IN CADES. Redeunt exploratores in Cades, seu Cadesbarne in deserto Pharan. Rethma locus decimæ quintæ mansionis erat iuxta urbem Cades.

*V.* 33. TERRA DEVORAT HABITATORES SUOS. Inter alia mendacia exploratorum, hoc etiam erat, quod dicerent terram intemperie pestilentem esse, & mortem afferre.

*V.* 33. DETRAXERUNT TERRAE. Hebr. *Produxerunt infamiam terræ*; vel *fecerunt exire* דבת *dibbah*, *infamiam*. Porro DEVORAT; id est, insalubris est, occidit.

*V.* 34. GIGANTES, נפלים *Nephalim*: de qua re alibi dixi.

### Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 12. SCEPTRI MANASSE, hoc est pro utraque tribu, si duas faciebant. Hebr. *De tribu Manasse*: מטה *matte*, *virga*, *sceptrum*.

*V.* 28. LACTE ET MELLE, fertilissima.

*V.* 34. LOCUSTAE. Mendax exaggeratio, ut populum avertat.

## CAPUT XIV.

*Murmur populi frustra sedare conantur Iosue & Caleb: iratum Dominum placat Moyses: omnes morti in deserto addicuntur præter Caleb ac Iosue; & pugnantes Israelitæ contra Domini voluntatem cæduntur ab hostibus.*

1 IGitur vociferans omnis turba flevit nocte illa, 2. & murmurati sunt contra Moysen & Aaron cuncti filii Israel, dicentes: 3. Utinam mortui essemus in AEgypto: * & in hac vasta solitudine utinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, & uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Nonne melius est reverti in AEgyptum? 4. Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & revertamur in AEgyptum. 5. Quo audito Moyses & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel. 6. (a) At vero Iosue filius Nun, & Caleb filius Iephone, qui & ipsi lustraverant terram, sciderunt vestimenta sua, 7. & ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt: Terra, quam circuivimus, valde bona est. 8. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem. 9. Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem ita eos possumus devorare: recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere. 10. Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis * cunctis filiis Is-

ſiis Iſrael. 11. Et dixit Dominus ad Moyſen: Uſquequo detrahet mihi populus iſte? Quouſque non credent mihi, in omnibus ſignis quæ feci coram eis? 12. Feriam igitur eos peſtilentia, atque conſumam: te autem faciam principem ſuper gentem magnam, & fortiorem quam hæc eſt. 13. Et ait Moyſes ad Dominum: Ut audiant AEgyptii, de quorum medio eduxiſti populum iſtum, 14. & habitatores terræ huius, qui audierunt quod tu Domine in populo iſto ſis, & facie videaris ad faciem, (b) & nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem: 15. quod occideris tantam multitudinem quaſi unum hominem, & dicant: 16. Non poterat introducere populum in terram, pro qua iuraverat: (c) idcirco occidit eos in ſolitudine. 17. Magnificetur ergo fortitudo Domini ſicut iuraſti, dicens: 18. (d) Dominus patiens & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera, nullumque innoxium derelinquens, qui viſitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. 19. * Dimitte, obſecro, peccatum populi huius ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, ſicut propitius fuiſti egredientibus de AEgypto uſque ad locum iſtum. 20. Dixitque Dominus: Dimiſi iuxta verbum tuum. 21. Vivo ego: & implebitur gloria Domini univerſa terra. 22. Attamen omnes homines qui viderunt maieſtatem meam, & ſigna quæ feci in AEgypto & in ſolitudine, & tentaverunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, 23. (e) non videbunt terram pro qua iuravi patribus eorum, nec quiſquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. 24. (f) Servum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc, quam circuivit: & ſemen eius poſſidebit eam. 25. Quoniam Amalecites & Chananæus habitant in vallibus. Cras movete caſtra, & revertimini in ſolitudinem per viam Maris rubri. 26. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens. 27. Uſquequo multitudo hæc peſſima murmurat contra me? querelas filiorum Iſrael audivi. 28. Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dominus: ſicut locuti eſtis audiente me, ſic faciam vobis. 29. (g) In ſolitudine hac iacebunt cadavera veſtra. Omnes qui numerati eſtis a viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me, 30. (h) non intrabitis terram, ſuper quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Ioſue filium Nun. 31. Parvulos autem veſtros, de quibus dixiſtis quod prædæ hoſtibus forent, introducam: ut videant terram, quæ vobis diſplicuit. 32. Veſtra cadavera iacebunt in ſolitudine. 33. Filii veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram, donec conſumantur cadavera patrum in deſerto, 34. iuxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſtis terram: (i) annus pro die imputabitur. (k) Et quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis ultionem meam: 35. quoniam ſicut locutus ſum, ita faciam omni multitudini huic peſſimæ, quæ conſurrexit adverſum me: in ſolitudine hac deficiet, & morietur. 36. (l) Igitur omnes viri, quos miſerat Moyſes ad contemplandam terram, & qui reverſi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ quod eſſet mala, 37. mortui ſunt atque percuſſi in conſpectu Domini. 38. Ioſue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone, vixerunt ex omnibus qui perrexerant ad conſiderandam terram. 39. Locutuſque eſt Moyſes univerſa verba hæc ad omnes filios Iſrael, & luxit populus nimis. 40. Et ecce mane primo ſurgentes aſcenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati ſumus aſcendere ad locum, de quo Dominus locutus eſt: quia peccavimus. 41. Quibus Moyſes: Cur, inquit, tranſgredimini verbum Domini, quod vobis

non cedet in prosperum? 42. *m* Nolite ascendere: non enim est Dominus vobis-
cum: ne corruatis coram inimicis vestris. 43. Amalecites & Chananæus ante
vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino, nec
erit Dominus vobiscum. 44. At illi contenebrati ascenderunt in verticem mon-
tis. Arca autem testamenti Domini & Moyses non recesserunt de castris. 45.
Descenditque Amalecites & Chananæus, qui habitabat in monte: & percutiens
eos atque concidens, persecutus est eos usque Horma.

(*a*) Eccli xlvi. 9. I. Mach. II. 55. 56. (*b*) Exod. XIII. 21. (*c*) Exod. XXXII. 28. (*d*) Psalm. CII. 8. Exod. XXXIV. 6. (*e*) Deu. I. 35. (*f*) Iosue XIV. 6. (*g*) Psalm. CV. 26. (*h*) Deut. I. 35. (*i*) Ezech. IV. 6. (*k*) Psalm. XCIV. 10. (*l*) Iudith. VIII. 34. I. Corinth. X. 10. Hebr. III. 17. Iudæ 5. (*m*) Deut. I. 42.

## BRUGENSIS

### Romanae Correctiones.

V. 2. *Et in hac vasta solitudine utinam pereamus*. Locus insigniter restitutus, ablata negatione quæ est in plerisque codicibus (*Et non in hac vasta solitudine*) & verbis subsequentibus, *Utinam pereamus*, iunctis iis quæ præcedunt, non, ut multi faciunt, iis quæ consequuntur.

V. 10. *Cunctis filiis Israel*. Superfluit participium *videntibus*, quod addunt alii.

V. 19. *Dimitte, obsecro, peccatum populi huius*. Merito expunctum pronomen *tui*, quod multi legunt, *Populi tui huius*.

## COMMENTARIA.

### S A.

*Vers.* 1. Nocte, scilicet sequenti.

*Vers.* 3. Et in hac, &c. Hebr. Chal. & LXX. *Aut in hac solitudine, & ad quid nos Dominus facit venire in terram hanc, ut cadamus gladio, &c.*

*V.* 9. Praesidium. Hebr. *umbra*.

*V.* 10. Gloria, scilicet nubes, vel splendor. Tectum. Hebr. Chald. & LXX. *tabernaculum*.

*V.* 11. Detrahet mihi. Alii, *Blasphemabit*, vel *spernet me*. Hebr. Chald. & LXX. *Irritabit me:* sic & infra. In omnibus signis; quasi dicat: Cum tot signa fecerim.

*V.* 13. Ut audiant. Hebr. Chald. & LXX. *Et audient*.

*V.* 14. Facie videaris ad faciem, id est clare, seu familiariter.

*V.* 15. Quasi unum, id est ad unum, scilicet nullo relicto. Dicant. Hebr. Chald. & LXX. *Dicent*.

*V.* 17. Magnificetur; id est, appareat magna esse.

*V.* 18. Innoxium, id est impunitum, scilicet cum pœnam meretur. Visitas, id est punis. Tertiam, id est nepotes, qui tertii a patre, vel potius pronepotes, qui tertii in posteris. Vide IV. Reg. XV.

*V.* 20. Dimisi; quasi dicat, Non puniam, ut dixeram. Iuxta verbum tuum; id est, ut petisti.

*V.* 21. Gloria, scilicet impletis iis quæ sequuntur.

*V.* 22. Attamen. Hebr. Chald. & LXX. *quia*, ut sit explicatio proxime dicti. Maiestatem. Hebr. Chald. & LXX. *gloriam*. Decem, id est multis; quasi dicat, sæpe.

*V.* 24. Alio, scilicet meliori.

*V.* 25. Vallibus, scilicet ubi delitescunt vobis insidiantes.

*V.* 33. Portabunt fornicationem vestram; id est, dabunt pœnas vestræ infidelitatis, qua a Deo defecistis.

*V.* 37. Mortui sunt, scilicet vel tunc, vel postea.

*V.* 43. Acquiescere Domino. Hebr. *Sequi Dominum*. LXX. *Obedire Domino*. Chald. *Colere Dominum*.

*V.* 44. Contenebrati ascenderunt. Hebr. *Conati sunt ascendere*. LXX. *Vim facientes ascenderunt*. Chald. *Impie egerunt ut ascenderent*.

E S-

## ESTII.

*Vers. 9.* QUIA SICUT PANEM ITA EOS POSSUMUS DEVORARE. Hoc opponunt illis verbis quibus dixerant alii exploratores cap. præced. vers. 33. *Terra quam lustravimus, devorat habitatores suos.*

*V.* 19. AUFERENS INIQUITATEM ET SCELERA, NULLUMQUE INNOXIUM DERELINQUENS. Vide Annotationes Exod. cap. XXXIV. vers. 7.

*V.* 20. DIXITQUE DOMINUS: DIMISI IUXTA VERBUM TUUM. Dimisit, quoad pœnam comminatam, scilicet ne populum pestilentia percuteret, totumque consumeret, non autem quoad pœnam minorem: de ea enim mox sequitur vers. 22. *Attamen omnes homines, &c.*

*V.* 22. ET TENTAVERUNT ME IAM PER DECEM VICES, id est valde sæpe; tametsi Liranus numerum certum designari putat, & decem tentationes recenset. Sed revera possent etiam plures eiusmodi, quales ipse recenset, reperiri. Quare verisimilius est, numerum certum pro incerto poni, vel *decem*, utpote numerum perfectum, pro valde sæpe.

*V.* 24. SERVUM MEUM CALEB INDUCAM IN TERRAM, & subnectitur versu proximo, QUONIAM AMALECITES ET CHANANAEUS HABITANT IN VALLIBUS. Quidam ita intelligunt & connectunt quasi dicat: Caleb & semen eius possidebunt terram hanc, quam circuivit; quin etiam terram Amalec, & Chananæorum, qui in vallibus habitant. Verum multo aptius versu vigesimo quinto, *Quoniam Amalecites & Chananæus habitant in vallibus*, connectunt alii cum versu sequenti, CRAS MOVETE CASTRA; quasi dicat Dominus: Ecce, quoniam Amalecitæ & Chananæi delitescunt in locis humilioribus, ut insidientur vobis; idcirco moneo vos, & præcipio ut pedem referatis, ac revertamini in solitudinem. Quem sensum confirmat, quod postea Israelitæ, cum negligentes & contemnentes Domini imperium, vellent Amalecitas invadere, magnam cladem ab eis acceperint.

*V.* 29. OMNES QUI NUMERATI ESTIS A VIGINTI ANNIS ET SUPRA, ET MURMURASTIS CONTRA ME, NON INTRABITIS TERRAM PRAETER CALEB ET IOSUE. De hac numeratione sic legitur cap. I. huius Libri vers. 45. & 46. *Fueruntque omnis numerus filiorum Israel a vigesimo anno & supra, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria millia virorum, quinquaginta.* Sed nota, quod ibidem mox subiicitur vers. 47. *Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis.* Sic & hic *Omnes qui numerati estis*; ut intelligamus non repugnare huic loco, si præter Iosue & Caleb, ex iis qui ex AEgypto egressi sunt, dicamus etiam levitas aliquos vel feminas terram promissionis suisse ingressos. Certe Eleazar filius Aaron, iam tunc cap. III. huius Libri dicitur functus sacerdotio; & nihilominus, idem cum Iosue terram promissionis distribuit filiis Israel, Iosue XIV. sic enim ibi legitur: *Hoc est quod possederunt filii Israel in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos, & Iosue filius Nun, & principes familiarum per tribus Israel, sorte omnia dividentes, novem tribubus & dimidiæ tribui. Duabus enim tribubus & dimidiæ dederat Moyses trans Iordanem possessionem.* Hæc ibi.

## MARIANAE.

*Vers. 3.* ET IN HAC VASTA SOLITUDINE UTINAM PEREAMUS. Hebr. *Aut in deserto hoc, utinam mortui essemus*: sic Septuaginta. Quidam legunt: *Utinam mortui essemus in AEgypto, & non in hac vasta solitudine*: sed falso.

*V.* 9. RECESSIT AB EIS OMNE PRAESIDIUM. Hebr. *Recessit umbra eorum ab eis*, scilicet a Chananæis.

*V.* 10. APPARUIT GLORIA DOMINI SUPER TECTUM FOEDERIS. Heb. *In tabernaculo cœtus apparuit Dei gloria.*

*V.* 11. USQUEQUO DETRAHET MIHI. *Irritabit me*: sic Sept. Chald. & fere Hebræi explicant vocem נאץ *naaz*. Sunt verba Dei.

*V.* 15. QUASI UNUM HOMINEM: nempe, usque ad unum occidisti.

*V.* 18. INNOXIUM DERELINQUENS: nempe impunitum nullum relinquens.

*V.* 24. SERVUM MEUM CALEB, QUI PLE-

PLENUS ALIO SPIRITU. Hebr. *Et servo meo Caleb merces*; id est, pro eo quod *fuit spiritus* ( voluntas ) *alius cum eo*, *& implevit post me*; id est, me secutus est. Et nota, *mercedem* Hebraice dici *calcaneum*, quod sit ultimum in opere. Unde fortassis illud Psalm. XLVIII. vers. 6. *Iniquitas calcanei mei*, merces mihi debita, *circumdabit me*, sequetur me. ET SEMEN EIUS POSSIDEBIT EAM. Hebr. *Possidere faciet*. Ipse Caleb de manu sua posteris tradet eam terram.

*V*. 32. VESTRA CADAVERA IACEBUNT IN SOLITUDINE. Heb. *Et cadavera vestra*, *vos*, *cadent*. Ne putarent per *cadavera vestra* intelligi filiorum cadavera, ad maiorem expressionem addit *vos*.

*V*. 35. QUAE CONSURREXIT ADVERSUM ME. Heb. *Convenere contra me*. Conventus populi, rebellionis initium est.

*V*. 44. AT ILLI CONTENEBRATI. Hebr. *Roborati ascenderunt in montem*, scilicet contra hostes.

## MALVENDAE.

*Vers*. 4. CONSTITUAMUS NOBIS DUCEM. Hebr. *Dabimus caput*. Forte an est phrasis illa Hispanica, *Daremos las cabeças si no nos bolvemos a AEgypto: aunque nos cueste la vida*. Dispereamus, si illico non revertimur in AEgyptum: ut sit formula iuramenti imprecatorii. Aliter, etiam cum capitis & vitæ periculo statutum nobis est redire in AEgyptum: malumus enim illic in solo natali mori, quam hic in deserto, aut gladiis Chananæorum. Sed omnes fere intelligunt, Abiecto Mose, quæramus aut constituamus nobis caput seu ducem aut imperatorem, qui nos reducat in AEgyptum.

*V*. 6. SCIDERUNT VESTIMENTA SUA, ex luctu videlicet & mæstitia, atque animi dolore: sic Ruben Gen. XXXVII. vers. 34.

*V*. 8. SI PROPITIUS FUERIT DOMINUS. Hebr. *Si complacuit*, *si beneplacitum habuit in nobis* IHVH. Hanc enim esse vim verbi חפץ *chaphetz*, quando construitur cum præpositione *in*, ut hic, annotavimus Genes. XXXIV. vers. 9. Quidam reddunt: *Si volens in nobis Dominus*; *si Dominus voluerit nos*; *si proclivis in nos fuerit*; *si voluntas eius erga nos propensa est*. Alii: *Si Dominus voluerit nobis esse propitius*, vel *si complacitum fuerit Domino in nobis*; id est, si favore suo prosequitur, & amat nos. Nonnulli: *Si delectatur nobis Iehovah*.

*V*. 9. NOLITE REBELLES ESSE CONTRA DOMINUM. Verbum מרד *marad*, notant proprie esse *descendere*, *discedere*, *recedere*, *deficere*, *sese subducere*, *excutere*, seu *abiicere dominationem & imperium legitimum superioris*, *deficere*, *desciscere*, *a suo auctore*, *domino*, *principe rebellare*. Volunt, Paulum I. Timoth. IV. vers. 1. per *apostatare* reddidisse ( Apostatabunt) *Desciscent quidam a fide*. Hic aliqui convertunt: *Modo contra Dominum ne sitis perfidi*. Alii: *Tantummodo contra Iehovam ne rebellate*, nimirum constituendo vobis alium ducem, & in AEgyptum redeundo contra voluntatem eius, Deuter. XVII. vers. 16. QUIA SICUT PANEM ITA POSSUMUS EOS DEVORARE. Hebr. *Quia panis noster ipsi*. Quidam: *Nam cibus noster sunt*; id est, tam facile eos absumemus, quam facile consumitur cibus; nullo negotio eos conficiemus. RECESSIT AB EIS OMNE PRAESIDIUM. Hebr. *Recessit umbra*, *umbraculum de super eos*. Metaphora, & metonymia, effectus pro causa; id est, omni protectione ac præsidio nudati sunt, & externæ iniuriæ expositi. Sic Virgilius XI. AEneidos:

... *& magnum reginæ nomen obumbrat*;
id est tuetur, defendit, ut Servius exponit, translatione ab arboribus facta.

*V*. 10. CUMQUE CLAMARET, &c. Hebr. *Et dixerunt omnis cœtus ad obruere eos in lapidibus*; idest, statuerunt, decreverunt obruere eos lapidibus. Ita capitur verbum אמר *amar* Genes. IV. vers. 8. & Exodi II. vers. 14. Alii: *Tunc colloquebantur totus cœtus*, *ut obruerent eos lapidibus*. Nonnulli: *Tunc pronuntiarunt totus cœtus*, *&c.* id est, sententiam in eos tulerunt, ut lapidarentur.

*V*. 11. DETRAHET MIHI. Verbum נאץ *naatz* aiunt proprie esse, *contumeliis*, *conviciis*, *probris*, *verbis maledicis incessere*, seu *insectari*, *invehere*, *involare*, *lacessere*. Observantque in Pihel, ut hic ponitur, augere significationem. Alii volunt signi-

significare *spernere*, *contemnere*, *contemptim irritare*, *provocare*. Alii, *exasperare*, *exacerbare*, *irritare*, *execrari*, *respuere*, *spernere cum execratione*, *blasphemare*, *subsannare*. Alii denique, *obiicere*, *reprobare flocci facere*, *indignari*, *aversari*, *aspernari*. Quatuordecim locis id verbum in Pihel in Scriptura legitur: & Noster varie exposuit: Numeror. XVI. verf. 30. I. Samuel. XII. verf. 14. Isaiæ I. verf. 4. Isaiæ V. verf. 24. Ieremiæ XXIII. verf. 17. *blasphemare*: I. Samuel. II. verf. 17. *retrahere*: Psalm. LXXIII. verf. 18. *incitare*: Psalm. IX. verf. 34. & Psalm. LXXIII. verf. 10. *irritare*: Psalm. IX. verf. 25. *exacerbare*: hic vero, & verf. 23. Deuteron. XXXI. verf. 20. Isaiæ LX. verf. 14. *detrahere*. Omnia ista tam varia, sed eiusdem ferre sensus significata apte huic loco conveniunt. Quidam hic reddunt: *Quousque contemptim provocabunt me populus hic?*

*V.* 13. ET AIT MOYSES AD DOMINUM, &c. Hunc versum, & duos sequentes, quod in fonte paulo obscurius efferantur, quidam luculentius aggressi sunt exponere.

Primum. *Vers.* 13. *Et dixit Mosch ad Iehovam*: *Et audient AEgyptii* (*nam eduxisti fortitudine tua populum istum e medio eius*:)

*V.* 14. *Ac dicent super habitatorem terræ huius*: *qui audierunt quod tu*, *o Iehovah*, *eras in medio populi istius*, *quodque oculo ad oculum apparebas tu*, *o Iehovah*, *& nubes tua staret super eos*, *& in columna nubis ambulabas ante eos interdiu*: *& in columna ignis noctu*:

*V.* 15. *Et tamen mori feceris populum istum tamquam virum unum*: *ac dicent gentes*, *quæ audierunt famam tuam in hunc modum*:

Secundo. *V.* 13. *Et dixit Moseh ad Dominum*: *At audient hoc AEgyptii* (*nam in robore tuo eduxisti populum istum e medio eorum*.)

*V.* 14. *Diceturque hoc habitatoribus huius terræ* (*audierunt enim quod tu Dominus sis in medio huius populi*, *& quod tu*, *o Domine*, *oculo ad oculum appareas*, *& quod nubes tua steterit supra eos*: *& quod in columna nubis præcesseris eos interdiu*: *in columna autem ignis noctu*:)

*V.* 15. *Quod si istum populum velut hominem aliquem unum interfeceris*, *dicent gentes*, *quæ famam tuam audierunt*, *sic*.

Tertio: 13. *Dixit vero Moseh Iehovæ*: *Atqui audient AEgyptii*, *e quorum medio fecisti virtute tua ut ascenderet hic populus*:

*V.* 14. *Ac dicerent cum habitatore istius terræ* (*audiverunt enim te Iehovam esse in medio populi huius*, *quia tu Iehova oculo ad oculum appares*, vel *oculo conspiciendus appares*: *quod nubes tua residet super eos*, *ac columna nubis antecedis eos interdiu*, *& in columna ignis noctu*:)

*V.* 15. *Si*, *inquam*, *morte afficeres populum hunc tamquam virum unum*, seu *omnes ad unum*; *loquerentur gentes istæ*, *quæ audiverunt famam tuam*, *dicendo*:

*V.* 14. ET HABITATORES TERRAE HUIUS. Hebr. *Et dicent ad habitatorem terræ istius*. Quidam, *super habitatorem*, vel *de incolis terræ huius*; id est, male loquentur de his ipsis quos introducturus eras in terram istam; quasi dicat: Si percusseris incolas tuos terræ istius, hoc est Israelitas, dicent alienigenæ sinistra de illis, ac male loquentur: nempe propter nequitiam & improbitatem suam eos a te perdi & interfici, & alia eiusmodi multa. Alii: *Et dicent una cum habitatoribus terræ istius*; id est, AEgyptii cum Chananæis obloquentur. Nonnulli: *Et dicent habitatori terræ istius*: nempe AEgyptii dicent Chananæis, & e contra mutuos inter se sermones habebunt AEgyptii, a quibus Israelitæ exierunt, & Chananæi, ad quorum terram ibant, de actionibus Dei erga populum Israel: utraque enim gens audierat divina hæc & miranda beneficia, quæ hic referuntur, fecisse Deum in populo suo.

*V.* 15. QUASI UNUM HOMINEM. Hebr. *Sicut virum unum*. Videtur simile illud C. Cæsaris apud Svetonium cap. XXX. *Utinam populus Romanus unam cervicem haberet*. Alii Hebraismum esse volunt; pro omnes pariter usque ad unum: ut ne unus superfit.

*V.* 16. NON POTERAT. Hebr. *De non posse*. Alii: *Ex non posse*. Quidam: *Præ non posse*; id est, propterea quod non poterat. Aliqui: *Absque posse*. OCCIDIT EOS. Hebr. *Mactavit*, *iugulavit eos*. Emphasim, & indignationem habet hic verbum שחט *schachat*; quasi dicat: Violenta morte e medio sustulit velut pecudes.

*V.* 17. MAGNIFICETUR. Hebr. *Grandescet*, *Grandefiet*. In יגדל *Iigdal*, *Iod* est ma-

magnum præter morem: & est nona littera magna in Hebraicis litteris occurrens. Vide supra cap. XIII. vers. 31. Fortassis ad emphasim infinitæ & incomprehensibilis virtutis & omnipotentiæ Dei.

*V.* 18. DOMINUS PATIENS, &c. Totum hunc versum accurate expositum habes Exodi XXXIV. vers. 6. & 7. nam sunt eadem omnino verba, & sensus.

*V.* 21. VIVO EGO. Hebr. *Vivens ego*. Notant esse formulam iurantis apud Hebræos, ut apud Latinos, *Ita vivam*, *Per vitam meam*. Quidam hunc versum ita reddunt: *Verumtamen ne vivam ego, aut impleatur gloria Iehovæ tota terra*. Notant Hebræi, & Nostri, quando hæc formula iuramenti de Deo dicitur, ut cum ipse sic iurat, vel per eum iuratur, tunc participium חי *chai*, *vivens*, scribitur cum Patach: si vero per alium iuratur quam Deum verum, tunc scribi cum Tzere חי *che*. Quod discrimen aperte videre licet I. Samuelis XX. vers. 3. & cap. XXV. vers. 26. & II. Samuel. XV. vers. 21. Quidam formulam iuramenti, & hunc versum ita concipiunt, ac si dicat: *Quemadmodum ego vivo, & gloria mea implet terram, sic quoque omnes homines, &c.* vel *quam certum est me vivere, & gloriam meam implere terram; tam etiam certum est quod omnes isti qui viderunt gloriam meam, & signa mea, &c. non sunt visuri terram, &c.* Alii: *Ita vivam, & ita gloria mea terram impleat, si homines isti, &c.* Alii: *Per vitam meam, & per gloriam meam implentem totam terram, quod omnes homines isti, &c.* Nonnulli: *Ita vivam, quod tota terra implebitur gloria mea*; id est, per vitam meam, ut efficiam quod tota terra impleatur gloria mea, gloriosa & magnifica ostensione iudiciorum meorum, & videant omnes quam iuste puniverim defectores istos: quia non intrabunt in promissam terram.

*V.* 22. PER DECEM VICES. Numerus finitus pro infinito, id est pluries; Hebræi tamen distincte ac præfixe numerant eas decem vices, nec plures, nec paucíores. Vide Explanatores late de his differentes.

*V.* 24. QUI. עקב *ghekeb* proprie est *calx*, *calcaneus*, *planta*, *vestigium*: & quia calcaneus est extremum in animalibus, sæpe sumitur pro *extremo*, *fine*: & adverbialiter, *ad extremum*, *postremo*, *tandem*, *finaliter*. Item pro *fructu*, *emolumento*, *mercede*, *præmio*, quia id est finis, & extremum operis. Plerumque accipiunt pro præpositione, *quia*, *propterea quod*, *propter*, *&c.* ut hic. Nec desunt qui reddant: *Et servum meum Calebum merces, præmium, emolumentum*, subaudi manet: vel in ablativo, *mercede fuit spiritus alius*, *&c.* id est ad mercedem. SECUTUS EST ME. Heb. *Et implevit post me*. Quidam exponunt, quoniam fuit alio animo erga me; atque alii, & implevit voluntatem meam sequendo me. Alii: *Et implevit ire post me*. Sed notant, quando verbum מלא *male* in Pihel construitur cum præpositione אחרי *acharc*, *post*, tum singulari phrasi plenitudinem simul atque sequelam, seu obsequentiam importare; id est, significare plene & perfecte obsequi voluntati seu mandatis alterius. Unde exponunt: *Servus meus Caleb, quia est alius spiritus in eo, & implevit post me*; id est, plene & perfecte est me secutus, seu mihi obsecutus. Aliqui volunt verbum hoc *Implendi*, apud Hebræos eamdem vim habere quam apud Latinos verbum *Satisfaciendi*; quasi dicat: Plene satisfecit mihi. Sic Cicero dixit: *Deo percasse satisfaciendi*. Nonnulli notant, *Implere post Iehova* idem esse quod omnino munere eo cui quemque Deus præfecit, attente, graviter, constanter defungi: quod Theologi dicunt, Facere quod in se est. Hispanice *Cumplir con Dios*. IN TERRAM HANC QUAM CIRCUIVIT. Hebr. *Ad terram quam ingressus fuit illuc*, id est in Ghebronis agrum: supra cap. XIII. vers. 23. & Iosue XIV. vers. 9.

*V.* 25. HABITANT IN VALLIBUS. Hebr. *Sedens in valle*. Quidam, *in profundo*; hoc est, in locis profundioribus & depressioribus delitescunt in insidiis, ut vos incautos opprimant. Nonnulli: *Consistit in ista valle*, id est ab altera parte montis: præmonet fore ut monte occupato Israelitas invadant, ideoque iubet eos retrocedere. Vide Dei benignitatem, quamvis iratus curat ne incidant in manus hostium: quod destituti divino præsidio illis proculdubio impares essent futuri. *Sedere* verbum interdum militare. Valerius Maximus Lib. VII. cap. IV. *Apud mœnia Contrebiæ armato sedendum foret*. Alii putant

tant

tant dixisse Dominum: Iam prope terram promissam habetis, hostes & habitatores terræ quos eiecturi eratis, in proximo sunt, nam trans montes istos in locis planis habitant: nolo vos terram ingredi, aut iam iam eam occupare, qua indigni estis; retrocedite cras per viam deserti versus Mare rubrum: volo enim vos his oris longius avertere, propter scelera vestra. Chananæus hic synecdochice pro cunctis habitatoribus terræ Chanaan. Vide Genes. x. vers. 8. & 19. & forte hic Amorrhæus intelligitur, e cap. XIII. vers. 30. MOVETE CASTRA. Hebr. *Movete*, vel *proficiscimini vobis*. Quidam illud *vobis* exponunt: Ad utilitatem vestram, vestro bono proficiscimini: nimirum ut eventus docuit infra vers. 45. Notant canonem esse Hebræis, quando verbum aliquod præter suam constructionem articulum *Lamed* dativi casus extra regimen recipit, tum notare operationem utilitatis causa institutam, aut instituendam, ut Genes. XII. I. *Abi tibi de terra tua*. Exodi XVIII. vers. 27. *Et abiit sibi in terram suam*: & alibi sæpius. Quidam irrident hanc observationem, & phrasim esse linguæ simpliciter putant, ut Hispanice, *Vete*. Ego ut suum locum alicubi habere non negaverim, ita magis crediderim eiusmodi dativum potius curam, celeritatem, & diligentiam indicare: ut Exodi XXXIV. vers. 1. *Dola tibi duas tabulas*. Numer. III. vers. 13. *Mitte tibi viros*. Ita forsan hic *proficiscimini vobis*; id est, quamprimum castra movete. ET REVERTIMINI. Hebr. *Crastino aspicite*, proprie *faciate*, seu *faciem obvertite*: elegantissimus Hebraismus. Hispanice *Encarad*; id est, dirigite iter, & castrametationes versus desertum, & Mare rubrum.

*V.* 27. USQUEQUO MULTITUDO HAEC PESSIMA. Hebr. per dativum, suppresso verbo: *Usquequando cœtui malo isti*? aposiopesis irati; subaudi, parcam, aut condonabo, vel propitius & benevolus ero? Quidam: *Usquequo tandem feram congregationem istam malam*? Alii verbum *audivi* ab extremo versus subaudiunt, vel potius sententiam continuant, & construunt cum ipso verbo: *Quousque cœtum istum malum eorum qui sunt murmuratores adversum me, obmurmurationes filiorum Israelis, quibus murmurant contra me, audivero*? Trina hæc iteratio murmurationum auget sensum; quasi dicat: Qui continuo querulantur & obmurmurant impudentissime contra me, & quasi nihil aliud faciunt, & nihil sunt nisi murmurantes. Vide similem phrasim Genes. IV vers. 17.

*V.* 29. OMNES QUI NUMERATI ESTIS. De quibus supra cap. I. & II.

*V.* 30. SUPER QUAM LEVAVI MANUM MEAM. Quidam: *In qua iuravi tollens manum meam*. *Levare manum* Hebræis pro *iurare*: vide Gen. XIV. vers. 22.

*V.* 31. UT VIDEANT TERRAM. Hebr. *Et cognoscent*, *scient terram*, id est *approbabunt*. Sic verbum ירע *iadagh* dicitur in Scriptura de notitia approbationis: & congruit cum sequenti membro, QUAE VOBIS DISPLICUIT. Alii: *Et sentient*, *experientur terram*. Quidam: *Ut fruantur terra*.

*V.* 32. VESTRA CADAVERA IACEBUNT. Hebr. *Et cadavera vestra*, *vos*, id est, *cadavera vestra*, quæ vobis sunt: ne per cadavera vestra intelligerentur etiam filiorum. Alii: *Cadavera vestra ad vos*, pertinentia. Quidam: *Cadavera vestra*, *vestra*, *inquam*. Nonnulli: *Cadavera vestrum ipsorum*. Forsan illud *Cadavera vestra ad vos cadent*, vel *iacebunt*, indicat magnam stragem cadaverum futuram, ut totis campis strues & acervi cadaverum iaceant, & corpora super corpora cadant.

*V.* 33. ERUNT VAGI IN DESERTO. Hebr. *Erunt pascentes*, vel *pastores in deserto*. Quidam exponunt: Incertis sedibus vagabuntur, ut grex pascui causa vagatur per desertum. Alii, *Errabunt more eorum qui pecudes in deserto pascunt*, nova semper quærentes loca; quasi dicat: Erunt veluti Nomades, incertis & vagis locis errantes in deserto. ET PORTABUNT FORNICATIONEM VESTRAM. Quidam reddunt: *Et ferent pœnam scortationum vestrarum*. Dum ista quadraginta annorum mora exhibitio terræ promissæ differetur. *Scortationes* vocat, more Scripturæ, defectiones a Deo.

*V.* 34. ET SCIETIS ULTIONEM MEAM. תנואה *tenuah*, non alibi nisi hic, & Iob XXXIII. 10. reperitur, ubi Noster *querelas* dixit. Varie interpretantur. I. *Et cognoscetis fracturam*, *confractionem*, *rupturam*, *abruptionem*, *avulsionem*, *distractionem meam*, vel *contritionem meam*, nimirum qua vos fregi, rupi, evulsi, distraxi, con-

trivi, quod Noster dixit *ultionem meam*. Alii exponunt, *abruptionem meam*, vel *a me*; id est, ut ex facto cognoscatis & experiamini me quasi fractum esse peccatis vestris, & abruptum a fœdere vobiscum, & communicatione vestra; vel ex consequente me frangere agnoscatis & evellere a vobis fœdus illud meum, quo hactenus devincti fuistis mihi. Humanitus dictum. II. *irritationem meam*; id est, quomodo irritos faciam conatus vestros. III. *munitionem meam*; id est, an verba mea inania & irrita futura sint, frustraque a me pronuntiata, & cassa. IV. *frustrationem meam*, nimirum qua vos frustravi ipse potiundæ terræ promissæ. V. *mendacium meum*; id est, num ego sim mendax, & num completurus sim quæ prædixi de vobis interficiendis. VI. *prohibitionem meam*, qua scilicet prohibebo vos ne ad terram meam perveniatis. VII. *occasionem meam*, ex transposito תואנה *toanah*, *occasio*; id est, quam legitimam causam & occasionem habuerim perdendi vos. VIII. *confutationem, refutationem, renutum, anihilationem meam*; id est, qualiter vos confutaverim, refutaverim, renuerim, abiecerim, anihilaverim. IX. *discessionem*, *desertionem meam*; hoc est, ut a vobis discesserim, ac vos deseruerim. X. *dissuasionem meam*; id est, cognoscetis quantum vobis intererat non me de sententia dimovisse. XI. *amotionem*, *recessum meum*; id est, quod me a vobis amoverim, & vos a me reiecerim, & penitus a vobis recesserim. Ego, *cassationem meam*, id est cassationem fœderis mei vobiscum initi, & promissionum mearum de tradenda vobis terra Chanaan.

*V.* 35. QUAE CONSURREXIT ADVERSUM ME. נועדים *noghadim* omnia ista complectitur, *convenientibus*, *coeuntibus*, *conspirantibus*, *confœderantibus*, *consentientibus*, *congregantibus adversum me*.

*V.* 37. ATQUE PERCUSSI. Hebr. *in plaga*. Quidam, *subita internecione*. Alii, *in plaga illa*, præsentissima, ut probabile est, peste, quam interminatus fuerat supra vers. 22.

*V.* 39. ET LUXIT POPULUS NIMIS. ויתאבלו *vaiitabbelu*, & coniugatio Hithpahel, & adverbium *valde*, ingentem plane luctum designant.

*V.* 40. QUIA PECCAVIMUS; id est, agnoscimus nos peccavisse, ut II. Samuel. XXIV. vers. 10. cum videlicet noluimus ascendere, sed reditum in AEgyptum cogitavimus, supra vers. 3. & 4.

*V.* 41. QUOD VOBIS NON CEDET IN PROSPERUM. Hebr. *Et ipsa*. Hispanice, *la hecha non pervadet*. Quidam: *Et hoc non proficiet*, id est prospere cedet. Alii: *Et hoc non bene cedet*. Nonnulli: *Atqui hoc non succedet*. Aliqui: *Et ipsa* (ascensio) *non prosperabitur*.

*V.* 44. CONTENEBRATI ASCENDERUNT. Mira varietate reddunt hic verbum העפיל *heghepil*, formulæ Hiphil. I. *Et invaluerunt ad ascendere*. II. *Et conati sunt ascendere*. III. *Et corroborarunt se ad ascendere*. IV. *Et angariati sunt ad ascendendum*. V. *Muniti fortificatique sunt ad ascendendum*. VI. *Contenderunt in altum ut ascenderent*. VII. *Vim fecerunt ad ascendendum*. VIII. Quidam a עופל *ghophel*, *arx*: *Quasi arx munierunt se ad ascendendum*. IX. *Impetuosi fuerunt ad ascendendum*. X. *Et compilati sunt*, *in pilam conglobati sunt ad ascendendum*. Aiunt verbum *neghephil* proprie esse, *per clausas*, *seu fauces*, *aut pylas montium temerario ausu & conatu contendere*. Unde exponunt: *Et contenderunt ascendere*; ut sit sensus: Contenderunt inter se ut quisque ascendendo primus esset, atque ita condensarunt se. Aptius: *Et connisi*, *enixi per fauces*, *& angusta*, seu *arcta fuerunt ad ascendere in verticem montis*. Noster contulit עפל *ghaphal* cum *Ghain* cum אופל *ophel* cum *Aleph*, quod *tenebras*, & *caliginem* denotat; ac dixit: *Contenebrati ascenderunt*. Hispanicus Interpres, *y esforçaronse*, vel *obstinaronse*, seu *porfiaron a subir*. Vide Deuter. 1. vers. 41.

*V.* 45. QUI HABITABAT IN MONTE. Heb. *sedens in monte*; id est, qui prius ante Israelitas montem illum insederat, & occupaverat, e vers. 43. HORMA. Quidam hunc locum eumdem putant cum illo Num. XXI. vers. 3. ubi e contra Israelitæ conciderunt Chananæos, ut forsan locus nactus nomen a mutuis istis exercituum concisionibus. Alii diversum, quod est verisimilius. Nec desunt qui hic Chormah non pro nomine proprio, sed appellativo capiunt, propter præfixum articulum *He*, qui propriis nominibus præponi non solet; exponuntque: *Usque ad excisionem*, *deletionem*, *internecionem*, *anathema*;

*ma*; quasi dicat: Ingenti clade concidit eos.

## MENOCHII.

*Vers.* 3. IN HAC VASTA SOLITUDINE UTINAM PEREAMUS. Voti compotes facti sunt, eamdem quam postulaverant pœnam Domino illis irrogante num. 28. omnes enim confecit, & sepelivit in deserto.

*V.* 4. REVERTAMUR IN AEGYPTUM. Quis revertentibus præbuisset annonam? an rebellibus Dominus pluisset manna? quomodo Mare rubrum transmisissent?

*V.* 5. CECIDERUNT PRONI IN TERRAM, deprecantes Dominum ne immitteret vindictam in murmurantes, ut fecerat in Sepulcris concupiscentiæ cap. XI. 33.

*V.* 8. SI PROPITIUS. Particula *si*, non est dubitantis, sed modum victoriæ indicantis; quasi dicat: Propitio Domino ingrediemur, &c. Vel sensus est: Nisi pergatis illum vestris oblocutionibus irritare.

*V.* 9. RECESSIT AB EIS OMNE PRAESIDIUM. Hebr. *Recessit ab eis umbra eorum*. Septuaginta habent: *Recessit ab eis tempus*. Divino præsidio destituti sunt. Hebræi hoc intelligunt de morte S. Iob, quem iuxta Iordanem habitasse, ex variis auctoribus ait Pineda in Iob cap. I. vers. I. num. 27. & hoc anno mortuum fuisse aliqui volunt. Vide Cornelium a Lapide cap. X. Numer. v. vers. 11.

*V.* 10. ET LAPIDIBUS EOS, &c. Caleb scilicet & Iosue qui murmurantibus resistebant. GLORIA DOMINI, nubes lucida præsentiam Domini indicans. SUPER TECTUM FOEDERIS, super tabernaculum.

*V.* 11. DETRAHET MIHI. Hebr. *Irritabit me*.

*V.* 12. PRINCIPEM SUPER GENTEM MAGNAM, quæ ex te nascatur, vel cui tu imperes.

*V.* 13. UT AUDIANT AEGYPTII. Trunca oratio per aposiopesim ad exprimendum pathos; quasi dicat: Si hoc facis, audient AEgyptii, & blasphemabunt nomen tuum.

*V.* 17. MAGNIFICETUR ERGO FORTITUDO DOMINI: magna appareat, iram vincendo, & difficultates ex hostibus, ex itinere, ex ingenio duro Hebræorum superando. SICUT IURASTI. Non iuraverat Dominus; sed illius asseverationi par fides adhibenda ac iuramento.

*V.* 18. INNOXIUM, impunitum, cum pœnam meretur. QUI VISITAS PECCATA PATRUM IN FILIOS. Non quod Moses hoc optet, cum contrarium postulet; sed quia Deus Exod. XXXIV. 6. hæc sibi epitheta tribuerat, iisque cum invocaretur, nominari voluit.

*V.* 20. DIMISI, non puniam, ut dixeram. IUXTA VERBUM TUUM, ut petisti.

*V.* 21. VIVO EGO: iuro ego per vitam meam. IMPLEBITUR GLORIA DOMINI UNIVERSA TERRA; adeo mira facturus sum inducens populum in Chananæam. QUI VIDERUNT MAIESTATEM MEAM, signa nimirum, & portenta, quæ maiestatis meæ argumenta sunt. PER DECEM VICES, multis vicibus.

*V.* 24. QUI PLENUS ALIO SPIRITU, bono scilicet obedientiæ, magnanimitatis, fidei, ac fiduciæ. SECUTUS EST ME, iussa mea faciendo, non obloquendo, bonum exitum sperando, & alios etiam ad spem erigendo.

*V.* 25. REVERTIMINI IN SOLITUDINEM. Iam pervenerant in Rethma, & Cades. proximeque aberant a terra promissa, tantum enim intererant montes Idumææ: in pœnam ergo revocat illos in solitudinem.

*V.* 30. SUPER QUAM LEVAVI MANUM. Pro qua quasi elata in altum manu, iuravi quod eam vobis darem, Gen. XV. vers. 18.

*V.* 33. QUADRAGINTA ANNIS. Hebræi egressi sunt ex AEgypto decimo quinto die mensis primi, ut patet Numeror. XXXIII. 3. transierunt autem Iordanem, & ingressi sunt Chanaan decima die mensis primi anni 41. ab egressu, ut patet Iosue IV. 19. Itaque desunt quinque dies ad explendum quadraginta annos. PORTABUNT FORNICATIONEM VESTRAM, pœnam fornicationis vestræ, id est prævaricationis, ac declinationis a Deo, & eius leg.

*V.* 34. INIQUITATES, pœnam iniquitatum.

*V.* 37. MORTUI SUNT ATQUE PERCUSSI IN CONSPECTU DOMINI: subita morte puniti sunt præter Iosue, & Caleb.

*V.* 39. OMNIA VERBA HAEC, sententiam mortis continentia.

*V.* 40. ASCENDERUNT VERTICEM MONTIS, Idumææ, ut sic statim penetrarent in Chanaan. Prius aversi, & refugientes, nunc præcipites in eam ruunt, sine consilio, nutu, opeque Dei: in utroque inobedientes Domino, utrobique mulctati ut meriti fuerant. PARATI SUMUS ASCENDERE, quasi priorem contumaciam emendaturi.

*V.* 44. AT ILLI CONTENEBRATI, excæcati inobedientia, & cupiditate, penetrandi in Chanaan, non acquiescunt. IN VERTICEM MONTIS, in quo habitabant Chananæi, & Amalecitæ, qui facile per dorsum montis in sublime nitentes deturbarunt, ac cæciderunt.

*V.* 45. USQUE HORMA. Qui locus postea ita dictus est Numer. XXI. vers. 3. a strage ibi edita ab Hebræis; vel etiam ab hac clade nomen invenit. *Horma* anathema significat.

## TIRINI.

*Vers.* 18. NULLUMQUE INNOXIUM DERELINQUENS, QUI VISITAS PECCATA PATRUM IN FILIOS IN TERTIAM ET QUARTAM GENERATIONEM. Vide hæc explicata Exod. XX. Sed hinc patet, non intendisse Moysen, neque petiisse a Deo, ut hoc tam enorme scelus maneret impunitum; sed solum, ne Deus totum populum simul & semel deleret, uti visus fuerat comminari. Itaque hoc erat Moysis argumentum: Tu Deus, qui nosti neminem per se innocentem esse, sed omnes in peccata pronos; qui etiam dum punis soles misericordiam admiscere, tarde & quasi invite puniendo, nec nisi post tertiam fere vel quartam generationem pœnam infligendo, neque etiam ulterius protrahendo: non enim soles ob quantumcumque enorme scelus integrum populum ad internecionem perdere. Id experti sumus toto tempore quo ex AEgypto egressi sumus, & in deserto sæpius ad iracundiam te provocavimus, nunc vitulum adorando, nunc cepas & allia expetendo. Quare precor, eadem misericordia utaris etiam nunc in hoc rebellionis novo scelere puniendo.

*V.* 22. TENTAVERUNT ME IAM PER DECEM VICES; id est, sæpius; licet & hic denarius numerus tentationum facile ab illis completus fuerit, ut enumerat Bonfrerius, & alii, & ostendi in Chronico.

*V.* 25. QUONIAM AMALECITES ET CHANANAEUS HABITANT IN VALLIBUS; id est, castrametantur in vallibus his vobis vicinis, vobisque inde insidiantur: ne quid forte periculi ex ea parte obveniat, festinate hinc recedere, cras movete castra, & in desertum redite: si enim ulterius progrediamini, vel hic hæreatis, eorum gladio corruetis, propterea quod ego vobis non adero, nec defendam: ut res ipsa post docuit versu ultimo. Hinc patet, non agi hoc vers. 25. de habitatione firma ac stabili Amalecitarum, nam talem habebant in montibus, ut dicitur in fine capitis; sed solum de habitatione castrensi, pro tanto tempore quanto opus esset ad præpediendum Israelitis ingressum in terram sanctam.

*V.* 37. MORTUI SUNT ATQUE PERCUSSI IN CONSPECTU DOMINI; hoc est, subita morte prostrati sunt, gloria Domini sese adhuc visendam exhibente insolito horrificoque splendore supra tabernaculum. Quidam volunt, peste illos extinctos; alii igne cælitus misso; Rabbini quidam, linguæ tumore quo respiratio præpediretur. Sed nil opus erat Deo eiusmodi telis, ut repentina morte illos extinguerer, cum vel sola concursus sui ad vitam unionemque animæ necessarii subtractione id efficere potuerit. Et hoc fuit publicum ac subitaneum mendacium exploratorum supplicium. Ceterorum vero murmuratorum ac rebellium Israelitarum ut lentum, ita magis occultum fuit; omnes tamen illud subierunt: puta sexcenta tria armatorum millia, quingenti & quinquaginta, quot nempe a vigesimo vitæ anno usque ad quinquagesimum numerati fuerant ab egressu ex AEgypto. Nam omnes paulatim in deserto, spatio quadraginta annorum extincti sunt, solis Iosue & Caleb exceptis. Neque hoc numero comprehensi fuerunt senes ultra quinquagesimum tunc annum; neque Levitæ ulli, neque mulieres, neque pueri vel ad-

adolescentes infra vigesimum annum ; licet multi etiam horum , ut rebellionis socii , ita rebellantium pœnæ participes fuerint : verisimile tamen est , multos quoque horum fuisse innoxios , & terram sanctam ingressos.

## GORDONI.

*Vers.* 5. IN TERRAM CORAM OMNI MULTITUDINE ; hoc est , non ut populum exoraturi , sed Deum orantes, spectante multitudine.

*V.* 14. FACIE VIDEARIS AD FACIEM. Non est hoc aliud quam Deum se manifestare populo , scilicet in monte, in nube & columna , atque aliter.

*V.* 17. & 18. Iuravit Deus de hac possessione Abrahamo , & aliis Patriarchis . De visitatione peccatorum in quartam generationem, vide Exod. xx. vers. 5. & 6. NULLUMQUE INNOXIUM DERELINQUENS, impunitum scilicet, cum pœnam mereatur.

*V.* 23. & 24. Quæri potest quinam sint in quos cadit hæc sententia non ingrediendi terram promissam: nam erant in deserto senes, pueri, mulieres, Levitæ. Existimo sententiam hanc tantum esse in bellatores, & eos bellatores qui inter annum vigesimum & quinquagesimum existentes murmuraverunt . Mors præveniens impedivit Aaronem.

*V.* 24. SERVUM MEUM CALEB . In Hebr. est *merces* : ubi est pro voce mercedis, *calcaneum*, quod merces sit ultimum in opere, עקב *bhekeb*: rad. עקב, *supplantavit*.

*V.*25. REVERTIMINI. Hebræi in Cades vicini erant terræ promissæ : tantum distabant per interiectos montes Idumææ. Iubentur in pœnam redire versus Mare rubrum ( hoc iter per tabulas dat Adrichomius ) immo etiam ut securi sint ab hostibus Chananæis.

*V.* 33. Ab exitu ex AEgypto , usque ad ingressum in terram Chaanan, transito Iordane , sunt anni quadraginta , minus quinque diebus: hoc est a decimo quinto die mensis primi , quando cœpit exodus, ad decimum diem mensis primi anni quadragesimi , ut habetur Iosue vers. 19. Et ita habent editiones Latina , Hebraica & Chaldaica ; quamvis Septuaginta habeant quadragintaduos annos , quos secutus est Augustinus.

*V.* 34. Hinc existimant aliqui mansisse populum quadragintaduobus annis in deserto ; sed non ita est . Numerantur hic anni quadraginta non a peccato in Cadesbarne, sed ab exodo.

*V.*40. ASCENDERUNT VERTICEM MONTIS . De hoc monte Idumææ dixi vers. 25. Ascenderunt ergo ut pervenirent in Chanaan, nolente Mose, & cæsi sunt.

*V.* 44. CONTENEBRATI ASCENDERUNT . Hebr. *vim facientes*, seu *impetu*. Septuag. ἐ διαβιασάμενοι, non autem διαβησάμενοι, *transeuntes*.

*V.* 45. De HORMA vide Iudic. I. vers. 17. & infra cap. XXI. vers. 3.

## Ex EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 10. ET LAPIDIBUS EOS VELLET OPPRIMERE , nempe Caleb , & Iosue.

*V.* 18. DOMINUS PATIENS .... QUI VISITAS PECCATA PATRUM. Moses quidem nunc deprecatur hanc visitationem ; sed sunt epitheta sub quibus Deus invocari vult , ex Exod. XXXIV. 6.

*V.* 20. DIMISI, peperci.

*V.* 21. PER DECEM VICES , sæpe , multoties.

*V.* 30. LEVAVI , promisi , iuravi , Gen. XV.

*V.* 37. MORTUI, repente percussi a Deo.

*V.* 44. In vertice montis habitabant Chananæi & Amalecitæ.

*V.* 45. HORMA , *Anathema*: ab hac clade forte nomen accepit.

CA-

# CAPUT XV.

*Quæ libamenta ingressis terram offerenda sint ac primitiæ separandæ : pœna peccati per ignorantiam aut superbiam commissi: lapidatur qui Sabbato ligna collegit: fimbriæ ac vitæ per quattuor angulos palliorum ponendæ.*

1. LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad fi-
lios Israel, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram
habitationis vestræ, quam ego dabo vobis, 3. & feceritis
oblationem Domino * in holocaustum, aut victimam, vo-
ta solventes, vel sponte offerentes munera, aut in solemni-
tatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino, de bo-
bus, sive de ovibus: 4. offeret quicumque immolaverit vi-
ctimam, sacrificium similæ, decimam partem ephi, * conspersæ oleo, quod
mensuram habebit quartam partem hin: 5. & vinum ad liba fundenda eiusdem
mensuræ dabit in holocaustum sive in victimam. Per agnos singulos 6. & arie-
tes erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ par-
tis hin: 7. & vinum ad libamentum tertiæ partis eiusdem mensuræ offeret in
odorem suavitatis Domino. 8. Quando vero de bobus feceris holocaustum, aut
hostiam, ut impleas votum, vel pacificas victimas, 9. dabis per singulos boves
similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin: 10. &
vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domi-
no. 11. Sic facies 12. per singulos boves & arietes & agnos & hædos. 13. Tam
indigenæ quam peregrini 14. eodem ritu offerent sacrificia. 15. Unum præce-
ptum erit atque iudicium tam vobis quam advenis terræ. 16. Locutus est Do-
minus ad Moysen, dicens: 17. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: 18. Cum
veneritis in terram, quam dabo vobis, 19. & comederitis de panibus regionis
illius, separabitis primitias Domino 20. de cibis vestris. * Sicut de areis primi-
tias separatis, 21. ita & de pulmentis dabitis primitiva Domino. 22. Quod si
per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus ad
Moysen, 23. & mandavit per eum ad vos, a die qua cœpit iubere & ultra,
24. oblitaque fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento, holocaustum
in odorem suavissimum Domino, & sacrificium eius ac liba, ut cæremoniæ po-
stulant, hircumque pro peccato: 25. & rogabit sacerdos pro omni multitudine
filiorum Israel: & dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt, nihilominus
offerentes incensum Domino pro se & pro peccato atque errore suo: 26. & di-
mittetur universæ plebi filiorum Israel, & advenis * qui peregrinantur inter eos:
quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam. 27. Quod si anima una ne-
sciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo: 28. & deprecabi-
tur pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino: impetrabitque ei
veniam, & dimittetur illi. 29. Tam indigenis quam advenis una lex erit omnium,
qui peccaverint ignorantes. 30. Anima vero, quæ per superbiam aliquid com-
mi-

miserit, sive civis sit ille, sive peregrinus, (quoniam adversus Dominum rebellis fuit) peribit de populo suo:
31. verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum: idcirco delebitur, & portabit iniquitatem suam.
32. Factum est autem, cum essent filii Israel in solitudine, & invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati,
33. obtulerunt eum Moysi & Aaron & universæ multitudini.
34. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent.
35. Dixitque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.
36. Cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, & mortuus est sicut præceperat Dominus.
37. Dixit quoque Dominus ad Moysen:
38. Loquere filiis Israel, & dices ad eos (a) ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas:
39. quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes,
40. sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo.
41. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra AEgypti, ut essem Deus vester.

(a) Deuter. xxii. 12. Matth. xxiii. 5.

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *In holocaustum, aut victimam, vota solventes*. Nomini substantivo *victimam*, non addendum est adiectivum *pacificam*, quod faciunt libri plerique.

V. 4. *Conspersæ oleo*. Alii habent quartum casum *conspersam*, relatum ad illud quod præcedit *decimam partem*. Correctores ellegerunt secundum casum *conspersæ*, relatum ad nomen *similæ*.

V. 20. *Sicut de areis primitias separatis*. Præsens *separatis* non est mutandum cum futuro *separabitis*.

V. 26. *Qui peregrinantur inter eos*. Non mutes tertiæ personæ pronomen *eos* cum secundæ *vos*.

# COMMENTARIA.

S A.

*Vers.* 3. OVIBUS. Hebr. *pecudibus*. Chald. & LXX. *ovibus*.

*V.* 6. ET ARIETES, id est singulos arietes.

*V.* 15. IUDICIUM, id est ritus, seu consuetudo.

*V.* 20. DE CIBIS, scilicet partem. Heb. *de conspersionibus*, id est pastis, scilicet placentas. SICUT DE AREIS, scilicet soletis.

*V.* 21. DE PULMENTIS: repetitio eius quod supra de cibis; quasi dicat, placentam unam. Hebr. & LXX. *de conspersionibus*.

*V.* 22. PER IGNORANTIAM. Vide Levit. IV.

*V.* 24. LIBA, id est libamina.

*V.* 25. ROGABIT. Hebr. *Expiabit*. Chald. & LXX. *Propitiabit*: sic & infra. NON SPONTE. Hebr. *per errorem*, seu *ignorantiam*. LXX. *involuntarie*. NIHILOMINUS OFFERENTES; pro, & tamen offerent. INCENSUM, pro sacrificium quod inceditur: supra in principio capitis vertit *oblationem*; itemque paulo post.

*V.* 30. PERIBIT; id est, digna est morte vel interficietur, scilicet iudicis sententia.

*V.* 31. PORTABIT INIQUITATEM; id est, dabit pœnas iniquitatis.

*V.* 38. VITTAS. Nota, quod ipsæ vittæ, scilicet fila serica intorta, erant fimbriæ: quod si fimbria intelligatur extremitas vestis, ex fimbriis pendebant vittæ.

*V.* 39. FORNICANTES, scilicet deserto Deo; quasi dicat, peccantes.

ES-

## ESTII.

*Verſ.* 30. **A**NIMA VERO QUAE PER SUPERBIAM ALIQUID COMMISERIT, SIVE CIVIS SIT ILLE, SIVE PEREGRINUS (QUONIAM ADVERSUS DOMINUM REBELLIS FUIT) PERIBIT DE POPULO SUO. Levit. VI. hæc verba habentur: *Anima quæ peccaverit, & contempto Domino, negaverit proximo ſuo depoſitum, reddet omnia. Pro peccato autem ſuo offeret arietem immaculatum*. Quæritur ergo quomodo ibi tantum iubeatur ſacrificium pro peccato contemptus offerri, hic autem mors ſit pœna? Reſpondetur, hoc loco ſermonem eſſe de eo qui per teſtes convictus eſſet, & non ſolum quod ſciens & volens contra mandatum Dei feciſſet, ſed etiam quod ſufficienter admonitus, a peccato illo abſtinere, & corrigere ſe noluiſſet: & talis per ſententiam iudicis erat morte plectendus. In Levitico autem de eo agitur qui ſponte peccatum ſuum, quod aliequi per contemptum commiſerat, confitetur ſacerdoti, cupiens pro eius venia conſequenda offerri ſacrificium. Quod enim ibi additur, *Convicta delicti*, adiectitium eſt, neque in Hebræo habetur, neque in omnibus exemplaribus Latinis.

*V.* 34. QUI RECLUSERUNT EUM IN CARCEREM, NESCIENTES QUID SUPER EO FACERE DEBERENT. Atqui Exodi XXXI. dictum erat: *Omnis qui fecerit opus in hac die, morietur*. Sed reſpondeo: Sciebant eum morte plectendum, ſed ignorabant quo mortis genere. Alii reſpondent, eos neſciſſe utrum ſciens ac prudens feciſſet.

*V.* 35. OBRUAT EUM LAPIDIBUS OMIS TURBA. Cum ſcelus blaſphemiæ divini nominis longe ſit gravius hac ſabbati violatione per collectionem lignorum, quare tamen blaſphemus non maiori pœna punitus ſit, vide Levitici caput vigeſimum quartum.

## MARIANAE.

*Verſ.* 4. **D**ECIMAM PARTEM EPHI. In Hebræo non eſt *ephi*, ſed tantum *ſimilæ decimam*, nimirum gomor, quæ *decima* abſolute vocatur, cum ſit decima ephi, ut Sept. & Hieron. explicationis cauſa addiderunt. QUARTAM PARTEM HIN. *Hin* capit duodecim loghin, ſeu ſextarios Hebraicos, quorum ſinguli quantum ſex ova capiunt; uti nos explicavimus de Pond. & menſ. cap. XIV.

*V.* 5. PER AGNOS SINGULOS. Vox כבש *chebes* ſignificat agnum anniculum.

*V.* 6. ET ARIETES. Hebr. *vel arietem*. Sed inter Hebræos Rabbi Iona eam coniunctionem copulative accipit, ut & Sept. & Hieronymus; Chald. & alii disiunctive. Verum ſententia non diſcrepat.

Verſus deeſt in Vulgata, qui Hebræis eſt duodecimus: *Iuxta numerum quem facietis, ſic facietis uni*, id eſt ſingulis, *iuxta numerum eorum*. Quod Hieronymus omiſit, quod ſit repetitio verſus undecimi in ſententia. Idem fecit proximis verſibus, ſententiam ſecutus multa verba reſecuit; ſed & verſu 15. ubi ait, UNUM PRAECEPTUM, deeſt, *O congregatio*, הקהל *hakahal*, ubi Hebræi notant, *Ha* articulum vim vocandi habere, quod in Hiſpanica lingua frequens etiam eſt; quaſi dicat: O congregatio, audi unum præceptum, &c.

Quod ait verſ. 20. DE CIBIS VESTRIS, & verſ. 21. DE PULMENTIS, utrobique Hebraice *De conſperſionibus*, ſeu *conſperſionum placentam*; hoc eſt, cum ſubigetis farinam, placentam quaſi primitias offeretis.

*V.* 25. NIHILOMINUS OFFERENTES INCENSUM DOMINO PRO SE, ET PRO PECCATO ATQUE ERRORE SUO. Hebr. *Et ipſi afferent oblationem ſuam ſacrificium incenſum Domino, & peccatum ſuum coram Domino pro errore ſuo*. Ita *peccatum* non ſumitur pro peccato ipſo, ſed ſignificat *hoſtiam pro peccato*. *Incenſum* non ſumitur pro thure, ſed pro *combuſtum*.

*V.* 28. ET DEPRECABITUR PRO EA SACERDOS. Hebr. *Propitiabit pro anima ſacerdos*. QUOD INSCIA PECCAVERIT. Hebr. *in peccato eius in ignorantia*. בחטאה *behetah* ubi ה in fine eſt affixum, & deberet eſſe cum *mapik*, ſed eſt irregulare.

*V.* 30. ADVERSUS DOMINUM REBELLIS FUIT. Hebr. *Dominum ipſe irritavit*, ut Chald. Alii, *Convitiatus eſt Dominum*.

*V.* 38.

*V.* 38. COLLIGENTEM LIGNA. Hebr. *colligentem stipulas*.

*V.* 39. NEC SEQUANTUR COGITATIONES SUAS, ET OCULOS PER RES VARIAS FORNICANTES. Hebraice *Nec sequemini post cor vestrum, & post oculos vestros: in quibus vos fornicatis post eos*: scilicet idola colentes.

## MALVENDAE.

*Vers.* 3. AUT VICTIMAM. Heb. *aut sacrificium*. Quidam universe intelligunt quodvis sacrificium quod ex mactatis animalibus fiebat, ut vers. 5. & 8. Nam alioqui mincha, oblatio, munus erat ex simila; libamen vero ex oleo, & vino. Hinc intelligunt, nullum sacrificium animalium fieri sine minchah, & libamine.

*V.* 4. QUARTAM PARTEM HIN. Notant, quartam, seu quartale hin cepisse 18. ovorum integra putamina, id est dimidium congii. Vide Exodi XXIX. vers. 40.

*V.* 5. PER AGNOS SINGULOS. Hebr. *agno uni*, seu *pro unoquoque agno*.

Hebr. vers. 12. prætermisit Noster, quod satis in undecimo intelligeretur. Nos ex verbo reddidimus ( *Secundum numerum quem facietis, sic facietis uni secundum numerum eorum*. ) Alii ita referunt. I. *Pro numero quem parabitis, sic facitote in unumquemque pro numero eorum*. II. *Pro numero quem sacrificabitis, ista observabuntur a vobis per singula eorum*; id est, pro ratione eorum ex quibus fiunt minchæ, & libamina; quasi dicat, erit proportio sacrificiorum & libaminum. III. *Iuxta numerum quem sacrificabitis, iuxta eumdem in his facere debetis*. Sive *qualem numerum in his feceritis, talem quoque numerum facietis in illis*; quasi dicat: Tot minchas, id est oblationes farinaceas, totque libamina ex oleo, & vino offeretis Domino, quot pecora sacrificabitis. Unicuique sacrificio quotquot ea fuerint, adhibeatur suum minchah & suum libamen: nullum sacrificium pecorum fiat sine suo minchah, & libamine, iuxta formulam & quantitatem in superioribus versibus præscriptam.

*V.* 15. Qui Hebr. 16. ATQUE IUDICIUM. Heb. *Et iudicium unum*. Varie exponunt: 1. *& ritus idem*; 2. *& norma una*. 3. *& consuetudo, mos unus*. 4. *& ratio eadem*; ADVENIS TERRAE: qui verum Dei cultum & fidem amplexi sunt; quales multi degebant inter Hebræos.

*V.* 20. DE CIBIS VESTRIS. עריסות *gharisot*, quater tantum in Scriptura legitur, & Noster *cibos* semper interpretatus est. Quidam conferunt cum ערש *gheres* cum *Scin, strato, lecto*: voluntque esse *stratas farinæ*, quas nos *pastas* aut *massas* vocamus; seu *conspersiones* farinæ. Quidam alii consonantiæ vocum nimium aucupatores עריסה *gharisah*, *oryzam*, genus leguminis esse volunt, quod vulgo *risum* vocant, & Hispanice *arroz*; hic vero עריסות *pulmenta* intelligunt, & cibos *ex oryza* facta instar pastarum. Unde exponunt: *Primitias oryzarum vestrarum in libum levabitis*. Sed vehementer dubito oryzam in terra sancta aut illis desertis gigni, quæ locis palustribus & aquarum abundantibus alitur. SICUT DE AREIS. גורן *goren*, a גור *gur* quidam deducunt, & sic dictam *aream*, vel *horreum* volunt, quod in eam contrahantur fruges. & quia Orientales habuerunt horrea in areis, usurpari sæpius unum pro alio. Sensum huius loci esse aiunt: Offeres pro quantitate massæ tuæ, ut fit in segetibus, & eodem ritu, ut præcipitur Levit. II. vers. 14. Vide ibi.

*V.* 22. PRAETERIERITIS QUIDQUAM HORUM. Hebr. *Et non feceritis omnia præcepta ista*. Exponunt, omnia mandata ista ad externum Dei cultum pertinentia, de quibus hoc capite loquitur: nam hac ratione lex hæc distinguitur ab ea quæ habetur Levitici IV. de errore totius cœtus Israelitarum, quem extra res divinas & sacras commiserint.

*V.* 23. A DIE QUA COEPIT IUBERE. Explicant: Id est, inde ab hoc tempore quo legem hanc fero, auctore Deo.

*V.* 24. UT CAEREMONIAE POSTULANT. Heb. *Secundum iudicium*, id est iuxta normam, morem, ritum. Quidam, *pro ratione eius*. Vide supra vers. 16. HIRCUMQUE. Hebr. *Et hircum caprarum*: de qua phrasi vide Levit. IV. 23.

*V.* 30. ANIMA VERO, QUAE PER SUPERBIAM ALIQUID COMMISERIT. Hebr. *Et anima, quæ fecerit in manu excelsa*. Quidam exponunt: *In manu excelsa*, hoc est per superbiam, temeritatem, aut per impudentiam. Est enim antithesis eorum qui per incogitantiam, aut igno-

ignorantiam delinquunt; quasi dicat: Qui scienter & contumaciter Dei præceptum transgreditur, hic Dei contemptor & blasphemus iudicandus est. Alii, *Peccare in manu excelsa*, idem esse volunt atque totis conatibus peccare, & omnibus viribus adhibitis, & cum audacia & arrogantia, & quasi per contemptum, arroganter & superbe, atque cum fiducia, & fronte perfricta. Nonnulli: *Anima vero illa quæ commiserit elata manu*, id est proterve, neque Deum, neque homines metuens, aut recondita manu; sed aperte, exertaque manu contravenerit, tamquam vexillare impietatis & blasphemiæ signum Deo infestum efferens, ut omnes in eamdem audaciam pertrahat, & palam illudat Deo.

*V.* 31. ET PORTABIT INIQUITATEM SUAM. Hebr. *Iniquitas eius in ea*; id est, dabit pœnas iniquitatis suæ.

*V.* 32. COLLIGENTEM LIGNA. Egimus de significatione verbi קשש *kaschasch* Exodi v. vers. 7. hic quidam vertunt: *In fasces complicantem ligna*, vel *laqueis constringentem ligna*. Nos ex propria verbi notione, *quisquiliantem ligna*: quod nimirum parva ligna, & ex maioribus diffissa, veluti stipulas, & quisquilias colligeret.

*V.* 35. MORTE MORIATUR HOMO ISTE, &c. Prudens est hic Caietani observatio: severius semper Deum animadvertisse in primos legum suarum transgressores; in peccatum gulæ primorum parentum; in primum homicidium Kain; in primam libidinem sub diluvio; in primam sodomiam, in Sodomis; in blasphemiam filii Israelitidis; in primam idololatriam Israelitarum, in vitulo; in primum sacrilegium Nadab, & Abihu filiorum Aaron; hic in primam violationem sabbati; deinde in primam transgressionem anathematis apud Iericho, in Achan; in primam inobedientiam regum in Saulis deiectione: & in novo Testamento in primum mendacium Ananiæ & Saphiræ.

*V.* 38. UT FACIANT SIBI FIMBRIAS. ציצת *tzizit*, Hebræi aiunt esse *fimbriam*, seu *extremitatem vestimenti quæ cæsuratim rescissa dissecatur*; nempe alam, seu ramum, aut extremitatem vestis, seu panni, illud scilicet quod remanet de textura, quod est suspensum ex ea, seu fila illa quæ relinquuntur in ultimo telæ non texta. A ציץ *tzitz*, *flore*, quod rami, seu floris speciem habeant eiusmodi fila in extremitate vestium, seu pannorum, e textura seu nodo egredientia. Tremellius, Iunius, Buxtorfius vertunt *peniculamentum*; atque hæc annotant: *Sic vocant Ennius & Lucillius genus segmenti carminati, quasi in penicillos sectis filis abiens, quod vulgo Frangiam nominant*, *Germani*, Franzen: *& ita ab Onkelo, & ab Hebræorum doctissimis quibusque accipitur. Hoc autem significationi videtur longe melius convenire, quam si fasciam, institam, tæniam, aut aliud quidvis expresseris, quia varius ille, & peniculatus filamentorum textus respondet toti illi contextui mandatorum Dei, quem exprimit Moseh sequenti versu dicens: Ut videntes illud, recordemini omnium mandatorum Iehovæ, &c.* De peniculamento Nonius Marcellus cap. XI. num. 624. *Peniculamentum a veteribus pars vestis dicitur*. Ennius Lib. XI. Annalium: *Tendent peniculamenta unum ad quemque pedum*. Lucillus Lib. XIX. *Peniculamentum vere reprehendere noli*. Cæcilius in Feneratore: *Volat sanguis, simul avolat peniculamentum, & pallio datur*. Locum Arnobii Lib. V. *Peniculantem, decuramenta, cantherios innectentem laqueos mobiles*. Iosephus Scaliger emendat: *Peniculamenta decurtantem cantheriorum; innectentem laqueos mobiles*. Vide Scaligerum in Notis ad Moretum, & Paulum Merulam in Commentariis ad II. Annalem Ennii: qui aiunt, peniculamenta esse lacinias tractas vestium. Festus: *Penem antiqui codam vocabant; & peniculi, quibus calceamenta terguntur, quod e codis extremis faciebant antiqui, qui tergerent ea. Dictum est forsitan a pendendo*. Ergo peniculamenta proprie sunt quæ Hispanice dicimus *franias*, *deshilados*, *borlas*, *fluecos*. Quidam hic vertunt: *Et facient sibi flaturam deshilado*. Hispanicus Interpres, *peçuelos*. Iudæi nunc fila octo ex lana contexta assuunt ad quatuor extremitates vestis cuiusdam, quam similem scapulari, seu patientiæ monachorum, super subuculam induunt; ita quod in quatuor angulis inferioribus, duobus anterioris partis, & duobus posterioris partis, appendunt eiusmodi filamenta. Hanc vestem vocant טלית *Tallith*. Elias in Thisbi: *Nos Iudæi vestem quæ constat quatuor oris, & in qua pendent* ציצת *tzizit*, *quamque ma-*

*mane induimus in hora orationis, Taleth vocamus.*

*V.* 39. NEC SEQUANTUR COGITATIONES SUAS, ET OCULOS PER RES VARIAS FORNICANTES. Hebr. *Non exploretis post cor vestrum, & post oculos vestros, post quæ scortamini.* Quidam clarius reddunt: *Non attenta observatione sequamini animum vestrum, & oculos vestros, quæ vos sequentes scortamini*; quasi dicat: Ne abducamini concupiscentia cordis, & pravis animi cogitationibus, & affectibus, nec concupiscentia oculorum; ut impulsi carnalibus desideriis, a vero Deo desciscatis.

*V.* 41. EGO DOMINUS DEUS VESTER. Quidam exponunt quasi dicat: Etiamsi patres vestros a promissa terra excluserim, non tamen ideo sum vobis infensus; sed Deus vester maneo.

## MENOCHII.

*Vers.* 3. ADOLENTES ODOREM SUAVITATIS, holocaustum scilicet, vel victimam pacificam.

*V.* 4. SACRIFICIUM SIMILAE: quod holocaustis tantum, & victimæ pacificæ, non autem victimæ pro peccato, addi solebat. DECIMAM PARTEM EPHI, quæ gomor dicitur. QUARTAM PARTEM HIN. Quarta pars hin erant tres sextarii Hebræi, id est unciæ aquæ, vel vini 40. id est libræ tres, & unciæ quatuor.

*V.* 5. ET VINUM AD LIBA, ad libamina. Simila sale, & oleo commixta victimæ cremandæ imponebatur, & super hæc vinum libabant, illud superinfundendo. Ex his quæ hic dicuntur in textu, facile notabis, quo maior est hostia, maius etiam libamen præscribi.

*V.* 13. PEREGRINI: qui proselyti sunt.

*V.* 19. DE CIBIS, de panibus.

*V.* 20. SICUT DE AREIS. Idem iudicium & de torcularibus.

*V.* 21. DE PULMENTIS, de massa farinæ subacta ad panes conficiendos.

*V.* 24. VITULUM DE ARMENTO IN HOLOCAUSTUM... HIRCUMQUE PRO PECCATO. Levit. IV. 13. præcipitur, ut si tota multitudo filiorum Israel peccaverit, offerat vitulum pro peccato comburendum extra castra; hic vero additur ut præter vitulum Levit. IV. præscriptum, alius insuper vitulus in holocaustum offeratur, & hircus pro peccato. SACRIFICIUM EIUS, farreum. LIBA, libamina olei, & vini.

*V.* 25. OFFERENTES INCENSUM, victimam quæ incendatur, & adoleatur Deo.

*V.* 31. PRAECEPTUM FECIT IRRITUM: violavit præceptum, fecit illud irritum non quo ad obligationem, sed quo ad eius finem, & usum, qui est obedire Deo.

*V.* 32. COLLIGENTEM LIGNA IN SABBATO. In deserto servabant sabbatum quo ad vacationem ab operibus, non quo ad sacrificia.

*V.* 35. MORTE MORIATUR. Leges pœna sanciendæ, præsertim cum recens latæ sunt.

*V.* 38. FIMBRIAS, ad eum modum quo videmus in extremitate telarum fila quædam extare. Has fimbrias etiam Christus gestavit, nam Luc. VIII. 44. dicitur mulier tetigisse fimbriam vestimenti eius. VITTAS HYACINTHINAS, coloris violacei.

*V.* 39. NEC SEQUANTUR COGITATIONES SUAS, ET OCULOS PER RES VARIAS FORNICANTES; quasi dicat: Gestate has fimbrias, ut iis admoniti legis Domini, non sequamini cogitationes, & curiositatem cordis vestri, & oculorum concupiscentiam, quas sequentes aberretis a præceptis Dei, & tamquam fornicarii, alieno rerum concupitarum amore, & peccatis vos polluatis.

## TIRINI.

*Vers.* 3. OFFERENTES ODOREM SUAVITATIS DOMINO; hoc est offerentes holocaustum, vel victimam pacificam. Nam neutrum horum offerri Deo poterat absque libamine, quod erat quasi condimentum sacrificii & convivii Dei. At in sacrificiis pro peccato vel delicto nulla adhibebantur libamina, propter rationem supra allatam cap. IV. Levit. nisi forte in casu particulari ex causa peculiari Deus aliqua subinde adhiberi iussisset.

Nota, quinque fuisse genera libaminum, puta *similam*, *oleum*, *vinum*, *sal*, & *thus*: & so-

& solent hæc omnia in Dei honorem integra vel cremari, vel libari, etiam Iosepho teste *a*. Secus erat cum aliquid horum non per modum libaminis, aut accessorii, sed per se solitarium, & in modum principalis hostiæ seu oblationis Deo offerretur ut sæpe simila offerrebatur: tunc enim parte dumtaxat modica in altari cremata, reliquum sacerdoti cedebat.

*V.* 19. PRIMITIAS DE CIBIS VESTRIS. Hebræus, Chaldæus & LXX. *primitias conspersionis*, seu *massæ farinæ conspersæ & subactæ*, quam vers. 21. *pulmentum* vocat. Iubet enim hic Deus, quod quemadmodum de area seu messe ut minimum sexagesimam partem, teste S. Hieronymo *b*, seponebant, primitiarum nomine sacerdotibus offerendam, quibus iussu Dei cedebat in cibum; sic etiam, quoties panem in clibano coquerent, de massa farinacea subacta panem unum, vel tortulam ante omnia pro iisdem separarent. Non ergo debebant hi panes mitti Ierosolymam, uti nec primitiæ messis; sed tantum dari sacerdotibus qui per singulas urbes mixtim dispersi erant.

*V.* 38. FIMBRIAS PER ANGULOS PALLIORUM. Deuter. XXII. dicit *Per quatuor angulos pallii tui*. Unde colligitur, pallium Iudæorum non absimilis formæ fuisse a pallio Græcorum, & Philosophorum, de quo Tertullianus *c*, nempe forma quadrata, quatuor oris seu extremitatibus constans: quali fere Apostoli depingi solent. Et in hoc differebat a toga Romana, quæ, teste Isidoro *d*, Quinctiliano, & Dionysio Halicarnasseo, forma erat rotunda seu semicirculari, ut sunt chlamydes nostrorum Europæorum. His quatuor pallii extremitatibus iubet Deus assui fimbrias, quales solent textores in extremitatibus telæ suæ relinquere; & constabant filis, seu funiculis hyacinthini coloris, non simplicibus, sed crassioribus, & intortis: quas proinde noster Interpres hic *Vittas* per catachresin vocat: non quod fasciarum haberent speciem, vel planæ essent; sed quod funiculis istis non secus quam vittis res aliqua colligari posset. Hoc fimbriarum signo omnibus conspicuo voluit Deus Iudæos a Gentibus palam distingui. Tropologice, ut meminissent se in peculiarem Dei populum delectos fuisse; & vitam cælestem (quam hyacinthus repræsentat) integra mandatorum Dei observatione agere debere. Ita S. Hieronymus *e*, Theodoretus, Lyranus, & Burgensis. Christum quoque more totius gentis suæ fimbrias tales gestasse constat Matthæi IX. & XIV. Sed Pharisæos, ad ostentationem accuratioris studii legis solitos fimbrias suas magnificare, hoc est maiores facere quam vulgo moris esset, patet ex Matthæi XXIII. Et insuper, addit Hieronymus, interebant Pharisæi fimbriis acutas spinas, a quibus inter ambulandum pungerentur, atque ita ad memoriam officii sui, ac divinorum mandatorum, crebrius, acriusque excitarentur.

(*a*) Ioseph. Lib. III. Antiquit. cap. X.
(*b*) Hieron. in Ezechiel. XLV.
(*c*) Tertull. de Pallio.
(*d*) Isidor. Lib. XIX. Orig. cap. XLIV.
(*e*) Hieron. in Matth. XXIII.

## GORDONI.

*Vers.* 1. NON constat, quo tempore, vel anno in deserto factæ sunt lex ista cæremonialis & insequentes cap. XVI. & XVII. nam contingit hic aliquoties rerum gestarum ordinem mutari.

*V.* 3. Probabile quidem est, hæc peracta fuisse excurrente adhuc anno secundo; sed in qua mansione incertum est: nam Moses hoc loco omisit septemdecim mansiones, nempe a decima quinta mansione, de qua cap. XIII. vers. 7. usque ad trigesimam tertiam, de qua cap. XX. vers. 1. Has in suis tabulis descripsit Adrichomius.

*V.* 4. Erat ex simila quoddam sacrificium per se, sine olei conspersione quidem, sed cum infusione, Levit. II. & 6. aliud ex simila accessorium, & cum sola aspersione olei. De accessoriis hic supra cap. VI. vers. 15. offerre debet similæ decimam partem ephi, hoc est gomor; & vers. 6. duæ ponuntur decimæ similæ. Sed de ephi, & gomor, vide c. XXVIII. & Exod c. XVI.

*V.* 11. Post hunc versum, est in Hebræo versus qui ibi vocatur duodecimus; omissus forte a S. Hieronymo, quod sit repetitio prioris sententiæ.

*V.* 20. DE PULMENTIS, hoc est de panibus: nam Hebræi tunc utebantur pultibus pro pane, quod etiam priscis erat in usu. Hinc pulmentarium est quodvis etiam obsonium. Manna in deserto dabat panes.

*V.* 24.

V. 24. LIBA, id est libamina,
V. 25. INCENSUM, sacrificium quod ncenditur: & vers. 3. vocavit *oblationem*.
V. 38. Fimbriæ sunt ad extremitatem vestium, præsertim palliorum. De his Matt. XII. vers. 5. Violacei, seu cælestis coloris erant Anguli palliorum sunt apud Septuaginta πτερύγια ἱματίων, alæ: vittæ, fila serica intorta: & forte ex fimbriis pendebant vittæ.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 13. Proselyti sunt hi peregrini.
V. 25. OFFERENTES INCENSUM; hoc est, victimam offerentes quæ incendi soleat.
V. 31. PRAECEPTUM ILLIUS FECIT IRRITUM, non in se, sed non obediendo, hoc est sine effectu.

# CAPUT XVI.

*Core, Dathan & Abiron seditionem movent, eosque vivos terra absorbet, & ignis interficit* 250. *viros offerentes incensum; & alios* 14700. *murmurantes consumpsit incendium.*

1. ECce autem Core filius Isaar, filii Caath, filii Levi, & Dathan atque Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben, 2. surrexerunt contra Moysen, aliique filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, & qui tempore concilii per nomina vocabantur. 3. (*a*) Cumque stetissent adversum Moysen & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Cur elevamini super populum Domini? 4. Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem: 5. locutusque ad Core & ad omnem multitudinem: Mane, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi: & quos elegerit, appropinquabunt ei. 6. Hoc igitur facite: Tollat unusquisque thuribula sua, tu Core, & omne concilium tuum: 7. & hausto cras igne, ponite desuper thymiama coram Domino: & quemcumque elegerit, ipse erit sanctus: multum erigimini filii Levi. 8. Dixitque rursum ad Core: Audite filii Levi: 9. Num parum vobis est, quod separavit vos Deus Israel ab omni populo, & iunxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei? 10. idcirco ad se fecit accedere te & omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vendicetis, 11. & omnis globus tuus stet contra Dominum? * quid est enim Aaron ut murmuretis contra eum? 12. Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan & Abiron filios Eliab. Qui responderunt: Non venimus: 13. numquid parum est tibi quod eduxisti nos de terra quæ lacte & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri? 14. Revera induxisti nos in terram quæ fluit rivis lactis & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum & vinearum: an & oculos nostros vis eruere? non venimus. 15. Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum: tu scis quod ne asellum quidem umquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. 16. Dixitque ad Core: Tu, & omnis congregatio tua state seorsum coram Domino, & Aaron die crastino separatim.

17. Tol-

17. Tollite singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum, offerentes Do-
mino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum suum.
18. Quod cum fecissent, stantibus Moyse & Aaron, 19. & coacervassent adver-
sum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Do-
mini. 20. Locutusque Dominus ad Moysen & Aaron, ait: 21. Separamini in
medio congregationis huius, ut eos repente disperdam. 22. Qui ceciderunt proni
in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno
peccante, contra omnes ira tua desæviet? 23. Et ait Dominus ad Moysen: 24.
Præcipe universo populo ut separetur a tabernaculis Core, & Dathan & Abi-
ron. 25. Surrexitque Moyses, & abiit ad Dathan & Abiron: & sequentibus eum
senioribus Israel, 26. dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impio-
rum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.
27. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan & Abiron
egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus & liberis, omni-
que frequentia. 28. Et ait Moyses: In hoc scietis, quod Dominus miserit me
ut facerem universa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: 29. Si
consueta hominum morte interierint, & visitaverit eos plaga, qua & ceteri vi-
sitari solent, non misit me Dominus: 30. sin autem novam rem fecerit Domi-
nus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos & omnia quæ ad illos pertinent,
descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum.
31. (*b*) Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eo-
rum: 32. & aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis & universa
substantia eorum: 33. descenderuntque vivi in infernum operti humo, & per-
ierunt de medio multitudinis. 34. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum,
* fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne forte & nos terra deglutiat. 35. Sed
& ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offere-
bant incensum. 36. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 37. Præcipe
Eleazaro filio Aaron sacerdoti ut tollat thuribula quæ iacent in incendio, &
ignem huc illucque dispergat: quoniam sanctificata sunt 38. in mortibus pecca-
torum: producatque ea in laminas, & affigat altari, eo quod oblatum sit in eis
incensum Domino, & sanctificata sint, ut cernant ea pro signo & monimento
filii Israel. 39. Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea, in quibus obtule-
rant hi quos incendium devoravit, & produxit ea in laminas, affigens altari:
40. ut haberent postea filii Israel, quibus commonerentur, ne quis accedat alie-
nigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne
patiatur sicut passus est Core, * & omnis congregatio eius, loquente Domino
ad Moysen. 41. Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die
contra Moysen & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. 42. Cum-
que oriretur seditio, & tumultus increscerct, 43. Moyses & Aaron fugerunt ad
tabernaculum fœderis. Quod, postquam ingressi sunt, * operuit nubes, & appa-
ruit gloria Domini. 44. Dixitque Dominus ad Moysen: 45. Recedite de medio
huius multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque iacerent in terra, 46. dixit
Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum
desuper, pergens cito ad populum ut roges pro eis: (*c*) iam enim egressa est
ira a Domino, & plaga desævit. 47. Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad
mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama: 48. &
stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.

49. Fue-

49. Fuerunt autem qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum & septingenti, absque his qui perierant in seditione Core. 50. Reversusque est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi fœderis postquam quievit interitus.

(a) Eccli. xlv. 22. Iudæ 1. 11. I. Corinth. x. 10. (b) Deut. xi. 6. Psal. cv. 17. 18. (c) Sapient. xviii. 21.

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 11. *Quid est enim Aaron*. Retinendum est neutrum *quid*, non substituendum masculinum *quis*.

V. 34. *Fugit ad clamorem pereuntium*. Legendum est *ad clamorem*, non *a clamore*, multoque minus *a timore*.

V. 40. *Et omnis congregatio eius*. Male quidam scribunt *cognatio* pro *congregatio*, sive cœtus.

V. 43. *Operuit nubes*; non addas *tabernaculum*, sed subaudias.

# COMMENTARIA.

S. A.

*Vers.* 2. QUI TEMPORE CONCILII, &c. *Senatores consilii, & viri nominati*. Chald. ut Noster. Hebr. utrumque sensum admittunt.

*V.* 3. SUFFICIAT VOBIS, scilicet sors vestra. Hebr. *multum vobis*; quasi dicat: Deberet vobis sufficere. MULTITUDO SANCTORUM, pro sancta.

*V.* 5. NOTUM FACIET DOMINUS QUI AD SE PERTINEANT, &c. LXX. *cognovit Dominus, qui sunt eius, & sanctos adduxit ad se; & quos non elegit sibi, non adduxit ad se*: quem locum citat Paulus II. Timoth. II. SANCTOS; quasi dicat, Quos velit esse sacerdotes.

*V.* 7. SANCTUS, id est addictus sanctis ministeriis, scilicet sacerdotalibus. MULTUM ERIGIMINI. Heb. *multum vobis*, scilicet sumitis.

*V.* 11. GLOBUS, id est cœtus.

*V.* 14. REVERA INDUXISTI NOS IN TERRAM, QUAE FLUIT RIVIS LACTIS ET MELLIS, &c. Si sine interrogatione legatur, ironia est.

*V.* 19. MULTITUDINEM, scilicet *suorum*, ut interpretantur LXX. nempe Core ipse coacervaverat, ut dicunt Heb. Chald. & LXX.

*V.* 26. INVOLVAMINI. Hebr. & LXX. *Pereatis*. Chald. *Percutiamini*.

*V.* 27. FREQUENTIA. Heb. & Chal. *familia*. LXX. *supellectili*.

*V.* 29. VISITAVERIT, id est punierit.

*V.* 30. NOVAM, id est inusitatam & mirabilem. VIVENTES. Intellige tamen fuisse mortuos antequam pervenirent. Vide Apocal. XIX. INFERNUM, scilicet damnatorum. Epiph. in Ancor. Hieron. Eph. IV. BLASPHEMAVERINT. Heb. Chald. & LXX. *Irritaverint*.

*V.* 35. A DOMINO. Forte, ab altari.

*V.* 37. SANCTIFICATA, scilicet ob incensum oblatum Domino.

*V.* 38. IN MORTIBUS; id est, licet eis usi sint peccatores qui interfecti. Vide paulo post. Vel quasi dicat: Sancta sunt, quippe in Dei ultione quodammodo cooperata. Hebr. Chald. & LXX. aliter, scilicet *thuribula*, inquam, *horum peccatorum qui ob peccata sua mortui sunt*. PRODUCATQUE; pro, produci curet per aliquem artificem. ALTARI, scilicet holocausti.

*V.* 43. FUGERUNT. Hebr. & Chald. *Respexerunt*.

*V.* 45. NUNC. Hebr. *in momento*, seu *subito*. LXX. *semel*. IACERENT IN TERRA. Hebr. Chald. & LXX. *Cecidissent in facies suas*.

*V.* 46. ROGES. Hebr. *Expies*. LXX. *Propities*.

## ESTII.

*Verſ.* 22. NUM UNO PECCANTE, CONTRA OMNES IRA TUA DESAEVIET? Dicit *uno peccante*: nempe quia Core in primis ceteris auctor fuerat seditionis. Unde & passim seditio Core vocatur.

*V.* 33. DESCENDERUNTQUE VIVI IN INFERNUM OPERTI HUMO. *In infernum*, id est in inferiores partes terræ: quod significatur per illud, *Operti humo*. Non enim significatur quod sine morte media ad infernum damnatorum, una cum corporibus descenderint (alioqui enim non essent resurrecturi) sed ad distinctionem communis sepulturæ (qua non solent sepeliri, & humo operiri, nisi homines mortui) ad singularem vindictam dicitur quod vivi in terram descenderint, & terra operti sint, quasi vivi sepulti. Vide Psalm. LIV.

*V.* 35. SED ET IGNIS EGRESSUS A DOMINO INTERFECIT DUCENTOS QUINQUAGINTA VIROS. Magna obscuritas est, an Core simul cum Dathan & Abiron terra absorptus sit, an vero cum his ducentis quinquaginta incendio perierit. Ex capite vigesimosexto omnino videri posset illum simul terra absorptum: nam sic ibi legitur, verſ. 10. *Et aperiens terra os suum devoravit Core*; in Hebræo tamen paulo aliter legitur. E contra vero, illum non hiatu terræ, sed incendio consumptum fuisse, docere videntur ista verba huius præsentis capitis verſ. 39. *Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit*: & versu seq. *Ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, & omnis congregatio eius.*

Sane res ex Hebræo ambigua videtur. Ac forte Scriptura diligenter excussa significat, Dathan & Abiron periisse hiatu terræ, simul cum tabernaculis suis, & tota substantia, uxoribus, & liberis: tabernaculum quoque Core cum omnibus qui, & quæ in eo erant simul periisse; ipsum vero Core cum contribulibus suis levitis ducentis quinquaginta, tenentibus thuribula (inter quos & ipse Core erat suum manu tenens thuribulum) periisse incendio; filios vero Core, quod neque in tabernaculo essent, neque inter hos ducentos quinquaginta seditiosos, mansisse superstites. Nam quod dicitur capite vigesimosexto, *Et factum est grande miraculum*, aliter sonat in Hebræo. Vide versiones Pagnini, & Vatabli. Vide & Iansenium super Eccl. XLV. Adde, quod Deuter. XI. de solis Dathan & Abiron dicitur, quod eos terra aperto ore absorbuit cum domibus, & tabernaculis, & universa eorum substantia, & Psalm. CV. idem significatur; de Core autem & congregatione eius subditur: *Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores.*

## MARIANAE.

*Verſ.* 1. ECCE AUTEM CORE. Hebr. *Et accepit Core*, nimirum *seipsum*, ut Hebræi explicant: nam ut socios acceperit Dathan, & alios, coniunctio *&* *Dathan* non patitur, qua ostenditur, Dathan non esse in accusativo, sed in nominativo; sed Hieronymus sententiam expressit, nam Core & Dathan, & alii simul rebellarunt, Ergo *accepit Core*, id est *divisit se*, ut Chald. nempe rebellavit.

*V.* 2. QUI TEMPORE CONCILII PER NOMINA VOCABANTUR. Hebr. *vocati conventus, viri nominis*; hoc est, senatores, & nobiles, ii etiam rebellarunt.

*V.* 5. ET AD OMNEM MULTITUDINEM. In Hebræo additur *eius*, scilicet Core: qui eum sectabantur, locutus est Moyses.

*V.* 7. MULTUM ERIGIMINI FILII LEVI. Hebr. *multum vobis filii Levi*; sed Hebræi pro *multum* explicant, *Sufficit vobis filii Levi*: sic Septuaginta & Chaldæus: scilicet prærogativa, & dignitas vestra sufficiat vobis.

*V.* 14. REVERA INDUXISTI NOS. Ironice. Hebr. *Sane non induxisti nos in terram lacte & melle fluentem, & dedisti nobis hereditatem*; pro, nec dedisti nobis: ut negatio unica pro duabus ponatur.

*V.* 17. AARON QUOQUE TENEAT. Hebr. *Et tu & Aaron quisque thuribulum suum*, scilicet teneat.

*V.* 26. A TABERNACULIS HOMINUM

NUM IMPIORUM. Hebr. *impiorum isto-rum*.

*V.* 27. CUM UXORIBUS, ET LIBERIS, OMNIQUE FREQUENTIA. Heb. *Parvulus*, pro *parvuli*, sive *familia eorum*. טף *teph* utrumque significare potest. Vide in Gen. cap. XLVII. vers. 12.

*V.* 30. SIN AUTEM NOVAM REM FECERIT DOMINUS. Hebr. *Si creaturam creabit*. Hieronymus sententiam expressit. SCIETIS QUOD BLASPHEMAVERINT DOMINUM. Hebr. *Irritaverint*.

*V.* 47. VASTABAT INCENDIUM. Hebr. *Ecce cœperat plaga in populo*.

*V.* 50. POSQUAM QUIEVIT INTERITUS. Hebr. *Et plaga prohibita est*: cum scilicet Moyses staret ad ostium tabernaculi.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. ECCE AUTEM CORE. Hebr. *Et accepit Korach*. Quidam exponunt: Accepit Korach Dathanem & Abironem. Nec iis negotium facessit coniunctio ו praefixa nomini Dathan: quam putant sæpe otiose poni in Hebraismo. Sed pravus sensus: & alioqui repugnat accentus Athnach, & tam auctores seditionis fuere Dathan & Abiron, quam Core. Alii: *Et tulit Korach* seipsum seorsum, vel ad partem; idest, descivit a Mose. Nonnulli: Et *assumpsit* homines *Korach*, e vers. 2. id est, traxit ad suas partes turbidos & seditiosos. Forsan sit Hispanica phrasis, *Tomose*; id est, se cum Mose commisit, concertare, manum conferere voluit cum Mose. Aut, sumpsit sibi multum audaciæ, ut in Mosen insurgere non dubitaverit. DE FILIIS RUBEN. Heb. *Filii Reubenis*, id est posteri, nempe Dathan, & Abiram, & Hon. Vide intra cap. XXVI. vers. 9.

*V.* 2. SURREXERUNT CONTRA MOYSEN. Hebr. *Et insurrexerunt faciebus Moseh*. Hispanice: *Levantaron se le a la cara*; *saltaronle a la cara*; id est, seditionem moverunt; se illi opposuerunt. Verbo *surgendi* utuntur Hispani in seditionibus, & rebellionibus. Quidam reddunt: *Et insurgentes stiterunt se coram Moseh*. ET QUI TEMPORE CONCILII PER NOMINA VOCABANTUR. Hebr. distinctæ duæ sententiæ: *vocati stationis*, *homines nominis*. *Vocati stationis* hic dicuntur qui supra cap. 1. vers. 16. *vocati conventus*, id est viri nobilissimi, nominatissimi, qui ad consilia capienda de republica vocari solebant. Quidam hic reddunt: *Convocati cœtus*, vel *e cœtu*. Alii: *Qui statis temporibus in concionem vocabantur*. Nos: *Vocati stationis*. Forsan erant præfecti castrorum, seu duces agminum, aut promptissimi quique exercitus: nam מועד *moghed*, pro *castris* seu *agminibus* accipiunt Ieremiæ XLVI. vers. 17. quod ea certo numero, & ordine constituantur. Nonnulli hic *moghed* pro *tentorio stationis*, seu *conventus* accipiunt: ut essent ii e primoribus Israelitis, quos Moses de rebus magnis vel consulturus, vel sententiam dicturus, ante tentorium conventus advocaret. Hispanica Translatio, *De los del consejo*; vel *llamados del ayuntamiento*. Homines nominis sunt, famosi, celebres, inclyti. Sic Genes. VI. vers. 4.

*V.* 3. SUFFICIAT VOBIS. Hebr. *Multum vobis* arrogatis: debueratis forte vestra esse contenti. Alii: *Sat superque vobis*; vel *satis esto vobis*: nimirum quod hactenus occupavistis & obtinuistis auctoritatem in populum, hereditatemque Iehovæ, religionis specie; quasi dicant: Desistite tandem ab ista præsumptione vestra; aut in communem cum aliis fratribus vestris conditionem abiicite vos, aut nos ex æquo sinite administrationem eamdem capessere.

*V.* 5. ET SANCTOS. Hebr. *Et sanctus*. Exponunt: Id est, qui sanctificatus est, seu consecratus a Deo, ut sacerdotio fungatur ei. Quod declarant proxime sequentia verba.

*V.* 7. MULTUM ERIGIMINI FILII LEVI. Hebr. *Multum vobis*, *filii Levi*. Reddit eis verba sua, e vers. 3. quasi dicat: Vos me accusatis quasi ego mihi nimium tribuam, & non sim mea sorte contentus: vos potius estis qui illud facitis, & vestra sorte non estis contenti, qui ultra ministerium leviticum quod vobis Deus præ aliis demandavit, sacerdotium, & imperium populi ambitis. Quidam reddunt: *Nimium vobis sumitis*, *filii Levi*. Alii: *Satis esto vobis*, *sufficiat vobis*, *filii Levi*. Forsan vult dicere: Hucusque iam satis, filii Levi: nimium est quod hucusque processit effrenis ambitio & audacia vestra: iam con-

continete vos, & comprimite seditionem. Hispanice, *Baste ia, no mas*.

*V.* 9. NUM PARUM VOBIS EST? Quidam exponunt: *An minoris facitis, quam ut conveniat vobis?* Num adeo parum est, ut non eo possitis esse contenti, ut non satis superque sit vobis levitico ministerio fungi? ET MINISTRARETIS EI. Heb. *ad ministrandum eos*. Quidam reddunt, *pro ministerio eorum*; *ad ministrandum pro eis*, sive eorum loco: nam alioqui ipsi hoc ministerium exhibere debuerant. Vide supra cap. III. vers. 7.

*V.* 10. UT VOBIS ETIAM SACERDOTIUM VENDICETIS? Hebr. *Et quæretis etiam sacerdoturam?* verbum בקש *bikesch*, aiunt significare *quærere aliquid re ipsa magno studio & conatu, ut illud quis consequatur, & obtineat*. Quod hic Korachitæ ambitiosissime præstabant.

*V.* 13. NISI ET DOMINATUS FUERIS NOSTRI? Hebr. *Facies te principem super nos, etiam te principem faciendo*. Quidam: *Et indesinenter imperium tibi assumis in nos?* Alii: *Nisi & imperium & tyrannidem tibi in nos sumeres?* Geminatio illa hoc ipsum indicat, quod temere nimium & arroganter, & imperium sibi sumeret Moses, & exerceret.

*V.* 14. REVERA INDUXISTI NOS IN TERRAM QUÆ FLUIT RIVIS LACTIS ET MELLIS, ET DEDISTI NOBIS POSSESSIONES AGRORUM ET VINEARUM. Hæc verba Noster sine negatione, vel interrogative accepit, vel ironice; quasi dicat, scilicet induxisti nos; nihil minus fecisti. Alii subaudiunt negationem e præcedenti sententia, in secunda parte: nam Hebr. habent: *Etiam non introduxisti nos in terram, &c. Et dedisti nobis*, pro & nos dedisti nobis, *possessionem*. Sensum esse aiunt: cum ad fines terræ pervenissemus, fecisti ut retro cederemus, supra cap. IV. nec dedisti nobis agros aut vineas, cuius causa nos tibi devinctos teneas. ET OCULOS NOSTROS VIS ERUERE? Exponunt: An existimas totam hanc multitudinem cæcam esse? an nobiscum tamquam cum cæcis te acturum arbitraris ut tuas fraudes non videamus? Alii: Nonne existimas totam hanc multitudinem cæcam esse? Nonne revera nobis tamquam cæcis abuteris, ut ducas quo vis, & regas pro libidine?

*V.* 15. NE RESPICIAS SACRIFICIA EORUM; idest, ne sint tibi grata & accepta. Quidam reddunt: *Ne vertas te ad munus eorum*. Ex verbo: *Non faciabis, non appones, aut vertes faciem ad sacrificium farinaceum eorum*. Aliter: *Non advertas ad oblationem eorum*. Aliud verbum, & alia phrasis, tametsi nonnihil similis huic, est Genes. IV. vers. 4.

*V.* 26. NE INVOLVAMINI IN PECCATIS EORUM. Eleganter expressit Hebraismum: *Ne contrahamini in omni peccato eorum*; idest, ne vos innectatis culpæ & pœnæ eorum. Aliter: *Ne contrahamini ad perditionem cum illis, propter peccatum eorum*; vel *ne abstrahamini, &c.* idest, ne vos pariter abripiat scelus, & supplicium eorum. Hic peccatum pro reatu culpæ & pœnæ libenter acceperim.

*V.* 30. SIN AUTEM NOVAM REM FECERIT DOMINUS. Hebr. *Et si creationem creaverit* IHUH. בריאה *beriah, creationem, creaturam, rem novam, insolitam, conspicuam, exquisitam, selectam, insignem*. Hebræorum quidam reddunt: *Si decisionem deciderit*, vel *decretum decreverit Dominus*; id est, sententiam tulerit. Atque hanc significationem affingunt verbo ברא *bara*, Ezechielis XXIII. vers. 47.

*V.* 32. CUM TABERNACULIS SUIS. Hebr. addunt: *Et omnes homines, qui ipsi Koracho erant*. Quidam ab istis excipiunt filios ipsius Korachi, e disertis verbis Scripturæ infra cap. XXVI. vers. 11. nam intercesserant pro ipsis Moses & Aaron, supra vers. 22.

*V.* 33. DESCENDERUNTQUE VIVI IN INFERNUM. שאול *scheol*, quidam hic *fossam*, alii ineptissime *sepulcrum* interpretantur; prudentiores, *locum damnatorum*, vel *statum mortuorum*: & cum hic *He* finale habeat, שאולה *scheolah*, quod motum ad locum indicat, nonnulli adverbiascere putant: *Descenderunt deorsum, inferius, ad inferiores partes terræ*. Vide quæ notavimus Genes. XXXVII. 34.

*V.* 35. DUCENTOS QUINQUAGINTA VIROS, illos videlicet de quibus supra vers. 2. Apparet istos accepisse ignem ex altari holocaustorum, & imposuisse suis thu-

thuribulis, & cum ad altare thymiamatis progredi vellent ut adolerent suffitum, repente ex ipso holocaustorum altari erupisse divinitus ignem, qui eos momento exanimarit. Alii eos adolevisse putant, e vers. 37.

*V.* 37. ELEAZARO FILIO AARON SACERDOTI, minori, sed in quo Deus hac ratione commendare voluit successionem summi sacerdotii, ut infra cap. XIX. vers. 3. ET IGNEM HUC ILLUCQUE DISPERGAT. Hebr. *Et ignem sparge ultra*, subaudiunt altare: huc illuc, non in ignem altaris. Alii, procul a sanctuario, quo res immundæ abiiciebantur extra castra. QUONIAM SANCTIFICATA SUNT, id est consecrata sacro illo igne sumpto ex altari holocaustorum; vel quod in eis adoleverint sacrum suffitum Domino, vers. 35. & 38.

*V.* 38. IN MORTIBUS PECCATORUM. Heb. *Thuribula peccatorum horum in animabus eorum*, id est, istorum qui peccaverunt adversus animas, id est vitas suas; qui seipsos perdiderunt, qui sibi ipsis causa mortis extiterunt, qui propter peccata sua perierunt. Quidam reddunt: *Ex thuribulis istorum, qui peccatores fuerunt in animas suas*; id est, qui sibi ipsis causa exitii peccatis suis fuerunt. Alii: *Acerræ istæ peccatorum sunt pro animabus eorum*: cuius translationis ego sensum non eruo: nisi velit, sint in monumentum mortis eorum, metonymice; vel sint in suffragium expiandis eorum animabus. Et mirum, Leonem Iudam protestantem voluisse hic favere Purgatorio. PRODUCATQUE EA IN LAMINAS. Hebr. *Et facient ea expansiones, extensiones, eductiones, diductiones, laminarum, bractearum*, id est extensas, ductiles laminas. Alii: *Et facient ea extensiones laqueorum*, id est foramina, seu retia, *ob ductionem pro altari*, ut hoc nimirum laqueato, seu foraminato, aut reticulato opere obduceretur altare. Vide Exodi XXXIX. vers. 3. ET AFFIGAT ALTARI. צפוי tzippui, fere omnes vertunt *obductionem altaris*, seu *pro altari*. Ego nolui vocem a primaria verbi significatione dimovere; *speculationem*, seu *speculabilitatem* reddidi, nempe ut laquei illi reticulati, seu laminæ illæ æreæ, tersæ, politæ, splendentes, fulgentes, essent instar speculi; altareque velut speculum, aut speculabile redderent. UT CERNANT EA PRO SIGNO ET MONIMENTO FILII ISRAEL. Hebr. *Et erunt in signum filiis Israel*; id est, vel pro monumento insignis divinæ in impios sacrilegos vindictæ, vel in memoriam ingentis tunc patrati miraculi & prodigii erumpentis ignis ab altari in eos, qui ad illud indigne & illegitime accesserant.

*V.* 40. LOQUENTE DOMINO AD MOYSEN. Hebr. *Iuxta quod locutus fuerat Iehovah in manu Moseh, ei*, scilicet Eleazaro, vers. 36. & 37.

*V.* 43. FUGERUNT AD TABERNACULUM FOEDERIS. Hebr. *Et aspexerunt ad tentorium conventus*. Verbum יפנו iiphnu ambiguum est, & ad Mosen & Aaron, & ad seditiosos referri potest: de Mose & Aaron erit sensus: Coorta seditione, *verterunt facies ad tentorium conventus*, ut illuc properarent in tutum, receperunt se in tabernaculum, quod Noster intellexit. Si ad seditiosos refertur, geminus est sensus. I. *Et adverterunt facies ad tentorium, & ecce viderunt* nubem & gloriam Domini insidentem tabernaculo. II. *Et respexerunt, verterunt ad tentorium, &c.* tamquam ituri illuc, & Mosen & Aaronem ibidem aggressuri: ut confitentur ipsi cap. sequenti vers. 13. ut ibidem ostendemus. Hunc sensum iuvat nativa significatio verbi פנה panah, *& faciaverunt*, Hispanice, *y encararon se*; id est, illo ruebant ad tentorium conventus.

*V.* 45. RECEDITE. Hebr. *Elevate vos* vel *tollite vos, efferte vos*. CUMQUE IACERENT IN TERRA. Hebr. *Et prociderunt in faciem suam*: nimirum orantes, & deprecantes supplicium a populo.

*V.* 46. PERGENS CITO AD POPULUM, UT ROGES PRO EIS. Quidam reddunt: *Fac ut cito percurras cœtum, & expiationem fac pro eis*; id est, totum cœtum perlustra quam velocissime cum suffitu, ut sit odor gratus coram Domino expiatione tua: ut versus sequens explicat. Hinc forsan gentiles æmulati sunt suas exercituum lustrationes, ut apud Q. Curtium lib. X. Rerum Alexandri, cap. IX. ET PLAGA DESÆVIT. Verbum החל hechel in ista formula plerumque *incipere* significat, unde vertunt, *Incepit plaga*; sed ex primaria significatione possis vertere: *Profanavit, communis fuit, violavit*,

vit, *fistulavit*, *vulgata fuit plaga*: נגף *negeph*, id est *consternatio*, *strages*, *clades*, *percussio*, *cædes*, *læsio*. Quidam hic reddunt *mortificatio*, *mortalitas*. Quod genus mortis id fuerit, Hebræa non plane explicant. Noster vers. 47. incendium vocat: forsan quod vers. 46. dicatur fervorem exivisse a conspectu Domini. Sed ibi fervor iræ intelligitur. Auctor Lib. Iudith VIII. vers. 25. Auctor Sapient. XVIII. vers. 25. Paul. I. ad Corinth. X. vers. 10. ab exterminatore istos periisse, aiunt. Exterminatorem seu dispersorem hunc, Angelum bonum, vel malum plerique intelligunt.

*V*. 48. ET STANS INTER MORTUOS AC VIVENTES. Nimirum tamquam Dei sacerdos, & typus veri ac magni Mediatoris Christi, ut plagæ longe lateque grassanti se obiiceret. ET PLAGA CESSAVIT. Singularem significationem verbi עצר *ghatzar*, Genes. XVI. vers. 2. edisseruimus. Hic plane in Niphal significat: *Et valde conclusa*, *cohibita*, *constricta*, *compressa est plaga*. Nos explicandi gratia, ut vim verbi retineremus, *Prævalita est*: ut vers. 50.

## MENOCHII.

*Vers*. 1. CORE FILIUS ISAAR. Core fuit consobrinus Mosis, & Aaronis: erant enim duorum fratrum filii, Amram, & Isaar. Caath enim genuit Amram, & Isaar, ut patet partim hic, partim Exod. VI. 18.

*V*. 2. SURREXERUNT CONTRA MOYSEN, non tam eius principatum ambientes, quam Aaronis sacerdotio invidentes; quasi illud a se ut pote primogenitis, inique ablatum esset, maxime vero Core, qui erat primogenitus, ut patet Exodi VI. 21. PER NOMINA. Hebr. *Viri nominis*, celebres, primores, & senatores qui ad concilium evocari solebant.

*V*. 3. SUFFICIAT VOBIS ut privati vivatis, & vestra sorte singuli contenti sitis. QUIA OMNIS MULTITUDO SANCTORUM EST: quod omnis hic Hebræorum populus sanctus est, Deoque per veram fidem, religionem, cultum, & pactum in Sina initum, devinctus, & quasi consecratus æque ac vos, o Moses & Aaron. ET IN IPSIS EST DOMINUS, qui illis adest, beneficiisque prosequitur.

*V*. 4. CECIDIT PRONUS IN FACIEM, humiliter orans Dominum, ut seditionem hanc Core discuteret.

*V*. 5. QUI AD SE PERTINEANT. Ad hæc verba alludit Apostolus I. Tim. II. 19. cum ait: *Cognovit Dominus qui sunt eius*. ET SANCTOS APPLICABIT SIBI; hoc est, exteriori signo ostendet quem velit sibi in sacerdotem sanctificari, sacroque hoc ministerio fungi. ET QUOS ELEGERIT, APPROPINQUABUNT EI; hoc est, sacerdotio fungentur ii quos Deus ipse ad hoc delegerit, non alii.

*V*. 7. PONITE DESUPER THYMIAMA CORAM DOMINO: coram Sancto sanctorum, in altari thymiamatis. IPSE ERIT SANCTUS, segregatus, & electus a Deo ad sacerdotium. MULTUM ERIGIMINI FILII LEVI. Hebr. *Multum vobis*, scilicet sumitis, & arrogatis: valde superbitis.

*V*. 11. OMNIS GLOBUS TUUS, congregatio tua, gregales tui. QUID EST ENIM AARON? quasi dicat: quid fecit Aaron? nec enim ipse se ingessit sacerdotio, sed a Deo vocatus fuit.

*V*. 12. MISIT ERGO MOYSES nuntium ad absentes Dathan & Abiron, & etiam ad Hon, nam Core solus erat præsens Mosi. NON VENIMUS: nolumus venire.

*V*. 14. REVERA INDUXISTI NOS IN TERRAM QUAE FLUIT RIVIS LACTIS ET MELLIS. Est sarcasmus; quasi dicat: Hæccine in deserto est terra illa fertilissima, in quam te nos inducturum iactabas? OCULOS NOSTOS VIS ERUERE? ut non videamus tuas imposturas.

*V*. 15. SACRIFICIA, thurificationes: nec enim victimas, sed tantum thymiama obtulerunt.

*V*. 17. DUCENTA QUINQUAGINTA THURIBULA, non sumpta de Sanctuario, sed quæ seditiosi sibi fecerant.

*V*. 18. QUOD CUM FECISSENT, illi 250. Dathan & Abiron, Core & Hon venire noluerunt ex contumacia, vel sibi a Deo timentes malum aliquod.

*V*. 19. GLORIA DOMINI, maior solito lux & fulgor in columna nubis, divinam indicans præsentiam.

*V*. 21. SEPARAMINI DE MEDIO CONGREGATIONIS HUIUS, & sacerdotium ambientium, & populi qui illis ad-

aderat, illisque favebat: hinc Moses pro populo preces fundit, ut sequitur.

V. 22. DEUS SPIRITUUM UNIVERSE CARNIS: qui omnem animam humanam, quæ carnem animat, condidisti; vel qui intima carnis scrutaris, mentem, propensiones, vota cognoscis. UNO PECCANTE CONTRA OMNES IRA TUA DESAEVIET? Pauci peccarunt, ad illos pœna pertinet. Populus non rebellis fuit, aut contumax ut illi; sed levius peccavit, novitate rerum ductus, & curiositate: dignus ergo est cui parcas.

V. 24. CORE ET DATHAN ET ABIRON: intellige & Hon, quia hi quatuor erant capita seditionis.

V. 26. IN PECCATIS: ne pœnæ peccatorum participes sitis.

V. 27. OMNIQUE FREQUENTIA, famulorum, ancillarum, parvulorum.

V. 28. UT FACEREM UNIVERSA: quæ scilicet in vestri ex AEgypto eductione, totoque meo ducatu, ac præsertim circa Aaronis, & filiorum eius in sacerdotes electionem feci.

V. 29. PLAGA QUA ET CETERI VISITARI SOLENT. Quæ extraordinaria non est, & non infrequenter mittitur a Deo, cuiusmodi est fames, pestis, bellum.

V. 30. APERIENS TERRA OS SUUM, facta voragine. BLASPHEMAVERINT DOMINUM. Opus enim Dei, scilicet sacerdotium Aaronis calumniati sunt; illudque non Deo, sed Mosi, eiusque favori iniquo, & iniusto tribuerunt: hoc autem est blasphemare: hoc enim erat ingens Dei iniuria, & contumelia. Blasphemia enim est cum opus Dei tribuitur Dæmoni, vel homini: ut patet Matth. XII. 31.

V. 32. ET UNIVERSA SUBSTANTIA EORUM. Uxores, filii, reliquique familiares peccati participes fuerant rebellibus consentientes, & illorum conatus probantes; ideoque Dominus eadem pœna eos involvit. Parvuli, qui per ætatem peccare non poterant, etiam ipsi absorpti sunt, ut in iis parentes punirentur a Deo, qui vitæ & mortis est Dominus. Si diutius vixissent fortasse parentes fuissent imitati; & alioqui qui corporibus non pepercit, animis videtur pepercisse: nam per remedium legis naturæ ab originali expiatos fuisse credibile est. Circumcisio enim in deserto non fuit usurpata.

V. 33. IN INFERNUM: proprie dictum, quo illos viventes adhuc pervenisse probabile est; licet oppositum sit probabilius. Itaque illud, DESCENDERUNT VIVI, de actu inchoato accipiendum est, non de perfecto. OPERTI HUMO, terra quæ discesserat, hiatum suum concludente.

V. 35. EGRESSUS A DOMINO, ex altari holocaustorum, ex quo ignem petebant ad adolendum thymiama. QUI OFFEREBANT INCENSUM: qui se comparabant ad offerendum.

V. 37. SANCTIFICATA SUNT, per contactum ignis sacri, & thymiamatis; Vel *sanctificata sunt*, dum Deus in impios vindictam exercuit, hoc enim videtur significare quod additur, *In mortibus peccatorum*. Vel tandem *sanctificata sunt*, quia iussa offerri tabernaculo, & in eo asservari ad perpetuam rei memoriam.

V. 38. IN MORTIBUS PECCATORUM, per mortem, ut dixi, vel tempore quo peccatores extincti sunt.

V. 39. AFFIGENS ALTARI, holocaustorum.

V. 45. CUMQUE IACERENT IN TERRA, Moses & Aaron supplicantes pro populo.

V. 47. OBTULIT THYMIAMA. Licebat tantum offerre in tabernaculo in altari thymiamatis; sed extra illud obtulit, Mose ita ex divina inspiratione illi mandante.

## TIRINI.

*Vers.* 2. *& 3.* SURREXERUNT CONTRA MOYSEN. Causa totius seditionis fuit Core Levita patruelis Moysis & Aaronis: nam ægre ferens sese Aaronis eiusque filiorum ministrum esse, contendebat sibi non minus quam ipsis sacerdotium deberi, sive ortum & stirpem, sive opulentiam spectes. Exasperabat eumdem quod in designandis Levitarum principibus, ipse ne quidem constitutus esset Caathitarum princeps, sed ei in hac dignitate prælatus esset Elisaphan *a* filius Oziel, non nisi e quarto filio Caath oriundus, cum Core esset e secundo. Et simili prætextu videtur Core etiam Rubenitarum

rum principes Dathan, Abiron, & Hon adversum Moysen concitasse, quod ipsis potiori iure, utpote oriundis ex Ruben primogenito Iacobi, deberetur supremus principatus quam Moysi. Unde mox Moysi & Aaroni exprobrant, quod qui vix aliis æquari merebantur, iam principatum, & sacerdotium supra ceteros affectarent. SUFFICIAT, inquiunt, VOBIS, QUIA OMNIS MULTITUDO SANCTORUM EST, ET IN IPSIS EST DOMINUS. Sensus est: Sufficiat vobis, quod pares sitis aliis, & pars illius multitudinis quam sibi Deus sanctificavit, & in populum suum secrevit, inter ipsos habitans: neque est quod maiora affectetis, & omnibus dominari velitis.

*V.* 14. REVERA INDUXISTI NOS IN TERRAM QUAE FLUIT RIVIS LACTIS ET MELLIS. Per ironiam & sarcasmum exprobrant Moysi quod imposuerit populo; quasi dicant: Revera egregie præstitisti quod promiseras, & iactare solebas. AN ET OCULOS NOSTROS VIS ERUERE? idque vel morali effossione, ut sit sensus: An existimas te tuis artificiis posse etiam nobis imponere, sicut ceteris imposuisti, ut cæcutiamus etiam in meridie? Vel physica evulsione, hoc sensu: An usque eo ascendet tua tyrannis ut etiam oculos nobis effodias, si minus prompte tibi in omnibus obsequamur?

*V.* 33. DESCENDERUNTQUE VIVI IN INFERNUM; id est, in locum subterraneum, quo scelerati illi hiatu facto, & occlusa rursum terra, vivi excepti & absorpti sunt, exindeque mortui, tum demum secundum animam ad inferos damnatorum delapsi. Ita Abulensis, Lyranus, Hugo, Dionysius Carthusianus. Simili modo plectendus creditur Antichristus, cuius hi rebelles typus fuerunt: Apoc. XIX. v. 20.

Nota ex Num. XXVI. vers. 10. factum esse grande miraculum, nempe quod Core cum tabernaculo totaque familia hiatu absorptis, filii illius non perierint, sed in aere penduli tam diu divinitus sustentati fuerint, donec hiatus iterum sese occluderet. Hi postea tabernaculo & templo *b* constanter cum reliquis levitis servierunt; & multos ex nostris Psalmis *c* composuerunt, decantaruntque: & ex illis oriundus Samuel *b* rexit universum Israelem. Cur vero filii Core ab hoc exitio immunes manserint præ filiis Dathan & Abironis, inter quos etiam fuerunt aliqui infantes innoxii, & alii non conscii, aut saltem non consentientes sceleri parentum; verosimile est causam fuisse, quod filii Core non solum innoxii essent, sed quod parenti res novas molienti etiam positive se opposuerint, & quantum in se fuit, dissuadere atque impedire conati fuerint.

(*a*) Numer. III.
(*b*) I. Paral. VI. vers. 33. &c & cap. IX. vers. 19. & cap. XXVI. vers. 1. & II. Paralip. XX. vers. 19. &c.
(*c*) Psalm. XLI. 43. 84. 86. &c.
(*d*) I. Paralip. VI. vers. 33.

## GORDONI.

*Vers.* 1. CORE (qui Aaronis sacerdotio invidebat) consobrinus putatur Mosis & Aaronis. Accidit hoc excidium populi anno exodi secundo.

*V.* 2. QUI TEMPORE CONCILII PER NOMINA VOCABANTUR. Senatores nobiles, qui etiam rebellarant.

*V.* 4. QUOD CUM AUDISSET MOYSES, CECIDIT PRONUS IN FACIEM: scilicet ut oraret Dominum, & sciret quid Deo placeret in tam impio & periculoso conatu Core: tandem vers. 5. monet eum quid sit agendum; obiterque taxat arrogantiam, vers. 7. his verbis: *Multum erigimini filii Levi*. Constat hinc fuisse plures e levitis in hac factione. Quod est, HAUSTO ... IGNE. In Heb. *Date*, vel *ponite ignem*.

*V.* 7. MULTUM ERIGIMINI: sufficiat vobis sors vestra.

*V.* 14. Verba hæc Core ironiam habent: & per erutos oculos, proverbiali dicterio tyrannidem obiicit Mosi.

*V.* 17. Hebr. *Tu & Aaron quisque teneat thuribulum*.

*V.* 24. Multum valet deprecatio iusti. Effecit oratio ista Mosis, ut Deus parceret populo, nec staret comminatoria sententia. Iubet ergo Deus separari populum a seditiosis.

*V.* 30. REM NOVAM, inusitatam, mirabilem.

*V.* 33. & 35. En triplex exitium, scilicet Core vers. 33. item offerentium incensum vers. 35. & murmurantium vers. 41. Et quidem Core ac Abiron excepit hiatus terræ, extinctique sunt in visceribus terræ etiam pueri multi & innocentes, ob peccatum parentis; quamvis non ideo

negata

negata sit salus æterna his qui peccato carebant : eorum vero animæ quos tenebat peccatum, ad infernum post mortem corporis detrusæ sunt. Scio dubitatum esse, an Core perierit hiatu illo terræ, an vero combustus fuerit igne cum offerentibus thus. Sed verius est hiatu periisse, ut clarissime habetur infra cap. XXVI. vers. 10. Sed notandum est, quod ibidem est, filios Core miraculo fuisse liberatos.

*V.* 47. Sic cœperat plaga in populo.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 3. SUFFICIAT VOBIS. Satis sit vobis ut privati vivatis: totus populus est dicatus Deo ac vos.

*V.* 12. MISIT. Misit Moses nuntium ad Dathan & Abiron absentes.

*V.* 17. DUCENTA QUINQUAGINTA THURIBULA. Non sunt hæc sumpta de Sanctuario, sed quæ conspiratores sibi effecerunt.

*V.* 18. QUOD CUM FECISSENT, illi ducenti quinquaginta.

*V.* 19. GLORIA, splendor insolitus in nube indicans Dei præsentiam.

*V.* 26. IN PECCATIS, peccatorum pœnis.

*V.* 29. Ac si diceret: Scietis Deum me misisse, si videritis eos plaga extraordinaria interire.

*V.* 37. SANCTIFICATA SUNT, separata a profano usu: & sint in exemplum posteris, & rei gestæ memoriam.

*V.* 39. ALTARI, holocaustorum.

*V.* 45. CUMQUE IACERENT IN TERRA, Moses & Aaron.

# CAPUT XVII.

*Sumptis virgis a duodecim tribuum principibus, sola Aaronis virga floruit ac fructum produxit, servataque est in tabernaculo testimonii.*

1. ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad
filios Israel, & accipe ab eis virgas singulas per cognatio-
nes suas, a cunctis principibus tribuum, virgas duodecim,
& uniuscuiusque nomen superscribes virgæ suæ: 3. nomen
autem Aaron erit in tribu Levi, * & una virga cunctas
seorsum familias continebit: 4. ponesque eas in tabernaculo
fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te. 5. Quem ex
his elegero, germinabit virga eius: & cohibebo a me querimonias filiorum Is-
rael, quibus contra vos murmurant. 6. Locutusque est Moyses ad filios Israel:
& dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fueruntque virgæ duo-
decim absque virga Aaron. 7. Quas cum posuisset Moyses coram Domino in
tabernaculo testimonii; 8. sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron
in domo Levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in
amygdalas deformati sunt. 9. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu
Domini ad cunctos filios Israel: videruntque & receperunt singuli virgas suas.
10. Dixitque Dominus ad Moysen: Refer virgam Aaron in tabernaculum testi-
monii, (*a*) ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel, & quiescant que-
relæ eorum a me, ne moriantur. 11. Fecitque Moyses sicut præceperat Domi-
nus. 12. Dixerunt autem filii Israel ad Moysen: * Ecce consumpti sumus, o-
mnes perivimus. 13. Quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur: num
usque ad internecionem cuncti delendi sumus.

(*a*) Hebr. IX. 4.

BRU-

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Et una virga cunctas seorsum familias continebit*. Sic legunt antiqui codices adverbium *seorsum* loco pronominis *eorum*.

*V.* 12. *Ecce consumpti sumus, omnes perivimus*. Præteritum *perivimus*, non est commutandum cum futuro *peribimus*.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Vers.* 2. COGNATIONES SUAS. Heb. & Chald. *domos patrum*. LXX. *domos familiarum*: scilicet per tribus erant accipiendæ.

*V.* 3. SEORSUM FAMILIAS, scilicet cuiusque principis tribum.

*V.* 4. TESTIMONIO, id est arca testimonii. LOQUAR; id est, loqui soleo.

*V.* 6. ABSQUE VIRGA AARON. Hebr. Chald. & LXX. *Et virga Aaron in medio virgarum eorum*. Putant autem Hebræi, fuisse unam ex 12. scilicet tunc numeratam unam tribum Ioseph solum; at secundum lectionem nostram erant 13.

*V.* 13. ACCEDIT AD. Sept. *Tangit*. Videtur autem esse quædam istorum exaggeratio: vel significant, eos qui sibi usurpant ministerium in tabernaculo, cum non sint de tribu Levi, perire: quod in hæreticos quadrat sane quam verissime.

## ESTII.

*Vers.* 2. UNIUSCUIUSQUE NOMEN SUPERSCRIBES VIRGAE SUAE, NOMEN AUTEM AARON ERIT IN TRIBU LEVI. Quæritur, cum in ceteris duodecim virgis essent scripta nomina tribuum, velut in virga Ruben scriptum erat Ruben, & ita de aliis; quare in virga quæ tribum Levi repræsentabat, non fuerit scriptum Levi, sed Aaron; præsertim cum de sacerdotio contenderent diversæ familiæ Levi: Respondeo: Contentio de sacerdotio, quæ erat inter Leviticas familias, iam finita erat per interitum Core, & ducentorum quinquaginta virorum; ac proinde de sacerdotio Aaron remanebat quæstio cum reliquis tribubus: & ea determinata est hoc miraculo, quod eius virga germinaverit, floruerit, & fructum protulerit.

Mystice, per hoc quod virga eius germinaverit, &c. significatur, solos eos sacerdotio & prælatura ecclesiastica dignos esse, quorum virga, id est doctrina, vel docendi potestas coniuncta est cum germine bonæ conscientiæ, flore bonæ famæ, & fructu boni operis.

Quod autem miraculum tale exhibitum non sit pro principatu Moysis, ad quem contendere visi sunt capite superiori Dathan & Abiron (utpote, ut ibidem dicitur, de filiis Ruben, qui fuit primogenitus Iacob) causa similis esse videtur: nempe quod Dathan & Abiron satis castigati essent cum omnibus suis asseclis pro hac culpa; & aliæ tribus satis viderent, reiecto primogenito, frustra se aliquid in principatum populi posse prætendere.

*V.* 10. DIXITQUE DOMINUS AD MOYSEN: REFER VIRGAM AARON IN TABERNACULUM TESTIMONII &c. Meminit huius virgæ Apostolus ad Heb. IX. Scilicet virga hæc pro confirmatione sacerdotii ipsi Aaroni, ad sedandas aliarum tribuum querelas, sola inter tredecim virgas germinaverat, floresque emiserat. Fuit autem hæc virga eadem cum virga Moysi, quemadmodum constat ex historia Num. XX. & aliunde: communiter enim ad edenda signa & prodigia Moyses & Aaron hac virga pro instrumento utebantur; Deo videlicet per eam operante: propter quod & virga Dei dicta est Exodi IV. & XVII. Ceterum ex eo quod Scriptura hic referat flores huius virgæ, dilatatis foliis, in amygdalas fuisse deformatos, non male colligunt Interpretes baculum amygdalinum fuisse. Vide plura de eo in nostris Comment. ad Hebr. IX.

MA-

## MARIANAE.

*Vers.* 2. VNIUSCUIUSQUE NOMEN SUPERSCRIBES VIRGAE SUAE. Hebr. *Viri nomen suum scribes super virga sua*; aut potius, *virum*, id est quemque, *cum nomine suo scribes*.

*V.* 6. ABSQUE VIRGA AARON. Tredecim ergo fuere virgæ. Quod ex Hebraicis tamen non tam aperte colligitur, quæ sic habent: *Et virga Aaron in medio virgarum ipsorum*: sic & Septuag. verterunt: sic Eugub. duodecim virgas tantum fuisse contendit Annot. ad hunc locum: tum Sixtus Senens. Bibliothecæ sacræ Lib. V. annot. CXIV.

*V.* 8. ET TURGENTIBUS GEMMIS ERUPERANT FLORES, QUI, FOLIIS DILATATIS, IN AMYGDALAS DEFORMATI SUNT. Hebr. *Et producens germen*, *&* *florens florem*, *&* *nutrit amygdalas*. Vocem פרח *perah*, quod *germen* est, Hieronymus ad *gemmam* retulit, quæ prima existit, deinde flores, & fructus; sed quia foliorum mentio sic Hebraice nulla esset, Hebræi *germen* ad folia referunt. Si obiicias, in amygdalo ante folia flores produci: dicunt, eam commutationem miraculi vim magis ostendere.

## MALVENDAE.

*Vers.* 3. NOMEN AUTEM AARON ERIT IN TRIBU LEVI. Quia enim in unaquaque virga inscribendum erat nomen principis, seu primarii viri, primariæ & principalis familiæ, seu domus uniuscuiusque tribus, ut mox subditur; volo ut in virga tribus Levi inscribatur nomen Aaronis tamquam totius generis principis.

*V.* 4. CORAM TESTIMONIO, idest coram arca, ante arcam, in qua erat testimonium, idest liber fœderis, seu tabulæ lapideæ continentes decalogum, qui testatur Dei voluntatem, quid a nobis fieri velit. Vide Exodi XVI. vers. 34. & Exodi XXV. vers. 16. sic vers. 7. Is erat sacratissimus tabernaculi locus.

*V.* 5. ET COHIBEBO A ME. Varie ex Heb. convertunt: *Et quiescere faciam*, *remittere faciam*, *sedabo*, *sedando avertam*.

*V.* 6. ABSQUE VIRGA AARON. Noster satis indicat tredecim fuisse virgas: nec ab his abludunt Heb. *Et virga Aaron in medio virgarum eorum*, ut sex a dextris, & alias sex a sinistris haberet ipsa stans in medio. Sed Hebræi constanter volunt non nisi duodecim omnes fuisse.

*V.* 8. ET TURGENTIBUS GEMMIS. Heb. *Et protulit germen*. Quidam Hebræorum hoc de productione foliorum initio accipiunt, postea vero floris, seu germinis, quod Gallice, & Valentine vocamus *boton*: id quod contra naturam est in amygdalo, quæ prius florem quam folia protrudit. Hoc autem factum est ad augendum miraculum. IN AMYGDALAS DEFORMATI SUNT. Diversimode Heb. reddunt. I. *Et festinavit amygdala*, idest cito protulit. II. *Et ad maturitatem perduxit amygdala*. III. *Et ablactavit amygdala*. IV. *Et educavit amygdala*. V. *Et tribuit amygdala*. De significatione verbi גמל *gamal* diximus Genes. XXI. vers. 8.

*V.* 10. IN SIGNUM REBELLIUM FILIORUM ISRAEL. Heb. *In signum filiis mutabilitatis*, *rebellioni*, *inobedientiæ*, *contumaciæ*, *contradictionis*. Vide Genes. XXVI. vers. 35. Quidam hic reddunt: *In signum contra deditos rebellionis*. ET QUIESCANT QUERELAE EORUM. Verbum תכל *tecal* potest esse tertia persona feminea singularis futuri: *Et finiet*, *complebit*; vel *finire*, *cessare faciet*, scilicet *virga*, vel *signum*, quæ Heb. possunt esse feminea hoc sensu: Quotiescumque Israelitæ oculos convertent ad tam clarum & perspicuum divinæ voluntatis indicium, cessabunt querulari & obmurmurare prælatum sibi fuisse Aaron in dignitate summi sacerdotii. Potest quoque esse secunda persona masculea singularis futuri: *Et consummare*, *absumere facies querimonias*, *ululatus eorum*, eodem sensu.

*V.* 12. ECCE CONSUMPTI SUMUS, OMNES PERIVIMUS. Heb. *En expiravimus*, *sublati sumus*, *universi nos sublati sumus*. Oratio maxima pathetica, plena formidinis, & præterita augent significatum; quasi dicat: Omnino actum est de nobis, & de rebus nostris. Quidam sensum esse volunt: Nunc demum actum est de nobis, qui peccavimus contra Iehovam indignissime; nec tamen ante sensimus maleficium nostrum quam ut virga seu pla-

ga eius domaremur, & evinceremur hoc miraculoso signo in conspectu eius.

*V.* 13. QUICUMQUE ACCEDIT AD TABERNACULUM DOMINI, MORITUR. Occasionem horum verborum quidam existimant fuisse mortem illorum quatuordecim millium hominum qui aggressi sunt impetum facere, & irrumpere in tabernaculum Domini, de quibus supra cap. XVI. vers. 42. Notant enthymematicum hic esse Israelitarum sermonem, culpam deprecantium: sic autem se habere eorum argumentationem: Quicumque temere sese ingerunt, & quasi involant in tabernaculum Iehovæ, ii morituri sunt, prout sermone, & opere his diebus ostendit Deus: nimirum & in facto illorum ducentorum quinquaginta virorum cap. XVI. vers. 35. & in altero facto quatuordecim millium, eod. cap. vers. 42. nos autem ita fecimus, fatemur & agnoscimus factum; ex iure itaque essemus morituri, ut præcedenti versu. Sed an non est locus misericordiæ apud Deum; an vero omnes ad unum expirabimus? Huic deprecationi, & quæstioni responderi volunt a Domino sequentibus capitibus. NUM USQUE AD INTERNECIONEM CUNCTI DELENDI SUMUS? Multifariam Heb. interpretantur. I. *An non sumus consumpti expirando?* II. *Itane expirando absumemur?* III. *Numquid consumendi sumus moriendo?* IV. *Anne consumpti sumus deficiendo?* V. *Numquid consumimur expirando?* VI. *Num finem facimus expirandi?* quasi dicat: Numquam mori cessamus. VII. *Utinam mortui essemus omnes.* VIII. *An absolvemus expirando?* IX. *An vero omnes ad unum expirabimus?* X. *Numquid consumendi sumus, ut deficiamus?* id est, numquid consumendi sumus ad internecionem? XI. *Numquid consumpti sumus ad expirationem usque?*

## MENOCHII.

*Vers.* 2. PER COGNATIONES, tribus. UNIUSCUIUSQUE, principis scilicet in quaque tribu.

*V.* 3. IN TRIBU LEVI, *in virga Levi*, ut est in Hebr.

*V.* 4. CORAM TESTIMONIO, id est coram arca.

*V.* 5. COHIBEBO A ME: quiescere faciam.

*V.* 6. FUERUNTQUE VIRGAE DUODECIM ABSQUE VIRGA AARON. Tribus, si numeres Levi, erant tredecim: nam tribus Ioseph erat duplex, sive bipartita, Ephraim scilicet, & Manasse. Pro tribu Levi posita est virga Aaron, quæ fuit decima tertia.

*V.* 8. VIRGAM AARON, qui erat primogenitus in domo, de tribu Levi. ET TURGENTIBUS GEMMIS, ERUPERANT FLORES, QUI, FOLIIS DILATATIS IN AMYGDALAS DEFORMATI SUNT. Hebræa habent: *Et ecce virga protulit germen, & floruit florem, & reddidit amygdalas.* Triplex fuit miraculum: quod scilicet arida virga gemmas protulerit, quod hæ conversæ statim sint in flores, & hi in fructus.

*V.* 12. OMNES CONSUMPTI SUMUS: multi absumpti sunt superioribus cladibus.

*V.* 13. QUICUMQUE, non initiatus, & Deo non vocante. NUM USQUE AD INTERNECIONEM CUNCTI DELENDI SUMUS? Novi istius signi occasione timuerunt, ne rursus in eos Dominus alia aliqua plaga desæviret. Optant ergo malum, si quod impendeat precibus Mosis averti.

## TIRINI.

*Vers.* 4. PONESQUE EAS...CORAM TESTIMONIO, id est coram arca testimonii, UBI LOQUAR AD TE, non tam ore. quam signo, certoque testimonio quo palam faciam voluntatem meam. Nempe, curabo ut ex tredecim virgis plane nudis & effrondibus, subito frondeat, floreat, fructificetque illa una cuius cortici inscriptum est nomen eius cui sacerdotium designavi. Tradunt Hebræi, & Cyrillus, omnes has tredecim virgas ex una eademque arbore amygdalo fuisse. Septuaginta, & Hieronymus alibi, & Philo *a*, κάρυα, id est *nucem*, fuisse dicunt, quæ genus est respectu amygdali.

Allegorice amygdalus, quia prima inter arbores floret, ac fructum profert, significabat ius primogenituræ, puta sacerdotium, dono & electione Dei deferri illi cuius virgæ id primum obtigisset. Rupertus

pertus virgam florentem facit B. Virginem Mariam; florem & fructum eius, Christum nascentem: Rabanus, & Bernardus *b* Christum resurgentem. S. Augustinus *c* per virgam florentem anagogice intelligit resurrectionem corporum nostrorum.

Nota, virgam hanc Aaronis aliam prorsus fuisse a prodigiosa virga Moysis, iussamque asservari iuxta arcam fœderis *d*, perpetuoque virentem mansisse, ut inquit Tostatus, appendentibus etiam floribus & fructibus. Neque enim ob alium finem adservari iubebatur, quam ut perpetuo isto miraculo fides posteris fieret sacerdotii Aaroni divinitus collati ac confirmati.

(*a*) LXX. hic, & Genes. xlIII. vers. II. Hieron. Exod. xxv. vers. 33. Philo Lib. III. Vitæ Moysis.
(*b*) Bernar. serm. II. super Missus.
(*c*) Aug. Tom. X. ser. xcix. de Temp.
(*d*) Ad Heb. IX. vers. 4. & III. Reg. VIII. vers. 9.

## GORDONI.

*Vers.* 2. Constat ex vers. 6. fuisse duodecim virgas, præter virgam Aaron; sicut etiam constat ex cap. I. fuisse duodecim tribus, præter tribum Levi. Habebant vero inscripta nomina principum cuiusque tribus, ut plane declarat textus Hebraicus: *Cuiusque*, inquit, *viri nomen scribes*. Non ergo tribuum nomina, sed nomina principum in quavis tribu: sic in virga Aaronis erat nomen Aaronis. Fuerunt vero ex vers. 6. duodecim virgæ, præter illam Aaronis: nec repugnat textus Hebraicus bene intellectus.

*V.* 3. Hæc Aaronis virga non fuit illa qua Moses perfecit miracula, sed quædam tunc communis virga, similis aliis: vide tamen Exod. cap. VII. vers. 9.

*V.* 8. Hæc Aaronis virga flores protulit, immo & fructus, nempe amygdalas, forte quia virga erat ex tali arbore. Heb. שקדים *wekedim*: Noster, item Aquila, Theodotion, & Symmachus, *amygdalas*; at Septuag. κάρυα *nuces*, ponentes genus pro specie. An semper manserit frondescens hæc virga, incertum.

### Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 4. Coram testimonio, coram arca.

*V.* 6. Tribus Ioseph duas dabat tribus. Ergo tredecim omnino virgæ.

*V.* 12. Omnes, multi.

*V.* 13. Quicumque, post tot plagas timens sibi. In hac nunc proposita interrogatione tacite rogatur Moses, ut intercedat ad Deum.

## CAPUT XVIII.

*De onere sacerdotum & excubiis levitarum: primitiæ & oblationes ac sacrificia sacerdotibus, decimæ autem levitis assignantur, qui earum decimam rursum dabant Aaron.*

1. Dixitque Dominus ad Aaron: Tu, & filii tui, & domus pa-
tris tui tecum, portabitis iniquitatem Sanctuarii: & tu & filii
tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri. 2. Sed & fra-
tres tuos de tribu Levi, & sceptrum patris tui sume te-
cum, præstoque sint, & ministrent tibi: tu autem & filii
tui ministrabitis in tabernaculo testimonii. 3. Excubabunt-
que levitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera taberna-
culi; ita dumtaxat, ut ad vasa Sanctuarii & ad altare non accedant, ne & illi
moriantur, & vos pereatis simul: 4. sint autem tecum, & excubent in custodiis
tabernaculi, & in omnibus cæremoniis eius. Alienigena non miscebitur vobis.

5. Excubate in cuſtodia Sanctuarii, & in miniſterio altaris; ne oriatur indigna-
tio ſuper filios Iſrael. 6. Ego dedi vobis fratres veſtros Levitas de medio filio-
rum Iſrael, & tradidi donum Domino, ut ſerviant in miniſteriis tabernaculi eius.
7. Tu autem & filii tui cuſtodite ſacerdotium veſtrum: & omnia quæ ad cul-
tum altaris pertinent, & intra velum ſunt, per ſacerdotes adminiſtrabuntur: ſi
quis externus acceſſerit, occidetur. 8. Locutuſque eſt Dominus ad Aaron: Ecce
dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum. Omnia quæ ſanctificantur a filiis Iſrael,
tradidi tibi & filiis tuis pro officio ſacerdotali legitima ſempiterna. 9. Hæc ergo
accipies de his quæ ſanctificantur & oblata ſunt Domino. Omnis oblatio, &
ſacrificium, & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, * & cedit in
Sancta ſanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum. 10. In Sanctuario comedes il-
lud: mares tantum edent ex eo, * quia conſecratum eſt tibi. 11. Primitias au-
tem quas voverint & obtulerint filii Iſrael, tibi dedi, & filiis tuis, ac filiabus
tuis, iure perpetuo: qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis. 12. Omnem
medullam olei, & vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino,
tibi dedi. 13. * Univerſa frugum initia, quas gignit humus, & Domino depor-
tantur, cedent in uſus tuos: qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis. 14. O-
mne quod ex voto reddiderint filii Iſrael, tuum erit. 15. * Quidquid primum
erumpit e vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, ſive ex hominibus, ſi-
ve de pecoribus fuerit, tui iuris erit: ita dumtaxat, ut pro hominis primogeni-
to pretium accipias, & omne animal quod immundum eſt, redimi facias, 16. cu-
ius redemptio erit poſt unum menſem, ſiclis argenti quinque, pondere Sanctua-
rii. (*a*) Siclus viginti obolos habet. 17. Primogenitum autem bovis & ovis &
capræ non facies redimi, quia ſanctificata ſunt Domino: ſanguinem tantum eo-
rum fundes ſuper altare, & adipes adolebis in ſuaviſſimum odorem Domino.
18. Carnes vero in uſum tuum cedent, ſicut pectuſculum conſecratum, & ar-
mus dexter, tua erunt. 19. Omnes primitias Sanctuarii, quas offerunt filii Iſrael
Domino, tibi dedi, & filiis ac filiabus tuis, iure perpetuo. * Pactum ſalis eſt
ſempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis. 20. Dixitque Dominus ad Aa-
ron: In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars
& hereditas tua in medio filiorum Iſrael. 21. Filiis autem Levi dedi omnes de-
cimas Iſraelis in poſſeſſionem, pro miniſterio quo ſerviunt mihi in tabernaculo
fœderis: 22. ut non accedant ultra filii Iſrael ad tabernaculum, nec committant
peccatum mortiferum, 23. ſolis filiis Levi mihi in tabernaculo ſervientibus, &
portantibus peccata populi: legitimum ſempiternum erit in generationibus ve-
ſtris. (*b*) Nihil aliud poſſidebunt, 24. decimarum oblatione contenti, quas in
uſus eorum & neceſſaria ſeparavi. 25. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, di-
cens: 26. Præcipe levitis, atque denuntia: Cum acceperitis a filiis Iſrael decimas,
quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id eſt decimam partem deci-
mæ, 27. ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis quam
de torcularibus: 28. † & univerſis quorum accipitis primitias, offerte Domino,
& date Aaron ſacerdoti. 29. Omnia quæ offeretis ex decimis, & in donaria Do-
mini ſeparabitis, optima & electa erunt. 30. Diceſque ad eos: Si præclara &
meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quaſi de area & tor-
culari dederitis primitias: 31. & comedetis eas in omnibus locis veſtris, tam vos
quam familiæ veſtræ: quia pretium eſt pro miniſterio quo ſervitis in tabernacu-
lo

lo testimonii. 32. Et non peccabitis super hoc, egregia vobis & pinguia reservantes, ne polluatis oblationes filiorum Israel, & moriamini.

(a) Sup. III. 48. Exod. XXX. 13. Levit. XXVII. 25. Ezech. xlv. 12. (b) Deuter. XVIII. 1.

# BRUGENSIS

## ROMANAE CORRECTIONES.

V. 9. *Et cedit in Sancta sanctorum*. Nec hic præsens *cedit* mutandum est in futurum *cedet*.

V. 10. *Quia consecratum est tibi*. Retinendum est pronomen *tibi*, non substituenda vox *Domino*.

V. 13. *Universa frugum initia, quas gignit humus*. Antiqui libri habent femininum *quas*, repudiato neutro *quæ*.

V. 15. *Quidquid primum erumpit*. Non scribas futurum *erumpet* pro præsenti.

V. 19. *Pactum salis est*. Cave scribas *pacis* pro *salis*. Sal servit durationi.

## LECTIONUM VARIETAS.

V. 28. *Et universis quorum accipitis, primitias offerte Domino*. Sic monet quidam interpungendum, ut *primitias* referatur ad offerte, & *quorum* subaudias decimas.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Vers.* 1. AD AARON, scilicet per Moysen, vel forte illum per se allocutus. PORTABITIS INIQUITATEM, &c. id est, dabitis pœnas, si quid peccabitur in cæremoniis. LXX. *Accipietis peccata sanctorum, & peccata sacerdotii vestri*. Peccata autem interpretatur Aug. sacrificia pro peccatis. Chald. *Propitiabitis super delicta Sanctuarii, & super peccata sacerdotii vestri*. Vide infra. ET TU, &c. explicatio præcedentis.

*V.* 2. SCEPTRUM, id est virga, scilicet tribu.

*V.* 3. AD VASA, scilicet utenda: alioqui enim portabant, sed tecta. ET AD ALTARE NON ACCEDANT, scilicet sacrificaturi.

*V.* 4. ALIENIGENA, id est qui de alia tribu.

*V.* 5. INDIGNATIO, scilicet Dei, si illi velint ministrare.

*V.* 6. DONUM, id est donatos.

*V.* 7. VELUM, scilicet tabernaculi. EXTERNUS, id est non sacerdos.

*V.* 8. CUSTODIAM; quasi dicat, in tuam potestatem. SANCTIFICANTUR, id est offeruntur. LEGITIMA SEMPITERNA, id est iure perpetuo.

*V.* 9. IN SANCTA SANCTORUM; id est, cedit in tabernaculi sancti usum; quasi dicat, Deo offertur.

*V.* 10. SANCTUARIO, id est atrio. QUIA CONSECRATUM EST TIBI, id est in tuum usum. Hebr. Chald. & LXX. *Sanctum erit tibi*; id est, vesceris ut re sanctificata.

*V.* 11. PRIMITIAS. Hæ erant non minus 60. parte fructuum, non plus 40. dabat vero populus inter utrumque quod vellet. Vide Hieron. Ezech. XLV.

*V.* 12. MEDULLAM, id est quod optimum.

*V.* 13. INITIA, id est primitiæ.

*V.* 14. OMNE: excepto cane qui interficiebatur, & asino qui ove redimebatur, ut dicitur Exod. XIII. Ita quidam. Ego putarim, excepto cane, cetera animalia immunda ad modum asini fuisse ove redimenda, vel ovis pretio. Vide Exod. XXXIV. Deut. XXXIII.

*V.* 16. UNUM MENSEM, scilicet ætatis primogeniti hominis.

*V.* 17. SUPER ALTARE, scilicet ad basim altaris.

*V.* 18. PECTUSCULUM, scilicet hostiæ pacificæ.

*V.* 19. SALIS, id est incorruptum, firmum, & immutabile.

*V.* 22. MORTIFERUM. Hebraice, *Et moriantur*. Chaldaice, *ad mortem*.

*V.* 23. PORTANTIBUS PECCATA PO-

POPULI; quasi dicat, ministrantibus in rebus per quas expiantur peccata populi; vel puniendis, si populum eo admittant: quamquam Hebr. Chald. & LXX. non habent *populi*, sed *eorum*, quod potest de suis intelligi; quasi dicat, sua: scilicet si quid erretur in ministerio. Vide supra.

V. 26. PRIMITIAS EARUM OFFERTE DOMINO. Dabantur sacerdotibus. Vide Ioseph. IV. Antiq. IV.

V. 27. TAM DE AREIS QUAM DE TORCULARIBUS; quasi dicat, perinde ac si offerretis ex propriis areis, &c. ut Hebr. Chald. & LXX. indicant. Vide etiam paulo inferius.

V. 28. UNIVERSIS; pro, de universis. ACCIPITIS, scilicet *decimas*, ut habent Hebr. Chald. & LXX. nam *primitias* cum *offerte* coniungendum. AARON, scilicet dividenda inter sacerdotes. Vide Hieron. Ezech. XLV.

V. 30. QUASI DE AREA ET TORCULARI. Vide supra.

V. 31. EAS, scilicet decimas vobis datas.

V. 32. OBLATIONES: scilicet non faciendo de eis quod dictum est.

## ESTII.

*Vers.* 1. TU ET FILII TUI PORTABITIS INIQUITATEM SANCTUARII, ET SUSTINEBITIS PECCATA SACERDOTII VESTRI. Quidam, inter quos divus Augustinus, sic exponunt: Vestra erunt ea quæ offeruntur pro peccatis populi, ut per peccata figurate intelligantur sacrificia pro peccatis. Sed repugnat vocabulum (*portare*, & *sustinere*) quod onus potius quam emolumentum significat. Sensus igitur est: Si aliqui in sancta, vel tabernaculum se indecenter ingerant per vestram negligentiam; & illi pro temeritate sua punientur, & vos nihilominus pœnas luetis vestræ negligentiæ.

V. 2. SED ET FRATRES TUOS DE TRIBU LEVI, ET SCEPTRUM PATRIS TUI SUME TECUM. Quidam codices, inter quos & Lyrani textus, habent in ablativo, *Sceptro*. In Hebræo sic est ad verbum: *Atque etiam fratres tuos tribum Levi, virgam patris tui, fac appropinquare tecum*. Septuaginta sic: *Et fratres tuos tribum Levi, populum patris tui adduc ad teipsum*. Certe nullo modo hic virga Aaron, quæ fronduerat, intelligenda est: nam hic vocabulum diversum est ab illo quo virga Aaron aliquoties fuit designata; tum virga illa Aaronica iam reponi iussa erat in tabernaculo; ac denique cum ad Aaronem sit sermo, non dicit, Sceptrum aut virgam tuam, sed *sceptrum patris tui*: quam utique non aliam intelligi posse arbitror, quam aut tribum Levi, aut familiam Caath vel Amram potius, proxime illi sanguine iunctam.

V. 19. PACTUM SALIS EST SEMPITERNUM. Male quidam codices habuerunt, *Pactum pacis*: nam vox Hebræa & Græca salem significat, & optimi quique codices Latini habent *salis*, non *pacis*. Quid autem sibi velit pactum salis, vide Annot. Levit. II. vers. 13.

V. 20. IN TERRA EORUM NIHIL POSSIDEBITIS, EGO PARS ET HEREDITAS TUA. Non prohibet quin liceat sacerdotibus, atque levitis habere possessiones etiam agrorum; sed sensus est, levitas non habituros portionem separatam a reliquis tribubus, sed assignari eis a Domino primitias & decimas, & alia quæcumque offeruntur Domino, inter quæ erant etiam pecora non immolatitia. Itaque opus illis erat pascuis ad pecora alenda; in quem usum data sunt eis suburbana, ut habemus in Iosue diversis locis. Debebant etiam habere domos ad inhabitandum. Quin etiam ex peculio collecto, vel ex donato seu legato creduntur potuisse habere agros, & alia loca immobilia. Atque hinc existimo, Ieremiam Sacerdotem, & in Actis Barnabam Levitam habuisse agros, quos leguntur vendidisse.

V. 21. OMNES DECIMAS IN POSSESSIONEM PRO MINISTERIO QUO SERVIUNT MIHI. Non significatur hic, sacerdotes, & levitas vendere aut pretio subiicere suas operas, quas exercent in tabernaculo, sed ordinatione divina illis talia deberi ratione ministerii sacri. Et nota Scripturæ phrasim, ne quis offendatur, si audiat sacerdotem Christianum similiter loquentem. Quod autem in fine cap. dicitur, *Quia pretium est*; observa improprie pretium dici: & vox Hebræa non pretium, sed mercedem significat.

## MARIANAE.

*Verf.* 1. PORTABITIS INIQUITATEM SANCTUARII, in pœnam iniquitatis commissæ in cultu Sanctuarii: sic etiam PECCATA SACERDOTII intelligito, id est pœnas ob ea peccata.

*V.* 6. EGO DEDI VOBIS FRATRES VESTROS LEVITAS, &c. *Et ego ecce accepi fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel, vobis donum datos Domino, ut serviant servitutem tabernaculi testimonii*: sic Sept. In Vulgata, ut melius cohæreant sequentia, post *Tradidi* pone comma, & deme comma quod præcedit: sic *tradidi* iungatur cum *dedi vobis*, & *donum Domino* appositive accipiatur.

*V.* 8. PRIMITIARUM MEARUM. Hebr. *oblationum mearum*. Non tantum primitiarum custodiam dat illis, sed omnium quæ offerebantur. PRO OFFICIO SACERDOTALI. Hebr. *ad ungendum*; sed intellige pro unctione quam accepistis, sane pro officio sacerdotali: sicque explicant Hebræi. Et Chaldæus pro *unctione* ponit, *dedi* scilicet vobis oblationes:

*V.* 12. OMNEM MEDULLAM OLEI. Hebr. *Adipem olei tibi dedi*. Adeps in omni re vocatur quod optimum est, a carnibus sumpta metaphora. Septuag. *primitiam* pro *adipe* posuerunt. Porro *oleum* יצהר *iizhar* vocatur a luce, quod splendeat cum est novum.

*V.* 14. OMNE QUOD EX VOTO REDDIDERINT FILII ISRAEL. חרם *herem* proprie est *anathema*: sicque Chald. & Sept. Si vivum, occidebatur; si inanime, consecrabatur Deo, sed cedebat in usum sacerdotum.

*V.* 19. OMNES PRIMITIAS SANCTUARII. Hebr. *Elevationes*, nempe oblationes. PACTUM SALIS EST SEMPITERNUM. Sal est symbolum perpetuitatis, quod sale serventur carnes.

*V.* 21. PRO MINISTERIO. חלף *heleph* est *permutatio*; quasi dicat, compensatio ministerii. Sed recte pro ea voce Hieronymus posuit *pro*: nam & Chald. pro חלף, quod *pro* significat quibusdam locis, eam vocem חלף *heleph* ponit.

*V.* 22. NEC COMMITTANT PECCATUM MORTIFERUM, Hebr. *Ne sumant peccatum, & moriantur*, scilicet ut Core, & socii.

*V.* 32. EGREGIA VOBIS ET PINGUIA RESERVANTES. Hebr. *In elevando vos pinguedinem eius ab eo*, ut scilicet vobis retineatis; hoc est, innoxii eritis, si dederitis summo sacerdoti meliora, nec vobis retinueritis, quod esset peccatum.

## MALVENDAE.

*Verf.* 1. DIXITQUE DOMINUS AD AARON: TU ET FILII TUI. Exponunt: Quia Deus Israelitas metu quo premebantur supra cap. XVII. vers. 12. & 13. voluit liberare, ideo sui adeundi rationem docet, & per quos, quibusque administris reconciliatio facienda. ET DOMUS PATRIS TUI, seu *familia*, idest tribus Levi, ex sacerdotibus & levitis constans. PORTABITIS INIQUITATEM SANCTUARII; idest, rei eritis & culpæ, & pœnæ, si quid in Sanctuario fiat contra præscriptum & mandatum Dei: vel dabitis pœnas si quid in cæremoniis Sanctuarii peccatum fuerit, aut si quid in res sacras, aut in ministerium sacrum committetis. Alii exponunt: Vos custodes eritis Sanctuarii, & neminem qui non sit de tribu vestra, permittetis ministrare in Sanctuario, aut accedere ad sacra: alioqui vos luetis, si quid in his secius perpetratum fuerit. SUSTINEBITIS PECCATA SACERDOTII VESTRI. Heb. *Portabitis iniquitatem sacerdotii vestri.* Quidam reddunt: *Portabitis pœnam iniquitatis in sacerdotio vestro commissæ*. Alii explicant: Similiter, tu Aaron, & filii tui, quos peculiariter delegi mihi in sacerdotes, cavebitis diligenter ne alii Levitæ usurpent sibi sacerdotale officium; sed illi suum leviticum, vos vestrum sacerdotale exequemini, ne in peccatum corruatis.

*V.* 2. PRAESTOQUE SINT. וילוו *veiillauu*, & *adiuncti*, *additi*, *copulati*, *associati*, *accommodati*, *mutuati*, *mutuo dati fuerunt*. Enucleat genuinam rationem nominis Levi, qui *adiunctum*, *adhærentem*, *obligatum*, *additum*, *copulatum*, *associatum*, *accommodatum*, *mutuo datum* significat ex verbo לוה *lavah*, insigni præsagio nominis; quando eum Lia peperit Genes. XXIX. vers. 34. quod nimirum Levitæ

Aa-

Aaroni, & posteris eius sacerdotibus adiuncti, & associati esse debebant in ministerio templi. Vide Comm. nostros in eum Genesis locum, & infra vers. 4. TU AUTEM ET FILII TUI MINISTRABITIS IN TABERNACULO TESTIMONII. Heb. *Et tu & filii tui tecum in conspectu tentorii testimonii*; subaudi, eritis, vel stabitis, vel ministrabitis. Quidam reddunt, *ante tentorium testimonii*; quasi dicat: Procurabitis quidquid ad ministerium sacrum pertinet, ab altari usque ad intimam partem Sanctuarii, ubi est arca.

*V.* 3. EXCUBABUNTQUE LEVITAE AD PRAECEPTA TUA. Quidam reddunt: *Et observabunt observationem tui*; id est, observabunt, & facient quæ illis præceperis; præsto erunt ad omnia mandata tua. ET AD CUNCTA OPERA TABERNACULI. Heb. *Et observationem, custodiam totius tentorii*; idest, ut servent & custodiant diligenter omnia vasa, & instrumenta tabernaculi: ut cum deponendum, deferendum, figendum sit tabernaculum, curent ut omnia fiant decenter, apte, & composite: & in ministeriis tabernaculi sedulo inserviant. Notant, eiusmodi phrases Hebraicas, *observare observationem, servire servitutem*, curam, studium, ac diligentiam denotare. ET VOS PEREATIS: si vel illis permiseritis accedere, vel si vestra incuria & negligentia illi accesserint.

*V.* 4. ALIENIGENA NON MISCEBITUR VOBIS. Heb. *Et alienus, extraneus*, idest qui non fuerit de tribu Levitica, etiam si Israelita fuerit, sic vers. 7. *non miscebitur, non appropinquabit ad vos*: nimirum ut ministret in cultu divino, vel obeat aliquod munus vel leviticum, vel sacerdotale.

*V.* 5. NE ORIATUR INDIGNATIO SUPER FILIOS ISRAEL; quasi dicat: Si omnia in cultu divino persancte, rite, & ex ordine a levitis, & sacerdotibus fiant, erit Deus placabilis & benevolus Israelitis, nec ira effervescet in eos. Alii: Ne Deus severe animadvertat in populum, si res divinæ male procurentur a sacerdotibus: ut sit illud simile:

*Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.*

Quidam longius exponunt: Ne lapsu ac socordia sacerdotum populus incitatus ad divina ipse accedat, & exardescat in eum ira divina. Proprius: Curent soli Aaron & filii eius munus sacerdotale, nec ullus id temere usurpare audeat alius, ne ultra oriatur indignatio Domini in populum, ut in facto Korach.

*V.* 6. ET TRADIDI DONUM DOMINO. Hebr. *Vobis Donum, datos ipsi Iehovah*. Quidam exponunt: Eos qui prius donati fuere Deo, dono vobis sacerdotibus in donum. Alii reddunt: *Qui sunt pro vobis donum dati Domino*. Nonnulli: *Qui vobis donum sunt deditiții Domino*. Alii: *Vobis dono donantur pro Iehovah*. Vide supra cap. III. vers. 9. & cap. VIII. vers. 16. Nec desunt qui: *Ut eos vobis darem oblatos Iehovæ*.

*V.* 7. PER SACERDOTES ADMINISTRABUNTUR. Hebr. *Servitium, opus, cultum, doni dabo sacerdotium vestrum*. Aliqui explicant: *Functionem gratuitam dedi sacerdotium vestrum*; id est, dedi vobis dignitatem sacerdotalem, idque gratis. Alii exponunt *servitutem doni*, dictum ad differentiam servitutis levitarum: nam levitæ ad serviendum servitutem tabernaculi, sacerdotes autem ad serviendum servitutem doni adsciti sunt: sacrificia siquidem, munera, & oblationes quascumque hic dona intelligi volunt; & perspicuum est, omnem sacerdotum servitutem circa dona huiusmodi versari. Nonnulli reddunt: *Dedi enim vobis officium sacerdotale tamquam munus*. Alii: *Ministerio doni*, vel *dativo ministerio dono sacerdotium vestrum*. Sic Dativos tutores & curatores vocant Iurisconsulti. SI QUIS EXTERNUS, idest qui non fuerit de stirpe Aaron, etiam si Israelita, aut Levita fuerit.

*V.* 8. ECCE DEDI TIBI CUSTODIAM PRIMITIARUM MEARUM. Hebr. *Et ego ecce dedi tibi observationem, terumarum*, idest *elevationum, exaltationum mearum*. Quidam reddunt: *Ecce insuper ego do tibi ad observationem oblationes meas*. Idest committo tuæ curæ & administrationi omnes oblationes filiorum Israel. Primitias hic, primogenita, & decimas intelligunt: alii universe omnia oblata Deo; sed melius, omnia illa quæ peculiari & certo ritu *terumæ* offeruntur Deo, nempe in altum sublata. Vide Exodi XXIX. vers. 24. OMNIA QUAE SANCTIFICANTUR A FILIIS ISRAEL. Hebr. qui-

quidam reddunt, *omnes quoque sanctificationes filiorum Israel*: alii: *in omnibus sanctitatibus filiorum Israel*: nonnulli. *de cunctis sanctificatis filiorum Israel*; vel *ex omnibus rebus sanctis filiorum Israel*; idest, de cunctis quæ Deo offerunt, & sanctificant, consecrantque. PRO OFFICIO SACERDOTALI. למשחה *lemaschechah* potest esse infinitivus: *ad ungere*, *ad ungendum*; vel nomen, *unctionis*, *ad unctionem*, *pro unctione*, seu *propter unctionem*; id est, propter sacerdotium, quod unctione in te, & in filiis tuis consecratum est. Alii *in unctione*, id est iure unctionis sacerdotalis.

*V.* 9. DE HIS QUAE SANCTIFICANTUR ET OBLATA SUNT DOMINO. Hebr. *de sanctitate sanctitatum*; vel *de sancto sanctiorum*; id est, de sanctissimis, & sacratissimis oblationibus. Noster emisit vocem *ignis*, quæ est Hebr. *de sanctitate sanctitatum de igne*. Exponunt: Istud habebis de oblationibus sacratioribus, quæ remanserint, aut super fuerint ex igne, idest quæ igne consumpta non fuerint, quidquid supererit ex igne. Quidam convertunt: *E rebus sanctis sanctorum servatis ab igne*; id est, quæ neque holocausta sunt, neque destinata ut igne crementur Deo. OMNIS OBLATIO, ET SACRIFICUM, &c. Hebr. *Omnis Korban eorum, cum omni minchah eorum, &c.* Persenset genera sacrificiorum quæ Levitici II.4. & seqq. fuse describuntur.

*V.* 10. IN SANCTUARIO COMEDES ILLUD. Hebr. *In Sanctitate sanctitatum comedes illud*, id est in sanctissimo & sacratissimo loco: non quidem in Sancto sanctorum, seu adito, neque in Sancto, sed in atrio tabernaculi, e Levitici VI. vers. 16. & 26. quod hic etiam Sanctum sanctorum appellatur, quod in eum usum comedendi nullus eo sacratior esset locus.

*V.* 12. PRIMITIARUM. Hebr. *principium, initium eorum*. Quidam intelligunt primos fructus, quos primum ager protulerit, ut Levitici XIX. vers. 24. sed alii potius primitias, idest eas, quas Græci ἀπαρχὰς vocant, de quibus extat lex Deuteron. XVIII. vers. 4. sic vers. 13.

*V.* 13. UNIVERSA FRUGUM INITIA. Hebr. *primitiæ omnium quæ in terra eorum*. S. Hieronymus in XLV. Ezechielis: *At vero primitiva quæ de frugibus offerebant, non erant speciali numero definita, sed offerentium arbitrio derelita. Traditionemque accepimus Hebræorum, non lege præceptam, sed magistrorum arbitrio inolitam, qui plurimum, quadragesimam partem dabat sacerdotibus; qui minimum sexagesimam: inter quadragesimam & sexagesimam licebat offerre quodcumque voluissent*. Qualiter vero numerus primitiarum hic in Pentateucho dubius derelictus, in Ezechiele præfixe definiatur, ibidem ex S. Hieronymo videbimus.

*V.* 16. CUIUS REDEMPTIO ERIT POST UNUM MENSEM. *Et redemptiones eius de filio mensis*. Quidam: *Redemptos*, vel *redimendos autem illorum a nato unius mensis, redimes*, seu *redimere iubebis.* Similis phrasis supra cap. III. vers. 46.

*V.* 18. SICUT PECTUSCULUM CONSECRATUM, ET ARMUS DEXTER. Vide de his Levitici VII. vers. 31. 32. 33. 34.

*V.* 19. PACTUM SALIS EST SEMPITERNUM. Quidam innovari hic putant legem illam Levitici II. 13. *Et non cessare facies sal fœderis Dei tui de super minchah tuam: super omnem Korban tuum offeres sal*; quasi dicat: Pactum illud, seu statutum de apponendo sale in omnibus oblationibus quæ Deo offeruntur, quod supra sanxi, iterum hic instauro, voloque perpetuum fore. Vide Comm. ad eum locum. Aliqui vero exponunt, quasi dicat: Has leges quas hic de his quæ ex sacrificiis & oblationibus Domini cessura sunt sacerdoti, præscribo, volo, iubeo esse statuta perpetua, & fœdus salis, seu fœdus salitum, quod Deus externo quoque symbolo sancivit ne umquam evanescat, sed semper vigeat; quasi dicat: Fœdus, seu pactum incorruptum, firmum, stabile, ac perpetuum; vel, decretum ab omni corruptione tutum, sempiternumque, ut vox sequens diserte explicat. Hebræorum aliqui explicant: Ut sal omnia conservat, & durabilia facit; sic sacerdotium vestrum firmum & stabile durabit in perpetuum. Eadem phrasis est II. Paralip. XIII. vers. 5.

*V.* 27. UT REPUTETUR VOBIS IN OBLATIONEM, &c. Quidam exponunt: Id est, ut accepta feratur vobis oblatio illa, non illis a quibus decimas acceperitis. Alii: Tam grata erit oblatio vestra,

quam est grata oblatio eorum qui offerunt aliquid ex propria area, aut ex proprio torculari, sive ex propriis prædiis, quæ vos non possidetis. TAM DE AREIS QUAM DE TORCULARIBUS. Hebr. *Sicut frumentum de area, & sicut plenitudo de torculari.* Quidam explicant: Id est, antequam illis utamini, sicut alii tenentur offerre decimas frumenti, & aliorum proventuum antequam illis utantur; ita vos datote decimarum decimas, quæ tam imputabuntur vobis a Domino, quam si de vestris agellis & operibus perceptæ essent. Vide infra vers. 30. *Quam de torcularibus*. Hebr. *Et sicut impletio de torculari*. Aliqui reddunt: *Et sicut maturus liquor ex torcularis lacu*. Vide Exodi XXII. vers. 29. יקב *iekeb* quidam conferunt cum verbo נקב *nakab*, & a cavitate habere appellationem putant, id est *vas*, *lacus*, *dolium*, in quo uvæ calcantur, & exprimuntur; & Græcis ληνὸν dici *vas in quod vinum recens expressum recipitur*: sed quia vox *dolii*, aut *lacus* Latinis amphibola est, seu polysema, oportuit *torcular* vertere.

*V.* 32. NE POLLUATIS OBLATIONES FILIORUM ISRAEL. Hebr. *Et sanctitates filiorum Israel non profanabitis*, vel *communes facietis*, aut *publicabitis*. Quidam *sanctitates* exponunt sacras oblationes Deo consecratas: alii res sacras filiorum Israel; quasi dicat: Et vos ipsos servabitis, & eos pro quibus ministratis: ut I. Timoth. IV. vers. 16. Sancta persancte tractatote.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. PORTABITIS INIQUITATEM SANCTUARII: dabitis pœnas, si quid peccabitur in cæremoniis; aut si quis externus vestra remissione, & negligentia sese sacris immiscuerit: nam vos confirmavi in sacerdotio, & miraculis vestram auctoritatem apud populum sancivi. Vestrum ergo est sacerdotii iura fortiter tueri.

*V.* 2. SCEPTRUM, tribum. Vide supra cap. XIII. 12.

*V.* 3. EXCUBABUNT LEVITAE, prompti, alacresque ut famuli, qui heri iussa expectant, parati effecta dare. AD CUNCTA OPERA TABERNACULI: ut custodiant, portent cum moventur castra, &c. NE ET ILLI MORIANTUR, ET VOS: illi propter temerarium tactum sacrorum; vos quia non prohibuistis.

*V.* 4. CAEREMONIIS, ministrationibus religiosis. ALIENIGENA, qui de alia tribu est.

*V.* 5. INDIGNATIO SUPER FILIOS ISRAEL, puniente Domino popolum propter peccata sacerdotum: corpus pro capitibus.

*V.* 7. INTRA VELUM, intra Sanctum, & intra Sanctum sanctorum.

*V.* 8. PRIMITIARUM, oblationum. QUAE SANCTIFICANTUR: quæ mihi segregantur, & offeruntur. LEGITIMA SEMPITERNA, lex perpetua, dum Hebræorum hæc durabit Respublica.

*V.* 9. OMNIS OBLATIO, victimæ quælibet, & sacrificia ex legis præscripto oblata. IN SANCTA SANCTORUM: quod mihi offertur, & ideo est sanctissimum.

*V.* 10. IN SANCTUARIO, in atrio tabernaculi, iuxta altare holocaustorum. MARES TANTUM EDENT EX EO, scilicet sacrificio pro peccato, & delicto: nam ex hostia pacifica etiam feminæ comedebant, ut patet Levit. X. 14. Deuter. XII. 18. & cap. XVI. 11. QUIA CONSECRATUM EST TIBI: tibi segregata erit, & ad te pertinebit.

*V.* 11. PRIMITIAS, oblationes.

*V.* 12. MEDULLAM OLEI: quod pinguissimum, & optimum est in frumento, vino, oleo. PRIMITIARUM DOMINO. Primitiæ distinguuntur a decimis: primitiæ enim sunt primi fructus; decimæ sunt decima pars fructuum: primitiæ immediate offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ; decimæ proxime sacerdotibus dantur in stipendium ministerii eorum, ut illis sustententur. Porro quadruplices primitias pendebant Hebræi. Primo spicarum die secunda azymorum, Levit. XXIII. 10. II. panum in pentecoste, Levit. XXIII. 17. III. panum, quos hebdomadatim pinsebant, Num. XV. 21. IV. in mense septimo in festo tabernaculorum, collectis omnibus frugibus tam ex messe quam ex uvis, eorum omnium primitias dabant: & hæ quarti huius generis intelliguntur in Scriptura cum fit mentio primitiarum. Pri-

mi-

mitiarum vero quantitas quæ dabatur, erat pars fructuum media inter 40. & 60. intra quam latitudinem quisque dabat quod volebat: qui minimum, dabat sexagesimam partem; qui plurimum quadragesimam.

*V.* 13. FRUGUM INITIA, primitias. QUI MUNDUS EST, VESCETUR ILLIS, si videlicet aliquid ex hisce primitiis fuerit Deo immolatum, & sacrificatum: nam alias si soli sacerdoti fuissent oblatæ, poterant a quibusvis etiam immundis absumi.

*V.* 14. OMNE QUOD EX VOTO REDDIDERINT: si scilicet voverint illud non ad immolationem, sed tantum ad oblationem.

*V.* 15. QUIDQUID PRIMUM ERUMPIT, primogenita animalium. IMMUNDUM EST, non secundum speciem, ut equus, aut mulus, sed per accidens ut ovis clauda, aut cæca.

*V.* 16. CUIUS REDEMPTIO, hominis scilicet, non reliquorum animantium. POST UNUM MENSEM: poterat ergo infans primogenitus redimi ante matris purificationem, quæ 40. die fiebat, communiter tamen matres expectabant suam purificationem: quod B. Virgo fecit consuetudinem secuta.

*V.* 17. SANCTIFICATA SUNT, apta ad sacrificium, ac proinde immolanda.

*V.* 18. SICUT PECTUSCULUM CONSECRATUM. Sicut pectusculum, & armus dexter ex hostia pacifica ita tuus est, ut quivis mundus ex tua familia ex iis edere possit; ita erunt tuæ hæ carnes primogenitorum mihi immolatorum, ut a quovis mundo tuæ familiæ comedi possint.

*V.* 19. PACTUM SALIS, pactum sempiternum, & incorruptum, sumpta metaphora ab incorruptibilitate, quam sal rebus communicat quibus aspergitur.

*V.* 20. IN TERRA EORUM, Hebræorum fratrum vestrorum. PARTEM hereditatis, scilicet agros, vineas, prata, &c. EGO PARS ET HEREDITAS TUA, &c. id est, ut explicatur Iosue XIII. 14. sacrificia, victimæ, & oblationes, quæ mihi offeruntur, sunt tua hereditas: hæc tibi abunde sufficiet.

*V.* 21. FILIUS AUTEM LEVI, &c. Levitis tantum, non sacerdotibus decimæ solvebantur; levitæ vero rursus ex iis dabant decimas sacerdotibus. Vide Nehem. cap. X. vers. 37. & 38.

*V.* 22. NEC COMMITTANT PECCATUM MORTIFERUM, quod sit illis causa mortis tam præsentis quam æternæ.

*V.* 23. PORTANTIBUS PECCATA POPULI. Est idem loci huius sensus, quem supra num. 1. in simili habuimus: ut si quid ab aliquo de populo committatur temere sese in levitarum munia ingerente, vel vasa sacra tangente, vel in atrium sanctum ingrediente; id non toti populo, sed levitis a Deo ad pœnam imputetur, quibus ex officio incumbit ad hæc advigilare, & ceteros arcere.

*V.* 26. PRIMITIAS EARUM, decimas earum. Hæ cedebant sacerdotibus, ut dixi num. 21.

*V.* 27. UT REPUTETUR VOBIS. Hoc pacto solvetis etiam vos decimas eo modo quo poteritis, eritque perinde ac si de areis &c. offerretis, si eas haberetis.

*V.* 28. QUORUM ACCIPITIS PRIMITIAS, decimas. DATE EA AARON SACERDOTI, ut ille ea inter sacerdotes distribuat.

*V.* 31. COMEDETIS EAS IN OMNIBUS LOCIS VESTRIS, ubicumque locorum habitabitis. Hoc dicitur, quia quædam quæ sacerdotibus proveniebant, in atrio sancto erant ab illis absumenda, ut dictum est hoc cap. num. 10. PRETIUM PRO MINISTERIO, stipendium sustentationis.

*V.* 32. NE POLLUATIS OBLATIONES FILIORUM ISRAEL: quod faceretis, si dantibus illis optima, vos daretis deterrima. ET MORIAMINI, iram meam provocantes.

## TIRINI.

*Vers.* 1. TU ET FILII TUI PORTABITIS INIQUITATEM SANCTUARII. Hoc est, si quid contra reverentiam Sanctuarii a laicis, accedendo, vel tangendo illud, commissum fuerit, vobis sacerdotibus, ac sceptro seu ramo, id est tribui vel domui patris tui, id est ceteris quoque levitis, imputabitur, utpote quibus ex officio incumbit arcere laicos. Sic etiam SUSTINEBITIS PECCATA SACERDOTII VE-

STRI. Hoc est, si quid delictum fuerit in functionibus sacerdotalibus, quæ vobis propriæ sunt, pœna commissi per incuriam vestram delicti repetetur, non a populo, neque etiam a levitis, quorum non est id officii, sed a te Pontifice, & a filiis tuis sacerdotibus, quibus ex officio incumbit eiusmodi invigilare.

V.8. DEDI TIBI CUSTODIAM PRIMITIARUM MEARUM; id est, omnium quæ mihi instar primitiarum debentur & offeruntur, sive sint proprie dictæ primitiæ, sive sacrificia, sive alia, quæ lege ac decreto meo mihi seponenda sunt: horum, inquam, *custodiam* non nudam, sed cum iure utendi & consumendi, dono tibi, tuisque filiis sacerdotibus: & dono pacto salis, id est firmo, inviolabili ac sempiterno: est enim sal symbolum incorruptionis, ac consequenter perpetuitatis.

V.20. Ego ergo ero PARS ET HEREDITAS TUA, quia quæcumque mihi offerentur, vobis sacerdotibus in ius & alimentum cedent: neque volo vos habere aliam partem inter filios Israel, seu agros frugiferos aut vineta in urbibus Israelitarum. Nam proprias etiam habebant urbes & suburbana sacerdotes; & in his agros suos & pascua & vineta: sed in urbibus aliorum Israelitarum propriis, in quibus etiam sacerdotes permixti aliis habitabant, vetantur hic, uti & levitæ ceteri, ullam habere agrorum aut vinearum possessionem; tum quod ipsis necessaria non esset, dono Dei iam sat opulentis; tum quod consecratos Deo, & totos legi eius ac Scripturæ, servitioque tabernaculi deditos, dedeceret cultura agrorum vinearumque implicari.

Ex dictis collige quam ampli, quam divites fuerint levitarum, & cum primis sacerdotum, proventus annui. Erat Levitica tribus inter tredecim omnium minima: neque enim erat ulla tribus quæ non in triplum, vel quadruplum *a* eam superaret. Et tamen hic (vers. 21.) iubetur accipere decimas ab omnibus filiis Israel; id est, ex decem partibus proventuum annuorum totius terræ sanctæ una pars illi debebatur; reliquæ novem partes in duodecim tribus dispertiendæ erant. Itaque plus ipsa sola, etsi longe minore numero, recipiebat, quam ulla alia tribus licet numerosior. Iam vero sacerdotum quantæ fuerint opes, vel hinc coniicere licet, quod cum hoc tempore non essent nisi tres numero, saltem adultæ ætatis, puta Aaron & duo eius filii, levitæ vero a triginta annis & supra essent 8580. tamen decimam partem omnium decimarum quas accipiebant levitæ ab omnibus filiis Israel, debebant dare his sacerdotibus. (v. 26.) Ergo tribus personis dabatur centesima pars omnium fructuum quos colligebant sexcenta & plura millia armatorum: & successive crescente numero sacerdotum, crescebat etiam numerus reliquorum Israelitarum, ac proinde etiam copia proventuum annuorum, qui levitis ac sacerdotibus pendebantur. Sed neque in solis decimis consistebant opes sacerdotum: nam illorum insuper erant omnes primitiæ proventuum annuorum, quæ, si S. Hieronymo *b* credimus, minimum conficiebant sexagesimam partem omnium quæ annue proveniebant per totam Palæstinam: qui proventus maior erat proventu decimæ decimarum iam prædicto. Insuper sacerdotibus cedebant omnes oblationes votivæ & spontaneæ: item pecuniæ quæ ex personarum, ac rerum Deo per votum consecratarum redemptione *c* conflabantur. Omnia item ovium, boum, caprarum primogenita, quæ in specie reddebantur: itemque iumentorum ac hominum primogenita (vers. 15. 16. &c.) quæ vel permutabantur, vel pretio redimebantur. Omnes item victimæ pro peccato & delicto; pectus & armus omnium pacificorum; holocaustorum saltem pelles; primitiæ omnis cocturæ panum, etiam domesticorum: quæ omnia ex tam numeroso populo innumeros conflabant sacerdotibus thesauros. Habebant hi præterea proprias sibi civitates aliquot ac suburbana, atque in his armenta & greges suos. Adde, quæcumque vel primitiarum, vel decimarum, vel oblationum nomine sacerdotibus offerebantur, ex optimis pinguissimisque esse debuisse, ita Deo iubente (ver. 12.) atque ideo per Ieremiam *d* gloriante. *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine*: ut tanto servirent alacrius Deo, & ab omni cura rerum terrenarum remotiores essent.

(*a*) Num. III. & 4.
(*b*) Hieron. in Ezech. x. & xliv.
(*c*) Levit. ult.
(*d*) Ierem. xxxi. vers. 14.

GOR-

## GORDONI.

*Verſ.* 1. PORTABITIS INIQUITATEM SANCTUARII, hoc eſt Levitæ. Pater hic eſt Levi proavus. *Portabitis* vero; hoc eſt, ſi quid male hic commiſſum fuerit, vobis imputabitur. Septuaginta Interpretes: *Accipietis peccata ſanctorum*, λήψεσθε τὰς ἁμαρτίας τῶν ἁγίων. Nota, hoc ἁγίων eſſe rerum ſanctarum, ſeu circa res ſanctas: non ergo maſculini generis, quaſi dixiſſet, Peccata ſanctorum virorum, ſed *Sanctuarii*, ut bene vulgatus Interpres.

*V.* 2. Duæ hic voces, שבט *ſchebet*, quæ eſt hic in textu Hebræo, & מטה *matte*, ſignificant *virgam*, *ſceptrum*, & *tribum*. Certe priſcis virga pro ſceptro eſt: & tribus erat quaſi multæ virgæ ex eadem radice. In præſentia per ſceptrum intelligo tribum. In textu vero Hebr. eſt utraque vox illa Hebraica, & eamdem rem explicant; forte ut duo fixa per modum appoſitionis grammaticæ.

*V.* 6. & 7. Levitas vocat donum datum Domino: Septuaginta δόμα δεδομένον. Mox verſu 7. & deinceps, ſubiungit quæ ſacerdotum ſunt munia, obventiones, & ſimilia, de iure & proventibus; & verſu 9. ſpeciatim incipit explicare has ſacerdotum oblationes: talia ſunt hoſtia pro delicto, hoſtia pro peccato, & mincha, de quibus dixi Levit. cap. II. cap. VI. & cap. VII. quædam etiam alia, ut ſubiiciam. Per donum verſ. 6. donati intelliguntur.

*V.* 8. PRIMITIARUM, oblationum, ſeu rerum oblatarum.

*V.* 11. PRIMITIAS AUTEM. Hebraice תרומה *theruma*: vox eſt quæ varie in Scripturis accipitur: Pagninus *elevationem* vertit hoc loco; Noſter *primitias*. Non male Caietanus interpretatur, eſſe portiones illas quæ ex pacificis pertinebat ad ſacerdotes. His adde ex verſ. 12. & 13. primitias quæ ſeparabantur ex proventu annuo, & oblationes ſpontaneas ex primitivis fructibus.

*V.* 13. FRUGUM INITIA, id eſt primitiæ.

*V.* 14. & 15. Hæc etiam omnia ſacerdotum erant: vota, inquam, & anathemata. De anathemate dixi Levit. ultim. verſ. 28. vocatur *Cherem*. De primogenitis hic quidem verſ. 15. ſed vide Exod. cap. XIII.

*V.* 19. In hac concluſione generali, & confirmatione promiſſarum oblationum, meminit pacti ſalis, ut oſtendat decretum hoc eſſe immobile. Sal incorruptionis ſymbolum eſt: hinc modus hic loquendi Hebræorum. Vide II. Paralipomen. cap. XIII.

*V.* 21. Quam amplus fuerit ſacerdotum proventus, hactenus hoc caput oſtendit, nec deerant civitates: nunc oſtendit proventum levitarum, quorum ſcilicet erant decimæ, amplus ſane proventus. Decimarum quidem harum decimæ proveniebant ſacerdotibus; ſed præter hanc partem probabilius eſt, quod ait Abulenſis, nihil aliud ex decimis obveniſſe ſacerdotibus.

*V.* 22. PECCATUM MORTIFERUM. Hebr. *Et moriantur*.

*V.* 23. PORTANTIBUS PECCATA POPULI, hoc eſt miniſtrantibus in rebus per quas expiantur peccata populi.

*V.* 26. & 27. Dabantur ergo decimæ, partim ſummo Pontifici, partim levitis, & ſacerdotibus. Nunc inter Chriſtianos deberentur hæ etiam decimæ Pontifici; ſed eas ille non exigit, contentus annatis, ſeu fructibus primi anni, idque ſolum in maioribus beneficiis. Iubet hic verſus 19. optima dari in decimas.

*V.* 28. UNIVERSIS, de univerſis.

*V.* 31. COMEDETIS EAS, ſcilicet decimas.

*V.* 32. ET NON PECCABITIS, ſi dederitis ſummo ſacerdoti meliora: nam ea vobis retinendo, peccaretis.

### EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 4. ALIENIGENA, qui eſt de alia tribu.

*V.* 7. INTRA VELUM, Sanctum.

*V.* 8. SANCTIFICANTUR, offeruntur.

*V.* 10. IN SANCTUARIO, in atrio tabernaculi, iuxta holocauſtorum altare. MARES TANTUM, nempe ex ſacrificio pro peccato, & delicto: etenim etiam feminæ comedunt ex hoſtia pacifica, Levit. X. 14. De decimis dixi Deuter. XIV. de primitiis Exod. XXIII.

*V.* 14. Vota hic accipe quæ non ſunt ad immolationem, ſed oblationem.

CA-

# CAPUT XIX.

*Ex cinere vaccæ rufæ fiebat aqua expiationis, qua variæ immunditiæ abluebantur: de moriente in tabernaculo, & vase non habente operculum, ac tangente cadaver hominis.*

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: 2. Ista
est religio victimæ quam constituit Dominus. Præcipe filiis
Israel, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in
qua nulla sit macula, nec portaverit iugum: 3. * tradetis-
que eam Eleazaro sacerdoti: (*a*) qui eductam extra castra,
immolabit in conspectu omnium: 4. & tingens digitum in
sanguine eius, asperget contra fores tabernaculi septem vici-
bus, 5. combureteque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus eius, quam
sanguine & fimo flammæ traditis. 6. Lignum quoque cedrinum, & hyssopum,
coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat. 7. Et
tunc demum, lotis vestibus & corpore suo, ingredietur in castra, commacula-
tusque erit usque ad vesperum. 8. Sed & ille qui combusserit eam, lavabit ve-
stimenta sua & corpus, & immundus erit usque ad vesperum. 9. Colliget au-
tem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo,
ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam aspersionis: quia
pro peccato vacca combusta est. 10. Cumque laverit, qui vaccæ portaverat ci-
neres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filii
Israel, & advenæ qui habitant inter eos, sanctum iure perpetuo. 11. Qui teti-
gerit cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus: 12. a-
spergetur ex hac aqua die tertio & septimo, & sic mundabitur. Si die tertio a-
spersus non fuerit, septimo non poterit emundari. 13. Omnis qui tetigerit huma-
næ animæ morticinum, & aspersus hac commixtione non fuerit, polluet taber-
naculum Domini, & peribit ex Israel: quia aqua expiationis non est aspersus,
immundus erit, & manebit spurcitia eius super eum. 14. Ista est lex hominis
qui moritur in tabernaculo: Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & uni-
versa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus. 15. Vas, quod non ha-
buerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. 16. Si quis in agro
tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepul-
crum, immundus erit septem diebus. 17. Tollentque de cineribus combustionis
atque peccati, & mittent aquas vivas super eos in vas: 18. in quibus cum ho-
mo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, & cunctam
supellectilem, & homines huiuscemodi contagione pollutos: 19. atque hoc modo
mundus lustrabit immundum tertio & septimo die: expiatusque die septimo, la-
vabit & se & vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum. 20. Si quis
hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ: quia san-
ctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus. 21. Erit hoc
præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit ve-
stimen-

stimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum. 22. Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima quæ horum quidpiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.

(a) Hebr. XIII. 11.

# BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 3. *Tradetisque eam Eleazaro*. Quidam pro plurali *tradetisque* scribunt singulare *tradesque*, minus recte.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Vers.* 2. RELIGIO VICTIMAE, scilicet cæremonia, seu ritus. Hebræus, Chaldæus, & LXX. *statutum legis*. INTEGRAE, id est perfectæ.

*V.* 3. IMMOLABIT; id est, mactandam curabit.

*V.* 4. TABERNACULI, id est atrii.

*V.* 5. COMBURETQUE, scilicet sacerdos cui id fuerit commissum.

*V.* 9. EFFUNDET. Hebræus, Chald. & LXX. *Ponet*, seu *reponet*. IN CUSTODIAM; quasi dicat, ut serventur diligenter. ASPERSIONIS: sic etiam Chald. & LXX. Alii, *separationis*, vel *expiationis*. QUIA PRO PECCATO COMBUSTA EST; subaudi, adeoque ea aqua expiat a peccatis. Hebr. *Quia peccatum est*; quasi dicat: Quia aqua est ad peccatum expiandum. LXX. *Quia purificatio est*. Chald. *Quia pro peccato est*.

Nota, nullam Legis veteris cæremoniam, nullum sacramentum, aut sacrificium peccata expiandi virtutem habuisse: solum enim erant signa & protestationes Christi mysteriorum, per cuius fidem & devotionem tunc peccata remittebantur, propter quas Scriptura illis cæremoniis expiationem tribuit: scilicet, ut dixi, non propter se, sed propter Christum, quem figurabant, cuius meritis & virtute constat omnis peccati remissio. De nostris vero sacramentis longe alia ratio est: habent enim suam quamdam virtutem, a Christo tamen, peccata remittendi, ut infra suis locis indicabitur.

*V.* 10. SANCTUM IURE PERPETUO. Hebr. *statutum perpetuum*. Chald *ritum perpetuum*. LXX. *legitimum sempiternum*.

*V.* 13. PERIBIT; quasi dicat: Dignus est morte; vel eiicietur, more excommunicatorum. Vide Genes. XVII. ubi idem verbum vertit *delebitur*; significat vero *exscindi*, seu *præscindi*.

*V.* 14. IN TABERNACULO; quasi dicat, *domi*, ut verterunt LXX.

*V.* 17. COMBUSTIONIS ATQUE PECCATI, id est ad expiationem peccati. Hebr. *combustionis peccati*, id est victimæ pro peccato, scilicet vaccæ. Chald. *combustionis hostiæ pro peccato*. LXX. *de cinere combusto purificationis*.

*V.* 18. HOMO, scilicet qui sit sacerdos.

*V.* 22. QUIPPIAM, scilicet tactum ab immundo.

## ESTII.

*Vers.* 2. UT ADDUCANT AD TE VACCAM RUFAM AETATIS INTEGRAE, &c. Vaccam rufam continere manifestum mysterium Christi, Apostolus ad Hebræos IX. insinuat, dicens: *Si cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* Hinc August. *Iuvenca rufa*, inquit, *carnem Christi significat; sexus femineus est propter infirmitatem carnis quam Christus assumpsit; rufa est propter cruentam passionem; sine vitio, quia Christus peccatum non fecit; sine iugo, quia iugo diaboli Christus nullo modo fuit subiectus.*

V. 21.

*V.* 21. IPSE QUOQUE QUI ASPERGIT AQUAS, LAVABIT VESTIMENTA SUA. OMNIS QUI TETIGERIT AQUAS EXPIATIONIS, IMMUNDUS ERIT USQUE AD VESPERAM. Significatur quod qui aspergendo alios, immunditiam contraxisset, non debebat hac ipsa aqua mundari, nam sic eius mundator similiter esset mundandus, & huius mundatoris item alius mundator, & sic in infinitum; sed quod alio genere mundationis debebat mundari, nempe lavando se, & vestimenta sua.

Augustinus significari per hoc dicit, quod omnis homo post remissionem peccatorum, quamdiu permanet in hac vita, adhuc aliquid contrahat unde sit immundus, usque ad vesperum, id est usque ad finem vitæ huius.

## MARIANAE.

*Verʃ.* 2. ISTA EST RELIGIO VICTIMAE. Vox *victimæ* est addita: tantum Hebr. dicit: *Ista est lex quam constituit Dominus*. AETATIS INTEGRAE Hebr. *Perfectam*, seu *immaculatam vaccam afferant*.

*V.* 3. IN CONSPECTU OMNIUM. Hebr. *coram eo*, ut vertunt Sept. quasi dicat: Non ipse Eleazarus iugulabit, sed id fiat coram eo. Idem in verʃ. 5. pro CUNCTIS VIDENTIBUS, Hebr. est *coram eo*.

*V.* 9. ET EFFUNDET EOS. Ponet cineres extra castra. IN AQUAM ASPERSIONIS: sic Sept. & Chald. at Hebr. *separationis*. Vocatur sic, quoniam separatis a castris ad expiandum adhibebantur verʃ. 13. Hieronymus vertit *aquam expiationis*, cum Hebr. eadem sint verba quæ superius. QUIA PRO PECCATO VACCA COMBUSTA EST. Hebr. *peccatum ipsa*; id est, oblatio pro peccato ipsa vacca est. Hieronymus sententiam est secutus, non verba.

*V.* 13. ET MANEBIT SPURCITIA EIUS SUPER EUM. Hebr. *adhuc immunditia eius in eo*: sic Septuag. Et fortassis vox עוד *bod*, id est *adhuc*, significat immunditiam perpetuam fore, quando עד *bad* id manifeste significat multis locis, scilicet *perpetuitatem*.

*V.* 21. AQUAS EXPIATIONIS. Ritus aquæ lustralis in Ecclesia ex veteri Testamento sumptus est. Hunc ritum Gentes etiam observarunt. Ovidius:

> *Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis*
> *Exigua tolli posse putatis aqua.*

## MALVENDAE.

*Verʃ.* 2. UT ADDUCANT AD TE. Hebr. *Ut accipiant ad te*. Notant, Hebræis, quando verba quæ alioqui motum ad locum, vel a loco per se non significant, cum præpositionibus motus construuntur; tunc aliud verbum subaudiendum, & duas inesse significationes: ut Isaiæ XXXVIII. verʃ. 21. *Tollant massam ficuum, & contundant super ulcus*; id est, & contusam ponant super ulcus: ibid. verʃ. 17. *Desiderasti animam meam ex fovea putrefactionis*; id est, cum voluptate, libenter eruisti animam meam, &c. Sic hic, *Ut accipiant ad te*; id est, ut accipientes adducant ad te. VACCAM. פרה *parah* aiunt esse *iuvencam* quæ desiit esse vitula, & cœpit esse fecunda; quasi fructificam, *buculam*, *iunicem*, interpretantur. Valentine dicimus *Ionega*, ex *iunice*, voce deflexa. AETATIS INTEGRAE. תמימה *temimah*, *consumatam*, *integram*, *perfectam*, ut lex animalia requirit ad sacrificia. Vide Exodi XXIX. verʃ. 1. Alii ad ætatem referunt, ut Noster, & Hebræi, qui buculam hanc trimam, aut quadrimam statuunt. Nonnulli ad colorem, *rufam integre*, id est omnino rufam; quæ nullos pilos alterius coloris habeat, seu nigros, seu albos. NEC PORTAVERIT IUGUM. Has Romani *Hostias iniuges* appellarunt. Macrobius Lib. II. Saturnaliorum cap. V. *Hostiæ iniuges vocantur, quæ numquam domitæ, aut iugo subditæ sunt*. Virgilius IV. Georgicorum:

> .... *& intacta totidem cervice iuvencas*.

Festus: *Iniuges boves, qui sub iugo non fuerint*.

*V.* 3. TRADETISQUE EAM ELEAZARO. Ita præparans iam eum Deus ad summum sacerdotium. Vide sup. cap. XVI. verʃ. 37. QUI EDUCTAM EXTRA CASTRA. Hebr. *Et educet eam extra castra*. Sic Christus, qui hoc typo fuit proprie adumbratus, extra civitatem passus est: Hebræor. XIII. verʃ. 12. IMMOLABIT

IN

IN CONSPECTU OMNIUM. Hebr. varie reddunt. I. *Et mactabit eam ante eum*; id est, sacerdos cui hoc negotium fuerit commissum, mactabit ipsam ante ipsum Eleazarum. II. *Ut iugulet eam quis coram ipso*. III. *Curatque ut mactetur coram se*. Ex verbo: *Et mactabit eam faciebus suis*, vel *ad facies suas*, aut *eius*. Forsan peculiaris ritus mactationis innuitur, ut adversam sibi, & facie utriusque in alterum opposita, vel resupinam & expansam se respicientem adversus ipse iugularet: ut ea figura magis hic typus exprimat Christum expansum in cruce; & fortasse iunix resupinata, & in modum crucis expansis brachiis iugulabatur: id enim innuit significatio verbi שחט *schachat*. Vide Genes. XXII. vers. 10. Nisi illud, *Ad facies suas*, curam, inspectionem, ut sacrificium iuvencæ rite, circumspecte, attente, & oculatissime fieret, significet; ut illud vers. 5. *In oculis suis*.

*V*. 5. COMBURETQUE EAM, nimirum per alium, ut perspicue ostenditur infra vers. 8. Unde hic vertunt: *Et iubebit comburi*, vel *comburendam curabit*, nempe per alium sacerdotem ex filiis aut nepotibus Aaron, cui id negotium commissum fuerit; vel per quemvis alium.

*V*. 9. ET IN AQUAM ASPERSIONIS. Hebr. *In aquam separationis*, *elongationis*, *remotionis*, *reiectamenti*, id est adhibendam iis qui propter immunditiam fuerant remoti, separati, reiecti a commercio reliquorum, ut ea purgati, rursus in cœtum reciperentur: qua ratione, statim *Aqua peccati* nominatur. Sic deinceps. Quidam vertunt, *In aquas sparsorias*. Nonnulli *aquam remotionis* dictam putant, quia erat de cineribus vaccæ rufæ, qui extra castra debebant in locum peculiarem removeri. QUIA PRO PECCATO VACCA COMBUSTA EST. Hebr. *Peccatum ipsa*. Quidam, *Aqua peccati ipsa*, vel *aqua peccati est*: nempe aqua expiationis peccati, aqua lustratoria, qua expiabuntur contaminati, scilicet ii qui propter impuritatem separabuntur a commercio aliorum. *Aquam lustralem*, seu *expiatoriam* transferunt. Alii non ad aquam referunt, sed ad vaccam, seu sacrificium eius, *Peccatum ipsa*: ut ratio reddatur sanctitatis & efficacitatis purgatoriæ talis aquæ: nimirum ex eo quod sacrificium vaccæ est species sacrificii pro peccato, instar iuvenci qui in sacrificium pro peccato mactabatur Levit. IV. Vide infra vers. 17. De hac vacca rufa mira scribunt Hebræi, quæ leges apud Liranum, Burgensem, & Drusium in hoc cap.

*V*. 13. ET MANEBIT SPURCITIA EIUS SUPER EUM. Hebr. *Adhuc contaminatio*, *immunditia eius in eo est*. Quidam: *Deinceps immunditia eius in eo est*; id est, inde ab eo tempore, quamdiu victurus est, erit semper immundus: sic enim accipi notant particulam עוד *ghod*, *adhuc*, Genes. VIII. vers. 12. & 22. & alibi sæpe.

*V*. 15. VAS, QUOD NON HABUERIT OPERCULUM, NEC LIGATURAM DESUPER. Hebr. varie reddunt. I. *Et omne vas*, *quod apertum*, *cui non coniugatio alligaturæ super eum*; id est, cui non fuerit operculum quod vasi alligatum sit. II. *Et omne vas apertum*, *super quo non est coniunctum frustum panni parvi*, scilicet ad obturandum illum. III. *Etiam omne vas apertum*, *super quo non fuerit pannus circumtortus*; id est, quod aut indito panno contorto, aut circumvoluto ori eius non fuerit obturatum: sive, *Super cuius os non fuerit coniunctus panniculus circumtortus*, id est frustum laneum, sive fragmentum panni superpositum. Sunt hic duo nomina coniuncta צמיד פתיל *tzamid patil*. De *tzamid* diximus Genes. XXIV. vers. 22. *Coniugationem*, *coniugaturam*, *colligaturam*, *alligaturam*, *copulaturam* exponunt. Alii *Toar* faciunt *coniunctum*, *copulatum*, *alligatum*, &c. De *phatil* egimus Genes. XXXVIII. vers. 18. proprie *intortum*. Hic pro *multiplicibus filis simul intortis & complicatis*, sive pro *frustis pannorum*, quibus *circumtortis & circumvolutis* ora vasorum obturare solemus, accipiunt.

## MENOCHII.

*Vers*. 2. ISTA EST RELIGIO, lex cæremonialis. VICTIMAE, expiatricis, ex cuius cineribus fiat aqua lustrationis. AETATIS INTEGRAE, perfectæ. NULLA SIT MACULA, non coloris, sed deformitatis: non sit clauda, non cæca, non scabiosa, &c. Vide Levit. XXII. 22. NEC PORTAVERIT IUGUM: ne-

neque enim decet serviſſe homini victimam hanc, quæ ſerviet Deo ad hominum expiationem.

*V.* 3. TRADETISQUE EAM ELEAZARO. Quia hæc victima non erat ſolemnis & feſtiva, ut illam Aaron immolaret, ſed lugubris, & luſtralis, eam immolare iubetur Eleazarus ſacerdos. EXTRA CASTRA IMMOLABIT: quia erat immolanda pro peccatis totius populi, quare ipſa ( ut quæ totius populi in ſe ſuſciperet peccata ) valde immunda cenſebatur; & ſacerdos qui illam immolabat, & is qui eam cremabat, pariter immundi erant uſque ad veſperam.

*V.* 4. CONTRA FORES TABERNACULI, obverſus ad eas, quamvis e longinquo, quippe qui erat extra caſtra.

*V.* 5. COMBURETQUE EAM, non per ſe, ſed per alium, ut patet num. 8.

*V.* 6. LIGNUM QUOQUE CEDRINUM, ET HYSSOPUM, &c. Vide dicta Levitici cap. XIV. 7.

*V.* 7. COMMACULATUS, immundus legaliter.

*V.* 9. IN CUSTODIAM: diligenter cuſtodiantur cineres a filiis Iſrael. IN AQUAM ASPERSIONIS: qua ſcilicet aſperſi, a legali immunditia expientur. PRO PECCATO COMBUSTA EST: ut ſit victima expiatrix peccati.

*V.* 10. SANCTUM IURE PERPETUO, firmum, & inviolabile.

*V.* 11. QUI TETIGERIT CADAVER HOMINIS. Aliqui putant, aquam hanc luſtralem inſtitutam fuiſſe tantum ad expiandam immunditiam contractam ex contactu mortui: alii cenſent, fuiſſe communem omnium legalium immunditiarum expiationem.

*V.* 13. MORTICINUM, cadaver. HAC COMMIXTIONE, hac aqua, quæ commixta eſt cineribus vitulæ. POLLUET TABERNACULUM: violabit locum ſanctum.

*V.* 14. IN TABERNACULO, *domi*, ut vertunt LXX. ET UNIVERSA VASA QUAE IBI SUNT, tota ſuppellex domeſtica.

*V.* 15. VAS QUOD NON HABUERIT OPERCULUM. Non eſt hæc lex generalis, ſed tantum ſermo eſt de funeribus. Vaſa ergo quæ ſunt in tabernaculo defuncti, ſi operculo, aut ligatura munita non ſint, præſentia cadaveris contaminantur.

*V.* 16. SI QUIS IN AGRO, &c. ubi Hebræi ſua habebant ſepulcra.

*V.* 17. AQUAS VIVAS, fluviales, vel fontanas.

*V.* 20. PERIBIT ANIMA ILLIUS: a iudicibus punietur ſi res conſtet, alioqui a Deo peccatorum vindice.

*V.* 21. QUI TETIGERIT AQUAS EXPIATIONIS, mundabitur ab immunditia priori, verbi gratia cadaveris; ſed ex aquæ huius contactu aliam contrahet, quæ durabit tantum uſque ad veſperam.

*V.* 22. QUIDQUID TETIGERIT IMMUNDUS, immunditia illa maiori ſeptem dierum ex contactu cadaveris, ſepulcri, &c. is contactu ſuo alios contaminabit. ET ANIMA QUAE HORUM QUIDPIAM TETIGERIT. Non ſolum immundus eſt qui tangitur ab immundo; ſed etiam is qui aut immundum tangit, aut rem pollutam, immunditiam contrahit uſque ad veſperam duraturam.

## TIRINI.

*Verſ.* 12. SI DIE TERTIO ASPERSUS NON FUERIT, SEPTIMO NON POTERIT EMUNDARI. Poterit tamen vel quarto, vel quinto, vel alio die aſpergi pro prima vice, & ſic dies ille numerabitur ipſi pro tertio die: atque ab hoc deinde ad ſeptimum uſque exſpectandum erat prius quam emundari poſſet.

Nota. Vaccæ huius ſeu vitulæ rufæ extra caſtra ſeu urbem exuſtæ cineres, per ſingulas Palæſtinæ urbes quotannis diſtribuebantur, & in loco ad id deſignato adſervabantur: cumque contingeret aliquem ex contactu cadaveris, vel morticini, vel alterius rei immundæ contaminari, pauxillo huius cineris in aquam vivam immiſſo, ſtatis diebus aſpergebatur, & ſic mundabatur. Nec perſona ſola, ſed & omnia vaſa, ſaltem aperta, quæ in tabernaculo vel domo alicuius defuncti reperiebantur, eadem aqua luſtrari & expiari debebant. Secus erat de vaſis opertis & clauſis: cum enim in eiuſmodi vaſis ſæpe pretioſi liquores contineantur, neque phyſica aliqua corruptio poſſit illis a mortuo afflari, nullam ex præſentia illius

lius immunditiam contraxisse censebantur. Eugubinus vult hanc aquam typum fuisse aquæ nostræ lustralis; sed melius S. Augustinus, Theodoretus, & alii SS. Patres dicunt præfigurasse Baptismum, vel lavacrum Pœnitentiæ.

Vacca rufa allegorice est caro Christi, secundum Apostolum ad Hebræos IX. vers. 13. tropologice est lascivia carnis. Ita S. Gregorius *a*.

(*a*) Greg. Lib. VI. Moral. cap. xxv.

## GORDONI.

*Vers.* 1. AGitur hic de aqua lustrali, qua tollitur immunditia contracta tangendo cadavera, ut explicatur Levit. cap. XXI. vers. 1.

*V.* 2. RELIGIO, ritus, cæremonia.

*V.* 3. IMMOLABIT; id est, se præsente curabit immolandum.

*V.* 9. IN CUSTODIAM: ut serventur ibi.

*V.* 12. At quid de eo qui non curavit, se tertio die mundari? Certe septimo non poterat, ut hic dicitur; tamen post diem septimum potuisse aliquo sacrificio, scribit Iosephus Lib. III. Antiquit. cap. x.

*V.* 20. AQUA LUSTRATIONIS, aqua expiationis. Vetera sacramenta non habebant virtutem expiandi peccata: nuda signa erant mysteriorum Christi, per cuius fidem, & internam devotionem remittebantur peccata: quæ ipsa etiam devotio erat per Christum.

### EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 2. VICTIMAE, ex cuius cineribus fiet aqua lustralis.

*V.* 3. ELEAZARO. Hæc enim non erat victima solemnis quæ debebat tradi Aaroni.

*V.* 7. COMMACULATUS, immundus more legali.

*V.* 13. POLLUET TABERNACULUM: locum Domino sacratum violabit.

*V.* 14. IN TABERNACULO, hoc est *domi*, ut habent Septuaginta.

*V.* 15. VAS. Sermo est de vase in tabernaculo morientis.

*V.* 17. AQUAS VIVAS, e fluvio, vel fonte.

# CAPUT XX.

*Maria moritur: murmuranti populo aqua contradictionis e petra fluit: neganteque transitum Edom, discedunt ad montem Hor; ubi consecrato in summum sacerdotem Eleazaro, moritur Aaron pater ipsius.*

1. VEneruntque filii Israel, & omnis multitudo in desertum Sin,
mense primo: & mansit populus in Cades. Mortuaque est
ibi Maria, & sepulta in eodem loco. 2. Cumque indigeret
aqua populus, convenerunt adversum Moysen & Aaron:
3. & versi in seditionem, dixerunt: Utinam periissemus in-
ter fratres nostros coram Domino. 4. (*a*) Cur eduxistis ec-
clesiam Domini in solitudinem, ut & nos & nostra iumen-
ta moriamur? 5. Quare nos fecistis ascendere de AEgypto, & adduxistis in lo-
cum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec
malogranata, insuper & aquam non habet ad bibendum? 6. Ingressusque Moy-
ses & Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in
terram, † clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi
clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut sa-

tiati, cessent murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. 7. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 8. Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo & iumenta eius. 9. (*b*) Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, 10. congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite rebelles & increduli: (*c*) Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? 11. Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet & iumenta. 12. Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron: (*d*) Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis. 13. Hæc est aqua contradictionis, ubi iurgati sunt filii Israel contra Dominum, & sanctificatus est in eis. 14. Misit interea nuntios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israel: Nosti omnem laborem qui apprehendit nos, 15. quo modo descenderint patres nostri in AEgyptum, & habitaverimus ibi multo tempore, afflixerintque nos AEgyptii, & patres nostros: 16. & quo modo clamaverimus ad Dominum, & exaudierit nos, miseritque Angelum, qui eduxerit nos de AEgypto. Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi, 17. obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis; sed gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos. 18. Cui respondit Edom: Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi. 19. Dixeruntque filii Israel: Per tritam gradiemur viam: & si biberimus aquas tuas nos & pecora nostra, dabimus quod iustum est: nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus. 20. At ille respondit: * Non transibis. Statimque egressus est obvius, cum infinita multitudine, & manu forti; 21. nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos: quam ob rem divertit ab eo Israel. 22. Cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom: 23. ubi locutus est Dominus ad Moysen: 24. Pergat, inquit, Aaron ad populos suos: non enim intrabit terram quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. 25. (*e*) Tolle Aaron & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor. 26. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius: Aaron colligetur, & morietur ibi. 27. Fecit Moyses ut præceperat Dominus: & ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine. 28. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius. 29. Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro. 30. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

(*a*) Exod. xvii. 3. (*b*) Exod. xvii. 5. 6. Sap. xi. 4. (*c*) Psal. lxxvii. 24. I. Corinth. x. 4. (*d*) Deut. i. 37. (*e*) Inf. xxxiii. 38. Deuter. xxxii. 50.

BRU-

# BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 20. *Non transibis*. Servandus est numerus singularis *transibis*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 6. *Clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum*. Versiculum hunc, cum Hebræis, Græcis, & Chaldaicis libris, omittunt textus Latinus Regii operis, & textus Rabani commentario adiunctus. Quidam putant acceptum fuisse ex Epistola feriæ sextæ post dominicam tertiam Quadragesimæ: ut Collector Epistolarum aliquando omittit, aliquando addit aliunde quædam.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Vers.* 1. VENERUNTQUE, scilicet e deserto Pharan. SIN per צ Ts, non per ס S. PRIMO, scilicet anno 40. ab exitu ex AEgypto.

*V.* 4. ECCLESIAM. Hebr. *congregationem*. LXX. *synagogam*.

*V.* 6. CLAMAVERUNTQUE, &c. Hæc verba, usque ad MURMURATIO EORUM, non habentur Hebr. aut Chald. aut apud LXX.

*V.* 10. NUM, &c. Hic Moyses dubitavit de Dei potentia. Augustinus in Num. qu. XIX.

*V.* 12. SANCTIFICARETIS, id est glorificaretis.

*V.* 13. CONTRADICTIONIS: sic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *iurgii*. SANCTIFICATUS, id est glorificatus: scilicet eis suam gloriam seu potentiam ostendit.

*V.* 17. NON BIBEMUS, scilicet gratis. Augustinus.

*V.* 20. INFINITA MULTITUDINE. Hebr. *populo gravi*, id est multo. Chald. *exercitu multo*.

*V.* 24. PERGAT. Hebr. & Chald. *Colligatur*. LXX. *Apponatur*. INCREDULUS FUERIT. Hebr. & Chald. *Rebelles fueritis*. LXX. *Irritastis me*.

*V.* 26. COLLIGETUR, scilicet ad populum suum. ET MORIETUR; pro, id est morietur.

*V.* 30. FLEVIT. Non lacrymæ significantur, sed exequiarum celebritas. Hieronymus epist. XXV.

## E S T I I.

*Vers.* 1. VENERUNTQUE FILII ISRAEL... IN DESERTUM SIN.... ET MANSIT POPULUS IN CADES. Exod. XVI. narratur quomodo filii Israel venerunt in desertum Sin: & capite sequenti, quod profecti sunt de deserto Sin, & castrametati sunt in Raphidim. Ubi licet Moyses quoque percussit petram ut fluxerint aquæ; tamen diversum esse illud Sin, & illud de quo hic agitur, & proinde etiam diversam percussionem petræ, tum aliæ multæ circumstantiæ docent; tum etiam quod illud factum sit in Raphidim, hoc autem in Cades: De quo vide, si placet, nostrum Commentarium I. Corinth. X. ubi etiam disputatur, an Cades idem sit quod Cades barne.

*V.* 10. AUDITE REBELLES ET INCREDULI: NUM DE PETRA HAC VOBIS AQUAM POTERIMUS EIICERE? Moysem hic peccasse dubium non est: id enim Dominus de ipso & Aarone clare testatur his verbis: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis*. Peccatum ergo illorum constituendum videtur incredulitatis: nempe in verbis illis cum dubitatione, & velut ambigue prolatis. *Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere*? ut si non fluxisset aqua, hoc imputasset malitiæ & incredulitati populi; si fluxisset, attribuisset potentiæ divinæ. Sed non debebat dubitanter loqui: nam Dominus di-

dixerat absolute: *Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas*. Fuit igitur tentatus, & vacillavit, considerans populum toties rebellem, & non simul mox ob oculos ponens Dei omnipotentiam; non autem quod fidem omnipotentiæ Dei in universali perdiderit. Sic & Christus aliquando discipulos suos increpavit dicens: *Ubi est fides vestra?* Et hoc est quod dicitur Psalm. CV. *Et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum eius*.

## MARIANAE.

*Vers.* 2. IN DESERTUM SIN, cum Tzade, aliud est desertum Sin per Samech, Exod. XVI. vers. 1. De utroque Num. XXXIII. vers. 12. & 36. MENSE PRIMO. Non exprimit annum; videtur tamen quadragesimo egressionis ex AEgypto, quoniam proxima mansione Aaron obiit, quod accidit eo anno: Num. XXXIII. vers. 38.

*V.* 6. PRONI IN TERRAM. Quod sequitur: *Clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum*: totum hoc neque in Hebræo est, neque in Sept. neque in Regiis in Vulgata, & in Lovan. iugulatum est obelo; sed si additum, antiqua est additio, quando in Gotthicis extat. GLORIA DOMINI SUPER EOS. Hebr. *ad eos*: sic Sept. vel *eis est revelata*, ut Chald.

*V.* 12. QUIA NON CREDIDISTIS MIHI. Hebr. *in me*. UT SANCTIFICARETIS ME. Non constat ex hoc loco, ac ne ex Psalmis LXXVII. & CV. ubi de re hac agitur, in qua re defecerunt Moyses & Aaron: neque enim omnia quæ gesta sunt, referuntur. Sed sane dixere aliquid, aut fecere contra Deum, eo supplicio dignum. NON INTRODUCETIS gentem in terram promissam.

*V.* 13. HAEC EST AQUA CONTRADICTIONIS: sic Sept. at Hebr. *Aquæ contentionis*, idest iurgii.

*V.* 16. MISERITQUE ANGELUM. Vox Hebraica *Malach*, ut & Græca Ἄγγελος, *nuntium* significat. Sed Angelus hic, ipse Moyses fuit, qui eduxit populum de AEgypto.

*V.* 17. GRADIEMUR VIA PUBLICA. Hebr. *via Regis*. Sed cur Regia dicitur quæ est publica? Nempe ad ius Regis inter alia viæ spectant.

*V.* 19. DABIMUS QUOD IUSTUM EST. Heb. *Dabo pretium earum*, scilicet aquarum. Aquæ penuria erat in Idumæa, ideo emitur pretio. NULLA ERIT IN PRETIO DIFFICULTAS. Hebr. *tantum non verbum*; hoc est, non litigabimus nempe de ulla re. TANTUM VELOCITER TRANSEAMUS. Hebr. *In pedibus meis transibo*; quasi dicat: Non accipiemus a quoquam iumentum, non carpentum.

*V.* 22. QUI EST IN FINIBUS TERRAE EDOM, scilicet mons Hor. Non est in Hebræo tamen, sed ex Sept. sumptum, vel potius ex proximo versu huc translatum.

*V.* 24. PERGAT, INQUIT, AARON AD POPULOS SUOS. Hebr. *Colligatur Aaron*, id est moriatur. EO QUOD INCREDULUS FUERIT. Hebr. *Eo quod rebellastis ori meo*; id est, mihi non obedistis. Nota, mortuos *populum nostrum* vocari. Hic velut in hospitio sumus, noster incolatus, nostra civitas in cælis est, ibi perpetuo erimus.

*V.* 30. TRIGINTA DIEBUS. Historia Schol. in Gen. cap. L. morem Hebræis fuisse in suorum funere lugere triginta diebus. PER CUNCTAS FAMILIAS SUAS. Heb. *omnis domus Israel*.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. IN DESERTUM SIN. Vide cap. XIII. vers. 22. & cap. XXXIII. vers. 36. ubi de deserto Tzin agemus. MENSE PRIMO, anni quadragesimi ab egressu ex AEgypto, ut colligitur e cap. XXXIII. vers. 37. 38. IN CADES. Altercantur Interpretes, an hæc Kades sit illa quæ alibi dicitur Kades-Barne, ut Deuteronom. I. & II. & Iosue X. & XV. Melior sententia unam & eamdem facit: cui astipulantur Eusebius & S. Hieronymus in Locis Hebraicis. Vide Genes. XIV. vers. 7. & supra cap. XIII. vers. 22. Notant, hanc Kades de qua hic, fuisse in

in deſerto Tzinis ad fines Edomæorum, ut intra verſ. 16. dicitur.

*V.* 8. TOLLE VIRGAM: illam nimirum Aaron quæ floruerat, & fructificaverat amygdalas, quam cap. XVII. verſ. 25. ante arcam teſtimonii iuſſit Deus aſſervari in teſtimonium contra rebelles; ideo Moſes eam a conſpectu Iehovæ accepiſſe dicitur, infra verſ. 9. Alii potius virgam illam Moſis intelligunt, in qua fecerat tot miracula in AEgypto, cum qua etiam alias eduxerat aquas de petra in manſione apud Riphidim, Exod. XVII. verſ. 5. 6. LOQUIMINI AD PETRAM. Quidam exponunt: Loquimini ſolum, ac non percutiatis: nam florida illa virga non erat ad percutiendum imperata, aut ad eam rem commoda. Nihil hic Dominus de percuſſione præcipit, ſed allocutionem tantum imperat: quoniam ſolo imperio ſtatuerat Deus educere aquas ſpectante populo. Alii non in hoc deliquiſſe fratres exiſtimant: nam ſi ſola voce, & non percuſſione eliciendæ erant aquæ, quorſum virga ſumi iubetur, quæ hic otioſa erat futura, nec ullæ eius partes in hoc opere? *Petram*. סלע *ſelagn*. *rupem*. *ſaxum*, *petram* interpretantur: forſan conſentiente voce *ſilicem* poſſimus exponere: quod magis auget miraculum, quod ex petra ignea, quæ ignem in viſceribus continet, tam large aquas elicuerit. *Silicem* Noſter dixit verſ. 11. CUMQUE EDUXERIS AQUAM DE PETRA. Hebr. *Et exire facies eis aquas de rupe*. Quidam exponunt: *Et proferes eis aquam*, *&c.* ſymbolice verbo: nam Dei virtus produxit aquas realiter; Moſis verbum produxiſſe eas dicitur ſymbolice, & ſacramentaliter. Melius Theologi: Produxit eas Deus principaliter, Moſes inſtrumentaliter: utraque cauſa efficiens & realis.

*V.* 10. CONGREGATA MULTITUDINE ANTE PETRAM. Hebr. *Et congregaverunt Moſeh & Aharon congregationem ad facies rupis*: quidam, *verſus petram illam*. DIXITQUE. Intelligunt uterque, ſcilicet Moſe & Aaron, quod ex pœna utrique inflicta colligitur. EIS. Aliqui obſervant, in hoc etiam deliquiſſe Moſen & Aaron, quod eundo verſus petram locuti ſunt ad Iſraelitas contra quam iuſſi fuerant alloqui petram ante oculos illorum. Deus iuſſerat ut alloquerentur rupem; ipſi non alloquuntur petram, ſed arguunt populum. AUDITE REBELLES. Aiunt fuiſſe impatientiæ voces. NUM DE PETRA HAC VOBIS AQUAM POTERIMUS EIICERE? Notant fuiſſe verba incredulitatis & diffidentiæ; non quidem de virtute & potentia divina, ſed de voluntate & effectu: in eo graviter delinquentes, quod enim certo fore promiſerat Deus verſ. 8. id iſti in dubium vocant.

*V.* 11. PERCUTIES VIRGA BIS SILICEM. Obſervant fuiſſe inobſequens factum: nam a mandato diſcedunt, cum petram alloqui iuſſi ſupra verſ. 8. eam non alloquuntur, ſed percutiunt, quod eis mandatum non fuerat: & quidem iterato percutiunt, idque impatiente, & irato, perturbatoque animo. Atqui Deus ſatis facto oſtendit, ſibi animum Moſis & Aaron diſplicuiſſe, cum non ad primum ictum aquæ eruperint; & ſane eorum perturbatam mentem peius aliquid meruiſſe quam tantulam miraculi dilationem.

*V.* 12. UT SANCTIFICARETIS ME; id eſt, demonſtraretis meam potentiam & ſanctitatem populo, certo confirmando Iſraelitas de eventu, & ſecure imperando petræ: vel ut celebraretis gloriam omnipotentiæ meæ.

*V.* 13. ET SANCTIFICATUS EST IN EIS. Quidam exponunt: Confirmatus eſt ſanctus, & glorioſus apparuit in filiis Iſrael; & omnipotens ſuperavit incredulitatem illorum; magnifice oſtentavit apud Iſraelitas ſuam ſanctitatem & virtutem: ſive, ſanctificatus eſt inter filios Iſraelis, a quorum blaſphemiis & contumelioſis vocibus præſenti facto memorabili vindicavit ſeſe, & ſanctificavit nomen ſuum. Hebræi explicant, *In eis*, in Moſe ſcilicet & Aaron, nimirum puniendo eos. Similem phraſim vide Levitic. X. verſ. 3. *In propinquis meis ſanctificabor*: quam ibi accurate elucidavimus.

*V.* 17. NON BIBEMUS AQUAS DE PUTEIS TUIS. Quidam hoc dicere volunt Moyſen quod magna aquarum penuria eſſet in ea regione, & alioqui bibentibus tot Iſraelitis exhaurirentur putei, & aqua incolis deficeret. Alii rectius intelligunt, Vel vobis invitis, vel gratis, & ſine pretio: ut oſtenditur infra verſ. 19.

*V.* 19. NULLA ERIT IN PRETIO DIF-

DIFFICULTAS, TANTUM VELOCITER TRANSEAMUS. Hebr. *Et dabo pretium venditionis earum, tantum non verbum, in pedibus meis transibo*. Alii dilucidius sic reddunt. I. *Et dabo pretium earum, tantum ne quid sit impedimento*; vel *tantum non quidquam detrimenti erit, pedibus meis transibo*. II. *Et dabo venditionem earum; tantum si nihil in pedibus meis, transibo*; idest, dabo tibi iustum pretium: modo nihil sit impedimento, transibo, & non immorabor. III. *Et dabo pretium pro eis, modo ne negotium* facessas nobis, *pedes transibo*. IV. *Simul dabo pretium venditionis eius; tantummodo* istud, *nihil* aliud, *pedibus meis transeam*. Illud, *Tantum non verbum*, varie possit intelligi: *Tantum non* sit *verbum* contrarium nostræ petitioni; vel *tantum non verbum* cum tuis ullum miscebimus, vel litigando, vel contendendo; silentes & quieti transibimus. Aut *tantum non verbo, pedibus transibo*; id est, dicto citius transibimus, nullas moras in terra tua nectemus.

*V*. 22. IN MONTEM HOR. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Hor mons in quo mortuus est Aaron, iuxta civitatem Petram, ubi usque ad præsentem diem ostenditur rupes, qua percussa Moyses aquas populo dedit*. Iosephus: *Moses per desertum cum exercitu pergens Arabiam petiit. Cumque venisset in agrum urbis Arabum primariæ, quæ olim Arce, nunc Petra nominatur, hoc loco montem excelsum quo ager clauditur, Aaron conscendit, præmonitus a Moyse quod esset moriturus*. Vide infra cap. XXXIII. vers. 37.

*V*. 24. PERGAT, INQUIT, AARON AD POPULOS SUOS. Hebr. *Colligetur, congregabitur, aggregabitur Aharon ad populos suos*; id est, reliquis popularibus suis defunctis adiungetur: nam is qui moritur, quasi ad suos maiores proficiscitur, ad eos coadunatur, cum eis commoratur, & inter defunctos censetur. Vide similem phrasim Genes. XV. 15. & Genes. XXV. 8. & 17. Sic infra vers. 26. De morte Aaron vide etiam infra cap. XXXIII. vers. 38. 39.

## MENOCHII.

*Vers*. 1. IN DESERTUM SIN. Hoc desertum aliud est ab illo Sin in quo pluere cœpit manna, Exodi XVI. 1. & 15. nam in illo octava fuit Hebræorum mansio, in hoc trigesima tertia: illud scribitur per Samech, hoc vero per Tsade. MENSE PRIMO, anni 40. ab egressu Hebræorum ex AEgypto: nam Moses tantum commemorat gesta anni primi, secundi, & quadragesimi: quare ab hoc capite usque ad finem Pentateuchi describuntur gesta anni quadragesimi, qui fuit ultimus peregrinationis Hebræorum in deserto. IN CADES. Diversa est hæc Cades ab illa quæ dicitur Cadesbarne, iuxta quam fuit decima quinta mansio: nam Cadesbarne fuit in confinio australi terræ Chanaan; at Cades hæc longe ab illa aberat: erat enim posita in extremis finibus Idumææ ad austrum vergentibus, ut patet Num. XX. 16. non valde procul a Mari rubro. Vide Cornelium hic, & Bonfrerium Num. XIII. 27. MORTUAQUE EST IBI MARIA, quatuor mensibus ante fratrem suum Aaron, cum esset annorum 130.

*V*. 6. APERI THESAURUM. Quæ latent, & necdum aperta sunt, dicuntur esse in thesauris Dei: sic Psal. CXXXIV. 7. *Producens ventos de thesauris suis*. GLORIA DOMINI, in nube novos & insolitos radios vibrantis.

*V*. 8. LOQUIMINI AD PETRAM: imperate petræ ut det aquas, adhibita etiam virgæ percussione.

*V*. 9. IN CONSPECTU DOMINI, in tabernaculo. Virga hæc est Mosis operatrix miraculorum, non Aaronis, quæ floruerat.

*V*. 12. NON CREDIDISTIS MIHI: Dubitasse videntur num vere Deus aquam promisisset, an solum per ironiam, aut sub ea conditione si cessassent Hebræi a murmure. Itaque cum viderent populum incredulum, etiam ipsos subiit dubitatio. Vel fortasse Deus ad primam percussionem aquas non dedit, ad eorum tentandam fidem: inde illi turbati, & humani aliquid passi, gestu, ac vultu, coram populo perturbationem aliquam ostenderunt, quæ populo ansam præbuit de divina potentia, vel promissorum fidelitate dubitandi. Quidquid fuit peccati, certe a gravi crimine liberandi sunt cum August. Lib. XVI. contra Faustum, c. XVI. UT SANCTIFICARETIS ME, &c. ut sanctum, fidelem,

lem, potentem ostenderetis. IN TERRAM QUAM DABO EIS, in Chananæam trans Iordanem: nam alioqui Moses intravit in terram promissam, quæ cessit tribui Ruben, & Gad, & dimidiæ tribui Manasse.

*V.* 13. AQUA CONTRADICTIONIS: ubi contradixit, & murmuravit populus.

*V.* 14. DE CADES AD REGEM EDOM. Cades enim vicina erat Idumææ, per quam transeundum erat Hebræis ituris in Chanaan. HAEC MANDAT: dedit nobis in mandatis ut hæc tibi diceremus. FRATER TUUS ISRAEL: Israelitæ enim a Iacob, Idumæi ab Esau Iacobi fratre descendebant.

*V.* 16. MISERITQUE ANGELUM, ducem nostrum, nos præeuntem in columna nubis. IN URBE CADES POSITI, iuxta Cades: nam urbem non videntur ingressi.

*V.* 17. NON BIBEMUS AQUAS DE PUTEIS TUIS, gratis scilicet: nam in desertis illis locis magna est aquæ penuria.

*V.* 18. PER ME, per meam ditionem.

*V.* 20. CUM INFINITA MULTITUDINE: hyperbole etiam in vulgari sermone frequenter usitata. ET MANU FORTI, magno robore militum.

*V.* 21. DIVERTIT AB EO ISRAEL. Reflexo cursu circuivit Idumæam ad latus orientale.

*V.* 24. PERGAT AARON AD POPULOS SUOS: moriatur, congregetur ad populum suum in limbum.

*V.* 26. COLLIGETUR ad patres suos, ad populum suum.

*V.* 29. ILLO MORTUO, ætatis 123. mense quinto, ut dicitur Num. XXXIII. 38.

*V.* 30. FLEVIT SUPER EO: iura funeris persolvit.

## TIRINI.

*Vers.* 1. MENSE PRIMO, scilicet anni peregrinationis per desertum quadragesimi, seu ultimi. Ita Iosephus, Abulensis, & alii passim.

*V.* 12. QUIA NON CREDIDISTIS MIHI, UT SANCTIFICARETIS ME; id est, gloriam meam celebrem & palam faceretis, CORAM FILIIS ISRAEL. Hinc, & ex aliis locis *a* patet, Moysen & Aaronem non solum incredulitate, vel hæsitatione interna peccasse, dubitando de effectu promisso; sed insuper etiam exterius aliquo signo prodidisse hanc suam dubitationem, atque ita gloriam Dei coram populo minuisse: verbi gratia, ob continuum populi murmur & strepitum turbati percusserunt petram, sed eo gestu ac modo quo proderent se dubitare de successu, maxime si prima percussione dicamus, Deum, ut fidem illorum, constantiamque magis probaret, non dedisse aquas. Tunc enim probabile est aliquid humani passos, gestu vel etiam verbis indicasse nonnullam animi titubationem, atque ita populo adstanti occasionem dedisse etiam ridendi, vel explodendi promissa Dei; cum tamen ipsi, utpote principes & capita populi, debuissent etiam mortem potius subire quam tale offendiculum dare, & gloriæ Dei detrahere. Vide S. Cyrillum, Augustinum *b*, Theodoretum, Rupertum, Rabanum, Caietanum, & alios.

Nota tamen, verosimilius esse, illos ex nimia perturbatione non nisi venialiter peccasse; ut diserte sanctus Augustinus, & plerique DD. morte nihilominus luisse hanc culpam: quod diffidentia de Deo, & scandalum proximorum, in Prælatis, quantumcumque per accidens sint exilia, & levia ob varias circumstantias, per se tamen & ex se sint valde noxia & iniuriosa Deo.

Allegorice, secundum Apostolum I. Corinth. x. 4. *petra erat Christus*, crux virga: dat aquam gratiæ & sanctitatis fidelibus, incredulis contradictionis. Ita S. Augustinus.

*V.* 25. IN MONTEM HOR. Dices: Deuteron. x. vers. 6. dicitur *Aaron mortuus ac sepultus in Mosera*. Respondeo: Mons *Hor*, & *Mosera* idem locus fuit; sed mons ipse vocabatur *Hor*, locus vero adiacens in quo castra Iudæi metabantur, dicebatur *Mosera*. Et bis ad hunc eumdem locum venerunt Israelitæ, ut patet Numer. XXXIII. 30. & 37. Cum enim totis 40. annis eamdem solitudinem pervagati sint, & quadragesies stationem mutarint; quid mirum si ad eadem loca subinde reversi sint?

Nota, nec Mariam, id est Prophetas; nec Aaronem, id est Sacerdotes; nec Moysen,

ſen, id eſt Legem ſcriptam; ſed ſolum Ioſue, id eſt Ieſum Chriſtum, nos in terram promiſſam, id eſt cælum, inducere potuiſſe. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus.

*Verſ.* 28. ELEAZARUM FILIUM EIUS. Non manſit tamen pontificatus ſemper in Eleazari familia: nam conſtat, tempore Iudicum translatum fuiſſe (qua de cauſa, incertum) ad Ithamari, *c* alterius Aaronis filii, poſteros. Rurſum tamen ſub Davide, & Salomone rediit ad Eleazari familiam. Poſterioribus temporibus, cum pretio vel favore regum, aut præſidum Iudææ venalis eſſet pontificatus, veroſimile eſt, mixtim ex utravis familia fuiſſe aſſumptos. Sed numquam, ne quidem iniquiſſimo tempore, pontificatum fuiſſe extra Aaronis familiam, affirmat Ioſephus *d*, cui potius in hac re crediderim, quam Sigonio *e* contrarium ſuſtinenti. Sed in Pontificum numerum non veniunt Menelaus *f*, Lyſimachus*g*, & Alcinus *h* pſeudopontifices tempore Machabæorum, de quibus ibidem *i*, & in Chronico cap. LXII.

(*a*) Num. XXVII. verſ. 14. & Deut. I. verſ. 37. & cap. III. verſ. 26. & cap. IV. verſ. 22. & cap. XXXII. verſ. 51.
(*b*) Cyril. in Cat. Græc. PP. Aug. quæſt. XIX. in Num. & Lib. XVI. contra Fauſtum cap. XVI.
(*c*) Ioſeph. Lib. V. Antiq. cap. ult. & Lib. VIII. cap. I. & colligitur ex I. Par. XXIV. verſ. 3.
(*d*) Ioſephus Lib. XX. Antiq. cap. VIII.
(*e*) Sigon. Lib. V. de Rep. Hebræor. cap. II.
(*f*) II. Mach. IV. verſ. 23.
(*g*) Ibid. verſ. 29.
(*h*) Ibid cap. XIV. verſ. 3.
(*i*) I. Mach. II. verſ. 1.

## GORDONI.

*Verſ.* 1. VEnitur in deſertum Sin. Hæc eſt ſtatio trigeſima tertia, de qua cap. XIII. verſ. 1. eſt in Sin per Tſade: nam illa ſtatio in Sin per Samech, fuit octava, Exod. XVI. verſ. 1. & 15. Notatur hic menſis primus, ſcilicet anni quadrageſimi ab exitu. Sane Moſes, ut ait Abulenſis, tantum deſcribit geſta trium annorum in deſerto, ſcilicet duorum primorum, & huius ultimi, qui hic deinceps deſcribitur. Manſionum ſeriem quidem noto intermiſſam cap. XV. verſ. 3. Hæc Cades ubi moritur Maria, eſt diverſa a Cadesbarne, quæ erat decima quinta manſio Hebræorum. Obiit anno ætatis 130. & Moſes eodem anno quadrageſimo, ſed ætatis 120. Conſignavi hunc Moſis obitum ad annum mundi 2524.

*V.* 9. Hæc, ut videtur, eſt illa Moſis virga miraculorum patratrix, de qua dixi Exod. IV. verſ. 2. non vero Aaronis virga, quæ fronduerat, de qua hic cap. XVII. Alii etiam probabiliter volunt eſſe Aaronis virgam. Accidit hoc miraculum in Cades, Deuteronom. XXIII. verſ. 51. Alia fuit aquarum eductio in Raphidim, Exod. cap. XVII.

*V.* 10. NUM DE PETRA. Auguſtin. in Numer. quæſt. XIX. putat Moſen hic dubitaſſe de potentia Dei. Vide Pſalm. LXXVII. & CV.

*V.* 12. At quæ fuit hæc incredulitas Moſis, & culpa? Suſpicari licet, fuiſſe, quod dubitando petram percuſſerit, non dubius, ut quidam putant, de potentia Dei, ſed de voluntate, an Deus hoc eſſet facturus in gratiam tam rebellis populi. Aliquid tamen fuit ob quod dictum eſt: *Non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.*

*V.* 13. AQUA CONTRADICTIONIS, *contentionis*, & *iurgii*, ex Heb. & Septuag.

*V.* 14. REGEM EDOM, Idumææ principem. Erant Idumæi poſteri Eſau, ac proinde ſic loquitur nuntius: HAEC MANDAT FRATER TUUS ISRAEL, ſeu Iacob. Negatur tranſitus; & proinde de Cades venitur in Hor, ubi moritur Aaron, menſe quinto anni quadrageſimi, & ætatis 130. ſenior Moſe toto decennio.

*V.* 16. MISIT ANGELUM. Sic Hebr. & Septuag. Hic Angelus, ſeu nuntius, eſt ipſe Moſes.

*V.* 21. NEC VOLUIT ACQUIESCERE. Sed quid ergo eſt Deuter. cap. II. verſ. 4. & 27. ubi narratur conceſſus hic tranſitus? Hæc difficultas ſatis explicatur verſu hic inſequente, ubi dicitur eos tranſiſſe, non quidem per interiora Idumææ, ut petebant, ſed per Idumææ fines, ut eſt in Deuteronomio. Quod vero hic dicitur de morte Aaron ad montem Hor, non repugnat verbis Deuter. X. verſ. 6. Nam Moſera, de qua agitur in Deuter. non eſt alius locus a monte Hor diverſus.

### EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 1. Hinc uſque ad finem libri deſcribit Moſes geſta anni quadrageſimi.

CA

# CAPUT XXI.

*Vincitur ab Israel rex Chananaeus: serpentes in populum ob itineris taedium murmurantem immittuntur, quorum morsibus erectus serpens aeneus medetur: Seon & Og reges vincuntur.*

1. Uod cum audisset Chananaeus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum, & victor existens, duxit ex eo praedam. 2. At Israel voto se Domino obligans ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes eius. 3. Exaudivitque Dominus preces Israel, & tradidit Chananaeum, quem ille interfecit subversis urbibus eius: & vocavit nomen loci illius Horma, id est anathema. 4. Profecti sunt autem & de monte Hor, per viam quae ducit ad Mare rubrum, ut circumirent terram Edom. Et taedere coepit populum itineris ac laboris: 5. locutusque contra Deum & Moysen, ait: Cur eduxisti nos de AEgypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquae: anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo. 6. (*a*) Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, 7. venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo, 8. & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem aeneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet. 9. (*b*) Fecit ergo Moyses SERPENTEM AENEUM, & posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur. 10. Profectique filii Israel castrametati sunt in Oboth. 11. Unde egressi fixere tentoria in Ieabarim, in solitudine, quae respicit Moab contra orientalem plagam. 12. Et inde moventes, venerunt ad torrentem Zared. 13. Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quae est in deserto, & prominet in finibus Amorrhaei: (*c*) siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas & Amorrhaeos. 14. Unde dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in Mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. 15. Scopuli torrentium inclinati sunt, * ut requiescerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum. 16. Ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, & dabo ei aquam. 17. Tunc cecinit Israel carmen istud: Ascendat puteus. Concinebant: 18. Puteus, quem foderunt principes, & paraverunt duces multitudinis in datore legis, * & in baculis suis. De solitudine, Matthana. 19. De Matthana in Nahaliel: de Nahaliel in Bamoth. 20. * De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum. 21. (*d*) Misit autem Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhaeorum, dicens: 22. Obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos. 23. Qui concedere noluit ut transiret Israel per fines suos: quin potius exercitu congregato, egressus est obviam

in desertum, & venit in Iasa, pugnavitque contra eum. 24. (e) A quo percussus est in ore gladii, & possessa est terra eius ab Arnon usque Ieboc, & filios Ammon: quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum. 25. Tulit ergo Israel omnes civitates eius, & habitavit in urbibus Amorrhæi, in Hesebon scilicet, & viculis eius. 26. Urbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnavit contra regem Moab: & tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat, usque Arnon. 27. Idcirco dicitur in Proverbio: Venite in Hesebon, ædificetur, & construatur civitas Sehon: 28. Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon, & devoravit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon. 29. (f) Væ tibi Moab, peristi popule Chamos. Dedit filios eius in fugam, & filias in captivitatem, regi Amorrhæorum Sehon. 30. Iugum ipsorum disperiit ab Hesebon usque Dibon, lassi pervenerunt in Nophe, & usque Medaba. 31. Habitavit itaque Israel in Terra Amorrhæi. 32. Misitque Moyses qui explorarent Iazer: cuius ceperunt viculos, & possederunt habitatores. 33. (g) Verteruntque se, & ascenderunt per viam Basan, & occurrit eis Og rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai. 34. Dixitque Dominus ad Moysen: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum, ac terram eius: faciesque illi sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Hesebon. 35. Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis, universumque populum eius usque ad internecionem, & possederunt terram illius.

(a) Iudith VIII. 21. Sap. XVI. 5. I. Corinth. X. 9. (b) Ioan. III. 14. (c) Iudic. XI. 18. (d) Deut. II. 26. Iudic. XI. 19. (e) Amos II. 9. Psal. CXXXIV. 16. (f) Iudic. XI. 13. III. Reg. XI. 7. (g) Deuter. III. 3. XXIX. 7.

# BRUGENSIS

## Romanae Correctiones.

V. 15. *Ut requiescerent in Ar*. Non est scribendum *Arnon* dissyllabum, pro monosyllabo *Ar*, ut certe locorum prorsus diversorum sunt nomina.

V. 18. *Et in baculis suis. De solitudine, Matthana*. Non addas *profectique sunt* ante *de solitudine*, nec *in* ante *Matthana*: subaudienda enim hæc sunt, non exprimenda.

V. 20. *De Bamoth, vallis est*. Non omittenda præpositio *de*, quod & alias docuimus in Notationibus nostris.

## Notationes.

V. 18. *Profectique sunt de solitudine, Matthana*. Superfluit *profectique sunt*: in compluribus enim nostræ editionis libris, Parisiensium sex, Hentenii sex, nostris undecim, Hebræo textu & Græco, & enarratore Ruperto suffragantibus non legitur. Hebraice est: *Et e solitudine, in Matthana*; Græce: *Et a puteo in Manthanaein*. Superfluit autem textui, non sensui, id quod etiam Epanorthotes annotavit: describitur enim progressus itineris Israel, nimirum a puteo solitudinis in Matthana. Chaldæus ista ad puteum retulit, & propria nomina interpretatus hoc modo reddidit: *Ex deserto datus est eis. Sequitur: Et ex quo datus est eis, descendit cum eis ad valles: & ex vallibus ascendit cum eis ad collem; & de colle ad vallem, quæ in agris Moab usque ad summitatem collis, quæ respicit versus Bethiesimoth*. Videtur autem ad id respexisse, quod Hebræi dicunt, aquas ex petra manantes, castra quocumque proficiscerentur, subsecutas fuisse per canales sive ductus, quos fecerunt principes, baculis quos in terra post se trahebant. Manuscriptorum nostrorum quinque addunt *in*: *In Matthana* cum Græcis codicibus; id quod non parum illustrat locum, tollitque erroris occasionem eorum qui scripserunt, *Profectique sunt in solitudine Matthana*, & qui *Profectique sunt de solitudine Matthana in Nahaliel &c.* Huiusmodi enim corruptelas in nonnullis scriptis exemplaribus deprehendimus.

V. 20. *Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum*.

*tum*. Epanorthotes ex antiquis codicibus suis addendam docet, quæ Hebraice & Græce additur, præpositionem *de*: *De Bamoth*, *vallis est in regione &c.* Eadem legitur in manuscriptis Hentenii septem, nostris novem; Parisiensium sex, & sensus est: Vel de Bamoth, quæ est vallis in regione Moab, venerunt in verticem Phasga, quem Oleaster probat; vel de Bamoth, vallis est in regione Moab, ad quem venerunt, vel quo pervenerunt. In quem sensum Hieronymus explicans 39. *mansionem* vertit: *Et de excelsis ad vallem quæ est in regione Moab*. Sed quomodo sit vallis in montis vertice? id enim sequitur: *In vertice Phasga*. Hieronymus mysticam quorumdam expositionem refert: fortassis autem litteræ sensus est: *In vertice Phasga*, circa radices Phasga, qui montis Abarim vertex est; ut intelligantur in humilioribus locis montis Abarim castrametati, ante seu contra Phasga, quod fuit nomen verticis eiusdem montis. Infra versu 47. capitis XXXIII. eadem mansio aliis nominibus describi videtur: *Egressique de Helmon Deblathaim*, *venerunt ad montes Abarim contra Nabo*.

Id quod deinceps sequitur: *Quod respicit contra desertum*, multi scriptorum codicum, & quidem emendatiorum plerique legunt: *Et quod respicit contra desertum*. Sed alterum forte redundat, aut *&*, aut *quod*. Hebraice *&* tantum legitur, ut in duobus Latinis scriptis; Græce, *quod*, τὸ βλέπον, ut in pluribus scriptis, quorum duo *quod* habent.

# COMMENTARIA.

## SA.

*Vers.* 3. HORMA. Hebr. *Chormah*, id est *eversio*, seu *destructio*: atque in hanc significationem accipiendum hic anathema.

*V.* 5. NAUSEAT. Chald. *Fatigata est*. LXX. *Gravata est*. LEVISSIMO: scilicet facile concoquebatur. LXX. *vacuo*.

*V.* 6. IGNITOS. Hebr. *seraphim*, id est *ignitos*, seu *urentes*: scilicet qui mordebantur, uri videbantur.

*V.* 8. AENEUM. Hebr. & Chald. *ignitum*, scilicet qui ignitum serpentem repræsentet, quod facit æneus. PRO SIGNO, id est edito loco, velut vexillum. Hebr. *super vexillum*, seu *perticam*, scilicet super hasta vexillari. Chald. & LXX. *pro signo*.

*V.* 11. IEABARIM, id est *acervis transeuntium*. Chald. *vado transeuntium*. CONTRA, id est versus, seu ad.

*V.* 13. PROMINET IN FINIBUS; id est, extenditur in fines, seu egreditur a finibus, ut indicant Hebr. Chald. & LXX.

*V.* 14. DICITUR. Hebr. *Dicetur*, pro *dicitur*: carent enim præsenti. LXX. *Dicitur*. LIBRO. Quis hic liber, incertum. FECIT, scilicet victoriam. FACIET. Alii, *Fecit*, quod indicant Hebr. Chald. & LXX.

*V.* 15. SCOPULI, &c. quasi dicat: Ex scopulis fluens torrens, transit per Arnon usque in fines Moab: nempe *scopuli torrentium*, pro *torrentes scopulorum*. Chald. *effusio torrentium*.

*V.* 16. APPARUIT PUTEUS; quasi dicat: Inde venerunt in locum putei, vel eo loco datus puteus. Chald. *inde datus eis puteus*.

*V* 18. IN DATORE, id est cum datore, scilicet Moyse. BACULIS, scilicet terram aperientes.

*V.* 20. VERTICE, id est capite, seu principio, aut extremitate.

*V.* 27. IN PROVERBIO. Hebr. *a parabolizantibus*, id est iis qui parabolis utuntur. LXX. *ab ænigmatistis*. Chald. *in proverbiis*.

*V.* 29. CHAMOS idolum erat Moabitarum. Vide III. Reg. XI.

*V.* 30. IUGUM, id est imperium. Chald. *regnum*. LASSI PERVENERUNT. Heb. *Desolare fecimus*, seu *vastavimus*, Chald. *Vastaverunt*.

*V.* 32. POSSEDERUNT. Hebr. Chald. & LXX. *Expulerunt*.

## ESTII.

*Vers.* 2. & 3. VOTO SE DOMINO OBLIGANS AIT: SI TRADIDERIS POPULUM ISTUM IN MANU MEA, DELEBO URBES EIUS .... ET VOCAVIT NOMEM LOCI ILLIUS HORMA, ID EST ANATHEMA. Nempe sic deletæ sunt hæ urbes, sicut postea deleta fuit Iericho. Et qui-

quidem factus est locus *anathema*, hoc est *execratio*, Sed tamen verisimile est, sicut in Iericho abstulerunt omne aurum & argentum, & consecrarunt in ærarium Domini, ita & hic etiam fecerint. Notandum etiam, quod Israel has urbes delendo, quodammodo sic primitias Deo obtulit terræ promissæ in possessionem accipiendæ.

*V.* 8. FAC SERPENTEM AENEUM, ET PONE EUM PRO SIGNO: QUI PERCUSSUS ASPEXERIT EUM, VIVET. Quod hæc fuerit Christi Salvatoris exaltati in cruce figura, Christum ipsum habemus interpretem Ioan. III. Christus ergo serpens, quia natus in similitudinem carnis peccati, quod suasu serpentis per unum hominem intravit in mundum. AEneus autem serpens, quia revera sine peccato, ut æneus serpens sine veneno. Positus pro signo, ut percussi aspiciant, & vivant, quia exaltatus in Cruce, ut credentes in Crucifixum, sanentur a morsibus peccatorum, quos serpens antiquus diabolus inflixit.

*V.* 14. UNDE DICITUR IN LIBRO BELLORUM DOMINI. Liber ille non extat. Videtur autem fuisse liber qui contineret carmina quædam, ceu epinicia pro victoriis populi Dei contra hostes suos: eiusmodi enim sunt versus qui hic citantur. Nec illud improbabile, Esdram cum libros divinos restitueret, eadem, ut credere par est, Dei auctoritate, qua suæ historiæ libros scripsit, huiusmodi quasdam citationes libris illis inseruisse. Neque propterea necesse est agnoscere divinam auctoritatem in illo bellorum Domini libro, non magis quam in poetis & libris gentilium, quos Apostolus Paulus aliquoties citat; sed sic tantum partes citatæ auctoritatem habent, quatenus citatione approbantur.

## MARIANAE.

*Vers.* 2. DELEBO URBES EIUS. Septuaginta: *Anathematizabo*, quod magis exprimit vim verbi *Haram*.

*V.* 5. CUR EDUXISTI NOS? Hebr. *Eduxistis*: sic Chald. sed sublatis punctis, nostra lectio cum litteris & ratione grammatica cohæret. Sic cap. XX. vers. 5. pro eadem dictione in Vulgata ponitur, *Quare nos fecistis ascendere?*

*V.* 5. SUPER CIBO ISTO LEVISSIMO, scilicet qui famem non eximit.

*V.* 8. FAC SERPENTEM AENEUM. Hebr. *Fac tibi ignitum*, supple serpentem. Sept. *æneum serpentem*. Vocatur *ignitus*, quod exprimeret serpentes quos ignitos vocarat. PONE EUM PRO SIGNO. Heb. *super pertica*, *aut vexillo*: utrumque נס *nes* significat. Hieronymus *signum* pro vexillo sumpsit, & bene *super* vertit in *pro*.

*V.* 12. AD TORRENTEM ZARED. Sept. & Pag. *vallem* dixere: נחל *nahal* utrumque significat.

*V.* 13. CONTRA ARNON. Sept. & Pagn. *trans Arnon:* & id videtur Hebraica vox significare *Mebeber*. Chald. *trans torrentem*.

*V.* 15. SCOPULI TORRENTIUM. Hebr. *effusio torrentium*, locus declivis qui ducit in Har (quam Hieronymus putavit esse Arnon) & nititur, seu pertingit ad terminum Moab. Ergo ille locus inclinatus est; id est, se pervium præbuit.

*V.* 30. IUGUM IPSORUM DISPERIIT AB HESEBON. *Iugum*, id est imperium in alios. Hebraica sic explicant Hebræi: *Proiecimus eos; periit Hesebon usque Dibon; desolare fecimus usque ad Nophah, quæ* (supple, extenditur) *usque ad Mediba*.

*V.* 31. ET POSSEDERUNT HABITATORES. Hebr. *Et hereditare fecit*, scilicet Moyses filios Israel, *Amorrhæos qui ibi*, scilicet erant.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. CHANANAEUS REX ARAD. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Arad civitas Amorrhæorum vicina deserto Kades: & usque nunc ostenditur villa ab oppido Malatis in quarto lapide a Chebron, vicesimo in tribu Iuda*. Et inferius: *Arad terminus & ipse Iudæ, distans a Chebron millibus viginti ad meridiem, de quo supra positum est*. Et postea: *Arad est civitas, in qua habitaverunt filii Hobab soceri Mosi in medio Israelis*. Vide Iudicum I. vers. 16. & Iosue XII. & XIV. Ab onagris, quibus forte abundabat, nomen nacta videtur. AD MERIDIEM. Chananææ scilicet, seu terræ promissæ. PER

EX-

EXPLORATORUM VIAM: qua missi fuerant exploratores, supra cap. XIII. vers. 17. Aliqui substantive, *Viam indagationum*, *explorationum*: per auxesim, pro exploratorum. *Viam exploratorum*, exponunt, quod per modum exploratorum, id est ac si exploratores fuissent, ingressi sint terram Kamalek, qui hic Chananæus dicitur, quod habitaret in montanis ad meridiem. Vide cap. XIV. vers. 25. 43. 45. LXX. pro nomine proprio loci acceperunt, *Viam Atharim*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Atharim*, *pro quo Aquila*, & *Symmachus*, *exploratorum viam interpretati sunt: ubi adversum Chananæum, qui ab austro contra Israelem eruperat, in solitudine dimicatur*.

*V.* 2. DELEBO URBES EIUS. החרים *becherim* in Hiphil, proprie est *anathematizare*, *excommunicare*, *devovere* ab usu communi, seu e medio sine ulla commiseratione tollere: ut sit contrarium verbo רחם *racham* transposito. *misereri*, tamquam rem sacram, id est execrandam & devotam, proscribere, publicare, omnium detestationi, execrationi, iniuriis devotare, atque exponere: & plane quantum fieri potest, occidione occidere, exscindere, desolare, disperdere, conficere, prorsusque abolere. Vide Exodi XXII. vers. 20. Quidam hic reddunt: *Tunc devotas efficiam civitates eorum*; id est, non reservabo ad usus nostros, sed tibi consecratas perdam. Has ergo urbes devotas, tamquam sacras seu consecratas Deo penitus exscindebant, & abolebant: extat exemplum Iosue VI. vers. 17. & 18. in Iericho. Vide Deut. XIII. vers. 15. 16. 17. & quæ notavimus Levitici XXVII. vers. 29.

*V.* 3. HORMA, id est devotionis, seu anathematis, seu excisionis & abolitionis locum. Vide Iosue XII. vers. 14. & cap. XV. vers. 30.

*V.* 4. ET TAEDERE COEPIT POPULUM ITINERIS AC LABORIS. Hebr. *Et stricta*, *angustiata*, *abbreviata*, *arctata*, *decurtata*, *demesa*, *abscissa fuit anima populi in via*; id est, cœpit populus destitui animo, vel despondere animum. Solet anima brevis fieri laborantibus, & iis qui spirare vix possunt; quasi dicat: Vix tenuem ducebant spiritum. Quidam reddunt: *Sed imminutus est animus populi propter viam illam*. Aliqui intelligunt decurtatam & abbreviatam animam, id est vitam populi, itinere illo trigintaocto annorum, Deo ita operante ad consumendum populum illum rebellem, ut indicatur Deuteronom. II. vers. 14. & 15. Nos de fessis, & fatiscentibus dicimus, *Cortaronse*. Sic vers. 5.

*V.* 5. LEVISSIMO. קלוקל *kelokel*, *levissimo*, *vilissimo*, *despectissimo*, *obiectissimo*: nam geminatio litteræ Koph, significatum intendit. Levissimum cibum manna appellant, uti interpretantur Hebræi, quod levissimæ & facillimæ concoctionis esset, & a membris facile absorberetur & digereretur: unde isti putabant famem non eximere, satietatem non afferre, sed inanem & vacuam animam relinquere. Sic enim cælestem cibum ingrati calumniabantur.

*V.* 6. IGNITOS SERPENTES. שרף *saraph*, singulare est infra vers. 8. hic plurale שרפים *seraphim*: aiunt esse serpenem, seu draconem alatum, & volantem, qui necdum igniti coloris est; verum etiam homines quos mordet, lethali ardore inflammat, frugesque, & viridia alia afflatu suo adurit: & Græcis *Prester* dicitur, ab urendo vel inflammando, de quo Lucanus:

*Oraque distendens avidus spumantia prester*.

Eius meminere etiam Dioscorides lib. VII. cap. XIV. & Plinius lib. XXIV. cap. XIII. & lib. XXXII. cap. V. qui sceleratissimum serpentium appellat. AElianus lib. XVII. cap. VI. Herodotus Lib. III. numero 109. *Alati vero serpentes nusquam alibi nisi in Arabia*, *aut certe non adeo frequenter*.

*V.* 8. PRO SIGNO. נס *nes*, a נוס *nus*, *fugere*, exponunt, *signum*, *vexillum*, quod elevatum in altum a vento fugatur, & agitatur: item *trophæum*, *exemplum* aliis præfixum, ut aut imitentur, aut quo admoneantur sibi ut caveant. Varie hic reddunt: *Super signum*, *super vexillum*, *super baculum*, *perticam*, *furcam*, *super varrum*, aut *varronem*. Sunt *varri* stipites non dolati, præduri, ac enodes. Vide Hadrianum Turnebum Lib. IX. Adversariorum cap. II. & Iosephum Scaligerum in castigationibus ad Festum, in voce *Squarrosos*. Nec aliene vertes *super trophæum*. Quidam exponunt *super vexillum*, id est in extremitate hastæ vexillaris. Vexillum hic capiunt pro hasta vexillari. Alii, *super palum in sublime sublatum*.

*V.* 10.

*V.* 10. PROFECTIQUE FILII ISRAEL, nimirum de monte Hor, venerunt in Salmona, inde in Phunon, inde in Oboth, ut dicitur infra cap. XXXIII. verſ. 41. 42. 43. Duæ hic manſiones intermediæ omittuntur. IN OBOTH. Nomen iſtud, *Pythones*, *Ventriloquos* ſonat; vel *Utres*, aut *Lagenas* grandes, quibus muſtum continetur, uti diximus Levit. XIX. verſ. 31. fortaſſe facta appellatio loco, quod ibi pythones, & ventriloqui plures eſſent; vel quod ibidem plures utres, ſeu lagenæ continendo vino conficerentur.

*V.* 11. IN IEABARIM. Hebr. duæ ſunt dictiones, עיים *ghiiim*, ſeu conſtructum עיי *ghiiie*, & עברים *ghabarim*. *Ghiim* aiunt eſſe *acervos*, *cumulos*, *tumulos*. Quidam hic pro appellativo accipiunt, redduntque: *Ad cumulos montium Habarimorum*; intelliguntque primos colliculos montium Habarimorum. Alii volunt eſſe proprium *Ghiie*, vel *Ie*, ſic dictum ab acervis lapidum, quod ibi plures, & magni eſſent. De montibus Habarim S. Hieronymus ex Euſebio in Locis Hebraicis: *Abarim mons, in quo mortuus eſt Moyſes: dicitur autem mons eſſe Nebo in terra Moab contra Iericho ſupra Iordanem in ſupercilio Phaſga. Oſtenditurque aſcendentibus de Libiade in Eſbum antiquo, hodieque vocabulo iuxta montem Phogor, nomen priſtinum retinentem, a quo circa eum regio uſque nunc appellatur Phaſga*. Fortaſſe dicti Abarim, quod eſſent veluti tranſitus regionum, quos Hiſpanice appellamus *Puertos ſecos*. Hebræorum quidam inde appellatos volunt, eo quod eſſent ad vada Iordanis, unde traiicitur in terram Chanaan. Alii ob duos quos habebant tranſitus, unum ad Kades, alterum ad montem, in quo erant ſepulcra fratrum, Moſis & Aaron. Forſterus a tranſitibus, quos montana illa habent, aut quod in tranſverſum protendantur; & quod Moſes in illis tranſierit, ſeu ſublatus ſit. Sed Iehabarim locum longe diſſitum a monte ſeu montibus Abarim conſtituunt Topographi ſacri, non longe a Petra Arabiæ. LXX. hunc locum appellant Ahie, vel Achalgai, de quo Euſebius, & S. Hieronymus in locis: *Ahie, quæ & Achalgai, pro hac Symmachus interpretatur, In collibus: eſt autem e regione quondam Moab, nunc Areopoleos, ad orientalem plagam*. Quæ ſunt verba huius verſus. QUAE RESPICIT MOAB. Hic Moab quidam pro regione Moabitarum, alii pro urbe primaria eius regionis, regioni cognomine ſumunt, quod eſt rectius. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Moab ab uno filiorum Lot, qui vocabatur Moab, urbs Arabiæ, quæ nunc Areopolis dicitur, ſic vocata eſt; cuius & ſupra meminimus. Appellatur autem Moab ex nomine urbis, & regio: porro ipſa civitas quaſi proprium vocabulum poſſidet, Rabbath Moab, id eſt Grandis Moab*. Et ſuperius: *Moab vero Arabiæ civitas eſt, quæ nunc Areopolis nominatur*. Hanc quidam eſſe putant, quam corrupto vocabulo Ptolemæus lib. V. cap. XVII. *Rhabmathmoma*, & Stephanus Byzantius, *Rabathmona*, pro *Rabbath Moab* appellant. Vide infra verſ. 15. & cap. XXII. verſ. 36.

*V.* 12. INDE MOVENTES, &c. Notant, his novem ſequentibus verſibus non ſtationes Iſraelitarum, ſed loca compendio enumerari per quæ tranſiverunt, antequam Moſes legatos ad Emorrhæum mitteret. AD TORRENTEM ZARED. *Vallem Zared* alii interpretantur. Torrentem hunc in lacum Aſphalthitem influere non procul ab urbe Petra, ſacri Topographi admonent. Euſebius & S. Hieronymus eſſe vallem in parte deſerti autumant. Vide Deuteron. II. verſ. 13.

*V.* 13. CONTRA ARNON. Quidam reddunt *citra Arnon*, quia nondum tranſierant Arnonem. Alii *ultra Arnon*, reſpectu terræ ſanctæ. Nonnulli *de tranſitu Arnon*. Alii *ad vadum Arnonis*. Arnon nomen & rupis, & urbis, & fluvii, vel torrentis in ſacris litteris celebris. S. Hieronymus, & Euſebius in locis Hebraicis: *Arnon, rupes quædam in ſublime porrecta in finibus Amorrhæorum inter Moab & Amorrhæos. Moab vero Arabiæ civitas eſt, quæ nunc Areopolis nominatur. Oſtendunt regionis illius accolæ locum vallis in prærupta demerſæ, ſatis horribilem & periculoſum, qui a pleriſque nunc Arnonas appellatur; extenditurque uſque ad ſeptemtrionem Areopoleos: in quo & militum ex omni parte præſidia diſtributa, plenum ſanguinis & formidinis teſtantur ingreſſum. Hic quondam Moabitarum fuit, & poſtea Seon rex Amorrhæorum iure belli eum obtinuit. Sed & terra filiorum Iſrael trans Iordanem incipiens ab Arnone uſque ad montes Hermon, &*

*Li-*

*Libanum extenditur*. Iosephus Lib. IV. Antiquit. cap. IV. *Fluvius, qui nominatur Arnon ex Arabiæ montibus ortus, desertum medium penetrans, in Asphaltitem lacum influit, Moabitas ab Amorrhæis distermimans: estque hæc regio frugifera, & fructus, quantum satis est incolis, suppeditat*. Unde falsus est Beniamin Tudelensis, pag. 52. Itinerarii, cum scribit: *Iordanis Arnonis aquas excipit, ex Moab finibus defluentis*. Non enim Iordanis, sed Asphaltites Arnonem excipit, teste Iosepho. In Notitia Imperii hæc habentur: *Cohors tertia Felix Arabum in ripa vadi Apharis fluvii in castris Arnonensibus. Cohors tertia Alpinorum apud Arnonas*; scilicet excubabant: quæ mirifice congruunt cum illis quæ nuper ex Eusebio, & S. Hieronymo recitabamus. SIQUIDEM ARNON TERMINUS EST MOAB. Exponunt: Fuerat quidem ante ditionis Moabitarum, sed Seon Amorrhæus bello ipsum cum ulteriore agro subegerat, ut narratur infra vers. 26. & 28. & S. Hieronymus, ut paulo superius vidimus, annotavit. Itaque Israelitæ nihil quod tum Moabitarum esset, occuparunt.

*V.* 14. IN LIBRO BELLORUM DOMINI. De hoc libro plaustra opinionum hic convehunt Explanatores: nec vacat, nec opus transcribere. Quidam ספר *sepher* pro *enumeratione, recensione, narratione, relatione, commemoratione* capiunt, ut Genes. V. vers. 1. & alibi. Unde reddunt: *Idcirco dici solet in recensione, seu commemoratione bellorum*, aut *præliorum Domini*; id est, cum bella Domini recensentur, narrantur, commemorantur. SICUT FECIT IN MARI RUBRO, SIC FACIET IN TORRENTIBUS ARNON. את והב בסופה ואת-הנחלים ארנון *eth vaheb besuphah, veeth hannechilim arnon*. Vetustæ & ignotæ poeseos carmen esse, quidam volunt. Noster *vaheb*, pro futuro יהב *iaheb*, id est *dabit*, accepisse videtur, ut sit *Vau* pro *Iod*: nam solent inter se hæ litteræ permutari; sed articulus Eth verbis non præfigitur. Forsan pro nomine accepit: nam יהב *iabab* aiunt significare *quidquid alicui obvenit, seu accidit*; ac si dicas *eventum*. Aliqui *vaheb, onus, molem, lapidem* interpretantur, ex notione Arabica. Plerique nomen proprium urbis esse volunt, *Vahebam*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis, legentes id nomen per *Zain* in prima, Zohab, quod *Vau* & *Zain* sint similes, uti legerunt LXX. hæc annotant: *Zoab civitas Amorrhæorum, de qua scriptum est: Propterea dicitur in libro Bellorum Domini: Zoab inflammavit torrentes Arnon*. Sic enim LXX. hic habent. Nec desunt qui *Vaheb* nomen proprium regis Moabitarum esse intelligant, quem Seon rex Amorrhæorum devicerit, infra vers. 26. ubi nomen eius reticetur, quod hic exprimitur, *Vahebus*. סופה *suphab*, cum He locali, plerique cum Nostro ipsum mare *supb*, id est *iuncosum, algosum, carectosum* accipiunt, id est rubrum. Alii, *turbinem, procellam, tempestatem, ventum vehementem*, & *prævalidum* interpretantur. Nonnulli existimant esse proprium regionis algosæ, & caricibus, seu iunceti abundantis, quæ ad lacum Asphaltitem est, quasi dicas *iuncariam*, de qua Deuter. I. vers. I. Iam varie locum vertunt, ac elucidant. I. *Et dedit in vento forti*; id est, quod Deus dederit in vento forti iter Israelitis in Mari rubro, Exodi XIV. vers. 21. & *torrentes Arnon*, id est gesta in torrentibus Arnonis, quæ sane fuere mirabilia. II. *Ipsam Vaheb in turbine*; id est, ipsam urbem Vahebam magno cum impetu; subaudi, delevit, seu expugnavit Deus: & *torrentes* etiam, seu *valles*, quæ adiacent ipsi Arnoni; id est, delevit, quoque seu expugnavit habitantes in vallibus adiacentibus ipsi Arnoni. III. *Scilicet moles in tempestatibus, & torrentes Arnonis*: vel *a rupe in turbine exposita, & a torrentibus Arnonis*. In poeticis istis, & concisis difficile eruitur sensus. Forsterus, qui ita convertit, nihil de sensu expediit: forsan velit a rupe torrentium Arnonis tractum adagium, Deum esse rupem & molem tutissimam in turbinibus & procellis suorum. De rupe Arnonis diximus in vers. 13. quasi dicat: Propterea dicetur in commemoratione bellorum Iehovæ; id est, factum est tritum sermone proverbium ex Arnonis rupe celeberrima, eiusque torrentibus, Deum esse molem, rupem, firmum præsidium suis in turbinibus calamitatum: vel, celebrabuntur plurimum rupes & torrentes Arnonis, quod in eis præclara facinora operatus sit Iehova.

*V.* 15. SCOPULI TORRENTIUM. אשר *esched, effusio, profluvium, decursus*, mea-

*meatus*, *fluxus*, *alveus aquarum*. Quidam, *scatebram*, *scaturiginem* reddunt; quo etiam nomine *declivitates*, *devexitates*, & *radices montium*, id est loca declivia & vergentia, contineri notant. Quidam, *impetus scaturiens*. UT REQUIESCERENT. לשבת *leschebet* vel est infinitivus, vel nomen infinitum; vel a שבת *schabat*, *ad cessare*, *quiescere*, seu *ad cessationem*, *quietem*; vel a ישב *iaschab*, *ad habitare*, seu *ad habitationem*, seu *mansionem*. Quidam, *ad situm*. AR. Heb. ער *Ghar*, vel *Har*. S. Hieronymus in Isaiæ xv. vers. 1. *Moab metropolis civitas Ar*, *quæ hodie ex Hebræo & Græco sermone composita Areopolis nuncupatur*, *non*, *ut plerique existimant*, *quod Areos*, *id est Martis civitas sit*. *Interpretatur autem Ar & antidicos*, *id est adversarius*. Et de Locis Hebraicis: *Moab vero civitas est quæ nunc Areopolis nominatur*. Et postea: *Moab ab uno filiorum Lot*, *qui vocabatur Moab*, *urbs Arabiæ quæ nunc Areopolis dicitur*: *appellatur autem Moab ex nomine urbis & regio*. *Porro ipsa civitas quasi proprium vocabulum possidet*, *Rabath Moab*, *id est Grandis Moab*: seu frequentissima urbium Moabitarum. Recte proculdubio plerique sentiunt hanc a Stephano de urbibus vocari mendose *Rabatmoma*, pro *Rabathmoab*, aut *Rabathmoem*: solent enim Græcis M & B inter se commutari. Nec dubito eam esse quam Ptolemæus corrupte quoque Rabmathmoma appellat, & in Arabia Petræ collocat Lib. V. cap. XVII. Non pauci existimant esse eam quæ dicta est Aroer, quasi geminata Ar, quod dimidium eius esset ad ripam Arnonis, alterum vero dimidium ad alveum eiusdem torrentis extenderetur: ut indicatur Deuter. II. vers. 36. Iosue XII. vers. 2. & cap. XIII. vers. 16. Ceterum Eusebius & S. Hieronymus in Locis Hebraicis satis diserte distinguunt Aroer ab Ar seu Areopoli: vide infra cap. XXXII. vers. 34. Ar metropolim fuisse Moabitarum satis constat, vel ex Isaiæ XV. vers. 2. vide supra vers. 11. Aliqui notant, Ar fuisse nomen agri Moabitarum, aut potius montis & totius montani tractus, ex quo & Metropolis eiusdem nominis appellatur Deuteron. II. vers. 9. Quidam hunc versum ita reddunt: *Et decursum torrentium qui pergit ut quiescat in Ar*, *innititurque termino Moab*; id est, & expugnavit regionem per quam perfluunt amnes seu flumina ab Arnone usque Ar, defluuntque in regionem Moabitarum. Alii hunc versum iungunt cum versu 13. hoc sensu: Arnon est terminus Moab, & effusio seu decursus torrentium Arnonis flectitur ad quiescendum in urbe Ar, nititurque vel incumbit termino Moab; nimirum ipsa effusio seu decursus torrentium Arnonis adiacet termino Moabitarum. Dicit autem pluraliter torrentes, seu flumina Arnonis, ad insinuandum quod in plures alveolos distinctus erat Arnon.

Tremellius & Iunius duos hos versus in hunc modum explanant: *V.* 14. *Idcirco dici solet in recensionem bellorum Iehovæ contra Vahebum in regione Suph*, *& contra flumina flumina Arnonis*. *V.* 15. *Decursus enim istorum fluminum*, *qui divertit ad situm Haræ*, *is nititur termino Moabitarum*. *Bellorum Iehovæ*; id est, quæ Iehovæ providentia & ductu contra Moabitas ab Emoræo gesta sunt, ut Moabitæ castigarentur, Sichon elatus Israelitas audacius in bellum provocaret, & Israelitis hereditas pararetur: vide Iudicum XI. vers. 18. & seqq. *Contra Vahebum*, regem Moabitarum a Sichone devictum, infra vers. 26. Vide quæ superius ad hunc ipsum versum 14. annotavimus. *In regione Suph*. Vide in Deuteronomii I. vers. I. & quæ paulo superius de *Suphah*; quasi dicat, Iuncaria, regione algosa ad Asphaltitem lacum. *Contra flumina*, *flumina Arnonis*, id est Arnonem, qui in diversos rivos ac flumina dividitur, ut sequenti versu exponitur. Adiiciunt secundo vocem *flumina*, quod נחלים *nechelim* non sit in regimine, & regimen subaudiri volunt, more Hebraico. *Decursus enim istorum fluminum*, &c. id est, hoc bello Sichonis contra Vahebum factum est ut Moabitarum ditio eo rivo terminaretur qui vergit ad Haram, nam Sichon sibi ulteriores rivos vendicavit. Vide infra vers. 26. & 28.

*V.* 16. EX EO LOCO APPARUIT PUTEUS. Heb. *Et inde in Beer*, seu *Puteum*; subaudi, venerunt, aut profecti sunt; id est, relicto Arnone, venerunt ad Beer, id est Puteum: nam penuria aquarum laborantibus Deus puteo dato succurrerat, unde loco nomen factum est, nam ab eventu nomen loco inditum, ut mox declarat.

*V.* 17. ASCENDAT PUTEUS. Heb. *Ascende putee*, *respondete ei*; id est, erumpe in scaturiginem, ascendat aqua tua

Hif-

Hispanicus Bibliorum ex Hebræo Interpres putat esse Hebraismum; id est, *ven en memoria, celebrese tu memoria*, nimirum ascende in ora hominum, te omnes celebrent. More enim celeustarum se ad opus exhortabantur, & cantionem alternis canebant: id enim indicat verbum *respondendi*: vide Exodi xv. vers. 21. unde hic quidam reddunt: *Alternis canite ei*: alii: *Acclamate ei*, vel *de eo*.

*V.* 18. DUCES. נדיבים *nedibim*, *spontanei*, *voluntarii*, *liberales*, *munifici*, *magnifici*, *ingenui*, *heroico animo præditi ad benefaciendum*, *magistratus*, *principes*, qui tales esse procul dubio debent. Rationem nominis, eiusque interpretationem diserte Christus expressit, seu Lucas XXII. vers. 25. *Reges gentium dominantur eorum*, *&* *qui potestatem habent super eos*, *evergetæ vocantur*, idest *benefici*. Nos tantum interpretem secuti *Beneficos* hic reddidimus. Aliqui sic dictos volunt quod suo vivant arbitrio, facileque sic evadant tyranni. IN DATORE LEGIS, vel Deo, vel Mose; id est, vel auctore Deo, vel adhortante Mose. Plerique, *in legislatore*. Aliqui, *in sculptore* Deo, qui legem lapidibus insculpsit. IN BACULIS SUIS, במשענותם *bemischghanotam*, *in scipionibus*, *pedis*, *baculis suis*, foderunt puteum. Hic quidam *baculo* intelligunt tribunos populi, qui tum gestabant quisque baculum in tribu sua. Curiosius id alii censent. DE SOLITUDINE MATTHANAH; id est, de deserto venerunt, vel profecti sunt in Matthanah. Eusebius, & S. Hieronymus in locis: *Mathaneh*, *quæ nunc dicitur Mathana*; *sita est autem in Arnone*, *duodecimo milliario procul contra orientalem plagam Medebat*.

*V.* 19. NAHALIEL, id est *Torrentes Dei*, vel *Valles Dei*. Fortasse quod ibi essent maximi torrentes, vel profundissimæ valles: Dei enim nomen auget significatum. Vide Genes. I. vers. I. BAMOTH. Forsan quod ibi essent excelsa, sive sacella, aut aræ idolorum, in excelsis locis posita, ut moris gentium erat. Quidam loca munita, destinataque idololatriæ intelligunt. Aliqui nomen proprium loco factum existimant ab altitudine montium, unde *Alpes* interpretantur. Vide infra vers. 28. & cap. XXII. vers. 41.

*V.* 20. IN VERTICE PHASGA. Quidam hic *Thasghah* pro appellativo accipiunt: *In vertice collis*, vel *ad cacumen collis*. Alii *ad initium collium*. Noster, & plerique alii, nomen proprium loci seu montis esse volunt. S. Hieronymus ex Eusebio in locis: *Phasga civitas Amorrhæorum*. *Est autem & mons contra orientalem plagam Phasga*, *pro quo Aquila interpretatur Excisum*. *Sed & septuaginta Interpretes Phasga in quodam loco Excisum transtulerunt*: nempe Deuteron. III. vers. 27. Aliqui annotant, Phasga, sive loci proprium nomen sit, sive verticem, sive collem, sive præruptum, aut cavum saxum significet, plane montis Abarim eam partem esse quæ respicit Iericho, & sub qua Aroer urbs sita erat, ut Iosue XII. vers. 3. indicatur. Forsterus, & alii conferunt cum פסח *pasach*, voluntque hunc montem sic dictum a iugorum gradatione, seu saltibus. *Sed unde tandem hoc sciverunt?* inquit Mercerus. CONTRA DESERTUM, ישימון *iescimon* Noster *desertum*, *solitudinem* reddere solet. Alii aiunt esse *horribilem*, *horrendam solitudinem*, seu *vastitatem*, *quæ ex abominatione afflatur*. Nonnulli hic, & I. Samuel. XXIII. vers. 19. nomen proprium cuiusdam horrendi deserti esse putant in finibus Moabitarum, & Amorrhæorum, atque idem esse cum *Bethiesimoth*, Iosue XIII. vers. 20. Quidam exponunt: *Versus solitudinem*: & intelligunt solitudinem Cademoth, unde nuntios misit Moses ad Amorrhæum, uti dicitur Deuteron. II. vers. 26. Nos secuti Eusebium, & S. Hieronymum in Locis Hebraicis, ut nomen proprium retinuimus.

*V.* 22. OBSECRO UT TRANSIRE, &c. Alium versum consimilem huic habes cap. XX. vers. 17.

*V.* 23. IN IASA. Heb. *In Iahetz*. S. Hieronymus ex Eusebio in Locis Hebraicis: *Iasa ubi adversus Sehon Amorrhæorum regem dimicatur*. *Meminit huius Isaias XV. vers. 4. in visione contra Moab*; *sed & Ieremias XLVIII. vers. 21. & usque hodie ostenditur inter Medabam*, *& Deblatai*: & in XV. Isaiæ: *Urbs Iasa mortuo mari imminet*, *ubi est terminus provinciæ Moabitarum*. Hanc Rubenitis attributam, scribitur Iosue XIII. vers. 18.

*V.* 24. USQUE IEBOC. De hoc fluvio, vel torrente diximus Genes. XXXII. vers. 22. QUIA FORTI PRAESIDIO

TENEBANTUR TERMINI AMMONITARUM. Hebr. *Quia obfirmatus terminus Hammon*. Quidam vertunt: *Nam munitus erat terminus Hammonitarum*; quasi dicat: Proinde non potuit ſicut Moabitarum terminus a Sichone occupari.

*V*. 25. IN HESEBON. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Eſebon civitas Seon regis Amorrhæorum in terra Galaad: quæ cum fuiſſet ante Moabitarum, ab Amorrhæis belli iure poſſeſſa eſt. Meminit huius Ieremias* xlviii. 34. *Iſaias quoque* xv. 4. *in viſione contra Moab. Porro nunc vocatur Eſbus, urbs inſignis Arabiæ in montibus, qui ſunt contra Iericho, viginti a Iordane millibus diſtans. Fuit autem in tribu Ruben ſeparata Levitis. Eſbus* urbs Paleſtinæ apud Ptolemæum Lib. V. cap. xxxvi. & *Sebunta*, Arabiæ Petrææ, eodem lib. V. cap. xvii. חשבון *Cheſbon* fortaſſe Hebræis dicta, quod in ea eſſent celebres excogitatores, ingenioſi, induſtrii, opifices, polymitarii, plumarii, phrygiones. Alii interpretantur *Æſtimabilem*, *venerabilem*. Hiſpanice, *La venerable*. Nonnulli, quod ſingulari, & ingenioſo artificio eſſet extructa, quaſi *Excogitationem*. Eius non ſemel meminere ſacræ litteræ. VINCULIS EIUS. Heb. *filiabus eius*. Obſervant, quando nomen *filia*, ſive in plurali, ſive in ſingulari, Hebræis poſtponitur urbi alicui, ſeu urbibus, & quidem cum affixo pronomine quod urbem referat; tunc accipi figurate pro oppidis minoribus ſeu ſuburbis, quæ a maioribus & antiquioribus urbibus, tamquam a matribus ſeu matricibus, id eſt metropolibus, ſunt ædificatæ, & quaſi prognatæ, ac derivatæ; ab eiſdem nutriuntur, foventur, reguntur. Exempla in Scripturis paſſim obvia.

*V*. 26. CONTRA REGEM MOAB. Heb. addunt *primum*, vel *priorem*. *Primum* quidam exponunt eum qui primus rex Moabitarum fuit, qui primum regnum in Moabitis fundavit. Alii *primum* ratione ſitus accipiunt, id eſt eum, qui ex variis Moabitarum regibus hic illi magis proximus erat. Sed rectius eſt *priorem*, id eſt illum qui ante Balak, qui tum regnabat, cap. xii. rerum apud Moabitas potitus fuerat. Hunc appellatum fuiſſe *Vahebum*, ſupra verſ. 14. nonnulli exiſtimarunt.

*V*. 27. IDCIRCO DICITUR IN PROVERBIO. Hebr. *Super ſic dicent proverbiantes*. מושלים *moſchelim* aiunt eſſe *ſententionarios*, *adagiatores*, *proverbiatores*, *proverbiarios: eos qui axiomata*, *dignitates*, *authenticas ſententias*, *gnomas*, *adagia*, *proverbia*, *ſimilia*, *diſſimilia*, *apophthegmata*, *metaphoras*, *ſcite dicta*, *parabolas*, *ænigmata*, *dicunt*; *qui ſententias præcellentes*, *prædominantes*, *eminentes proferunt*; *qui figuratas locutiones*, *quæ in ſermonibus & orationibus dominantur & illuſtres ſunt*, *& quaſi principatum tenent*, *pronuntiant*. Quidam reddunt: *Idcirco dicere ſolent qui proverbiis utuntur*, id eſt populares poetæ, quos Græci ænigmatiſtas vocant, qui fuerunt in populo Dei: nam hoc Iſraelitarum fuiſſe epinicion, demonſtrat verſ. 30.

*V*. 28. IGNIS EGRESSUS EST DE HESEBON, &c. Senſum huius verſus volunt, Sichonem poſt armis occupatam Chesbonem, copiis inde ductis in vicinos Moabitas, tamquam igne conſumpſiſſe eos. Hebræorum nonnulli, *ignem* hic ſeditionem inteſtinam intelligunt, quæ ſcilicet cauſa fuerit ut Heſebon caperetur a Sehone. Sed verius quod ferro flammaque graſſatus fuerit Sehon in ea Moabitarum regione. ET HABITATORES EXCELSORUM ARNON. בעלי במות ארנון *baghale bamoth arnon*. Quidam exponunt: *Baalim*; *deos Bamoth Arnonis*, ut Bamoth fuerit civitas, ubi erant excelſa, ſeu ſana Baal, id eſt Saturni, vel Iovis non procul ab Arnon, unde nomen acceperit: vel *deos alpium Arnonis*.! Vide ſupra verſ. 19. & infra cap. xxii. verſ. 41. & Ioſue xiii. verſ. 17.

*V*. 29. POPULE CHAMOS. כמוש *cemoſch* aiunt Deum eſſe Moabitarum & Hammonitarum Iudicum xi. verſ. 24. I. Regum xi. verſ. 7. & alibi: & putant eumdem fuiſſe cum eo quem Græci *Comos* appellant, immo Græcos ex Hebræo, ſeu Moabitico *Cemos*, accepiſſe ſuum *Comos*, & nomen & Deum. Κῶμος quidem Græcis hæc omnia comprehendit, *comeſſationem*, *compotationem*, *convivalem*, ex qua aliquis tandem incidit in ſomnum profundum: item *omne amatoriæ*, *laſciviæ*, *ac proterviæ genus*; *laſciviam & protерviam comeſſabundorum*, *vel amatorum iuvenum*, *comeſſabundorum*. Paulus Rom. xiii. verſ. 13. *comeſſationes* dixit. Ad hæc *ſaltationem in comeſſationibus uſitatam*.

Hinc

Hinc deus præses huiusmodi comessationum, seu lasciviæ, proterviæque comessabundorum, & amatorum hominum, Græcis dictus Κῶμος, quem Bacchum, aut Dionysium vocant. Erat deus comessationum, compotationum, conviviorum, temulentiarum, ebrietatum, insolentiarum, procacitatum, lasciviarum, proterviarum, nequitiarum amatoriarum, & iuvenilium. Vide late de ea voce Suidam. Sed & dei Comi elegantissimam descriptionem exhibet Philostratus Libr. I. Iconum, imagine III. quam quia egregie facit ad exprimendum deum Chamos famosum in sacris Litteris, hic inserendam duximus: *Dæmon est Comus, a quo mortalibus comessari est: astat in thalami foribus aureis, ut puto, tarda autem ac difficilis ipsarum comprehensio, aut cognitio, quod in tenebris sint: nox enim non a corpore, sed a tempore picta est. Vestibula autem sponsos admodum felices in lecto iacere indicant: & Comus iuvenis ad iuvenes accedit, mollis, nec adhuc ephebus, præ vino rubicundus, & quod ebrius sit, dormit rectus. Dormit autem faciem quidem in pectus deiiciens, & gutturis nihil ostendens, sinistram venabulo sustinens; sed manus sustineri arbitrata solvitur, & profecto is exprimitur affectus qui in dormiendi exordio accidit, cum nobis somno blandiente, cogitatio in eorum transit oblivionem quæ continet. Unde &, quæ in dextera est facula, manum præ somno languentem fugere videtur; sed Comus metuens cruri adhærentem ignem, sinistram quidem tibiam in partem dexteram, faculam vero ad sinistram transfert, ut ignis vaporem declinet, ab exposito genu manum arcens. Faces autem debentur quidem a pictoribus, his qui vigore sunt ætatis constituti, & absque his cæcutiunt picturæ. Como vero paululum facie opus est nutanti, & a capite umbram trahenti. Verum ceteræ corporis partes exacte efficte sunt, eas illustrante atque in lucem educente facula. Rosarum autem corona laudetur quidem, sed nequaquam a specie: flavis enim ac ceruleis, si contigerit, coloribus, florum imagines referre haud magnus est labor. Ceterum coronæ laxitatem ac mollitiem laudare oportet. Commendo & rosarum rosidum, ipsasque cum odore pictas assero. Quid reliquum est Comi? Quidnam aliud præterquam lascivientes? Nonne crotala, strepitusque intonans, ac vox enormis te petit? Lampades quoque subiacent, unde & lascivientibus, quæ ante pedes habent, videre, & a nobis videri licet. Multus autem populus simul extollitur, & mulierculæ cum viris incedunt, & calceamentum commune habent, & præter peculiarem cinguntur consuetudinem: nam Comus & mulieri virum agere, & viro stolam induere muliebrem, muliebriterque incedere permittit: & coronæ non amplius floridæ; Sed ipsarum, quod capitibus concinnatæ sint, ablata est hilaritas, cum per luxum & lasciviam currant. Florum enim libertas manum aversatur, utpote quæ eos ante tempus flaccidos reddat. Plausum etiam quemdam imitatur pictura, cuius maxime indiget Comus: nam dextera contractis digitis, subiectam sinistram ad cavum plectit, ut manus cymbalorum more percussæ consonæ fiant.* Hactenus Philostratus. Talem fortasse Moabitæ suum deum Chamos pingebant effingebantque. Quidam Chamos Priapum esse existimant. S. Hieronymus in XV. Isaiæ: *In Nabo enim erat Chamos idolum consecratum, quod alio nomine appellatur Beelphegor.* Nam Beelphegor esse Priapum, dicemus infra cap. XXV. vers. 3. Aliqui a מוש *musch* deducunt, exponuntque, *quasi averruncatorem*, seu *quasi depulsorem* malorum, *Alexicacon*, ridicule & inepte. Alii משש *maschasch*, *quasi palpatorem*, per ironiam, quod nihil palpare posset. Psalm. CXIII. 15. *Manus habent, & non palpabunt*. Sed istud alienius est. IN FUGAM. Hebr. *evasores*, id est fugitivos, qui evadunt ex patria. Quidam exponunt: Sivit abduci, nec potuit defendere idolum Chamos cultores suos: Chamos non potuit præstare, neque prohibere quin cultores ipsius verterentur in fugam: ut ipse eorum deus sua imbecillitate videatur eos perdidisse ac tradidisse hostibus.

*V.* 30. IUGUM IPSORUM DISPERIIT. ונירם אבד *vaniram abad*. Mirum quam varie reddant. I. *Et lucerna eorum ablata fuit*, id est gloria, sive regnum: sic capitur vox *lucernæ* III. Regum XI. vers. 36. cap. XV. vers. 4. & IV. Regum VIII. vers. 19. Forte intelligit Chesbon, quæ gloria & splendor erat Moabitarum. II. *Et aratrum, aratio, novale, arvum, ager eorum dispersit*. Sic vox ניר *nir* sumitur Proverbior. XIII. vers. 23. Ieremiæ IV. vers. 3. Oseæ X. vers. 12. Huc forsitan respexit

ſpexit Noſter cum metonymice, aut ſynecdochice dixit *Iugum*, quod iugo conſtet aratrum, & iugis arva & novalia proſcindantur. Senſus eſt: Late vaſtati agri, & omnis cultus agrorum periit. III. *Et dominium perdidit Cheſbon*. IV. Non pauci ונירם *vanniram* deducunt a ירה *iarah*, pro ונירם *venniram*, ſeu ונירה *vannireh* אותם *otam*: *Et iaculati fuimus in eos*; vel *iaculis confecimus eos: periit Chesbon, &c.* V. *Et proiecimus eos, periit, &c.* VI. *Et obruimus eos, &c.* VII. *Et aravimus eos, ſublatus eſt de medio Cheſbon, &c.* Sic verbum *Nir* accipitur Ierem. IV. verſ. 3. & Oſee X. verſ. 12. quaſi dicat: Induximus in eorum urbes aratrum. Exciſis urbibus ac ſolo æquatis aratrum imprimebatur. Horatius Lib. I.

*Iræ altis urbibus ultimæ*
*Stetere cauſæ, cur perirent*
*Funditus, imprimeretque muris*
*Hoſtile aratrum.*

Ieroſolymis a Tito deletis impreſſum aratrum a Turannio Rufo, notum eſt. Ut enim urbes aratro deſignabantur, AEneidos V.

.... *urbem deſignat aratro*;

ita & aratro exſcindebantur. Quidam annotant hæc eſſe verba Iſraelitarum, ut totum carmen iſtud, ut ſupra verſ. 27. annotavimus. Alii aiunt iſtud eſſe initium carminis epinicialis, quod ſolet cani a victoribus parta victoria: Superavimus, vicimus, &c. DIBON. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Dibon in ſolitudine, caſtra filiorum Iſrael. Eſt & alia Dibon villa prægrandis iuxta Arnonem; quæ cum prius fuiſſet filiorum Moab, & poſt, eam Sehon rex Amorrhæorum belli iure tenuiſſet, a filiis Iſrael capta atque poſſeſſa, in partem venit tribus Gad. Meminit huius Ieremias* XLVIII. *verſ.* 22. *& Iſaias* XV. *verſ.* 2. *in viſione contra Moab.* Alii tamen exiſtimant Dibon eam omnino urbem eſſe, quæ poſt eſt a Gaditis exædificata illis locis, ubi quarta ante Moſis exceſſum caſtra poſuerant Iſraelitæ infra cap. XXXIII. verſ. 45. quæ loca in Numeris per prolepſin urbis huius Dibonis nomine ſunt appellata, ut apud Maronem I. AEneidos *Lavina littora*, ante Laviniæ nuptias. Sacri Topographi diverſas ſtatuunt. Dibon de qua hic, & eam, de qua infra capit. XXXIII. verſ. 45. dicitur *Dibon Gad*: quam ego potius inſtauratam quam ædificatam a Gaditis facile intellexerim, atque per prolepſim ibi dictam *Dibon Gad*. Nomen *Dibon* inde factum augurari poſſumus, vel quod in ea colerentur ſtudia eloquentiæ, vel quod male audiret, aut quod ſtercore & luto eſſet lutulenta, quaſi *Lutetia*; aut quod regio urſis abundaret, quaſi *Urſonam*, vel *Urſoan*. Hiſpanice *Oſſunam*. Vide infra cap. XXXIII. verſ. 45. MEDABA. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Medaba uſque hodie urbs Arabiæ, antiquum nomen retinens iuxta Heſebon*. Medavan Arabiæ Petrææ urbem Ptolemæus conſtituit Lib. V. cap. XVII. quam maximam diem 14. horarum habere aſſerit Lib. VIII. tabula IV. Aſiæ. Ioſephus XIII. Antiquit. cap. XVII. Syriæ attribuit: Stephanus, Nabathæis. *Fortem*, & *Robuſtam* Hebræis ſonat. Vide Deuteronom. I. verſ. I. Ioſue XIII. verſ. 16. Iſaiæ XV. verſ. 2.

*V.* 31. HABITAVIT ITAQUE ISRAEL IN TERRA AMORRHAEI. Ioſephus lib. IV. Antiquit. cap. V. *Hebræi vero terram eam occupaverunt, inter tres amnes inſulæ modo ſitam. Nam Arnonis ripæ meridionale eius latus terminant; Iobacchus vero ſeptentrionale, qui in Iordanem influens nomen amittit; occidentalis tractus Iordane amne alluitur.*

*Verſ.* 32. IAZER. Euſebius, & Sanctus Hieronymus in Locis: *Iazer civitas Amorrhæorum in decimo lapide Philadelphiæ ad ſolis occaſum, trans Iordanem quæ fuit terminus tribus Gad, extenditurque uſque ad Aroer, quæ & ipſa reſpicit uſque Rabbam. Meminit urbis Iazer & Iſaias* XVI. *verſ.* 8. 9. *in viſione contra Moab; ſed & Ieremias* XLVIII. *verſ.* 32. *Fuit autem ſeparata Levitis, & diſtat ab Eſebon quindecim millibus: e qua magnum flumen erumpens, a Iordane ſuſcipitur*: & in littera A: *Azer, ſive Iazer terminus urbis Ammon, quæ nunc Philadelphia dicitur, dividens eam, Amorrhæorumque regionem: & eſt in octavo circiter lapide eius, ad ſolis occaſum vicus Iazer, uſque in præſentem diem permanens*. Extat quoque mentio huius urbis I. Machabæorum V. verſ. 8. Fortaſſe id nomen nacta, quod ibi præſidia eſſent militum, vel auxiliares copiæ; quaſi dicas, *Præſidiariam*, *Auxiliarem*.

*V.* 33.

*Verſ.* 33. OG REX BASAN. Hanc hiſtoriam late quoque deſcripſit Moſes Deuteron. III. verſ. 1. & ſeqq. Baſan regio celeberrima in ſacris litteris. Ioſephus Lib. IV. cap. V. *Oges Galadinæ & Gaulanitidis regionum rex*. Addunt nonnulli Baſan continuiſſe etiam Trachonitidem. S. Hieronymus in XXXIII. Iſaiæ: *Baſan regio trans Iordanem eſt, quam duæ, & dimidia tribus poſſederunt: & quæ interpretatur uberrima & pinguis*. Alii, *Ignominioſam*, & *Propudioſam* interpretantur: forte a turpibus & propudioſis gentis moribus. Nec deſunt, qui ab aromatibus & odoribus, quorum regio ferax, præſertim Galaaditis Geneſ. XXXVII. verſ. 25. & alibi, *Baſan* pro Baſam dictam velint. Fertiliſſimam & uberrimam deſcribunt ubique ſacræ litteræ. Eam eſſe, quam Ptolemæus Lib. V. cap. XV. & Ioſephus Lib. II. Belli, cap. IV. & in vita ſua Bataneam appellant in provincia Cæles-Syriæ Trachonitidi & Auranitidi proximam, nonnulli exiſtimant. Sexaginta urbes munitas habuiſſe dicet Moſes Deuteron. III. verſ. 4. & 5. IN EDRAI. Euſebius & Sanctus Hieronymus in locis: *Edrai, ubi interfectus eſt Og rex Baſan gigas, id eſt potens, omniſque illius cæſus exercitus. Nunc autem eſt Adara inſignis civitas Arabiæ, in vigeſimo quarto lapide ab Oſtra* (in ultima editione, *ab Oſdra*.) Superius dixerant, eam diſtare ab Aſtaroth Carnaim ſex millibus, ab Oſtra vero viginti quinque millibus paſſuum, ubi quidam emendant quindecim millibus: putantque *Edrai* eſſe Adron Ptolemæi Lib. V. cap. XVII. urbem Arabiæ Petrææ. Sed rectius Adran urbem Cæles-Syriæ eidem Ptolemæo Lib. V. cap. XV. Eius mentio Deuter. I. verſ. 4. Ioſue XIII. verſ. 12. Sic dicta videtur, quod in modum forte brachii conſtructa eſſet; vel a vi & potentia.

## MENOCHII.

*Verſ.* 1. AD MERIDIEM, terræ Chanaan. PER EXPLORATORUM VIAM. Per aquam anno ſecundo ab egreſſu ex AEgypto exploratores in terram Chanaan penetraverant. VICTOR EXISTENS, Chananæus de Iſrael, quæ clades occaſionem præbuit Iſraelitis voti concipiendi.

*V.* 2. DELEBO URBES EIUS. Heb. *Succidam, & anathematizabo eos*. Erat enim hoc votum *Cherem*, de quo vide dicta Levit. ult. num. 28.

*V.* 4. ET TAEDERE COEPIT, &c. cœperunt animis cadere.

*V.* 5. CIBO ISTO LEVISSIMO, ſcilicet manna. Vocant leviſſimum, hoc eſt exiguæ virtutis, & ſubſtantiæ. LXX. dixerunt ἄρτον διάκενον, *panem vacuum*, quaſi qui hominem vacuum, & minime ſaturum relinquat. Bono ſenſu hæc congrue Euchariſtiæ conveniunt, quæ eſt panis vacuus, ipſa ſubſtantia ſcilicet panis, ſolis remanentibus accidentibus; vere autem plenus, quia in eo latet Chriſtus.

*V.* 6. IGNITOS SERPENTES. Quod ab eis morſi uri viderentur. Fortaſſe hi ſerpentes fuerint preſteres, qui ab urendo ſic dicti ſunt. De preſtere vide Plin. Lib. XXIV. cap. XIII.

*V.* 8. PONE EUM PRO SIGNO, in ſublime erectum, omnibus conſpicuum, trabe, vel columna ſubiecta.

*V.* 9. QUEM CUM PERCUSSI ASPICERENT, SANABANTUR. Fuit hic ſerpens Chriſti figura, ut ipſemet Chriſtus aſſerit Ioan. III. 14. Sanabantur autem divino miraculo, non naturali virtute ſerpentis.

*V.* 14. IN LIBRO BELLORUM DOMINI. Fuit hic liber vetus ante Pentateuchum conſcriptus, ſed intercidit, ſicut & libri Henoch, Gad, Nathan, Addo, & aliorum, quorum meminit Scriptura. SICUT FECIT IN MARI RUBRO, &c. Sicut debellavit, & male perdidit AEgyptios in Mari rubro, ita perdet Sehon regem Amorrhæorum cum ſuis in torrentibus Arnon.

*V.* 15. SCOPULI TORRENTIUM INCLINATI SUNT: in caput hoſtium Hebræorum devoluti eos oppreſſerunt, ut fluctus maris AEgyptios. UT REQUIESCERENT IN AR, a ſublimi loco delati ſuper Ar urbe Moabitarum.

*V.* 16. EX EO LOCO, digreſſis. APPARUIT PUTEUS: venerunt ad puteum; vel eo loco datus eſt ei puteus, ut populo ſiti laboranti ſuccurreretur.

*V.* 17. ASCENDAT PUTEUS. Aqua putei ebulliat, & aſcendat aqua ex imo puteo, ut omnes bibere poſſimus. CONCINEBANT. Hoc per parentheſim dicitur.

*V.* 18.

*V.* 18. IN DATORE LEGIS: Deo legis datore opem populo ferente. ET IN BACULIS SUIS, viatoriis: ipsi baculis terram modice fodientes, cetera Deo liberaliter præstante.

*V.* 24. IN ORE GLADII. Vide dicta Exod. XVII. 13. POSSESSA EST ab Israele, TERRA EIUS, Sehon. QUIA FORTI PRAESIDIO TENEBANTUR TERMINI AMMONITARUM; ideo Israelitæ ab illis abstinuerunt.

*V.* 25. TULIT ERGO: abstulit a Sehon. ET VICULIS EIUS. Hebr. *Et filiabus eius*. Hebræi enim vicos, & urbes metropoli subiectas vocant filias per metaphoram, quod a metropoli sua dependent, ut filiæ a matre.

*V.* 26. URBES HESEBON, &c. Vetiti fuerant Hebræi Deuter. cap. II. oppugnare Moabitas, de quorum ditione fuerat Hesebon, hanc primum invaserant Amorrhæi; itaque eam occupando, contra præceptum non fecerunt Hebræi, cum Amorrhæis tantum bellum intulerint, non Moabitis.

*V.* 27. IN PROVERBIO, carmine proverbiali, rhythmo, cantico. VENITE IN HESEBON. Verba Amorrhæorum adhortantium se ad restaurandam, & firmandam civitatem, quæ regia futura erat.

*V.* 28. IGNIS EGRESSUS EST, &c. Sehonis victoria quasi ignis late populata est, & pervagata regionem. Ar civitatem Moabitarum corripuit, & pervenit etiam ad eos qui in rupibus Arnon habitabant, & ibi deorum suorum excelsa habebant.

*V.* 29. VAE TIBI MOAB: quia scilicet clade magna affectus es ab Amorrhæo. PERISTI POPULE CHAMOS: popule qui Chamos pro Deo colis. Aiunt quidam, Chamos esse Bacchum, quem Græci χῶμον dicunt. DEDIT, scilicet Chamos; id est, dari, capi, & occidi permisit filios Moab sibi devotos, a Sehon rege Amorrhæorum.

*V.* 30. IUGUM IPSORUM, Moabitarum, quod ipsi imposuerant incolis Hesebon. DISPERIIT AB HESEBON USQUE DIBON: ablatum est, cessavit: populi iugo illo Moabitarum levati sunt. LASSI PERVENERUNT IN NOPHE. Lassi e fuga Moabitæ pervenerunt in Nophe.

*V.* 32. POSSEDERUNT HABITATORES: subegerunt occidendo, iuxta quod voverant hoc cap. num. 2. LXX. habent *Expulerunt*: multi enim fuga incolumitatem quæsiverunt.

## TIRINI.

*Vers.* 6. IGNITOS SERPENTES. Deuteron. VIII. 15. dicitur fuisse *serpens flatu adurens*, & *scorpio ac dipsas*: sic dictus a siti, quam morsu suo intolerabilem creat. Hunc *causton*, & *presterem* vocat Dioscorides, & AElianus *a*. Septuaginta hic vertunt, *Serpentes mortiferos*: liber Sapientiæ cap. XVI. vocat *venenatos dracones*. Non erant ergo proprie igniti, quasi igneæ naturæ vel ignem spirantes, ut quidam opinati sunt; sed solum metonymice ab effectu quod morsu, vel afflatu suo tantum æstum inducerent, ut adurere viderentur. Porro venenatis horum morsibus remedium non naturale, sed supernaturale præscribit Deus aspectum serpentis ænei pro signo in pertica, vel alta furca expositi; quo viso læsi miraculose curabantur a Deo. R. David Kimhi refert, medicos asserere, eum qui serpentis morsu ictus æs aspicit, illico mori. Hoc si verum est, iam maius & evidentius illud miraculum fuit, contrario remedio læsos Israelitas sanare.

Allegorice per serpentem hunc designari Christum, Christus ipsemet affirmat Ioan. III. vers. 14. & fuse exponunt S. Augustinus & Theodoretus.

Nota, hunc æneum Moysis serpentem Hebræos secum in Chanaanitidem devexisse, & fuisse apud eos usque ad tempora Ezechiæ, qui eum, quod pro Deo a plebe coli inciperet, confringi iussit, IV. Regum XVIII. vers. 4.

*V.* 14. IN LIBRO BELLORUM DOMINI. Hic liber, ut plures alii, cum tempore intercidit. Videtur autem metrico versu conscriptus fuisse, ut patet ex pauculis versibus qui hic ex eo citantur; & continuisse prophetias de præliis admirandis, aliisque divinæ virtutis operibus, quæ in posterum apud Hebræos patranda essent. Versuum vero ex illo hic citatorum iste est sensus: Qualia prodigia Deus fecit in Mari rubro AEgyptios subvertendo, talia faciet etiam in torrentibus Arnon. Nam sicut Mare rubrum Hebræis se transmea-

meabile exhibuit, AEgyptios vero suis undis oppressit; ita rupes Arnon, in quibus, & sub quibus Amorrhæi latitabant, inclinatæ sunt, & in planitiem devolutæ oppresserunt Amorrhæos, & viam apertam ac facilem Hebræis exhibuerunt. Ita Rabbini, & ex his Lyranus, Hugo, Tostatus, Adrichomius.

*V.* 17. & 18. ASCENDAT PUTEUS. Videtur fuisse intercalaris versiculus cantici Israelitarum, quo designare volebant, quam facile, & quam prodigiose summam aquæ copiam in deserto reperissent, scilicet principibus tantummodo terram leviter excavantibus suis scipionibus, seu baculis viatoriis. DATORE LEGIS; id est, Deo cetera perficiente; vel Moyse precibus suis id beneficium cælitus impetrante. Procul ergo fabellam quam hinc falso procudit Chaldæus Paraphrastes: *Puteus*, inquit, *iste ex eo tempore, descendit cum Israelitis ad torrentes, & de torrentibus ascendit cum eis ad collem, & de colle ad vallem*, &c. Quæ sunt mera commenta Rabbinorum.

*V.* 27. IN PROVERBIO, hoc est in poemate, seu cantico sequente, quod Amorrhæi devictis Moabitis, in gratulationem sibi, & memoriam victoriæ obtentæ composuisse videntur, quo rident, & insultant iam victis. Porro Moabitæ vocantur hic *Populus Chamos*, ab idolo Chamo, quod Moabitæ colebant, de quo vide III. Regum XI. vers. 7.

(a) Dioscor. in fine Lib. ult. AElianus Lib. VI. Anim. cap. I.

GORDONI.

*Vers.* I. ARAD urbs est huius Chananæi Regis, non procul a Mari mortuo, sita ad meridiem Chananææ, qua venerant exploratores. Hæc Chananæi victoria causam dedit voto cherem, de impiis, & Dei hostibus delendis: quod votum, ut hic significatur, mox expletum fuit, vel certe Iudic. I.

*V.* 2. Vovet Israel voto cherem, de quo dixi Levit. cap. XXVII. חרם *cherem*, *anathema*: hinc impositum est loco nomen *Chorma*, חרמה.

*V.* 8. Igniti serpentes vocantur, quod homines morsu, & afflatu adurerent. Septuag. vocant *mortif. ras* θανατοῦντας: quidquid sit, plaga, nisi adhiberetur remedium, lethalis erat: sic vides vers. 8. adhibitum antidotum. En interim vers. 9. serpentem æneum, Christi in cruce exaltati signum.

*V.* 13. ARNON videtur torrens, vel rupes discriminans Moabitas ab Amorrhæis: de qua re, & de mansionibus Hebræorum in deserto dixi cap. XX. vers. I.

*V.* 14. Hic liber bellorum Domini, erat vetus liber, ut quidam putant, ante Pentateuchum conscriptus. Certe non extat, sicut nec libri Enoch, Nathan, & Gad. Putatur fuisse propheticus de hac victoria Mosis. Ex his saltem qui extant libris, Pentateuchus, & Iob antiquissimi sunt. Recte quidem Augustinus hic, & de Civitat. ait ignotum esse hunc librum bellorum.

*V.* 15. Hunc locum obscurum, nullus textus clarius expressit quam vulgatus. Sensus est: Qualia fecit Deus in Mari rubro, talia efficiet in montibus Arnon. Quænam vero ea sint, explicant hæc verba, SCOPULI TORRENTIUM INCLINATI SUNT, &c. Habet ergo hæc prophetia sub obscura allegoria victoriam hanc, qua cedunt omnia Hebræis.

*V.* 16. Progressi Hebræi ex eo loco invenerunt aquas, quarum laborabant penuria. Novum ergo beneficium est.

*V.* 17. TUNC CECINIT ISRAEL CARMEN ISTUD. Carmen gratulatorium est populi lætantis de beneficio hoc aquarum miraculoso. Sed varie explicatur carmen hoc: nec constat, an puteus miraculose sit insecutus populum per loca hic recensita; an novi subinde putei ibi effossi sint a principibus; an denique canentium vota sint, optantium aquas similes per omnia illa loca. Fateor hic OEdipo opus esse, nec didici quid sit dicendum.

*V.* 18. & 20. DE SOLITUDINE MATTHANA, &c. Certatur, an hæc verba sint finis cantici, an narratio novæ profectionis. Hoc secundum indicare videntur subsequentia verba. Illud in versu 20. DE BAMOTH, VALLIS EST, obscuritatem habet; sed sensus est, venisse eos de Bamoth in vallem illam.

*V.* 21. MISIT AUTEM ISRAEL, &c. Hic ac deinceps narrantur victoriæ Hebræorum contra Amorrhæum, & Regem Basan; sicut vers. I. contra Arad. Atque

hæ partæ sunt victoriæ, nondum transito Iordane, & vivente adhuc Mose.

*V.* 26. & 27. Tulit ergo Israel Hesebon, defuncto Amorrhæo: quam civitatem antea abstulerat Amorrhæus Regi Moab. Refertur hic triumphale carmen, quod circumferebatur olim in laudem victoris Amorrhæi, quando Moabitas ille vicit. In proverbio Sept. *ab ænigmatistis*.

*V.* 29. Chamos, idolum Moab.

*V.* 30. Iugum, imperium in alios.

*V.* 32. Possederunt. Hebr. & Sept. *Expulerunt*.

Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 27. Venite. Sic loquitur Amorrhæus adhortans seipsum ad instaurandam urbem quæ ipsi futura erat regia.

*V.* 28. Schonis victoria quasi ignis vastavit regionem Moabitarum.

*V.* 30. Lassi. Moabitæ lassi, & fugentes venerunt in Nophe.

## CAPUT XXII.

***Bis vocatur Balaam a rege Balac, ut Israelitis malediceret; quem Angelus asina loquente corripit.***

1. PRofectique castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Iordanem Iericho sita est. 2. Videns autem Balac filius Sephor omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo, 3. & quod pertimuissent eum Moabitæ, & impetum eius ferre non possent, 4. dixit ad maiores natu Madian: Ita delebit hic populus omnes qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab. 5. (*a*) Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, ut vocarent eum, & dicerent: Ecce egressus est populus ex AEgypto, qui operuit superficiem terræ, sedens contra me. 6. Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est: si quo modo possim percutere & eiicere eum de terra mea: novi enim quod benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congesseris. 7. Perrexeruntque seniores Moab, & maiores natu Madian, habentes divinationis pretium in manibus. Cumque venissent ad Balaam, & narrassent ei omnia verba Balac; 8. ille respondit: Manete hic nocte, & respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam, venit Deus, & ait ad eum: 9. Quid sibi volunt homines isti apud te? 10. Respondit: Balac filius Sephor rex Moabitarum misit ad me, 11. dicens; Ecce populus qui egressus est de AEgypto, operuit superficiem terræ: veni, & maledic ei, si quo modo possim pugnans abigere eum. 12. Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicas populo: quia benedictus est. 13. Qui mane consurgens dixit ad principes: Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum. 14. Reversi principes dixerunt ad Balac: Noluit Balaam venire nobiscum. 15. Rursum ille multo plures & nobiliores quam ante miserat, misit. 16. Qui cum venissent ad Balaam, dixerunt: Sic dicit Balac filius Sephor: Ne cuncteris venire ad me: 17. paratus sum honorare te, & quidquid volueris dabo tibi: veni, & maledic popolo isti. 18. Respondit Balaam: (*b*) Si dederit mihi Balac plenam domum suam

ſuam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar. 19. Obſecro ut hic maneatis etiam hac nocte, & ſcire queam quid mihi rurſum reſpondeat Dominus. 20. Venit ergo Deus ad Balaam nocte, & ait ei: * Si vocare te venerunt homines iſti, ſurge, & vade cum eis: ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero, facias. 21. Surrexit Balaam mane, & ſtrata aſina ſua profectus eſt cum eis. 22. (c) Et iratus eſt Deus. Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam, qui inſidebat aſinæ, & duos pueros habebat ſecum. 23. Cernens aſina Angelum ſtantem in via, evaginato gladio, avertit ſe de itinere, & ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, & vellet ad ſemitam reducere, 24. ſtetit Angelus in anguſtiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. 25. Quem videns aſina, iunxit ſe parieti, & attrivit ſedentis pedem. At ille iterum verberabat eam: 26. & nihilominus Angelus ad locum anguſtum tranſiens, ubi nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram poterat deviare, obvius ſtetit. 27. Cumque vidiſſet aſina ſtantem Angelum, concidit ſub pedibus ſedentis: qui iratus, vehementius cædebat fuſte latera eius. 28. Aperuitque Dominus os aſinæ, & locuta eſt: Quid feci tibi? cur percutis me? ecce iam tertio? 29. Reſpondit Balaam: Quia commeruiſti, & illuſiſti mihi: utinam haberem gladium, ut te percuterem. 30. Dixit aſina: Nonne animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueviſti uſque in præſentem diem? dic quid ſimile umquam fecerim tibi. At ille ait: Numquam. 31. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram. 32. Cui Angelus: Cur, inquit, tertio verberas aſinam tuam? Ego veni ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua, mihique contraria: 33. & niſi aſina declinaſſet de via, dans locum reſiſtenti, te occidiſſem, & illa viveret. 34. Dixit Balaam: Peccavi, neſciens quod tu ſtares contra me: & nunc ſi diſplicet tibi ut vadam, revertar. 35. Ait Angelus: Vade cum iſtis, & cave ne aliud quam præcepero tibi loquaris. Ivit igitur cum principibus. 36. Quod cum audiſſet Balac, egreſſus eſt in occurſum eius, in oppido Moabitarum, quod ſitum eſt in extremis finibus Arnon. 37. Dixitque ad Balaam: * Miſi nuntios ut vocarem te, cur non ſtatim veniſti ad me? an quia mercedem adventui tuo reddere nequeo? 38. Cui ille reſpondit: Ecce adſum: numquid loqui potero aliud, niſi quod Deus poſuerit in ore meo? 39. Perrexerunt ergo ſimul, & venerunt in urbem quæ in extremis regni eius finibus erat. 40. Cumque occidiſſet Balac boves & oves, miſit ad Balaam, & principes qui cum eo erant, munera. 41. Mane autem facto duxit eum ad excelſa Baal, & intuitus eſt extremam partem populi.

(a) Ioſ. xxiv. 9. (b) Infr. xxiv. 13. (c) II. Petr. II. 15.

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 20. *Si vocare te venerunt homines iſti*. Præteritum indicativi *venerunt* præſtat coniunctivo *venerint*.

V. 37. *Miſi nuntios ut vocarem te*. In aliis libris pro prima perſona ſingulari eſt tertia pluralis *vocarent*.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Vers.* 3. **E**T IMPETUM; pro, ut qui impetum.

*V.* 5. ARIOLUM. Hebr. *in Pethorah.* Chald. *in Pethor Syriæ*: scilicet urbis est nomen. LXX. *Phatyra.* FLUMEN. Chald. *Euphratem.* AMMON. Hebr. Chald. & LXX. *populi sui.*

*V.* 7. PRETIUM, scilicet quod daret pro divinatione.

*V.* 8. DEUS, id est Dei Angelus.

*V.* 17. ET QUIDQUID VOLUERIS, DABO TIBI. Hebr. Chald. & LXX. *Et quæcumque dixeris mihi, faciam.*

*V.* 18. IMMUTARE. Hebr. Chald. & LXX. *transgredi.* PLUS, VEL MINUS LOQUAR. Hebr. *Parvum, vel magnum faciam.*

*V.* 22. IRATUS: scilicet quia malo animo ibat.

*V.* 25. ATTRIVIT. Hebr. Chald. & LXX. *Compressit*, seu *astrinxit.*

*V.* 29. PERCUTEREM. Hebr. & Chald. *Occiderem.*

*V.* 30. ANIMAL. Hebr. Chald. & LXX. *asina.*

*V.* 31. PRONUS IN TERRAM. Hebr. Chald. & LXX. *incurvatus super faciem.*

*V.* 32. PERVERSA: scilicet animo perverso ibat.

*V.* 33. VIVERET: scilicet mortua erat.

*V.* 35. PRAECEPERO. Hebr. Chald. & LXX. *Locutus fuero.*

*V.* 36. OPPIDO. Hebr. Chald. & LXX. *civitate.*

*Vers.* 37. MERCEDEM ADVENTUI TUO. Hebr. Chal. & LXX. *honorem tibi.*

*V.* 39. IN URBEM, &c. Hebr. solum est, *In urbem Chutsoth*, id est *platearum.* Chald. *In urbem provinciæ suæ.* LXX. *In urbes diversoriorum*, seu *stabulorum.*

## E S T I I.

*Vers.* 5. **M**ISIT, Balac, NUNTIOS AD BALAAM FILIUM BEOR ARIOLUM. Quæstio est, utrum Balaam fuerit Dei propheta, an dæmonum? Quod dæmonum propheta fuerit, fortissimum argumentum videtur, quia vocatur hic ariolus, id est magus: tales autem sunt qui suggestione diabolica futura quædam prædicunt. Sed non est in Hebræo. Item apparet, eum fuisse vatem dæmonum, quia vaticinaturus, iubet extrui aras, & offerri victimas, non uni Deo, ut videtur, sed idolis: dicitur enim Balac rex eum duxisse ad excelsa Baal. E contra vero quod Dei propheta fuit, ex eo constare videtur quia Deus verba benedictionis posuit in ore eius. Deinde prophetiæ eius, quæ sequenti capite habentur, auctoritatem habent tamquam a Deo profectæ. Unde est illa memorabilis prophetia: *Orietur stella ex Iacob, &c.* Respondeo: Verisimilius videtur eum fuisse prophetam Dei, sed malum, qui pro mercede loqueretur placentia, quales passim insectantur Isaias, Ieremias, & Ezechiel. Nam II. Petri II. vocatur Propheta, & nihil in eo reprehenditur, nisi quod mercedem iniquitatis amavit. Deinde, ut dictum est, verba eius vim veræ prophetiæ habent. Vide nostrum commentarium citato loco II. Petri II.

*V.* 28. APERUITQUE DOMINUS OS ASINAE, ET LOCUTA EST. Factum est hoc ministerio boni Angeli, non mali, ut nonnulli male arbitrantur. Fuisse enim bonum Angelum quem statim post vidit Balaam, planum est, quia increpavit eum de suo peccato, dicens: *Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria*: immo in eo quod dicit, *Mihique contraria*, loquitur in persona Dei. De hoc Petrus II. Epist. II. 16. *Subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam.* Recte igitur S. Thomas II. II. quæst. CLXVI. art. II. ad 4. *Sic*, inquit, *locutus est serpens homini, sicut asina locuta est homini; nisi quod illud fuit opus Diabolicum, hoc Angelicum.* Vide etiam Annotat. Genesis III.

*V.* 29. UTINAM HABEREM GLADIUM UT TE PERCUTEREM. Quæritur: Quare Balaam non est territus loquen-

quente asina, quin potius in ira perseverans, graviter cum ea expostulat? Respondet D. August. vel quia talibus monstris assuetus erat, utpote homo ariolus, cum quo dæmones in animalium specie apparentes sæpe loquebantur; vel quod fuerit tanta cupiditate incensus, ut nec tanti monstri miraculo seu prodigio terreretur.

*V.* 32. EGO VENI UT ADVERSARER TIBI, QUIA PERVERSA EST VIA TUA, MIHIQUE CONTRARIA. Quæritur quomodo hoc recte Angelis dicat, cum Balaam secundo consulens Dominum permissus esset ire cum nuntiis? Respondet August. quod Balaam secundo consulens Dominum utrum ire deberet, graviter peccaverit: debuisset enim constanter acquiescere Deo, audita semel eius voluntate. Sed ibi se victum cupiditate monstravit, ubi loqui sibi Dominum de hac re iterum voluit. Proinde videns Dominus eius cupiditatem captam victamque muneribus, permisit eum ire, ut per iumentum quo vehebatur, eius avaritiam coerceret. Reprehensus est igitur, non tam de itinere, quam de prava cupiditate. Hinc Petrus II. Epist. II. 15. *Derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit.*

## MARIANAE.

*Vers.* I. UBI TRANS IORDANEM IERICHO SITA EST. Hebr. *trans Iordanem Iericho*. Respectu Ierusalem Iericho est citra Iordanem. Porro *Iordanis Iericho* dicitur hic in Hebr. quod prope eam urbem esset. Moab, ubi castrametati sunt, trans Iordanem est: eius comparatione Iericho trans Iordanem.

*V.* 3. ET IMPETUM EIUS FERRE NON POSSENT. Hebr. *Et excitatus*, sive *commotus est Moab*; sive *angustiatus est Moab a facie filiorum Israel.*

*V.* 4. ITA DELEBIT. Hebr. *Lambent nos, sicut bos lambit herbas:* sed *lambere* sumitur pro consumere, quod Hieronymus vocibus *delendi*, & *carpendi* expressit.

*V.* 5. BALAAM FILIUM BEOR ARIOLUM. Pro *ariolo* Hebr. est *Pethora*, nomen loci, ut explicant Septuag. & Chaldeus addit, esse *Pethor Syriæ*. Et verisimile est, Balaam non ariolum fuisse, sed de numero prophetarum qui erant inter gentes, ut Sibyllæ, quando illi Deus apparet. Id Iosephus indicat Lib. IV. Antiq. cap. VI. At Basil. epist. LXXX. Balaam, ait, scientia dæmonum divinasse. Iustin. quæst. II. vocat eum ariolum. Chrysost. hom. XXI. in Gen. August. serm. CIII. uti solitum arte dæmonis. HABITABAT SUPER FLUMEN TERRAE FILIORUM AMMON. Hebr. *super flumen terræ filiorum populi sui*: sic Sept. Addit Chald. flumen illud esse Euphratem, quod verum puto.

*V.* 7. HABENTES DIVINATIONIS PRETIUM IN MANIBUS. Hebr. *Et divinationes in manu eorum*: sic Sept. sed Hebræi per *divinationes* intelligunt *divinationis pretium*, quod posuit Hieron. & Chald. Aut formas divinationum, ut intelligerent an eos deciperet, iverunt instructi divinandi arte. Aut tulerunt necessaria ad divinationem, libros, hostias, &c.

*V.* 14. NOLUIT BALAAM VENIRE NOBISCUM. Ille dixerat Deum nolle, id aliter nuntii dicunt. Quid Balac? *Ne cuncteris venire.*

*V.* 17. ET QUIDQUID VOLUERIS DABO TIBI. Hebr. *Et quæcumque dixeris mihi, faciam.*

*V.* 22. ET IRATUS EST DEUS: nempe aut profectionem tantum permiserat, non concesserat; aut Balaam mentem mutarat, ut Hebræi sentiunt, & populo maledicere decreverat.

*V.* 29. UT TE PERCUTEREM. Heb. *Occidissem te*. Id Balaam asinæ dicit.

*V.* 30. NONNE ANIMAL TUUM SUM. Heb. *Nonne ego asina tua sum?* CUI SEMPER SEDERE CONSUEVISTI USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Hebr. *Sedisti super me ab adhuc te usque ad diem hanc*. Sept. & Chald. *Ex quo esse cœpisti usque ad diem hanc*. Hebræus explicat: *Ex quo esse cœpisti equitans, & ego ad id apta, ad diem hanc.*

*V.* 32. MIHIQUE CONTRARIA. Heb. *in conspectu meo perversa*, scilicet est via qua pergis.

*V.* 35. ET CAVE NE ALIUD QUAM PRAECEPERO TIBI LOQUARIS. Heb. ואפס *veephes, & in summa, ut verbo absolvam, quod dixero, id loqueris.*

*V.* 37.

*V.* 37. An quia mercedem adventui tuo reddere nequeo? Hebr. *Num vere non potero honorare te?* sic Sept. & Chald. sed Hieronymus honorem pro mercede sumpsit: sic, *Honora viduas, quæ vere viduæ sunt*, I. Tim. v. vers. 3. hoc est, subsidia illis dato. Tum Latine *Honorarium*, donum dicitur, seu stipendium.

*V.* 39. In urbem quae in extremis regni eius finibus erat. Hebr. *In urbem Huzoth*. Quidam nomen proprium putant. Sept. *diversorium* dixere; alii *platearum*: sed magis placet Hieronymus, cum quo consentit Chald. *in urbem divisionum ipsius*, id est finium.

*V.* 41. Et intuitus est. Sept. *Ostendit*: & verbum est in coniugatione Hiphil, quod significat, *Videre fecit partem populi Balac Rex Balaamum*.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. IN campestribus Moab. Hebr. *in* ערבות *gharboth Moab*. Singulare ערבה *gharabah*, cuius hic plurale *gharboth* ponitur, aiunt *talem locum seu terræ partem significare, quæ neque montosa est, neque declivis, sed plana, ubi sine silvis, & montibus late patent campi*: ideo Chaldæos ubique transtulisse במשריא *bemescharia*, id est *planities*; sive ut etiam transferri solet, *Locus sive terra campestris*: & quamquam alii pro loco sterili & deserto, alii pro Arabia accipiant, & a sterilitate nomen habere existiment; ipsos tamen arbitrari a mixtura dici, quod verbum ערב *gharab*, *miscere* significet: nimirum dici a mixto sapore pabuli, quod in eo crescit, & iumentis conveniens est & gratum, quæ acidis delectantur: sunt enim eiusmodi campestria, non melliflua, sicut sunt valles, vel colles; nec plane sterilia, qualia sunt loca aspera & deserta: sed ubi migma crescit, id quod Isaias בליל חומץ *betil chometz*, *migma acetosum*, *farriginem*, *mixturam subacidam* vocat cap. iv. vers. 24. ubi sic legitur: *Boves, & pulli asinorum colentes tellurem, pabulum insectum, acetosum, subacidum comedent*: quasi data opera propheta describere voluerit pabulum eiusmodi iumentis conveniens & gratum. Nonnulli a nomine ערב *ghareb*, *suavis, iucundus, dulcis, congruens*, deducunt: nempe significare *planitiem* proprie, sed non alioqui feracem; sed tamen ubi sint pascua pecori pascendo apta & grata; aut potius ab amœnitate. Alii *gharaba* volunt esse *campestre, solitudinem, desertum, locum vastum*, ubi omnia promiscue sunt confusa, consentiente voce, *arvum* esse dicunt. Quidam hic reddunt: *In locis vastis Moab*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis, *gharboth*, seu *arboth Moab*, uti nomen proprium loci acceperunt, ac de eo ita tradunt: *Araboth Moab, ubi secundo numeratus est populus, quod Aquila interpretatur Humilia, sive æqualia Moab: hanc habens consuetudinem, ut eremum propter planitiem*, ὁμαλήν, *id est æqualem, interpretetur & planam. Denique Symmachus pro Araboth Moab, campestria Moab transtulit: & est usque hodie locus iuxta montem Pogor, euntibus a Libiade in Esbum Arabiæ contra Iericho, qui ita appellatur Araba. Hanc ut supra Aquila transtulit Planam, Symmachus interdum Campestrem, interdum Inhabitabilem; Theodotion Occidentalem*. Sacri Topographi hunc locum ita describunt: aiunt esse campos illos, seu planitiem, qui ab Arnone sursum porrecti iacent, adversus sinistrum Iordanem, & dextros montes Arabicos, nimirum inter duo maria, Tiberiadis, & Mortuum. Extenditur enim illa planities a Iordanis & Arnonis ostiis, quibus isti fluvii in Asphaltitem intrant, longe per Sehonis Amorrhæi regnum porrecta, inter Iordanem ab Occidente & montes Arabicos; Abarim, Nebo, Phasga, ceterosque ab Oriente. Quam planitiem olim Moabitæ occupaverant, priusquam ab Amorrhæis pulsi, trans Arnonem cessissent, uti superiore capite vidimus. Ubi trans Iordanem. Iericho sita est. Varie Hebræa reddunt. I. *Citra Iordanem Iericho*; id est, qui Iarden labitur seu fluit iuxta, circa Iericho, vel non procul a Iericho, quam a Iordane sexaginta stadia; id est, duas fere leucas abesse prodit Iosephus. II. *A transitu in Iarden Iericho*; id est, in planitie territorii Moabitarum in illa parte qua transitur per Iordanem ad Iericho. III. *Cis vadum Ierichuntinum Iardenis*. Vide Iosue 11. vers. 7. IV. *Cis Iordanem*, ex opposito, ex adverso, e regione, *Iericho*. De Iericho dicemus multa Iosue 11. vers. 1. Vide intra cap. xxvi. vers. 3. & 63.

*V.* 3. Et quod pertimuissent eum Moabitae. ויגר מואב *vaiighor Moab*

*Moab*: proprie, *& traxit*, *abstraxit*, *retraxit*, *subtraxit*, *contraxit se*, *peregrinatus fuit*; *expavit*, *formidavit Moab a faciebus*, *a conspectu populi valde*. Hispanice, *Encogiose*. Hanc enim esse vim verbi *gur* quando cum præpositione *Mem*, id est *de*, *a*, construitur, observant; quasi dicat: Metu & formidine retrahebat se, & fugiebat fortunam belli experiri cum Israelitis: ad rem insolitam & peregrinam expavit. Mirum quod quidam reddunt: *Et peragravit*, *migravit*, *loco cessit*, *secessit*, *subduxit sese*: non ausus est manum conserere. ET IMPETUM EIUS FERRE NON POSSENT. Hebr. diversimode convertunt. I. *Et angustia affectus est Moab propter filios Israel*. II. *Et tæduit Moabitam ob præsentiam filiorum Israelis*. II. *Et fastiditus est Moab a facie filiorum Israel*; id est, fastidio affectus est. III. *Et abhorruit*, *horruit*, *Moab a facie* &c. IV. *Et pervigil fuit Moab propter filios Israel*; id est, invigilavit, attendit rebus suis. V. *Et spinavit se Moab propter filios Israel*: si ita Latine dici posset. Elegantissima Hebraica phrasis, quam Hispanice quoque efferimus, *spinose*; id est, quasi spinis compunctus acriter commotus fuit. VI. *Et æstuavit Moab metu filiorum Israel*. Vide vim verbi קוץ *Kutz* Genes. XXVII. vers. 46.

*V.* 4. AD MAIORES NATU MADIAN. Hebr. *Ad senes Midian*. Intelligunt senatores, quos socios in hoc consilio adhibuit Moabita: ideo legati utrimque dicuntur missi infra vers. 7. Aliqui intelligunt, senes istos utriusque gentis fuisse sapientes, magos, ariolos, qui artem divinandi callerent: nam vers. 7. dicitur *Et divinationes in manu eorum*: vide ibi. De Madian vide quæ notavimus Genes. XXV. vers. 2. Et quamvis fines Moabitæ cum Madianitis coniungerent, at difficile videtur Balak ex urbe ipsa Madian primaria, quæ procul in littore ipso Rubri maris sita erat, auctore Iosepho, senatores & legatos accersivisse; nisi illud sit probabilius, non ex illa Madian ad Rubrum mare, sed ex alia urbe Madian illi homonyma, iuxta Arnonem & Areopolim Moabitis proxima, cuius ruinæ tempore Eusebii, & S. Hieronymi adhuc demonstrabantur, senatores consuluisse Balakum, ac cum suis legatos ad Balaamum misisse: quod magis crediderim.

*V.* 5. ARIOLUM. פתורה *petorah*, Noster pro appellativo accepit: *Interpretem & expositorem somniorum*, *divinum*, *hariolum*: sed habet formam femineam. Alii *pethor* cum He locali, nomen proprium urbis Mesopotamiæ putant, in qua habitaret Balaam: quam quidam Pacoriam Ptolemæi Lib. V. cap. XVIII. iuxta Euphratem, esse suspicantur. Chaldæi Interpretes: *In Pethor Syriæ*, *quæ est ad Euphratem*. *Pathuram* LXX. appellant, de qua Eusebius & S. Hieronymus in Locis: *Phathura civitas trans Mesopotamiam*, *unde fuit Balaam hariolus*: *sed & iuxta Eleutheropolim quædam villa nomine Phatura nuncupatur euntibus Gazam*. Beniamin Tudelensis in Itinerario: *Baalits veni*, *quondam Pethoram iuxta Euphratem fluvium*, *ubi in hodiernum usque diem manet turris Balaam filii Beghor ad diei horarum rationes ædificata*. SUPER FLUMEN. Iosephus, Chaldæi Interpretes, & plerique alii Euphratem intelligunt, quod is absolute & antonomasice Fluvius, seu Flumen in Scriptura appellatur, ut I. Regum IV. vers. 21. Psalm. LXXI. vers. 9. de qua re egimus in Paradiso nostro, cap. XXV. At si hic נהר *nahar*, neglectis punctis, sit in regimine, non dicitur absolute *flumen*, sed *flumen terræ filiorum populi sui*; sed puncta hic excludunt regimen. Unde quidam vertunt: *In Pethor*, *quæ erat iuxta flumen*, *in terra filiorum populi sui*. Alii: *In Pethoram*, *quæ est imposita ipsi flumini*, *in regionem popularium eius*. FILIORUM AMMON. Heb. עמו *ghammo*: videtur Noster ut nomen proprium decurtatum ex Ghammon accepisse. Et quidem ea parte Ammonitæ ad Mesopotamiam & Euphratem spectabant: nisi forte peculiare aliquod flumen regionis Ammoniticæ indicet. Alii exponunt: *Filiorum populi sui*, vel *eius*; vel *popularium suorum*, aut *eius*. Quidam ad Balak referunt illud *eius*: quod Ammonitæ fratres & populares essent Moabitarum. Alii ad Balaam, id est ad terram propriam, & patriam Mesopotamiensium popularium suorum. Balaamum enim Mesopotamiensem fuisse, plerique ex hoc loco, & cap. XXIII. vers. 7. astruunt. Alii Madianitam volunt. De qua re ibidem dicemus. Ego tamen secutus, ut par est, Nostrum, Ammonitam potius existimaverim: nam satis Noster indicat in terra filiorum Ammon Balaamum habitasse.

*V.* 6.

*V.* 6. MALEDIC POPULO HUIC. Hebr. *Maledic mihi populum hunc*. *Mihi*, id eſt in gratiam mei, mea cauſa: tuis artibus faſcina eum, ut male pereat. Sic pugnaſſe dicitur Balak contra Iſraelem, Ioſue XXIV. 9. Poſſis reddere: *Diris devove*, *defige*, *transfige mihi populum iſtum*.

*V.* 7. HABENTES DIVINATIONIS PRETIUM IN MANIBUS. Hebr. *& divinationes in manu eorum*. Fere omnes exponunt, & pretium, merces, honorarium divinationum in manibus eorum. Sic *Evangelium* pro læto nuntio, & pro præmio læti nuntii. Cicero Lib. II. ad Atticum: *O ſuaves duas epiſtolas, quibus evangelia deberi fateor*. Nonnulli Hebræorum intelligunt libros, & inſtrumenta divinationum: nam iſtos divinos quoque fuiſſe, & eiuſdem artis nefariæ cum Balaamo, plerique exiſtimant, ut ad verſ. 4. notabamus. Habebat libros ſuos & inſtrumenta Balaamus; ſuos quoque ac ſua inſtrumenta iſti deferebant artis divinatoriæ, ut collato ſtudio in commune conſulerent. Fortaſſe innuit dactylomantiam, quod ii in annulis digitorum rationes excantationum ferrent: quales ſeptem annulos divinatorios, ſtellarum ſeptem nominibus cognominatos, quorum ſingulos ſingulis diebus geſtaret, dediſſe Apollonio Iarcham, auctor eſt Philoſtratus Lib. III. cap. XXIII. Sic magi in annulis, aut in bullis deferre ſolent dæmones familiares, quos conſulant. Lucianus in Philopſeude: *Ex quo mihi annulum dedit e ferro, quod fuit in crucibus, & excantationem docuit e multis nominibus*. Et rurſus inquit Impoſtor: *Ego annulum quemdam ſacrum habeo, cuius ſigillum imaginem Pythii Apollinis exprimit, & hic Apollo me alloquitur*. Annulus Gygis notus eſt ex Platone, Cicerone, aliiſque. Duos annulos incantatos Exceſti Phocenſium tyranni deſcribunt Ariſtoteles in Republica Phocenſium, & Clemens Alexandrinus Lib. I. Stromatum. Aliqui Hebræorum ſic dictum volunt, *Et divinationes in manibus eorum*, quod aliquæ divinationes manibus fierent: quod innui videtur Ezechiel. XXI. verſ. 19. *Et manu capiet conie&turam*, *in capite viæ civitatis coniiciet*: & verſ. 22. *In dextera eius fuit divinatio*: ut ibidem expendemus. Forſan legati iſti ſortes quaſdam divinatorias in manibus geſtabant, inſignia & inſtrumenta artis. Ceterum, ut hic *Divinationes* pretium & mercedem divinationum potius accipiamus, facit Petrus Apoſtolus Epiſtol. II. cap. II. verſ. 15. qui hunc locum proculdubio intelligens, de Balaamo inquit: *Qui mercedem iniquitatis amavit*.

*V.* MALEDIC EI. קבב *kabab*, mite congruit cum נקב *nakab*, & cum Latino *cavo*: reddunt hic *execrare*, *excava*, *perfora*, *defige*, *perfora*, *transfige*, *confode*; quaſi dicat: Tuis artibus mihi illum confode. Sic verſ. 17. Vide Levitic. XXIV. verſ. 11.

*V.* 15. ET NOBILIORES. נכבדים *nicbadim*, *gravatos*, *graves*, *honoratos*, *glorioſos*, *ſplendidos*, *excellentes*, *præſtantes*; & proprie *gravitates*, id eſt regni moles, & glorias. Id eſt ampliſſimos & ſplendidiſſimos quoſque. Proculdubio Petrus hanc vocem δόξας, *glorias* vertit II. Epiſt. II. verſ. 10. *Glorias*, *dignitates*, *non horrent conviciis inceſſere*; id eſt, viros gloria & maieſtate præditos, qui magiſtratus gloriam habent, & dii vocantur, unde læſæ maieſtatis reus accerſiri ſolet qui maieſtatem violarit.

*V.* 16. NE CUNCTERIS VENIRE AD ME. Alii: *Ne*, *quæſo*, *recuſes venire ad me*. Quidam: *Ne*, *obſecro*, *amovearis a veniendo ad me*. Aliqui: *Noli*, *quæſo*, *prohibere te ipſum ne venias ad me*; id eſt, ne cauſeris quippiam quo minus venias ad me. Nonnulli: *Ne*, *obſecro*, *vetaberis ab ire ad me*. Pauci: *Ne*, *quæſo*, *excuſes te interdicto quo minus venias ad me*.

*V.* 19. OBSECRO UT HIC MANEATIS ETIAM HAC NOCTE, &c. Ut recte hic annotant quidam, erat quidem Bilham de conſtantiſſimo Dei reſponſo certior; ſed avaritia permotus, & pellectus promiſſis regalibus, ſpem aliam legatis facit, tamquam ſi Dominus muneribus eorum flecti, aut interceſſione ſua exorari poſſet, atque a priore ſententia abſiſtere: quam tentationem ex mala mente profectam ſequente reſponſo ludificatur Deus: deinde vero cum Angeli ſui opera, tum inſperato & prodigioſo aſinæ ſermone redarguit ſequentibus.

*V.* 20. SI VOCARE TE VENERUNT, &c. Videntur hæc verba indignantis eſſe; quaſi dicat: Cum illi te, & tu me importune ſolicitas, age, poſtquam ita vis, abi cum illis. UT QUOD TIBI PRAECE-

PE-

PERO, FACIAS, quamvis invitus, & aliud cupiens, & moliens.

*V.* 22. ET IRATUS EST DEUS. Heb. addunt, *quod ipse abiret*: animo scilicet exequendi voluntatem Balak, ut e cap. XXIII. vers. 5. colligitur.

*V.* 23. QUAM CUM VERBERARET BALAAM, ET VELLET AD SEMITAM REDUCERE. Hebr. ex verbo: *Et percussit Bilgham asinam ad divertere facere eam, viam*. Ambiguus sensus: 1. quod Bilham percusserit asinam, eo quod ea Bilhamum ipsum a via divertere fecerat: 2. vel ut eam in viam reduceret. Quidam: *Sed percussit eam Bilham, ut cogeret eam reflectere ad viam illam*. Et hic sensus est usitatior.

*V.* 24. IN ANGUSTIIS DUARUM MACERIARUM, QUIBUS VINEAE CINGEBANTUR. Hebr. *in arcto vinearum, sepes de isto, & sepes de isto*. משעול *mischghol*, aiunt significare *tramitem, semitam angustam, viam arctam*, quasi pugnum, seu pugillum, seu foveam manus contractam, & compressam. Alii *vulpinetum* interpretantur, a שועל *schughal, vulpes*, nempe locum inter vineas, ubi communiter vulpes suas foveas habent: Matthæi VIII. vers. 20. Canticor. II. vers. 15.

*V.* 30. CUI SEMPER SEDERE CONSUEVISTI. Hebr. *quam equitavisti super me*. מעודך *meghodecha* varie exponunt: I. *quamdiu tu*. II. *ab inde tu*. III. *tempore præcedenti tuo*. IV. *ex quo esse cœpisti*. V. *ab existere te*. VI. *ex quo tu*, scilicet equitare cœpisti me. VII. *ex quo tibi sum*: pronomen affixum pro separato: ex quo tua fui. VIII. *a perpetuo tuo*; *tam diu tu*. עוד *ghod*, sustentationem temporis, continuationem, & applicationem, id est durationem & perpetuitatem denotare aiunt, nempe *adhuc, amplius, ultra, post, deinceps, porro, perpetuo*. DIC QUID SIMILE UMQUAM FECERIM TIBI? Hebr. *Num solendo solita fui facere tibi sic*? id est, an solita fui umquam tibi ita facere? Quidam: *Num censendo censui ad faciendum tibi ita?* id est, num umquam existimavi tale quidpiam mihi erga te faciendum?

*V.* 32. QUIA PERVERSA EST VIA TUA, MIHIQUE CONTRARIA. Diversimode reddunt. I. *Quia declinavit, divertit via coram me*; id est, via tua declinat a recto in conspectu meo; quasi dicat: Alium tuæ huius profectionis finem tibi proposuisti a meo: viam enim pro instituto accipit, ut Iudicum IV. vers. 9. Psal. I. vers. I. & alibi sæpe. Vel via hæc, seu iter quod arripuisti, declinat, alienum est a mea voluntate & mandato. II. *Quia decurrit, dilapsa fuit via adversum me*; id est, curris viam contra me. III. *Quia frustra properat via tua coram me*. IV. *Quia aberravit via tua coram me*. V. *Quia vane laboravit, frustra contendit*; vel *irritavit, irrita fuit via ante me, erga me*. Quidam exponunt: Declinavit cor tuum a via recte me spectante: nam adductus avaritia & promissis regalibus, egressus es cum illis.

*V.* 33. ET NISI ASINA DECLINASSET DE VIA, &c. Versum hunc nos ex verbo reddidimus (*Et vidit me asina, & declinavit faciebus meis isto tribus repedationibus: si forsan declinavit de faciebus meis, quia nunc etiam te interfeci, & eam vivificavi*.) Et verba illa, *Forte declinavit de faciebus meis, &c.* hunc habent sensum: Plane nisi asina divertisset de via, sed tu perseverasses eam versus me adigere, te interfecissem, illa servata. Quidam reddunt: *Fortasse divertit a conspectu meo, quia iam etiam te occidissem, & illam vivam conservassem*. Alii: *Quæ si non declinasset coram me, te interfecto, illam incolumem servassem*. Inepte hinc quidam colligunt, asinam mortuam fuisse postquam locuta est. Recte notant, *Fortasse* vocem esse non dubitantis quidem, sed dubitationem eximentis per rei dubiæ confirmationem & asservationem: vide Iosue XIV. vers. 12. Et alioqui satis constat אולי *ulai, forte*, non esse dubitantis particulam, sed affirmantis, & certo aliquid constituentis, ut etiam Actor. VIII. vers. 22.

*V.* 34. NESCIENS QUOD TU STARES. Notant quidam mentiri hic pseudoprophetam ad excusationem sui: nam interdictum Dei primo acceperat supra vers. 12. sed præ avaritia obstiterat ultro interdicto Dei, quia hoc ex animi sui sententia mutari cupiverat. Sed simplicius fuerit intelligere, Bilhamum vere asserere se ignorasse præsentiam Angeli, qui in via ei obstiterat, quia ipsum nondum viderat.

*V.* 36. IN OPPIDO MOABITARUM. Hebr. *ad urbem Moab*. Quidam hic Moab provinciæ nomen, non singularis alicuius urbis

urbis accipiunt; unde exponunt *ad urbem* quamdam regionis *Moab*. Aliqui eam esse volunt quæ supra cap. XXI. vers. 15. dicta est *Ar*, eratque in finibus Moabitarum, ut ibidem dicitur, & hoc versu confirmatur. Hanc eamdem putant quæ infra vers. 39. vocatur Civitas *Chutzoth*, ut ibidem videbimus. Alii potius hic intelligunt peculiarem urbem regni Moabitarum, quæ proprio nomine dicta sit Moab, seu Rabath Moab, metropolis regni Moabitici, a Græcis Areopolis dicta, non procul ab Arnon, de qua diximus cap. XXI. vers. 11. & hoc rectius existimamus, Balakum excepisse Bilhamum in primaria & regia urbe regionis, quæ & ipsa tunc terminus regni erat post bella Sehonis Amorrhæi, uti videre est cap. XXI. vers. 26. & seqq. QUOD SITUM EST IN EXTREMIS FINIBUS ARNON. Hebr. *Quæ* urbs est *super*, iuxta, ad, *terminum Arnon*. *Quæ*, scilicet Arnon est, vel quæ urbs Moab est, *in extremitate termini* Moabitarum: ut ad extremos usque regni terminos processerit Balak excepturus Bilhamum. Sed verius puto Balakum tunc in regia urbe Areopoli habitasse, & ibi excepisse Bilhamum, ut dudum dicebam.

*V.* 38. NUMQUID LOQUI POTERO ALIUD? Hebr. *Num posse*, vel *possendo*, si Latinitas permitteret, *potero loqui quidquam?* quasi dicat: Numquid, etiam si coner totis viribus meis, potero ullo pacto aliquid pro voto tuo, aut meo?

*V.* 39. PERREXERUNT ERGO SIMUL, ET VENERUNT IN URBEM, QUAE IN EXTREMIS REGNI EIUS FINIBUS ERAT. Hebr. *in civitatem Chuzoth*. Quidam hanc urbem eamdem esse illam putant quæ supra vers. 36. dicitur *urbs Moab*, & Ar esse volunt, cuius cap. XXI. vers. 15. & 28. facta est mentio: quæ hic dicta sit urbs Chuzoth; non *platearum*, ut quidam existimant, sed *divisionum* & *separationum*, seu *dimidiationum*, a חצה *chatzah*, quia fines Moabitarum ab exterorum finibus dispescuit, & quasi dimidiavit. Hispanice, *Partia terminos*, prout optime vetus noster Interpres observavit, qui vertit: *Quæ in extremis regni eius finibus erat*: quamobrem proxime Hebræum sermonem, *urbem finibus adiacentem*, id est limitaneam, se apte exposuisse arbitrantur. At si Balak, ut illi volunt, Balaamum excepit in urbe Ar, regni eius limitanea, supra vers. 36. quo modo hic post exceptum Balaamum dicuntur ii duo ambulasse, & venisse in urbem Ar: nisi forte illud vers. 36. *Ad urbem Moab*, ita capiamus, ut extra urbem progressus Balak excepturus Balaamum, deinde uterque in urbem redierint. Sed illa maior difficultas, si Ar tunc iam non erat in ditione Moabitæ, sed prius capta a Sehone Amorrhæo, cesserat iam ante adventum Balaami ipsis Israelitis, uti late vidimus cap. XXI. vers. 25. 28. quomodo potuit Balak recipere Balaamum in Ar, aut eo cum Balaamo pergere, & ibi mactare? Alii חצות *chutzoth* hic pro appellativo capiunt, redduntque, *Civitatem platearum*, vel *vicorum*, seu *villarum*: intelliguntque urbem populosissimam, cuius vici scilicet, & plateæ viris, mulieribus, ac pueris essent refertæ, ut ostensione tantæ multitudinis Balak Balaamum ad commiserationem inflecteret, quæ alioqui tota peritura esset Israelitarum gladio, nisi Balaamus Israeliticum exercitum diris defigeret. Nonnulli reddunt: *civitatem foranearum*, *externarum*, quod multas foras & extra ipsam villas circumpositas haberet.

*V.* 41. BAAL. בעל *baghal* Hebræis est *dominus*, *herus*, *patronus*, *potiens*, *possessor*, *vir*, *maritus*, & universe omnis qui in rem aliquam seu personam dominium, ius, & potestatem habet. Quidam notant, Gentiles hoc nomine generaliter deos suos honoris causa nuncupasse. Alii observant, verbum בעל *baghal* generali significatione notare *ardore & conatu summo vehi super re aliqua, ea ut potiare*: unde frequenter dici de viro erga mulierem, tuncque esse *ambire*, *adamare*, *amore flagrare*, *deperire*, *maritare*, *concumbere*, *potiri*: interdum etiam usurpari de potestate qua quis alium sibi plene subiicit. Inde gentes deos suos Baalim appellasse, quod eos ardenter colerent ac deperirent; & dii ipsi in cultores suos omnem potestatem exercerent, sibique omnino subiectos haberent: sive quod existimarentur potestatem & dominium in omnia exercere. Phœnices quidem deum suum Baal vocasse constat, unde & Pœni sæpe eo nomina sua terminavere, ut Hannibaal, Hasdrubaal, &c. voluntque eumdem esse quem Babylonii Bel vocarunt, & Græci, Latinique

mique Belum. Virgilius AEneidos I. de Didone:

*Implevitque mero pateram, quam Belus, & omnes*
*A Belo soliti......*

ubi Servius: *Belus primus rex Assyriorum, quos constat Saturnum, quem eumdem & solem dicunt, Iunonemque coluisse: quae numina apud Afros etiam postea culta sunt: unde & lingua Punica Bal deus dicitur. Apud Assyrios autem Bel dicitur quadam sacrorum ratione, & Saturnus, & Sol.* Claudianus, I. Panegyrico in Stiliconem:

*..... Secretaque Beli,*
*Et vaga testatur volventem sidera Mitram.*

S. Hieronymus in XXIII. Ezechiel. *Idolum autem Baal, sive Bel, & ut apertius dicam, Belis, Assyriorum religio est, consecrata a Nino Belis filio in honorem patris*: & in Oseæ I. *Primum omni Asiæ regnasse Ninum Beli filium, omnes Græcæ, & Barbaræ narrant historiæ: qui in tantam pervenit gloriam, ut patrem suum Belum referret in deum; qui Hebraice dicitur Bel, & in multis prophetis, maximeque in Daniele, & iuxta Theodotionem sub idolo Babylonis hoc appellatur nomine. Hunc Sidonii & Phœnices appellant Baal: eadem enim inter Beth, & Lamed litteras consonantes, Ghaiin vocalis littera ponitur, quæ iuxta linguæ illius proprietatem nunc Beel, nunc Baal legitur. Unde & Dido Sidonia regii generis, cum AEneam suscepisset hospitio, hac patera Iovi vina delibabat, qua Belus, & omnes a Belo soliti.* Scaliger Lib. III. Isagogicorum Canonum pag. 313. Belum Assyriorum a Belo Phœnicum distinguit; sed passim alii eumdem faciunt. Vide Isaiæ XLVI. vers. I. & eumdem Scaligerum VI. de Emendationibus temporum pag. 542. Aliqui בעל *baghal* in Scriptura generale falsorum deorum nomen accipiunt, quasi dominum, herum, patronum dicas. Alii singularis cuiusdam dei, qui vel Saturnus, vel Iupiter fuerit.

## MENOCHII.

*Vers.* 2. IN CAMPESTRIBUS MOAB: quæ olim fuerant Moab, iam autem erant Sehon, & eo occiso, filiorum Israel: vel quæ coniuncta erant Moab, quod innuunt LXX. qui vertunt: *Ad Occidentem Moab*.

*V.* 2. BALAC, Rex Moab, ut habetur num. 4.

*V.* 3. QUOD PERTIMUISSENT EUM, Israelem scilicet.

*V.* 4. MAIORES NATU MADIAN, ad Madianitas conterminos, & confœderatos.

*V.* 5. ARIOLUM, non Dei prophetam, sed dæmonis auxilio se pro propheta venditantem. Patet ex voce *Ariolus*, quæ magum significat, & quia auguria vana captavit cap. XXIV. I. & maledicere conatus est Israeli, & Baal aras extruxit hoc cap. nu. 41. & XXIII. I. SUPER FLUMEN, iuxta flumen, Euphratem scilicet. FILIORUM AMMON: nam Euphrates Ammonitas præterlabitur. SEDENS CONTRA ME; quasi dicat: Castra contra me posuit Israel, mihi, & regno meo imminens.

*V.* 6. ET MALEDICTUS IN QUEM MALEDICTA CONGESSERIS. Nocent enim magi, & sagæ suis incantationibus per dæmonem, per quem etiam, remotis rebus nocentibus quas applicarant, sanitati restituunt.

*V.* 7. PRETIUM, quod darent pro divinatione.

*V.* 8. MANETE HIC NOCTE. Volebat enim hoc tempore de more suo dæmonem consulere. VENIT DEUS, Angelus, Dei personam gerens.

*V.* 12. POPULO, Hebræis. BENEDICTUS EST: illi benedixi, & deinceps benedicam & benefaciam.

*V.* 18. NON POTERO IMMUTARE VERBUM DOMINI. Timebat enim Dei iram, & vindictam.

*V.* 22. IRATUS EST DEUS: quia contra factum illi præceptum, ea mente ibat ut Israeli malediceret, quod num. 32. ex verbis Angeli constat, qui ei dixit: *Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria*.

*V.* 27. CONCIDIT, consternata metu, & quia non videbat transitum, aut effugium, & Angelus gladium intentabat.

*V.* 28. APERUIT DOMINUS OS ASINAE. Movit Angelus linguam asinæ ut loqueretur, sicut dæmon moverat os serpentis colloquentis cum Eva in paradiso. Usus est Deus voce asinæ; tum quia congrue bruta mens per brutum docetur; tum, ut ait Nyssenus Lib. de Vita Mo-

Mosis sub finem, ut erudiretur, & castigaretur vanitas auguris Balaam, qui ruditum asinæ, & garritum avium, quasi omnia quæ futura præ significarent, observare solebat.

*V.* 29. Utinam haberem gladium, &c. In hoc colloquio Balaam cum asina furor eius, & cæcitas eminet, qui nec bruto loquente expavit, nec causam miraculi, & significationem investigavit.

*V.* 32. Perversa est via tua, ob perversam intentionem qua ad Balac proficisceris.

*V.* 33. Et illa viveret: non quod mortua esset, sed quod ita male esset habita ut vivere non posset.

*V.* 40. Cumque occidisset Balac boves et oves, &c. Instituit Balac ob lætum adventum Balaam, festa, sacrificia, & convivia, indeque munera, & partes misit Balaam, suisque principibus, qui illum comitati fuerant.

*V.* 41. Ad excelsa Baal, ad loca edita, in quibus sacellum, aut templum erat Baal dicatum. Fuit hic mons Abarim, qui dividebat Moabitas a regno Sehon, & Og: iuxta hunc montem in campestribus erant castra Israelitarum.

## TIRINI.

*Vers.* 5. Ariolum. In Hebræo *Pethora* intelligunt LXX. Pagninus, Oleaster, Caietanus, Vatablus, Sa, Mariana, & Tigurina nomen proprium loci, nempe *Mesopotamiam Syriæ*, ut Deut. xxiii. vers. 4. expresse etiam Noster dicit, cum de hoc eodem Balaam agit. Quia tamen idem nomen appellative significat *ariolum*, *coniectorem*, vel *somniorum interpretem*; & constabat ex historiæ progressu hunc Balaam talem esse: maluit Noster appellative potius, quam proprie nomen illud usurpare.

Petes qualis ariolus, seu divinator fuerit hic Balaam. Basilius, Chrysostomus, Origenes & Augustinus *a*; item Procopius, Lyranus, Abulensis, Paulus Burgensis dicunt magum fuisse, & cum dæmone consortium habuisse. Malim tamen cum Iosepho *b*, Eugubino, Caietano, Oleastro, & aliis dicere, fuisse verum prophetam, uti fuerunt Sybillæ: nam veri Dei nomen ubique inculcat, & cap. xxiv. vers. 13. vocat eum *Deum suum*. Concedo tamen hominem impium fuisse, qui pecuniæ cupiditate nihil non faceret, nihil non suaderet, etiam contra Deum, & conscientiam; quique in consulendo Deo impiis quoque & superstitiosis ritibus subinde uteretur, ut patet ex initio cap. xxiv.

*V.* 22. Iratus est Deus. Quomodo irascitur eunti, cum veniam eundi concesserit? Respondeo: Non concesserat alia lege quam ut nihil faceret nisi quod præcepturus esset Deus, ut expresse addiderat; sed Balaam inter eundum avaritia victus statuebat animo, si quo modo posset, maledicere Hebræis, quod erat contra voluntatem & præceptum Dei: unde vers. 32. ait Angelus: *Perversa est via tua, mihique contraria*.

*V.* 28. Locuta est asina, Angelo linguam eius movente, & per eam voces articulatas efformante, sicut dæmon movit os serpentis ut loqueretur Evæ, aerem vicinum quo ad opus collidendo, & sic supplendo quod organis bestiæ deerat. Ita Abulensis & alii. Non ergo loquebatur asina, nisi admodum improprie; maxime cum nec vitalis esset illa actio (nam non fiebat vi animæ, sed a movente extrinseco) neque ullo prævio conceptu, aut intellectu verba proferrentur. Procopius, & quidam alii apud Theodoretum dicunt, Angelum hunc fuisse Michaelem Hebræorum tutelarem, atque unum eumdemque fuisse qui domi Balaam vice Dei concesserat ut iret ad Balac; eumdem qui armatus restitit eidem in via; eumdem qui eodem tempore per os asinæ locutus est; eumdem denique qui in Moabitide per os Balaam prophetavit.

Tropologice S. Gregorius *c*, Asina, id est caro flagellata, sæpe Balaamo, id est menti, D.um ostendit. Et apte bruta mens, per brutum edocetur: II. Petri ii. 16.

(*a*) Basil. epist. lxxx. Chrysost. homil. xxi. in Gen. Orig. hom. xiii. in Num. August. ser. ciii. de Temp.
(*b*) Iosephus Lib. IV. Antiq. cap. vi.
(*c*) Greg. III. P. Pastoralis admonit. xiii.

GOR-

## GORDONI.

*Vers.* 1. IAm vicini erant Hebræi Iordani, & Ierichonti: ubi post occisum Sehon regem Amorrhæorum, ea sunt facta in dominio Hebræorum, quæ Sehon habebat. Pugnandum proxime contra Balac, & Madianitas.

*V.* 2. Iam in his campestribus non multum aberant a Iordane Hebræi. Hæc campestria Amorrhæus olim abstulit a Moabitis, & proinde adhuc vocantur campestria Moabitarum, licet essent in ditione Amorrhæi Regis.

*V.* 4. DIXIT AD MAIORES NATU MADIAN, &c. Loquitur Balac rex Moabitarum. Ceterum Madian hic non est illa remotior versus Mare rubrum, & montem Sinai, ubi Moses pascebat greges Iethro soceri; quæ vero hic denotatur, est remotior a Mari rubro, vicina Moabitis. Hos ergo viciniores Madianitas adhibet in consilium Balac Moabitarum rex, ut statuat de bello.

*V.* 5. Balaam iste Mesopotamius est, & propheta, non Dei, sed diaboli: quod satis docet nomen *Ariolus*. פתורה *pethora* etiam loci nomen designat in Syria. Heb. פתור *pethor*, utrumque significat. Vulgatus *Ariolum* vertit. Fuit impius porro, quia volebat maledicere Israeli, ac demum captabat anguria, cap. XXIV. vers. 1. Timebat tamen Deum, ex vers. 18. a quo etiam aliqua ei revelata videntur, in hoc præsertim negotio. Flumen, de quo hic, Euphrates videtur.

*V.* 7. PRETIUM, scilicet quod pro divinatione darent.

*V.* 9. VENIT DEUS. Angelus est.

*V.* 27. & 28. Angelus sane movebat linguam asinæ, & reliqua quæ erant necessaria ad vocem formandam: ut de hippocentauro, ex S. Hieronymo in vita S. Pauli Eremitæ; item in loquente serpente, Gen. III. vers. 1. Sciunt vero Theologi, qualis sit hæc locutio: nam vera locutio est expressio conceptus mentalis; mente, & vero conceptu caret asina.

*V.* 32. PERVERSA EST VIA TUA: quia animo maledicendi progrederis: atque ita cogitur intentionem mutare.

*V.* 39. IN URBEM. Hebr. *Huzoth*: nomen proprium est urbis, in finibus regni.

*V.* 41. AD EXCELSA. Hebr. *In bamoth Bahal*: וירא *vaiare*, *& vidit*; rad ראה: Vulgatus, *Intuitus est*.

# CAPUT XXIII.

*Balaam loco maledictionis benedicit semel ac iterum populo Israel, multa de illo vaticinatus.*

1. DIxitque Balaam ad Balac: AEdifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos, eiusdemque numeri arietes. 2. Cumque fecisset iuxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum & arietem super aram. 3. Dixitque Balaam ad Balac: Sta paulisper iuxta holocaustum tuum, donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus, & quodcumque imperaverit, loquar tibi. 4. Cumque abiisset velociter, occurrit illi Deus. Locutusque ad eum Balaam: Septem, inquit, aras erexi, & imposui vitulum & arietem desuper. 5. Dominus autem posuit verbum in ore eius, & ait: Revertere ad Balac, & hæc loqueris. 6. Reversus invenit stantem Balac iuxta holocaustum suum, & omnes principes Moabitarum: 7. assumptaque parabola sua, dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, inquit, & maledic Iacob: propera, & detestare Israel. 8. Quo modo maledicam,

dicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur? 9. De summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur. 10. Quis dinumerare possit pulverem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant novissima mea horum similia. 11. Dixitque Balac ad Balaam: Quid est hoc quod agis? Ut malediceres inimicis meis vocavi te: & tu e contrario benedicis eis. 12. Cui ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod iusserit Dominus? 13. Dixit ergo Balac: Veni mecum in alterum locum unde partem Israel videas, & totum videre non possis, inde maledicito ei. 14. Cumque duxisset eum in locum sublimem, super verticem montis Phasga, aedificavit Balaam septem aras, & * impositis supra vitulo atque ariete, 15. dixit ad Balac: Sta hic iuxta holocaustum tuum, donec ego obvius pergam. 16. Cui cum Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore eius, ait: Revertere ad Balac, & hæc loqueris ei. 17. Reversus invenit eum stantem iuxta holocaustum suum, & principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus est Dominus? 18. At ille assumpta parabola sua, ait: Sta Balac & ausculta, audi fili Sephor: 19. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit? 20. Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. 21. Non est idolum in Iacob, nec videtur simulacrum in Israel. Dominus Deus eius cum eo est, & clangor victoriæ regis in illo. 22. (a) Deus eduxit illum de AEgypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. 23. Non est augurium in Iacob, nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Iacob & Israeli quid operatus sit Deus. 24. Ecce populus ut leæna consurget, & quasi leo erigetur: non accubabit donec devoret prædam, & occisorum sanguinem bibat. 25. Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas. 26. Et ille ait: Nonne dixi tibi, quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem? 27. Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum: si forte placeat Deo ut inde maledicas eis. 28. Cumque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem, 29. dixit ei Balaam: AEdifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos, eiusdemque numeri arietes. 30. Fecit Balac ut Balaam dixerat: imposuitque vitulos & arietes per singulas aras.

(a) Infra xxiv. 8.

## BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 14. *Impositis supra vitulo atque ariete.* Alii legunt numero plurali *vitulis atque arietibus*, eodem sensu.

## COMMENTARIA.

### SA.

*Vers.* 2: SIMUL, id est Balac & Balaam, ut patet ex Hebr. & Chald.

*V.* 3. IMPERAVERIT. Hebr. Chald. & LXX. *ostenderit*, seu *indicaverit*.

*V.* 4. VELOCITER. Heb. & Chald. *solus*, LXX. *recta*: alii, *in locum editiorem*: alii, *sublatus*, scilicet se inde velociter submovens.

*V.* 7.

*V.* 7. PARABOLA, id est prophetia: sunt enim in Prophetiis parabolæ: sic inf. ARAM, id est Syria. LXX. *Mesopotamia*.

*V.* 8. QUO MODO. Hebr. Chald. & LXX. *quid*, id est cur.

*V.* 9. SOLUS, scilicet a gentibus segregatus ob religionem. REPUTABITUR, id est connumerabitur, seu miscebitur.

*V.* 10. PULVEREM. Chald. *Parvulos domus Iacob, de quibus dictum est, quod multiplicabuntur sicut pulvis terræ*. ANIMA, id est vita; vel quasi dicat, Moriar ego.

*V.* 12. IUSSERIT. Hebr. Chald. & LXX. *Posuerit in ore meo*.

*V.* 13. LOCUM SUBLIMEM. Hebr. *agrum speculatorum*: LXX. *speculam agri*: Chal. *agrum speculæ*.

*V.* 15. EGO OBVIUS PERGAM, scilicet Deo. LXX. *Ego autem ibo interrogare Deum*.

*V.* 19. MUTETUR. Hebr. *Pœniteat*.

*V.* 21. IDOLUM, &c. Hebr. pro *idolo*, & *simulacro*, habent *iniquitatem*, & *laborem*, seu *prævaricationem*: LXX. *laborem*, & *dolorem*: Chald. *idolum*, & *falsitatem*. CLANGOR VICTORIAE. Chal. *maiestas*: LXX. *gloria*: alii, *triumphus*, vel *amicitia*.

*V.* 23. IACOB ET ISRAEL; pro, de Iacob & Israel.

*V.* 24. LEAENA: sic Chaldaice; at Hebr. *leo grandis natu*; LXX. *catulus leonis*.

## ESTII.

*Vers.* 1. DIxitque Balaam ad Balac: AEdifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, &c. Non hoc iussit Balaam ex præcepto divino: nondum enim consuluerat Dominum: nam aris exstructis, demum vadit ad consulendum, uti liquet ex verbis sequentibus. Sed præcipit hoc superstitiose, ut rex a diis suis per sacrificia impetrare videatur oraculum, sibi suoque regno faustum, maledictione in hostes conversa. Nec enim verisimile est regem aras, & sacrificia parasse vero Deo, quem non colebat, sed deo Beel-phegor, ad cuius sacrificia legimus infra cap. xxv. adductos fuisse filios Israel a filiabus Moab.

*V.* 7. DE ARAM ADDUXIT ME BALAC REX MOABITARUM, DE MONTIBUS ORIENTIS. Pro *Aram* Septuaginta vertunt *Mesopotamia*; ut & nos habemus Deut. XXIII. 4. his verbis: *Conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ*: ubi & Hebraice est, *De Pethor Aram duorum fluviorum*: nempe Mesopotamia duobus fluminibus est inclusa. Vide etiam Genes. VIII.

*V.* 20. AD BENEDICENDUM ADDUCTUS SUM, BENEDICTIONEM PROHIBERE NON VALEO. Si quæras, utrum populo Israelitico profuerit huius Prophetæ mali, ac malevoli benedictio: Respondeo, sine dubio profuisse. Deus enim per illum populo benedixit, ut habetur Iosue ult. ubi & effectus benedictionis subiungitur: *Et liberavi vos de manu eius, &c.* Ex quo ostenditur, benedictiones malorum sacerdotum, sive in sacramentis Ecclesiæ, sive quascumque alias vice Dei prolatas super fideles, haudquaquam inanes esse, Deo scilicet, etiam per malos, suæ divinæ benedictionis effectum exhibente.

*V.* 21. NON EST IDOLUM IN IACOB, NEC VIDETUR SIMULACRUM IN ISRAEL. Simile est illud Deuter. XXXII. 12. in Cantico Moysi: *Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus*. Sed quomodo his non sit contrarium quod dicitur Iosue XXIV. *Auferte Deos alienos*, itemque quod exprobat Iudæis Stephanus Actor. cap. VII. vide eorum locorum Annotationes.

## MARIANAE.

*Vers.* 2. VItulum et arietem super aram, id est super singulas aras: alioqui quorsum septem aræ, & totidem victimæ? Sic Hieronymus vers. 14. pro iisdem verbis Hebraicis dixit: *Impositis supra vitulo atque ariete*. Apertius etiam vers. 30.

*V.* 4. CUMQUE ABIISSET VELOCITER. Hebr. שפי *sephi*; Chald. *abiitque solus*; alii *excelsus*, hoc est confidenter, sive in locum excelsum: alii *confractus*, scilicet mente. Radix שפה *saphah* varias habet significationes: ea occasio variæ interpretationis.

*V.* 7. ASSUMPTAQUE PARABOLA SUA. Hebr. *Assumpsit parabolam*, scilicet hoc canticum: id hoc loco vocat *Parabolam*.

*lam.* De Aram adduxit me Balac. Sept. *de Mesopotamia*. Et *Aram* Syria est; sed cum multiplex sit Syria, videtur intelligere de ea quam alluit Euphrates, & *Aram naharim*, id est *fluviorum*, vocatur. Consentit Ioseph. Antiq. Lib. IV. cap. VI. ex Mesopotamia venisse Balaam, sed cap. XIII. vers. 8. inter Madianitas occiditur.

*V.* 10. Et nosse numerum stirpis Israel quis possit? Hebr. *Et numerare quartam partem Israel quis possit?* Hieronymus sententiam reddidit. Sed adverte in Hebræo esse *numerum* pro *numerare*, ut notat Hebræus: idque ex ratione grammaticæ colligi, quia scilicet sequitur particula את quæ non ponitur post nomen. Pagn. vertit: *Quis numerabit pulverem Iacob, & numerabit quartam partem Israel?*

*V.* 14. In locum sublimem, super verticem montis Phasga. Chald. *in agrum speculæ*, sive *speculatorum*, *in verticem collis*: ita *Phasga* non sumit ut nomen proprium, sed in significatione *collis*.

*V.* 18. Audi fili Sephor. Hebr. *Audi verba mea*, vel *ad me*, *fili Sephor*, scilicet Balac: עדי *hadai* enim non uno modo Hebræi interpretantur.

*V.* 20. Ad benedicendum adductus sum. Hebr. *Ecce benedicere accepi* (scilicet Deus id iussit) *& benedixi, & non mutabo illud*.

*V.* 21. Non est idolum in Iacob. Pro *idolo* & *simulacro*, in Hebræo *iniquitas* & *labor*; sed utraque vox pro *idolo* sumitur aliis etiam locis. Clangor victoriae regis. Vox *victoriæ* Heb. non est. Et quidem pro *therubah*, id est *clangore*, vertunt *habitatio Regis in ea*; id est, in ea gente Reges erunt.

*V.* 23. Temporibus suis. Hebr. *secundum tempus*; quasi dicat: Non est quod Israel de futuro eventu divinet: Deus illi suo tempore indicabit omnia.

*V.* 24. Ut leaena consurget. Duæ voces sunt hic in Hebræo, *lavi* & & *ari*: pro priori Hieronymus vertit *leænam*. Hebræi volunt priori significari *leonem maiorem*, posteriori *catulum leonis*.

*V.* 28. Qui respicit solitudinem. *Qui respicit ad Iesimon*: sic Chaldæus accepit; sed *iesimon*, *solitudinem* etiam significat. Et adverte, in Hebr. pro *respicit*, legi passive *respicitur*, quia locus excelsus a cunctis videtur: fortassis melius verteretur, *Qui Phogor imminet solitudini*; sed sententia non variat.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. Super aram. Hebr. *in ara*, seu *altari*, id est in unoquoque altari: nimirum per singulas aras immolaverunt singulos iuvencos, & singulos arietes. Sic vers. 4. & 14. & 30.

*V.* 3. Donec vadam, scilicet capturus, seu ad captandum incantationes, ut cap. XXIV. vers. 1. explicatur.

*V.* 4. Velociter. שפי *scepi* varie interpretantur. I. *fractus*, id est fracto animo, hoc est anceps, attonitus, extra se positus, & desperans de successu. II. *celsus*, id est elato in cælum vultu, quasi sperans inde oraculum. III. *solus*, *solitarius*. IV. *lenter*, *leviter incedens*, quasi aliquid perquisiturus, & magice susurrans. V. *in altitudinem*, *in altum*, *in excelsum*, *in eminentiam*, *in excelsum locum*, *in clivum*. VI. *in præcipitantia*, seu *præcipitanter*. VII. *in præcipitium*, id est in locum eminentiorem, & sublimiorem, ideoque aptiorem contemplationi. VIII. *mærens*, *tristis*, *contritus*. IX. *sublatus*, *elatus*.

*V.* 7. Parabola sua. משל *mascbal* aiunt esse *gnomen*, *sententiam*, *dictum*, *dicterium*, *adagium*, *proverbium*, *apophthegma*, *axioma*, *dignitatem*, *metaphoram*, *simile*, *comparationem*, *figuratam orationem*, *scite dictum*, *aliquam egregiam & præpollentem sententiam* seu *doctrinam continens*, quæ in sermone dominatur, & præcellit, & veluti sol in cælo, sic illa in oratione dominatur, & potestatem suam habet, eamque illustrat, sententiam scite graviterque dictam, & paucis concinnatam, quocumque nomine appellaveris: licebit enim vertere utcumque res postulaverit, de qua dicitur. Atqui ex Scripturæ locis, ubi hæc vox ponitur, perspicuum fieri, eam non proprie significare comparationem, seu similitudinem, sed sententiam sive parabolam, seu figuram sermonis, quæ dominium, potestatem, & auctoritatem obtinet, & vulgus ceu attonitum & captivum detinet, ut quæ energiam, emphasim, vel metaphoram admixtam habet, & eget interpretatione. Hincque intelligi, vocem *Parabolæ* hinc inde passim in Evange-

gelio, quod non semper de comparationibus, seu similitudinibus sit intelligenda, sed de figurato sermonis genere, a rebus sæpe publicis, & publice notis ac vulgatis transsumpto, quod expositione opus habet, & homines vulgares latet: ut de parabolis quas Christus proposuit Matth. XIII. Marci IV. Ioan. X. & XVI. & Matthæi V. VI. & VII. de quibus, ut Matthæus testatur, turbæ obstupuerunt, dixeruntque quod docuerit velut habens auctoritatem, non sicut scribæ, &c. Vide supra cap. XXI. vers. 27. Solebant Orientales eiusmodi figuratis locutionibus sermones suos condire. Hic quidam, *Sermonem sententiosum*, *ænigmaticum*, *& propheticum* interpretantur, atque carmine hoc propheticum Balaami proverbium conceptum fuisse autumant. DE ARAM, id est de Syria, seu Mesopotamia Syriæ parte, Deuteronomii XXIII. vers. 4. Vide Genes. X. vers. 22. Quidam Balaamum non Syrum aut Mesopotamiensem, sed Madianitam fuisse, quibusdam coniecturis augurati sunt; ea præsertim, quod digressus a Balak in locum suum, cap. XXIV. vers. 25. inter Madianitas interfectus fuerit, infra cap. XXXI. vers. 8. Nec eos movet, quod hic Balaamus se Aramæum ipse vocet, atque a montibus Orientis accitum; nam, ut solet hoc hominum genus, quo imperitæ multitudini imponat facilius, iactare se magnificentissime, credi potest, eum se Chaldæum prædicasse, quia huius gentis divinatio semper apud omnes fuit celeberrima: aut voci Aram subiici loca omnia usque ad Mare rubrum. Frequentior opinio est, Balaamum fuisse Syrum Mesopotamiensem, quæ firmatur hoc loco & Deuter. XXIII. 4. Nos secuti vulgatum Interpretem, Ammonitam potius existimavimus, supra cap. XXII. vers. 5. ADDUXIT ME. Hebr. *Sensim*, *placide*, *& cum pompa deducet me*: utitur futuro ad insinuandum, ut quidam notant, iteratam & perseverantem Balaki vocationem, qua Balaamum exciverat, nam & geminaverat nuntios, & eum cum pompa & concitatu procerum deduxerat. DE MONTIBUS ORIENTIS. Nonnulli hic capiunt montana Chaldææ, quæ Euphratem excipiunt, & ab Arabia deserta Chaldæam dirimunt: hos enim hic dici *montes Orientis*, ut Genes. X. vers. 30. Alii *montes Orientis* intelligunt *filios Orientis*, qui Madianitis & Amalekitis, ut vicini & contermini annumerantur, Iudicum VI. vers. 33. de quibus vide Genes. XXV. 6. satis enim constat ex variis Scripturæ locis, posteros Abrahæ, Hagarenos, Ismaelitas, & Madianitas, &c. dictos *filios Orientis*. Aliqui: *De montibus anterioritatis*, seu *antiquitatis*, aut *prioritatis*, id est primis & vetustissimis. Non quod illi montes antiquiores aliis essent, sed quia eorum habitatio antiquior erat: fortasse illorum montium iugum erat, in quo primum habitavit Noe. Nec dubium esse volunt, Balaamum his verbis antiquitatem loci, & generis sui commendasse. ET DETESTARE ISRAEL. Verbum זעם *zagham* in Kal, Noster reddere solet per *detestari*, *irasci*, *indignari*: alii, *spernere*, *contemnere*, *aversari cum indignatione & furore* exponunt: nonnulli, *minis*, *& diris*, *includere*. Quidam notant, proprie significare *turbationem*, *commotionem*, *æstum*, *& furorem*: unde reddunt *furenter tractare*.

*V.* 9. DE SUMMIS SILICIBUS VIDEBO EUM. Quidam hic futura in præterita convertunt: *Vidi eum*, *consideravi eum*, supra cap. XXII. vers. 41. CONSIDERABO ILLUM. Verbum שור *schur* quando refertur ad oculos, aiunt significare *extendere*, *intendere*, scilicet *aciem oculorum*, *dirigere aciem*, *procurrere ad observandum rem aliquam*, *aspicere*, *prospicere*, *observare*; recta intueri, recta contemplari, speculari cum observatione diligenti, & cum inquisitione quadam. SOLUS HABITABIT. לבדד *lebadad* proprie *solitudini*, *ad*, *in solitudinem*, *solitarie*, *seorsum*, id est tuto; ut qui securus est, & non timet solitudinem, nec multos necesse habet accersere quo in tuto sit: unde quidam vertunt *confidenter*, *secure*: sic Michææ VII. vers. 14. & Psalm. IV. vers. 10. Alii *solus*, *solitarius*, *singularis*, *seorsum*: nempe religione, legibus, moribus, institutis vitæ ab omnibus aliis populis separatus Deo. NON REPUTABITUR. Hebr. diverse exprimunt: *Non supputabitur*, *non æstimabitur*, *non recensebitur*, *non excogitabitur*, *non reputabitur sese*; id est, non mutabit religionem; vel fide, ritibus, legibus, & institutis, aliis gentibus non miscebitur, aut communicabit. Quidam reddunt: *Et aliis gentibus seipsum non annumerat*.

*V.* 10. ET NOSSE NUMERUM STIRPIS ISRAEL? Hebr. *Et numerum, quartarium, quartam partem, quartum Israelis*. Quidam reddunt: *Et numerum quartarii Israelis*, id est quartæ partis Israelis. Alii: *& quis numerum? quis quartam partem Israelis?* Nonnulli exponunt: Quis unam ex quatuor legionibus quas video, numerare possit? Erat enim exercitus Israel in quatuor plagas distributus circum tabernaculum. MORTE IUSTORUM. Hebr. *morte rectorum*. ישר iaschar notant esse *rectum, æquum, planum*, qui neque ad dexteram declinat, neque ad sinistram; qui integri ac sinceri cum iudicii tum affectus est, & esse perseverat, quamcumque in partem oblata causa vel occasione; qui non flectitur aut corrumpitur ullis muneribus, sed citra personæ aut proprii commodi respectum recta via incedit, & recte iudicat; cuius cor non curvatur aut flectitur a recto, quique nullius aut timore aut favore aliquid facit contra æquum & rectum: nec favore, nec premiis, aut metu, seu minis pœnarum flectitur; denique qui cum bene operatur, non suum inde honorem & commodum, ut hypocritæ, sed Dei gloriam, & proximi utilitatem quærit. Sensum huius loci esse aiunt: Moriar ego ut isti morituri sunt, & finis meus sit sicut istius populi; quasi dicat ita mihi eveniat vitæ exitus, sicut & illis. Utinam post vitæ huius exitum felicitatem consequar his rectis repositam. Hispanice, *Mi alma con la suya*.

*V.* 11. ET TU E CONTRARIO BENEDICIS EIS. Heb. *Et ecce benedixisti benedicendo*. Quidam: *Ecce autem indesinenter benedicis*. Alii: *Tu vero strenue fausta imprecaris*.

*V.* 12. NUM ALIUD POSSUM LOQUI, NISI QUOD IUSSERIT DOMINUS? Hebr. varie reddunt. I. *An non quidquid posuerit Iehova in os meum, ipsum conservabo ad loquendum?* II. *Nonne quod posuerit Iehova in ore meo, id studebo dicere?* III. *Nonne quod posuerit Dominus in ore meo, illud custodiam ad loquendum*, sive *ut loquar?* IV. *Nonne quod ponet Dominus in ore meo, id studiose conabor dicere?* quasi dicat, id solum possum dicere. V. *An non observare debeo, ut loquar istud quod Dominus ori meo indidit?* VI. *An non quod indidit Iehova ori meo, ipsum cum observantia eloquerer?*

*V.* 13. IN ALTERUM LOCUM UNDE PARTEM ISRAEL VIDEAS, ET TOTUM VIDERE NON POSSIS. Translatio nostra Hebraica verbatim expressit. Alii: *Ad locum alium, quo videas eum inde: sed extremum eius videas, & totum ipsum non videas*. Nonnulli: *Ad alium quempiam locum, unde populum istum videre possis, vel partem dumtaxat, totum vero non videas*. Quidam vero contrario sensu futura mutant in præterita, vel præsentia, & sic locum interpretantur: *Veni, obsecro, mecum ad locum alium, unde videas illum*, subaudi totum, vel universum: *nam tantummodo extremum eius vidisti, & totum ipsum non vidisti*; quasi dicat, unde videas illum totum: nam antea vidisti tantum extremitatem eius, & totum illum non vidisti: supra cap. XXII. vers. 41. Aliter: *Veni, quæso, mecum ad locum alterum, ex quo videas eum, tantum extremitatem eius vides: eum vero totum non vides*. Absque hac interpretatione putant locum esse obscurissimum: & alioqui pugnare cum vers. 41. cap. XXII. ubi dicitur: *Et intuitus est extremam partem*. Sed facilis est conciliatio, mutato hic loco, aliam populi extremitatem visurum, ab illa quam supra viderat: nam in quadratis castris quatuor agmina, & quatuor agminum seu legionum extremitates erant.

*V.* 14. IN LOCUM SUBLIMEM. Hebr. שדה צופים *sedeh tzophim*. Quidam nomen proprium loci esse volunt in vertice montis Phasga; alii *agrum, campum, terram, regionem speculatorum* interpretantur, quod ibi ut in loco sublimi ac præcelso positi essent speculatores: sicut in Hispanica Dianium promontorium dictum est, Straboni Lib. III. *Hemeroscopion*, id est diurna specula. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis pro loci nomine proprio capiunt, atque ita scribunt: *Agri specula mons est Moabitarum, in quem adduxit Balach filius Sephor, Balaam divinum ad maledicendum Israel super verticem, qui propter vehemens præruptum vocatur excisus: & imminet Mari mortuo, haud procul ab Amone*.

*V.* 18. STA BALAC. Hebr. *Surge Balak*. Quidam exponunt, honorem verbo Dei exhibiturus: surgentes enim & stantes honorem verbo Dei exhibebant. Vide quæ de eo ritu observavimus Gen. XLIX. vers. 33.

*V.* 21.

*V.* 21. NON EST IDOLUM IN IACOB, NEC VIDETUR SIMULACRUM IN ISRAEL. Pro *idolo* & *simulacro* ponuntur duæ voces Hebraicæ, און *aven*, & עמל *ghamal*. De *aven* disseruimus Genes. xlix. vers. 3. est proprie *concupiscentia*, *cupiditas*, *iniquitas*, *dolor*, *ærumna*, *afflictio*, *vis*, *iniuria*, *iniustitia*, quæ ex fomite peccati nascitur. *Ghamal* est *labor molestus* propter peccatum originis, & maledictionem divinam: & utrumque passim usurpatur in Scriptura active & passive pro dolore & labore quo quis afficitur, seu alios afficit. Quando hæc duo nomina coniunguntur, ut hic, *Non aspexit concupiscentiam*, *dolorem*, *in Iacob*, *neque vidit laborem in Israel*, notant peculiarem esse phrasim, quam ex hoc loco deinde omnes Prophetæ sumentes ad impietatem, id est impiam doctrinam & religionem, & cultus idololatricos, propria cupiditate ac devotione, instinctu diaboli contra Dei voluntatem, & verbum Dei institutos transtulerunt; sicut Moses equidem fons est & origo omnium prophetarum. Ergo idola & falsos deorum cultus vocat hic *dolorem*, & *laborem*, eo quod qui idolis serviunt, multos habeant labores, multasque molestias, dolores, ærumnas; quodque misere tandem fallant, decipiant, & in summas afflictiones cultores suos coniiciant. Alii hic *aven* exponunt *iniquitatem*, *pravitatem*, *scelus*, *peccatum*: & Matthæi VII. vers. 23. dicitur ἀνομία, & Lucæ XIII. vers. 27. ἀδικία: *ghamal* vero interpretantur *prævaricationem*, *transgressionem*, *perversitatem*, *improbitatem*, *miseriam*; ut sit fere idem cum *aven*, cum quo sæpissime iungitur: velitque Balaamus hic dicere, Deum gratis condonare iniquitates, pravitates, scelera, transgressiones Israelis, eiusque peccata dimittere. Hispanicus Interpres pro *ghamal* hic *rebellionem* vertit. Aliqui *opus*, seu *opificium*, id est idololatricum, seu simulacrum: quod Noster secutus est. ET CLANGOR VICTORIAE REGIS IN ILLO. De voce תרועת *terughat* diximus Exodi XXXII. 17. Levitici XXIII. 34. Numer. x. 5. Hic varie exponunt. I. *Et iubilatio regis in illo*, id est iubilatio similis clangori regis victoris; quasi dicat: Experietur hic populus divinum præsidium in bellis, & vincet inimicos suos. II. *Et iubilus regis in eo*; id est, præclara, principalis, & regia exultatio; magnifica lætitia est in eo. III. *Et triumphus regis est cum eo*: ut complectatur nomine triumphi omnem apparatum regium. IV. *Et clangor regius est in eo*; id est, illis favet sua præsentia sanctificans eos, & verbo suo, quod in eis veluti buccina personat, regit eos. V. *Et amicitia*, *societas regis*, Dei, est *in eo*: est Deo carissimus, amicissimus, coniunctissimus: deducunt a רעה *ragbab*. VI. *Et pastura regis in eo*; id est mire eum Deus pascit, alit, fovet, regit, ornat. VII. Quidam: *& habitatio*, *sedes regis in illo*: habitat, sedemque suam in eo Deus constituit. Sed est interpretatio aliena, & longe petita. VIII. *& fragor*, *taratantara regis in eo*: ut alludat ad clangorem & sonitum tubarum, quo in festis & in bellis Hebræi personabant, de quibus late supra cap. x. IX. *Et vociferatio*, *ululatus regis in eo*, id est lætus & hilaris populi clamor, quo illi animi sui lætitiam sublata voce tumultuaria testantur; quasi dicat: Regius, splendidus, ac magnificus ululatus est in eo populo; fausta & hilaris acclamatio. Hic *Regis* nomen magnificentiam denotat.

*V.* 22. CUIUS FORTITUDO. Heb. plurale femineum תועפות *toghaphot*, exponunt *fortitudines*, *robora*, *vires*, *elevationes*, *erectiones*, *altitudines*; contraria significatione verbi יעף *iaghaph*, quod est *lassari*, *defatigari*; vel quod fortia & alta lassent, & defatigent. Quidam reddunt, *indefatigationes*. RHINOCEROTIS. ראם *reem*, aiunt esse animal ferum, sævum, ac prævalidum; sic dictum quod cornu in altum elevet & attollat. Noster hanc vocem interdum *monocerotem*, id est *unicornem*; interdum *rhinocerotem*, id est *naricornem*, reddere solet. Quidam putant, forsan Hebræam vocem tam unicornem quam rhinocerotem complecti, etsi diversas species, ut vel ipsa nomina satis ostendunt. Tertullianus adversus Iudæos cap. x. S. Gregorius Lib. XXXI. in Iob cap. x. S. Isidorus Lib. XII. Originum, cap. II. & alii existimare videntur, rhinocerotem & minocerotem unum & idem animans esse: sed esse diversa, tam notum est, pervagatum, ut pigeat in eo ostendendo diutius immorari. Rhinoceros est qui cornu in nare habet, & alterum minus supra frontem: Monoceros qui unicum tantum

cornu in fronte gerit, ut & nomina ipsa utriusque animantis clare demonstrant. Rhinoceros sæpe visus in Hispaniis ex orientali India advectus, vulgo *Bada*. Et quia non est huius loci formam, naturam, & ingenium utriusque bestiæ latius describere, lectores ad auctores amandasse satis fuerit. De Rhinocerote agunt Agatarchides Gnidius Lib. V. de Mari rubro, cap. XXXVI. Diodorus Siculus Lib. III. numero 117. Strabo Lib. XVI. pagin. 774. Plinius Lib, VIII. cap. XX. AElianus Lib. XVIII. cap. XLIV. Solinus cap. XXXIII. Martialis in Spectaculis, epigrammate IX. Pausanias in Bœoticis numer. 297. Oppianius Lib. II. de Venatione, Dionys. Cassius Lib. LI. & innumeri recentiores. De Monocerote vero, seu unicorni, Plinius Lib. VIII. cap. XXI. Solinus cap. LV. Ælianus Lib. XVI. cap. XX. Philostratus Lib. III. de Vita Apollonii, cap. I. ex recentioribus Marcus Paulus Lib. III. regionum orientalium, cap. XV. Ludovicus Vartomannus Lib. I. suarum Navigationum, cap. XIX. Iulius Scaliger exercitatione 205. adversus Cardanum, & in Commentariis ad Lib. II. cap. XVIII. Aristotelis de Historia animalium, pag. 258. Paulus Iovius Lib. XVIII. Historiarum, Ioannes Grialus in Notis ad Lib. XII. cap. II. Originum S. Isidori. Monocerotem esse asinum Indicum, plerique suspicati sunt: de qua re vide Scaligerum, & Grialum; de asino vero Indico, Ctesias in Indicis Excerptis, apud Photium, Aristoteles Lib. II. Historiæ Animalium, cap. II. alias VII. Plinius Lib. XI. c. XXXVII. & XLVI. Ælianus Lib. IV. cap. LII. Philostratus Lib. III. de Vita Apollonii, cap. I. Hoc loco *reem*, *monocerotem*, seu *unicornem*, potiusquam *rhinocerotem* interpretantur LXX. Hebræorum plerique, Reuclinus, Sanctes, Forsterus, Vatablus, Munsterus, Pomarius, Marinus, Oleastrius, Mercerus, Tremellius, & Iunius, Avenarius, Buxtorfius, Schindlerus, Hispanica Translatio. *Rhinocerotem* cum Nostro retinent Caietanus, Leo Iudas, Ferrerius. Unicornem esse animal ferum, sævum, ac prævalidum, Plinius, Solinus, Ælianus, & alii testantur. Quidam hic exponunt: *Et sicut vires unicornis ei*; id est, tantis pollet viribus; quantis unicornis. Alii, quasi dicat: Qui eos a se virtute invitis AEgyptiis vindicavit, idem robore munit eos contra inimicos, ut est cornu munitus monoceros: nec plus adversus eum incantationes, fascini, & reliquæ artes diabolicæ, quam venena contra monocerotem. Nonnulli: *Et sicut elevationes, erectiones, altitudines unicornis ei*; id est, habet excelsum & fortissimum cornu, nempe potentiam & dignitatem, ut monoceros. Quidam: *Et sicut fortitudines, indefatigationes, celsitatis, elevationis*; id est, fortitudines magnæ, excelsæ, sublimes.

*V.* 23. NON EST AUGURIUM IN IACOB, NEC DIVINATIO IN ISRAEL. Quidam reddunt: *Nam non est incantatio contra Iacobum, neque divinatio contra Israelem*: confirmatio a re præsente, eo quod suis fascinis & incantationibus nihil illis nocere possit; ac si dicat: Fascinis & incantationibus non potest noceri ipsi Israeli: nihil contra eum valent magicæ artes. Alii exponunt: Israelitæ non sunt dediti auguriis, incantationibus, aut divinationibus: tuncque bifariam locum interpretantur. I. Digni sunt Israelitæ benedictione, & quibus faveat Deus, eo quod non habent inter se augures & divinatores. II. Israelitæ non indigent magis & ariolis: quidquid enim illis scire necessarium est, hoc illis a Deo divinitus revelatur per sacerdotes, prophetas, & Urim ac Thummim. Quidam hic per *divinationem* intelligunt omnem imaginationem idololatricam, & doctrinam contra verbum Dei. TEMPORIBUS SUIS DICETUR IACOB ET ISRAELI QUID OPERATUS SIT DEUS. Hebr. *Sicut tempore* vel *secundum tempus, dicetur ipsi Iahakob, & ipsi Israel, quid operatus fuit Deus*. Quidam: *Sicut hoc tempore dicetur de Iahakob, & de Israel &c.* vel *iuxta hoc tempus dicetur, &c.* id est, simili tempore, sive post hac narrabitur quanta fecit Dominus pro Israele. Vel sicut hoc tempore dicitur de Israele quanta illi Deus fecerit, ita & imposterum erit tempus, quo dicetur de magnificis operibus quæ Deus faciet populo suo; quasi dicat: Non hæc tantum, sed adhuc multo plura faciet Deus Israeli. Alii: *Cum fuerit opportunum, dicetur ipsi Iacob & Israeli quid Deus operetur*. Nonnulli: *Iam hoc tempore dicendum est de Iahakobo & de Israele quid operetur Deus fortis*; id est, his omnibus fascinis omissis, opus Dei erga

ga Israelem mihi est prædicandum, *quid operatus sit Deus*. Hispanica translatio, *Quem fecit Deus*: quasi Israel sit opus Dei. Aliene: nam מה *mah*, proprie est *quid*; id est, quanta operatus sit Deus in gratiam Israelis.

*V.* 24 UT LEAENA CONSURGET. Hebr. *Sicut leo immanis surget*; id est, insurget contra hostes, & prævalebit ut leo. NON ACCUBABIT DONEC, &c. id est, non quiescet donec detraxerit hosti spolia, & hostes deleverit, atque fruatur omnibus eorum opibus; quasi dicat: Non desinet prosperari, & inimicos suos pessum dare.

*V.* 27. SI FORTE PLACEAT DEO. Quidam reddunt: *Fortasse rectum videbitur in oculis Dei illius*. Sic exponendum videri notant, ut profani regis impietas sit evidentior, qui se alienum a vero Deo Israelitarum profitetur.

*V.* 28. MONTIS PHOGOR. Hebr. non est *montis*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Phogor, & Bethphogor mons Moabitarum, ad quem Balak rex adduxit Balaam hariolum in supercilio Lybiadis*. Lybias, seu Livias urbs Iudææ ultra Iordanem, non longe a Callirhoe, Iosepho Lib. XIV. Antiquitatum cap. II. Plinio, Lib. XIII. cap. IV. Ptolemæo Lib. V. cap. XVI. Phogor, seu Bethphogor fortasse sic dictus quod in eo esset templum, seu ædes, aut cultus Pheghor, id est Priapi, de quo dicemus infra cap. XXV. vers. 3. Vide Deuteronomii III. vers. 29. In hunc locum videtur Balak adduxisse Balaamum, ut ibi sacrificia offerret Baali, sive idolo Phegoris, prout idolum istud nominatur cap. XXV. vers. 3. 5.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. AEDIFICA MIHI SEPTEM ARAS, ut Baal sacrificem.

*V.* 3. OCCURRAT MIHI DOMINUS, scilicet Baal, aut dæmon, per quem instructo sacrificio divinationem quærebat.

*V.* 4. OCCURRIT ILLI DEUS, Angelus bonus Deum referens, & forma visibili apparens.

*V.* 5. POSUIT VERBUM IN ORE EIUS: suggessit, & docuit quid esset dicturus.

*V.* 7. ASSUMPTAQUE PARABOLA SUA, DIXIT: orsus prophetare dixit, &c. Prophetiam gravem, pulchram, & acutam vocat *parabolam*: hoc enim significat vox Hebraica משל *mascal*. DE ARAM, de Mesopotamia.

*V.* 8. QUOMODO MALEDICAM? &c. Non tantum lingua, sed etiam mens Balaam ad tempus immutata a Deo.

*V.* 9. DE SUMMIS SILICIBUS VIDEBO EUM: ex edito hoc monte speculabor castra Israel. POPULUS SOLUS HABITABIT; quasi dicat: Israel remotus erit & ditione, & consortio ab omnibus aliis populis. INTER GENTES NON REPUTABITUR: inter gentiles non annumerabitur, nec inter illos censebitur.

*V.* 10. PULVEREM IACOB, filios Israel, de quibus dictum est Genes. XIII. 16. quod *multiplicabuntur sicut pulvis terræ*. NUMERUM STIRPIS ISRAEL. Hebr. *Numerum quartæ partis Israel*. MORIATUR ANIMA MEA: moriar ego. MORTE IUSTORUM, &c. Familiare est impiis vitæ exitum iustis parem sibi optare, quorum tamen mores non sequuntur.

*V.* 13. TOTUM VIDERE NON POSSIS, &c. Superstitiose Balac putat Balaam Israeli benedixisse, quod totum ambitum castrorum habuisset in conspectu. Similis stultitia Syrorum, qui victi ab Israel, eam cladis causam esse putabant, quod Israelitarum Deus montium Deus esset, ac propterea in explicata planitie confligere student, III. Reg. XX. 23.

*V.* 19. DIXIT ERGO, ET NON FACIET? quasi dicat: Deus iussit ut non maledicerem Israeli, neque hactenus prohibuit: omnino ergo faciet quod dixit, porro prohibebit ne maledicam.

*V.* 20. AD BENEDICENDUM ADDUCTUS SUM. Recte dicit *adductus*: ipse enim alio consilio venerat; sed pravam eius mentem Deus convertit in bonum. PROHIBERE NON VALEO. Adeo mens illustrabatur, & voluntas incitabatur ad laudem, & benedictionem Israelis, ut vix posset non benedicere.

*V.* 21. NON EST IDOLUM IN IACOB, NEC VIDETUR SIMULACRUM IN ISRAEL, &c. Chaldæus: *Intueor quoniam non sunt servientes idolis in domo Iacob, neque operantes falsitatem*, falsos Deos, & fal-

& falsorum Deorum simulacra, *in Israel: verbum Domini Dei sui est in adiutorium eorum, & maiestas regis sui est inter eos*. ET CLANGOR VICTORIAE REGIS IN ILLO. Alludit ad duas tubas argenteas iussu Domini factas, quibus personantibus Deus iusserat Hebræos bellum inire, seque tunc iis adfore, & victoriam daturum promiserat cap. x. 9.

*V.* 22. CUIUS FORTITUDO SIMILIS EST RHINOCEROTIS. Est commendatio divinæ fortitudinis expressa similitudine rhinocerotis, sive monocerotis, cuius animalis fortitudinem videtur Scriptura ubique prædicare.

*V.* 23. NON EST AUGURIUM IN IACOB, NEC DIVINATIO IN ISRAEL. Sub his omnem incantationem, & maleficium intelligit, velut genus sub specie vulgatissima. TEMPORIBUS SUIS, sequentibus sæculis. DICETUR IACOB ET ISRAELI, id est posteris Israelitarum.

*V.* 24. UT LEAENA, quæ cum catulos lactat, & fovet, præ leone ferocit, & sævit. NON ACCUBABIT DONEC DEVORET PRAEDAM; quasi dicat: Non quiescet Israel donec Chananæos hostes suos proterat.

*V.* 27. DUCAM TE AD ALIUM LOCUM. Vide dicta num. 13.

## TIRINI.

*Vers.* 1. SEPTEM ARAS. Qui cap. præcedenti censebant Balaam verum magum fuisse, iidem dicunt, eum septem has aras dæmonibus septem planetarum præsidibus, augurum patronis construxisse. Sed malim cum aliis, qui prophetam, licet impium, fuisse dicunt, consequenter dicere, has aras, & hæc sacrificia in veri Dei honorem ab eo apparata fuisse, & his viis illum sibi demereri studuisse.

*V.* 7. DE ARAM, id est ex Syria, & nominatim ex *Mesopotamia*, ut habent LXX. & insinuatur in eo quod sequitur: DE MONTIBUS ORIENTIS: nam Mesopotamia est orientalis Moabitidi & Palæstinæ.

*V.* 9. & 10. POPULUS Israeliticus SOLUS HABITABIT; id est, religione & cultu veri Dei segregabitur ab aliis omnibus populis idololatris. Hinc MORIATUR ANIMA TUA; id est, utinam vita mea finiatur sine simili iustis, hoc est Iudæis, qui meliorem vitam post hanc sibi repositam habent. Nimirum solent mali iustorum mortem sibi exoptare, vitam non sectari.

*V.* 20. AD BENEDICENDUM ADDUCTUS SUM, a Deo scilicet, vel Angelo. Neque enim alio fine permissus sum huc ad te excurrere, licet & tu, o Rex, & ego aliud intenderimus. Quare & PROHIBERE NON VALEO BENEDICTIONEM, quam mihi Deus imperat. Licet enim non eriperetur impio prophetæ libertas physica; tamen intellectus eius tam claro lumine collustrabatur, & voluntas tam efficaciter impellebatur, ut moraliter impossibile sibi putaret aliter facere. Sed hæc collustratio, & impulsus non diu durabat: unde & subtractis illis, ad priorem cordis duritiem impietatemque redibat; uti & Sauli, & pluribus aliis contigit.

*V.* 22. CUIUS FORTITUDO SIMILIS EST RHINOCEROTIS, hoc est maxima. Porro quanta sit rhinocerotis fortitudo, colligere licet ex Iob XXXIX. ex Martiali, Plinio, Solino, Diodoro Siculo, Pausania, AEliano, Pierio, Radero *a* qui addit, toto corpore squamis durissimis esse loricatum, eiusque pellem tanta esse spissitudine ut ægre iaculo penetrari queat. Est autem ei innata discordia, & pugna perpetua cum elephanto: cum quo pugnaturus, cornu suum (quod unicum in nare habet, unde & nomen sumpsit) ad saxa limat & exacuit; quo deinde molliorem elephanti partem, puta alvum, infestat: habet & alterum, sed longe brevius, cornu, paulo supra nares, ut ex iam dictis Auctoribus patet. Et licet iidem auctores distinguant *rhinocerota a monocerote seu unicorni*, quod ille in nare, iste in fronte cornu habeat; tamen usu Scripturæ videntur hæc nomina confundi: nam pro eodem nomine Hebræo ראם *reem* nunc vertit tam Noster *b* quam Septuaginta *c*, *rhinocerota*, nunc *monocerota d* seu *unicornem*. Neque hoc mirum, cum monoceros genus sit respectu rhinocerotis. Porro de uno genere seu specie monocerotis narrat Plinius *e*, animal esse corpore equino, capite cervino, prenicitate incredibili, feritate tanta, ut nulla venantium vi, aut arte vivum capi possit, nisi adhibita puella virgine sinum pandente, in quem quasi iam victum ac mansue-

tum

tum caput immittit, & mox ſoporatur, & quaſi inerme capitur. Sic Deus vere unicornis, id eſt ſingularis potentiæ & comprehendi neſcius, Hebrææ virginis tractus odore uteri, ſeſe illi incluſit, & ex eo comprehendi potuit, & occidi: inquit Rupertus, Gregorius, Tertullianus, Iuſtinus, Iſidorus, & Pierius *f*.

*V.* 23. TEMPORIBUS SUIS DICETUR IACOB, id eſt Iſraelitis, QUID OPERATUS SIT DEUS; pro, quid operari decreverit. Laudat hic Iſraelem, non ſolum quod nulla colat idola, ſed inſuper quod nulla quoque captet auguria vel divinationes, quibus mire dediti erant Gentiles; ſed, cum res exigeret, & negotii magnitudo poſtularet, a Prophetis, & Pontificibus reſponſa peteret, acciperetque certiſſima de rebus quas Deus facturus eſſet.

(*a*) Martial. Lib. Spectacul. & in Apophoretis. Plin. Lib. VIII. cap. xx. Solin. cap. xliii. Diod. Lib. IV. Pauſan. Lib. IX. Aelian. Lib. XVII. cap. xl. Pier. Lib. II. Hieroglyphicorum. Radero in Martial.

(*b*) Hic, & c. ſeq. verſ. 8. Deuter. xxxiii. verſ. 17. Pſalm. xxviii. verſ. 6. Iob lix.

(*c*) Iiſdem omnibus locis.

(*d*) Pſalm. xxi. verſ. 22. Pſalm. lxxii. verſ. 69. Pſalm. xci. verſ. 11. Iſaiæ xxxiv, verſ. 7.

(*e*) Plin. ſupra cap. xxi. Gregor. XXXIII. Moral. cap. xiii.

(*f*) Tertullian. cont. Iudæos cap. x. Iuſt. cont. Tryphonem. Pierius in Hieroglyph. rhinocerotis.

## GORDONI.

*Verſ.* 1. VITULUM, ſane, ut apparet, ſuper ſingulas aras: alioqui fruſtra ſeptem aræ.

*V.* 2. Quo ſpiritu agatur Balaam, dixi cap. XXII. verſ. 5. Nunc aras erigit Baal. Et quis ergo ille qui verſu 3. vocatur Dominus? Sane ariolus iſte dominum intelligit Baal, ſeu dæmonem. Apud Septuaginta eſt ὁ Θεός. Eſt quidem in Hebræo יהוה *Iehova*. Balaam itaque ad denotandum Deum ſuum, ſeu Baal, putatur uſus nomine aliquo Moabitico, pro quo Moſes Hebraico more ſubſtituit Iehova. De hoc Balaam vide Auguſtinum ſerm. CIII. de tempore. Poſtea Deus illi mentem mutat. Exiſtimat Eugubinus, hunc Balaam fuiſſe prophetam veri Dei, perinde ac Sibyllas, & Triſmegiſtum apud AEgyptios: qui licet pleraque vera dixerint, fuere tamen idololatræ. Sane hic verſ. 4. occurrit illi Deus, ſeu Angelus a Deo miſſus: & ex verſ. 5. conſtat Deum verum immutaſſe mentem Balaam.

*V.* 7. & 8. Hebr. משל *maſſal*, *parabolam* habent Septuag. & Vulgatus: quid ſit, dicam cap. XXXIV. ARAM hic eſt *Meſopotamia*, ex Septuag. Aliqui Syriæ partem intelligunt I. Dominum nominat verſ. 8. immo & Deum hic forte agnoſcit, & ſe a vero Deo doceri quid agere debeat.

*V.* 9. Laudat Iſraelitarum poſſeſſionem, dum dicit eam ſpectabilem fore e montibus, & videntibus deſiderabilem. Alia ſubiungit ad laudem ſpectantia, & quidem eximiam (verſ. 10.) de morte iuſtorum Iſraelitarum, quam felicem eſſe prædicat, & optabilem. Optat quidem Balaam hanc mortem, ſed vitam præeuntem non amplectitur.

*V.* 14. PHASGA. Hebr. *Locus ſpeculatorum*: non abſunt Septuag. Non ergo eſt proprium nomen.

*V.* 19. Vere non mutatur Deus, nec mutat ſententiam in his quæ abſoluta voluntate decernit; ea vero quæ decernit dependenter a creaturis, habent ſuam mutationem in ipſa creaturarum mutatione, non autem in Deo. Sic etiam comminationes non deſignant abſolutum decretum; ſed vim habent, ſi res in eodem ſtatu permaneant. Eſt etiam in Deo veritas illa quæ vocatur virtus moralis in voluntate reſidens, prout gubernat liberam locutionem.

## Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 7. DE ARAM, de Meſopotamia.

*V.* 10. PULVEREM, filios.

*V.* 20. AD BENEDICENDUM ADDUCTUS. Venit ſane prima voluntate mutata, Deo iubente; ideo ait ſe adductum.

*V.* 22. CUIUS FORTITUDO SIMILIS EST RHINOCEROTIS. Solet aliquoties Scriptura extollere huius animalis fortitudinem.



## CAPUT XXIV.

*Balaam tertio benedicit, & proſpera vaticinatur de Iſrael, & de Chriſto: item de Amalecitis, Cinæis, & Romanis.*

1. CUmque vidiſſet Balaam quod placeret Domino ut benediceret
Iſraeli, nequaquam abiit ut ante perrexerat, ut augurium
quæreret: ſed dirigens contra deſertum vultum ſuum, 2. &
elevans oculos, vidit Iſrael in tentoriis commorantem per
tribus ſuas: & irruente in ſe ſpiritu Dei, 3. aſſumpta para-
bola ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius ob-
turatus eſt oculus: 4. dixit auditor ſermonum Dei, qui vi-
ſionem Omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius: 5. Quam
pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael! 6. ut valles nemoroſæ,
ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri
prope aquas. 7. Fluet aqua de ſitula eius, * & ſemen illius erit in aquas mul-
tas. Tolletur propter Agag, rex eius, & auferetur regnum illius. 8. Deus edu-
xit illum de ÆGypto, (*a*) cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis. Devorabunt
gentes hoſtes illius, oſſaque eorum confringent, & perforabunt ſagittis. 9. Ac-
cubans dormivit ut leo, & quaſi leæna, quam ſuſcitare nullus audebit. Qui be-
nedixerit tibi, erit & ipſe benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabi-
tur. 10. Iratuſque Balac contra Balaam, comploſis manibus ait: Ad maledicen-
dum inimicis meis vocavi te, quibus e contrario tertio benedixiſti: 11. reverte-
re ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te, ſed Dominus
privavit te honore diſpoſito. 12. Reſpondit Balaam ad Balac: Nonne nuntiis
tuis, quos miſiſti ad me, dixi: 13. (*b*) Si dederit mihi Balac plenam domum
ſuam argenti & auri, non potero præterire ſermonem Domini Dei mei, ut vel
boni quid, vel mali proferam ex corde meo: ſed quidquid Dominus dixerit,
hoc loquar? 14. Verumtamen pergens ad populum meum, dabo conſilium, quid
populus tuus populo huic faciat extremo tempore. 15. Sumpta igitur parabola,
rurſum ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus eſt oculus:
16. dixit auditor ſermonum Dei, qui novit doctrinam Altiſſimi, & viſiones
Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. 17. Videbo eum, ſed non
modo: intuebor illum, ſed non prope. (*c*) ORIETUR STELLA ex Iacob, &
conſurget virga de Iſrael: & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios
Seth. 18. Et erit Idumæa poſſeſſio eius: hereditas Seir cedet inimicis ſuis: Iſrael
vero fortiter aget. 19. De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias civita-
tis. 20. Cumque vidiſſet Amalec, aſſumens parabolam, ait: Principium Gentium
Amalec, cuius extrema perdentur. 21. Vidit quoque Cinæum: & aſſumpta pa-
rabola, ait: Robuſtum quidem eſt habitaculum tuum: ſed ſi in petra poſueris
nidum tuum, 22. * & fueris electus de ſtirpe Cin, quamdiu poteris permanere?
Aſſur enim capiet te. 23. Aſumptaque parabola iterum locutus eſt: Heu, quis
victurus eſt, quando iſta faciet Deus? 24. (*e*) Venient in trieribus de Italia, ſupe-

rabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt.
25. Surrexitque Balaam, & reversus est in locum suum. Balac quoque via, qua
venerat, rediit.

(a) Sup. XXIII. 22. (b) Sup. XXII. 18. (c) Matth. II. 2. (d) Dan. XI. 30.

## BRUGENSIS

### ROMANAE CORRECTIONES.

V. 7. *Et semen illius erit in aquas multas*. Quidam pro *aquas* scripserunt *gentes*, commentarium vertentes in textum.

V. 22. *Et fueris electus de stirpe Cin*. Cave ne pro *Cin* scribas *Cham* nomen filii Noe, quod quidam.

### NOTATIO.

V. 7. *Fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas*. Vera huius loci lectio hæc esse videtur: *Et semen illius erit in aquas multas*. Hoc enim modo plerique librorum, tum calamis, tum typis exaratorum legunt, Rabano, Beda, & Ruperto suffragantibus, textuque Hebræo consentiente. Quod autem habent codices quidam, *Et semen illius erit in gentes multas*, veræ lectionis expositio est. Frequenter enim per aquas gentes & populi significantur: unde & in Apocalypsi (XVII. 15.) Ioannem Angelus instruens: *Aquæ*, inquit, *quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ*. Itaque Interpretes LXXII. &, qui eos forte secutus est, Chaldæus huius loci non verba, sed sensum transferentes, dixerunt: *Exibit homo ex semine eius*; seu (quæ Chaldæi sunt verba) *crescet Rex qui ungetur de filiis eius, & dominabitur populis multis*.

## COMMENTARIA.

### SA.

*Vers.* 1. UT ANTE. Apparet, illum etiam ante quæsisse auguria, sed Deum antevertisse.

*V.* 2. IRRUENTE, id est veniente. Hebr. *Fuit super eum spiritus Dei*. Chald. *Quievit super eum spiritus prophetiæ*.

*V.* 3. CUIUS OBTURATUS EST OCULUS, scilicet cum videt visiones. Alii pro *obturato* vertunt *apertum*. Chald. *Qui pulchre videt*. LXX. *Verax & videns*.

*V.* 4. CADIT, scilicet corpore per somnium, vel ecstasim. OCULI, scilicet mentis.

*V.* 6. VALLES NEMOROSAE. Alii, *torrentes extensi*; Chal. *torrentes defluentes*; LXX. *valles umbrosæ*. FLUVIOS. Hebr. *fluvium*: Chald. *Euphratem*.

*V.* 7. DE SITULA; quasi dicat: Non ei posteritas deerit. LXX. *Exibit homo de semine eius*. Chald. *Crescet homo, qui ungetur de filiis suis*. ERIT IN AQUAS, id est populos. LXX. *Dominabitur gentibus multis*: Chald. *Dominabitur populis multis*. TOLLETUR, id est *elevabitur*, ut est Hebr. & apud LXX. At Chald. *Roborabitur*. PROPTER AGAG. Hebr. & Chald. *Plusquam Agag*: est autem sermo de Saul, qui vicit Agag; vel de David. REX, scilicet Saul. AUFERETUR. Hebr. & Chald. *Elevabitur*: LXX. *Augebitur*.

*V.* 8. DEVORABUNT. Hebr. *Comedent*, id est consument: scilicet solent consumi quæ comeduntur. ILLIUS, pro suos.

*V.* 9. IN MALEDICTIONE id est, tamquam maledictus.

*V.* 10. COMPLOSIS, scilicet ut solent irati.

*V.* 14. POPULUS TUUS POPULO HUIC. Hebr. Chald. & LXX. *Populus hic populo tuo*. EXTREMO TEMPORE; quasi dicat, tandem.

*V.* 15. OBTURATUS. Vide sup. vers. 3.

*V.* 16. OCULOS, scilicet mentis.

*V.* 17. EUM, scilicet Christum. ORIETUR STELLA, &c. Chald. *Consurget de domo Iacob, & ungetur Christus de domo Israel*. STELLA, scilicet de qua Matth. II. secundum Hieronymum in Matth. II. Dicerem potius, Christum nomine & stel-

ꝛæ, & virgæ intelligi: nec enim illa ſtella ex Iacob orta eſt. VIRGA. LXX. *homo*. VASTABITQUE OMNES FILIOS SETH. Chald. *Dominabitur omnium filiorum hominum*. *Filios Seth*, ſcilicet mundum.

*V*. 19. CIVITATIS, id eſt mundi.

*V*. 20. PRINCIPIUM GENTIUM, id eſt primi inter gentes, ſcilicet præliati contra Iſrael, ut Chald. interpretatur. CUIUS EXTREMA, &c. id eſt, qui tandem aliquando peribit.

*V*. 21. SI, pro etiamſi. NIDUM, id eſt habitationem.

*V*. 24. IN TRIERIBUS, id eſt triremibus. Hebr. & Chald. *Navibus*. ITALIA. Chald. *Romani*. IPSI, ſcilicet Romani.

## ESTII.

*Verſ*. 3. & 4. DIXIT BALAAM: DIXIT HOMO, CUIUS OBTURATUS EST OCULUS..... QUI VISIONEM OMNIPOTENTIS INTUITUS EST. Hic duo dicuntur in ſpeciem pugnantia: *Homo, cuius obturatus eſt oculus*; & idem, *qui viſionem intuitus eſt*. Priorem illam partem ex Hebræo varie vertunt, & fere contrario modo. Alii vertunt, *Cuius obſcuratus eſt oculus*; alii, *Cui aperti ſunt oculi*. Et huic verſioni favere videtur verſio Septuaginta, quæ habet, *Homo verax videns*. Si legamus, ut noſter Interpres habet, duplex reddi poterit ſenſus: aut enim de oculis corporeis, aut de incorporeis accipi poteſt. Si de corporeis, ſignificat ſe ſomniatorem, qui videlicet viſionem accipere ſolitus ſit per ſomnium, quod fit obturatis, id eſt clauſis oculis. Eodem pertinet quod ſequitur: QUI CADIT, ET SIC APERIUNTUR OCULI EIUS; id eſt, qui poſtquam in ſomnum incidit, accipit revelationem. Si de oculis mentis accipitur, ſenſus eſt: Qui oculos mentis habet cupiditate & malitia excæcatos. Item: Qui cadit per iniquitatem; & tamen aperiuntur oculi eius ad prævidendum, & prædicendum futura de regno Chriſti.

*V*. 7. TOLLETUR PROPTER AGAG, REX EIUS, ET AUFERETUR REGNUM ILLIUS. Hoc de Saule dictum interpretatur Hieronymus ſcribens in Ezech. XXXVIII. quia nimirum Saul regno privatus eſt, & in prælio occiſus periit; propterea quod præter alia peccata quibus Deum offenderat, contra Dei præceptum pepercиſſet Agag regi Amalecitarum.

*V*. 17. VIDEBO EUM, SED NON MODO; INTUEBOR ILLUM, SED NON PROPE. ORIETUR STELLA EX IACOB, &c. Iudæi hæc Iudaice interpretantur, & referunt ad temporalem proſperitatem: & per ſtellam, ipſum David intelligunt. Sed nos, reiecta hac Iudaica expoſitione, ſequimur eam quam ſequuntur omnes Chriſtiani Doctores, qui non alio quam ad Chriſtum hæc verba referunt. Et licet quidam intelligant de ſecundo adventu Chriſti, *Videbo eum, ſed non modo*, quia videlicet dies iudicii longe aberat; rectius tamen ad primum adventum refertur, hoc ſenſu: *Videbo*, ſeu video, *eum*, Meſſiam in carne; *ſed non modo*, ſupple veniet. Et ſimiliter illud, *Intuebor*, id eſt intueor, illum ſcilicet mente prophetica, *ſed non prope*, ſupple adeſt, ut illud, *Non modo*, & *non prope*, non ad prophetantem, ſed ad rem prophetatam pertineat. Illud autem, *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael*; vel ad ſtellam pertinet quæ in nativitate Chriſti Magis apparuit, utpote qui dicunt ſtellam fuiſſe ſignum nati Regis, vel ad ipſum Chriſtum, qui in Scriptura ſæpe Stella vocatur. Et ita eodem pertinebunt, *Stella ex Iacob, & virga de Iſrael*: nempe ſtella, propter ſanctitatis ſplendorem; & virga, propter regni poteſtatem.

## MARIANAE.

*Verſ*. 1. UT ANTE PERREXERAT, UT AUGURIUM QUAERERET. Hebr. *Sicut ſemel & iterum in occurſum auguriorum*. Solebat ante ritus quoſdam obſervare, ut volatus avium, quod tangunt Sept. atque illæ fortaſſis erant divinationes quas Legati tulerunt, cap. XXII. verſ. 27. aut ſortes mittebat, aut aliquid aliud, quod modo prætermiſit.

*V*. 3. OBTURATUS EST OCULUS. Heb. שתם *ſatham*, *claudere* ſignificat. Et Hebræi tamen hoc loco explicant *apertus*, quos ſequuntur Pagn. & Vatabl. Eo Sept. reſpexere cum vertunt: *Dixit homo verax videns*. Sed vere clauſis oculis accipiebat oracula.

*V*. 4.

*V.* 4. QUI CADIT, ET SIC APERIUNTUR OCULI EIUS. Ecce quare Hebræi superius oculum apertum exponunt: sed præstat dicere, prius esse clausum, deinde prostrato in terram aperiri oculos. Vel prius intelligatur de oculis corporis, posterius de oculis mentis.

*V.* 6. UT VALLES NEMOROSAE, *sunt pulcra tabernacula Israel:* sic Sept. Hebr. *Ut torrentes*, seu *valles extensæ sunt*. נחל *nahal* & *vallem*, & *torrentem* significat, & utraque significatio quadrat.

*V.* 7. FLUET AQUA DE SITULA EIUS, ET SEMEN ILLIUS ERIT IN AQUAS MULTAS. Cœpit hortis & arboribus iuxta fluvios plantatis comparare populum eum; nunc in metaphora pergens, ait: *Fluit aqua*, hoc est irrigatur, *& semen illius*, sicut quod cadit *in multas aquas*, id est terram irriguam, multiplicatur. TOLLETUR PROPTER AGAG, REX EIUS, ET AUFERETUR REGNUM ILLIUS. Hebr. *Exaltabitur præ Agag, rex eius, & exaltabitur regnum eius*. Omnes Reges Amalec *Agag* vocabantur, quibus fortiores prædicit fore Reges Israelis. Aut alludit ad Agag, quem Saul vicit, & Samuel occidit. *Tolletur*, pro extolletur.

*V.* 8. ET PERFORABUNT SAGITTIS. Hebr. *Et sagittis suis conteret*, certe hostes: non, *Sagittas eius conteret*, ut vertit Pagninus.

*V.* 9. UT LEO, ET QUASI LEAENA. Rursus ponuntur duæ voces Hebraicæ, de quibus superiori cap. vers. 24.

*V.* 14. DABO CONSILIUM. Hebr. *Dabo tibi consilium*: & sic est in Regiis in Vulgata.

*V.* 17. ORIETUR STELLA: aut veniet, scilicet Messias. CONSURGET VIRGA, id est sceptrum. De Christi regno loquitur. Sic Chald. hæc de Messia explicat. VASTABITQUE FILIOS SETH. Aut omnes homines intelligit, quibus Christus imperavit, nam soli filii Seth post diluvium mansere; aut aliquam regionem eo nomine Moabitis & Idumæis vicinam.

*V.* 18. CEDET INIMICIS SUIS: Israelitis cedet Idumæa: illis subiicietur.

*V.* 29. RELIQUIAS CIVITATIS, nempe Idumææ, perdet Israel.

*V.* 20. PRINCIPIUM GENTIUM AMALEC: nimirum gentium quæ bellarunt contra Israel cum iret per desertum: Exod. XVII. vers. 8. I. Reg. XV. vers. 2. Porro quæ ibi narrantur, hic EXTREMA vocantur, eius excidium scilicet.

*V.* 22. ET FUERIS ELECTUS DE STIRPE CIN, QUAMDIU POTERIS PERMANERE? ASSUR ENIM CAPIET TE. Hebr. *Vere erit ad consumandum Cain, usquequo Assur captivet te*. Cinæi erant in medio Amalec, quibus Saul pepercit, quod essent de stirpe Chobab cognati Moysi: quem Chobab hic videtur vocare *Cin*: nam Hebraica puncta, ex quibus legitur *Cain*, vitiose sunt posita. His Cinæis, dicit non defuturos qui eos affligant donec ab Assyriis capiantur.

*V.* 23. QUIS VICTURUS EST QUANDO ISTA FACIET DEUS? Hebr. *Quis vivet, postquam posuerit hoc Deus*? ex Amalecitis scilicet.

*V.* 24. VENIENT IN TRIERIBUS DE ITALIA. Hebr. *Et naves de manu*, id est de littore, *Cittim*. Per *Cittim* Sept. Chald. & Hieronymus *Romanos* seu *Italos* intelligunt; ego *Græcos*: nam de Alexandro dicitur I. Mach. 1. *Exivit de terra Cethim*, & ab eo oppressi sunt Assyrii cum vicit Darium, & Hebræi ab eo & successoribus afflicti sunt: sed & Romanis hæc omnia tribui possunt. Pagn. *Naves de littore Chittim*, id est Cypro. ET AD EXTREMUM ETIAM IPSI PERIBUNT. Hebr. *Et etiam ipse usque ad perditionem*. Quod Hieronymus videtur referre ad ipsos Græcos seu Italos, qui & ipsi perituri sunt. Pagninus pro *usque*, *sæculum* posuit: quoniam עדי *hadei* id aliquando, & *æternitatem* significat. Ergo pro *usque ad perditionem*, ipse Pagninus dixit, *In sæculum perit*.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. UT ANTE PERREXERAT. Heb. *Sicut impetu in impetu*, vel *secundum vicem in vice*, aut *sicut vice in vice*; id est, sicut semel & iterum, vel sicut vice priore hac vice; id est, non ivit hac vice ut antea priore vice, ut fit inversus ordo verborum. Similis locutio est Iudicum XVI. vers. 20. I. Samuel. XX. vers. 25. UT AUGURIUM QUAERERET. Heb. *In occursum auguriorum*, seu *incantationum*; id est, ad captandas incantatio-

tationes, seu ut captaret auguria. SED DIRIGENS CONTRA DESERTUM VULTUM SUUM. Notant, ut si posset, inconsulto Iehova, populo malediceret.

*V.* 2. COMMORANTEM PER TRIBUS SUAS; id est, in stationes suas distinctum, ex lege Dei, supra cap. II. IRRUENTE IN SE SPIRITU DEI. Heb. *Et adfuit ei spiritus Dei*; id est, corripuit & incessit eum quamvis obnitentem.

*V.* 3. CUIUS OBTURATUS EST OCULUS. Hebr. *obturatus oculum*, vel *oculo*. שתום *schatum* cum Scin dextro, quidam idem esse volunt cum סתום *sathum* cum Samech, sive Scin sinistro: redduntque *obstructus*, *occlusus*, *obturatus*, *constipatus oculo*. Nec desunt qui hic *Sathum* cum Scin sinistro scribant: sed reclamant passim, & constanter exemplaria. Hanc interpretationem sequuntur Vulgatus, Forsterus, Mercerus, Leo Iudas, Marinus, Avenarius, Schindlerus, Oleastrius, Pomarius, Montanus. Alii *Schatum* cum Scin dextro oppositum faciunt *Sathum* cum Samech, seu cum Scin sinistro: exponuntque *reclusus*, *apertus*, *oculo*; id est, cuius oculi nunc illustrati sunt, seu donati luce spiritus divina, non ad sanctificationem perpetua, sed temporaria ad res futuras prævidendas, ut ait ipse Balaamus infra vers. 17. & se explicat seq. vers. 4. Hanc expositionem amplectuntur Aben-Ezra, Kimchius, Reuchlinus, Caietanus, Sanctes, Steuchus, Vatablus, Tremellius, & Iunius, Munsterus, Clarius, Drusius, Buxstorfius. Hispanica Translatio: *El varon de oios abiertos*, vel *el Veyente*, id est *Videns*, *Propheta*. Conciliant utramque explanationem: *Vir occlusus oculo*, & *apertus oculo*; id est, cuius scilicet oculus antea occlusus fuerat, nunc vero apertus; qui prius cæcutiens quærebat auguria, & falsorum deorum oracula captabat, nunc autem retectis mentis oculis veri Dei oracula fundit: id quod congruit cum vers. 5. *Retectus*, *revelatus oculorum*. Nonnulli Hebræorum exponunt: *Promittens*, *porrigens*, *foras emittens oculum*: somniant enim ei oculum effossum fuisse, & foras exeuntem, ita ut eius foramen apertum conspiceretur: unde tradunt Balaamum fuisse unoculum, luscum. Quidam explicant: *Apertus oculo*; hoc est, qui fortis, & potens est in omnibus ad quæ posuerit oculum suum. Heb. est constructio, *occlusus*, vel *apertus oculi*, seu *oculo* aut *oculum*.

*V.* 4. QUI CADIT, ET SIC APERIUNTUR OCULI EIUS. Quidam exponunt: Qui iacet, & apertos habet oculos; id est, qui dormitat, & tamen habet oculos mentis revelatos. Significat hæc sibi dormienti, & in somnis esse revelata. Hunc sensum expresserunt LXX. *Qui visionem Dei vidit in somnis, revelati oculi eius*. Alii: *Qui cadit in ecstasim*, extra se raptus, excedentibus sensuum facultatibus: quæ ratio est videndi visiones Dei, I. Samuelis XIX. vers. 24. Nonnulli: Incircumcisus, & impius homo non valens ferre spiritum Dei, cecidit in terram. Hispanica Translatio: *Caydo mas desatapados los oios*; id est, *aunque pecador toda via Propheta: que en esto dize verdad. Alude a la historia Arriba*, cap. XXII. vers. 31.

*V.* 6. UT VALLES NEMOROSAE, UT HORTI IUXTA FLUVIOS IRRIGUI. Notant his metaphoris prædici a Balaamo felicitatem populi; quasi dicat: Amplitudine cum vallibus, felicitatis incremento cum hortis perenni fluvio irriguis, suavitate cum santalis odoratissimis, robore, & altitudine cum irriguis cedris comparanda. UT TABERNACULA QUAE FIXIT DOMINUS. אהלים *ahalim*, idem esse volunt quod אהלים *chalim*, *tentoria*, *tabernacula*. Alii vero putant *ahalim* plurale, esse *arbores aloes*, consentiente voce, ut Noster etiam transtulit Proverb. VII. vers. 17. Quidam notant אהלים *ahalim*, & אהלות *ahaloth* esse *aloen* arborem aromaticam, sic Hebraice dictam, quod eius lignum, seu fructus extendat odorem valde gratum. Sed *aloen* herbam esse, Plinius, & omnes affirmant. Nonnulli tamen Hebræorum, ac recentiorum *ahalim*, *santalos*, quos vulgo *sandalos* vocant, esse arbitrantur arbores præstantissimas, quarum ligna siccata, aut fructus, odoris grati sunt, ut liquet ex Proverb. VII. 17. Hispanica quoque Translatio hic *Sandalos* vertit: aliqui, *aromata*, seu *virgulta aromatica*, aut *arbores aromaticæ*.

*Quæ fixit Dominus*. Hebr. *plantavit Iehovah*. Quidam exponunt: Quarum arborum tanta est præstantia, ut non humana manu satæ, sed divinitus datæ dicendæ sint.

*V.* 7. FLUET AQUA DE SITULA EIUS.

EIUS. Intransitive quidam exponunt, *Effluet*, *effundetur*, *defluet*, *decurret aqua*: alii transitive, *Fundet*, *effundet*, *distillabit aquas de situla eius*. Heb. *de haustris*, *situlis eius*, vel *suis*. דלי *deli*, cuius plurale seu duale hic ponitur, aiunt proprie esse *haustrum*, *situlam*, *urnam*, qua hauritur aqua ex puteo. Græcis ἄντλημα. Dualem formam vero indicare binas situlas, quibus ad hauriendam aquam uti solemus. Alii volunt esse machinę genus rotam habens, qua aquam ex puteis, vel fluminibus hauriunt, quod & *tympanum* vocatur. Aliqui reddunt: *Fundet aquas e situlis suis*: elucidant: Ita benedicet Deus, ut copiosam sobolem habeat atque fructiferam: erit fecundus, ac prolificus. Metaphora sub aquæ nomine fecundi seminis, ut sequenti hemistychio seipsum declarat. Alii: *Defluet*, *distillabit aqua de ramis eius*, e significato vocis דליות *daliioth*, *rami*, *fructeta*, *palmites*, Ierem. XI. 16. quasi dicat: Erit sicut arbor quæ irrigatur, vel quam matutinus ros operuit, cuius rami exoriente sole distillant: alienior interpretatio. IN AQUAS MULTAS: metaphora, in populos multos: Isaiæ XLVIII. 1. Ieremiæ XLVII. 2. Apocalyp. XVII. 15. Vel erit fecundus, & semen eius capiet magnum incrementum, ut solent germina in locis irriguis. TOLLETUR PROPTER AGAG, REX EIUS. Heb. *Et elevatus*, *exaltatus fuit de Agag*, *rex eius*. Præteritis hic pro futuris utitur, propter vaticinii certitudinem. Varie exponunt. I. *Et altus erit*, *exaltabitur præ*, *magis quam Agag*, *rex eius*. II. *Sic assurget supra Agagum rex eius*; id est, erit regnum eius multo opulentius regno Amelekitarum, quod eo tempore erat florentissimum: per synecdochen: nam eorum reges Agagi dicebantur, ut AEgyptiorum Pharaones, & Romanorum Cæsares. Sic I. Samuel. XV. vers. 8. III. *Et elevavit se ex Agag*, *præ Agag*, *supra Agag*, *rex eius*: nempe Saul vicit, & debellavit Agagum regem Amalekitarum I. Samuel. XV. IV. *Et tollet*, *levabit*, *auferet ab Agag regnum eius*; id est, Saul auferet regnum ipsi Agago. Sed Hebraice non habetur *regnum eius*, sed *rex eius*. Nonnulli putant, prædici hic magnitudinem regni Davidis, & Christi, quod David typus Christi, futurus erat rex potentissimus supra omnes alios reges, qui hic synecdochice Agagi dicuntur. Nostri vulgati sensum esse volunt, Saulem tollendum de medio, eique regnum auferendum propter Agag regem Amalekitarum, eo quod ei pepercerit contra Dei mandatum, ut scribitur I. Samuel. XV. Vide S. Hieronymum in XXXVIII. Ezechiel. ad vers. 17. Hunc locum late explanavimus Lib. VI. de Antichristo, cap. XXX. in secunda opinione. ET AUFERETUR REGNUM ILLIUS. Heb. *Et levavit se se regnum eius*, seu *attollet se*, *levabitur*, *elevabitur regnum eius*; id est, erit potentissimum, & inclytum. Nec aliene Noster *levabitur* pro *tolletur*, *auferetur* reddidit: nam id verbum נשא *nasa* etiam significare non est dubium.

*V.* 8. ET PERFORABUNT SAGITTIS. Heb. varie exprimunt. 1. *Et sagittas eorum franget*, *conteret*; 2. *Et sagittas eorum sagittabit*; 3. *Et tela eius transfodiet*; 4. *Et sagittis suis transfiget*; 5. *Et sagittis suis vulnerabit*, *sauciabit*; 6. *Aut sagittis suis franget*; 7. *Et sagittas suas inficiet sanguine*, *cruentabit*; 8. *Et sagittas suas intinget*, *imbuet*, *immerget*, scilicet in sanguine inimicorum suorum.

*V.* 9. QUI BENEDIXERIT TIBI, ERIT ET IPSE BENEDICTUS. Emphasim habent Hebræa, *benedicentes te*, *benedictus*; id est, quisque, singulus benedicentium erit benedictus; ut singulus maledicentium, maledictus, & execratus: nimirum ex promissione Dei facta Abrahæ Genes. XII. vers. 3.

*V.* 10. COMPLOSIS MANIBUS, more scilicet hominum indignantium. TERTIO BENEDIXISTI. Heb. *Et ecce benedixisti benedicendo isto*, vel *cum ista*, *tribus vicibus*: Hispanice, *con esta tres vezes*: alii, *istum*, videlicet populum: nonnulli, *iam*.

*V.* 14. DABO CONSILIUM, QUID POPULUS TUUS POPULO HUIC FACIAT. Heb. e contra: *Vade (veni, abi, ito, age) consulam tibi*, *quid faciet populus iste populo tuo*. Exponunt: Consulendo prædicam. Quidam reddunt: *Veni*, *respondebo*, *exponam*, *prædicam tibi quid facturus sit populus iste*, &c. Ad verbum: *Ambula*, *sternam te*, id est disponam, præparabo, instruam, edocebo te, *quid facturus sit populus iste*, &c. Aliqui subauditionibus locum infarciunt: *Age*, *consulam tibi quid* factu-

facturus sis, siquidem hæc *facturus est populus iste populo tuo*. Nonnulli: *Age*, *i*, *consulam tibi*, & hic figatur punctum, deinde subiungatur, *Quod faciet populus iste populo tuo*; ut illud *quod* non sit relativum, sed causale: hoc sensu: Ego consulam tibi, ob id, quod in fine dierum faciet populus iste populo tuo: ita quod non materia, sed occasio consilii hic describatur; quasi dicat: Consulam tibi ea quibus prædictiones de felicitate huius populi Israelitici impediri, & averti possint. Alii, *Age*, *consulam tibi*, notant preteropœiam, seu præparationem hic esse, qua nefarium & exitiale consilium allaturus Bilham, Balaki animum comparat, ut res, quamvis animo suo ingratas, patienter audiat. Consilium autem hoc quale fuerit, indicat historia cap. xxv. nam ex consilio Bilhami eam evenisse, infra cap. xxxi. 16. & Apocalyp. 11. vers. 14. dicitur, & Iosephus diserte affirmat Lib. IV. Antiq. cap. vi.

*Quid populus tuus populo huic faciat*. Heb. e converso habent: *Quid faciet populus iste populo tuo*; ut etiam legunt LXX. Interpretes, Chaldæi Paraphrastæ, & omnes recentiores: ac mirum plane, quam aperte ab Hebræo videtur hic discedere Noster. Frigidissime quidam Hebræa ad sensum Nostri conantur torquere, ut Lamed in לעמך *leghammeca* sit nota nominativi, *Populus tuus*. Aliqui reddunt: *Age*, *consulam tibi res*, *quales facturus est hic populus populo tuo extremis temporibus*; id est, quæ perinde Israelitis exitio futuræ sunt, ut ipsi tandem tuis popularibus exitiales sunt futuri. Atque hæ quidem brevitatis causa hoc loco reticentur; sed ab eventu qui narratur sequente capite, intelligendæ sunt. Hæc interpretatio mire Nostrum cum Hebræo conciliat, & alioqui Noster rem ipsam & sensum expressit, quod Moabitides inducturæ erant Hebræos in idololatriam. EXTREMO TEMPORE. Plerique, futuris diebus postquam a te recessero, nimirum in historia quæ sequenti capite describitur. Heb. *In posterioritate*, *postremitate*, *extremitate dierum*, *in novissimis diebus*. Et plures Hebræorum, & nonnulli nostrorum notant, hac phrasi tempora Messiæ intelligi, de quibus hic vaticinari Bilhamum non est dubium.

*V.* 17. VIDEBO EUM, SED NON MODO; INTUEBOR ILLUM, SED NON PROPE. Futura pro præsentibus: *Video*, *intueor illum*: spiritu prophetico video illum, Christum scilicet, qui post multa sæcula venturus est. Quidam neutro genere reddunt: *Video illud*, *non tamen nunc*; *contemplor illud*, *sed non propinquum*: nimirum illud quod mox dicturus sum. Sic relativa apud Hebræos interdum antecedentibus præeunt. ORIETUR STELLA EX IACOB. Hebræa hæc omnia continent: *Calcavit*, *incessit*, *processit*, *ingressa fuit*, *perrexit*, *ivit*, *viavit*. Hispanice, *Aviose*. Hispanica Translatio: *Saldra*, *anduvo*, *o vino*; *stella*, *sidus*, *de*, *ex Iahakob*. Quidam: *Extendit*, *tetendit*, *expandit*, subaudi sese, vel radios suos, aut fulgorem. Alii: *Direxit stellam de Iahakob*. Fere omnes hic *Stellam*, Christum ipsum, vel stellam illam quæ Magos ad eum adorandum adduxit, intelligunt. ET CONSURGET VIRGA DE ISRAEL. Hebr. *Et surget*, *stabit*, *stabilietur virga*, *baculus*, *sceptrum*, id est regnum de Israel, ut Gen. xlix. vers. 10. Quidam stellæ, & sceptr nomine regnum populi Dei accipiunt, cœptum in Davide, completum in Christo: inter quos tempus interiectum, fuit progressus quidam stellæ, aut incrementum sceptri; sive temporale regnum spectes, quod in primis spectabat Bilham; sive spirituale, quod continenter adimpletur in Christo. Alii *Virgam* exponunt Evangelium, & divinam Christi potestatem: Psal. cx. vers. 2. ET PERCUTIET. Verbo מחץ *machatz*, ut supra vers. 8. observavimus, hæc omnia subsunt: *Et inficiet*, *intinget*, *imbuet*, *immerget*, scilicet sanguine; *cruentabit*, *sauciabit*, *vulnerabit*, *percutiet*, *cædet*, *franget*, *conteret*, *confringet*, *transfiget*, *transfodiet*, *perforabit*, *conquassabit*. DUCES MOAB. פאתי *paate*, constructum, *angulos*: metaphorice intelligunt principes, duces, proceres, magnates, qui populum iungunt, continent, ac sustinent. Sic apud Helvetios *anguli*, seu *cantoni*. Quidam exponunt: *Et percutiet extremitates*, *terminos Moab*; id est, usque ad extremitates regni Moabitarum. Alii: *Quod*, sceptrum, *franget latera Moabitarum*; id est, Moabitas sibi subiiciet quasi perfodiens eorum latera. Vide II. Samuel. viii. vers. 2. Forsan, *Et feriet angulos Moab*. Metaphora

phora eſt oppugnationis urbium, quarum latera, ſeu anguli murorum tormentis verberantur, & quatiuntur, & transfodiuntur. VASTABITQUE. קרקר *karkar*, notant eſſe verbum effictum a nomine *kir*, *paries*, contraria ſignificatione, id eſt *exparietavit*; quaſi, perfodit, ſuffodit, diruit parietem. Multa ſunt apud Hebræos verba ex nominibus contrario ſignificato eſſormata, ut a שורש *ſchoreſch*, *radice* שרש *ſchereſch*, *eradicavit*; a עקר *gheker*, aut עקר *ghikkar*, *ſtirpe*, עקר *ghakar*, *extirpavit*; a עורף *ghoreph*, *cervice*, ערף *gharaph*, *decervicavit*; a דשן *deſen*, *cinere*, דשן *diſſen*, *decineravit*; a זנב *zanab*, *cauda*, זנב *zinneb*, *decaudavit*; a גרם *gerem*, *oſſe*, גרם *garam*, *exoſſare*. Frigide quidam hic: *Et imparietabit*; id eſt, parietibus, aggeribus, munitionibus, & operibus cinget, claudet, obſidebit: ut alludat ad ſupplicium quo etiamnum Turcæ utuntur, quo noxios fornaceis parietibus indunt & conſtipant. OMNES FILIOS SETH. Hebræorum aliqui putant *Seth* hic nomen eſſe urbis, aut regionis, ſeu populi, vel gentis in terra Moab tunc notæ, nunc vero incognitæ. Plerique univerſe filios Seth, interpretantur omnes homines, ſive univerſum genus humanum: quia nimirum ex Seth filio Adam, per Noe omnes homines totius mundi propagati ſunt, exſtincta & deleta per diluvium univerſa poſteritate Kain. Alii Hebræorum reddunt: *Omnes filios fundamenti*, id eſt *provincias*, ſeu *regiones* mundi, quæ legibus fundantur, iuxta illud Maronis:

.... *Fundabit legibus urbem:*

vel quod ſint quaſi filiæ terræ, quæ mundi fundamentum dicitur. Aliter: *Exparietabit*, *diruet omnes filios fundamenti*; hoc eſt, omnes extructiones, & ædificia a fundamentis evertet, quæ filii fundamenti dicuntur, quod a fundamentis quaſi a matre naſcantur. Nec deſunt ex Hebræis qui reddant: *Omnes filios podicis*, ſeu *ſedis*: שת *ſchet*, *podicem*, *anum*, *nates*, *clunes*, *ſedem*; quaſi dicas *poſitivum*: quod homo ſeſſurus ſe in eam partem ponat, ſignificare non eſt dubium, ut Iſaię xx. 4. Fortaſſis innuit Philiſthæos, quos infami podicis ac natium ignominia cruciavit Dominus I. Samuel v. verſ. 6. 9. Pſalm. LXXVII. verſ. 66. Aut univerſe nationes gentilicas infames, & pudendas, ac propudioſas, idololatria, & aliis vitiis & abominationibus fœdas. Quid ſi notet earumdem illud naturæ ludibrium poſticæ libidinis, qua gentes turpiſſime deflagrabant. Quidam Hebræorum, *Filios podicis*, accipiunt hic Moabitas, & Hammonitas ex inceſtu filiarum Lot cum patre procreatos. Tremellius & Iunius hic iſta afferunt: *Omnes filios ſedis; vel omnes eos qui pone ſunt; id eſt, Hammonitas, Madianitas, & Orientales ceteros ad Euphratem uſque pertingentes. Hos autem filios ſedis, vel poſticæ partis videtur appellare Bilham ratione ſitus ſui. Nam caſtra habebant Iſraelitæ ad Moabitarum campeſtria Iericbuntem & Iardenem verſus, ſupra cap.* XXII. *verſ.* I. *Sic Moabitæ reſpectu Iſraelitarum verſus Orientem erant, ut narrat Iiphthacb Iudicum* XI. *verſ.* 20. *Cum autem hæc omnia Bilaam enuntiaverit vultu ad Iſraelitas converſo; tum certe fuerunt pone ipſum orientales populi, quos Iudæi ſuo tempore ſubegerunt: itaque eos poſteriorum partium filios appellavit: quæ partes honeſte appellantur ſedes hic, ut Iſaiæ* XX. 4. *Quod ſi quis Filios obſidionis interpretari malit, id eſt infeſtos hoſtes, per quos Iſraelitæ quaſi perpetua obſidione preſſi ſunt, ducto nomine a verbo, quod ſignificat opponere caſtra, ut Pſal.* III. *verſ.* 7. *per me licet. Omnino, quod ante vertimus Filios Schethi, iam improbatur mihi. Utram ex ſuperioribus volet, pius lector deliget.* Hæc illi. Ceterum totum hunc locum de ſtella proceſſura ex Iacob, fuſe expoſitum dedimus in Antichriſto Lib. III. c. v.

*V.* 18. ET ERIT IDUMÆA POSSESSIO EIUS. Iſtud impletum volunt in his quæ referunt II. Samuel. VIII. verſ. 14. INIMICIS SUIS, id eſt Iſraelitis. ISRAEL VERO FORTITER AGET. Vocem חיל *chaiil* varie exponunt. I. *Et Iſrael faciens ſtrenuitatem*, *virtutem*, *robur*; id eſt, fortiter, viriliter, ſtrenue aget. II. *Et Iſrael faciens opes*, *copias*, *facultates*, *ſubſtantiam*, *divitias*; id eſt, rem aget: ſic ſumitur Geneſ. XXXIV. verſ. 29. III. *Et Iſrael faciens ſucceſſum*; id eſt, ſuccedent illi omnia proſpere. IV. *Et Iſrael faciens exercitum*; id eſt, valde multiplicabitur, ut ingentes exercitus conflare poſſit. Hiſpanica Translatio: Y. *Iſrael ſe aura varonilmente*, vel *hara esfuerco*.

*V.* 19. DE IACOB ERIT QUI DOMINETUR, &c. Hunc verſum quidam ex He-

Hebraico clarius ita reddunt: *Dominiumque obtinebit ex Iahakobo* natus, *qui perdit superstitem ex civitate* quaque, id est hostem quemvis superstitem, quamvis munitissimum.

*V.* 20. PRINCIPIUM GENTIUM AMALEC, CUIUS EXTREMA PERDENTUR. Quidam Hebræa reddunt: *Ut principium gentium Hamalek, ita finis eius ad perditionem est*: exponuntque: Ut copiis eius infeliciter successit, cum primum Israelitas primi omnium illarum gentium, puta quæ infestaverunt Israelem proficiscentem ex AEgypto, aggressæ sunt, Exodi XVII. ita succedet semper, donec deleantur. Nam irrevocabili Dei decreto Hamalekitæ traditi sunt Israelitis delendi, & contra eos perpetuum imperatum bellum, eodem cap. XVII. Exod. tribus ultimis versibus. Aliqui, *Principium gentium*, accipiunt præcipuum, & præstantissimum; quasi dicat: Hamalekitæ erant tunc præcipui & præstantissimi circumiacentium gentium, pace, & bello. CUIUS EXTREMA PERDENTUR. Diversimode Hebræa convertunt: I. *Et finis eius sempiterna perditio*: Exodi XVII. 14. & 16. II. *Postremum eius perpetuo ablatum*. III. *Et novissimum eius in sæculum periens*. IV. *Et postremum eius prorsus peribit*. Ex verbo: *Et postremitas eius usque ad periens*, vel *usque ad perditionem*. Nam אובד *obed* potest esse participium, & nomen.

*V.* 21. VIDIT QUOQUE CINAEUM. De Cenæo diximus Genes. XV. vers. 19. Iosephus Scaliger in Elencho Trihæresii, cap. XXIII. *Cenæi sunt vetustissimi populi. Cenæi est familia in tribu Iuda, progenita quodam Keni de posteritate soceri Mosis Madianitæ, qui Hobab, & Iethro dictus est. Populus semper numero singulari cum articulo, Hakeni, Kanæus, Genes.* XV. *vers.* 19. *Numer.* XXIV. 21. *I. Samuel.* XV. *vers.* 6. *Cum significat familiam pluraliter enuntiari debet, Hakenim: unus vero ex ea familia in singulari Hakeni, quemadmodum & cum populum denotat. Sed sine articulo Keni significat auctorem generis, quod habet formam nominis Gentilitii potius quam proprii. Et certe non Keni, sed kaiin proprie, Numer.* XXIV. *vers.* 22. *& Iudicum* IV. *vers.* 11. *scribitur. Et dicitur esse de posteritate soceri Mosis, ut Iudi.* I. *vers.* 16. *ita intelligendum Filii Keni, de filiis soceri Mosis. Mosis enim socer non dicebatur Keni, sed Iethro, & Hobab. Proprium igitur nomen eius erat Ken, vel Kaiin; Scriptura vero etiam, ut diximus, Keni vocat*. Hæc Scaliger. Tremellius, & Iunius *Kenæum* hic intelligunt gentem, & posteros Iithronis, e Madianitis: unde *Kenæus* vocatur Iudicum I. vers. 16. & posteri eius *Kenæi*, Iudic. IV. vers. 11. & I. Samuelis XV. vers. 6. Quidam volunt *Keni* nomen fuisse proprium Iethro soceri Mosis, indeque ut gentilitium adhæsisse posteris eius. Alii *Keni* gentem esse putant inter Hamalekitas seu Madianitas, aut his proximam, ex qua fuerit Iethro socer Mosis, & eius posteri. Nec desunt qui velint, socerum Mosis dictum *Keni*, ab urbe *Kinab*, iuxta quam incoluerit, quæ fuit in extremitate australi sortis Iudæ iuxta Idumæam, Iosue XV. vers. 57. ubi is, & posteri eius consederint. Sed vide plura de his apud Minerval Serrarii, cap. XIV. ROBUSTUM QUIDEM EST HABITACULUM TUUM: SED SI IN PETRA POSUERIS NIDUM TUUM. Hebr. *Fortis est sedes tua: & pone*, vel *ponere, in rupe nidum tuum*. Quidam ironice id dictum interpretantur; quasi dicat: Etiam si habitaveris in rupe fortissima & munitissima, tu tamen non evades. Quem sensum Noster expressit.

*V.* 22. ET FUERIS ELECTUS DE STIRPE CIN, &c. Hunc versum varie reddunt ex Hebræo. I. *Quia si erit destructioni Kain, usquequo Assur prædabitur te*; id est, quia si Cinæus erit, subsistet, servabitur in destructione Hamalek, qui hic Kain ob impietatem dicitur (Historia habetur I. Samuelis XV. vers. 6.) ipse tamen Cenæus tandem erit in prædam Assyriis, quando Salmanasar abducet captivum Israel. Vide Iudicum IV. vers. 11. & IV. Regum XVII. II. *Certe expelletur Kain usquequo Assur captivum ducat te*. III. *Sed erit ad expellendum Cinæus, usquequo te captivum abducat Assyrius*. Mutatio secundæ personæ in tertiam, & rursus tertiæ in secundam, antecedens item pro relativo, obscurum reddunt sensum: clarius sic vertendum volunt: *Certe expelleris Cinæe, abducerisque captivus ab Assyriis*. Illud *Usquequo* perinde valet ac si dicas: Non tantum expelleris, sed etiam abduceris captivus: vel ita expelleris, ut abducaris captivus ab Assyriis. IV. *Quia si fuerit ad expellendum, removendum, excidendum Kain*,

do-

*donec Assur prædetur te*. V. *Sed tolletur Kinæus, quando Assur captivum abduxerit te*. VI. *Quoniam in veritate quinimmo erit ad depascendum Kain, donec Assur captivet te*. VII. *Etenim Cinæus comburetur, donec Assur*, vel *quando Assur captivum te abduxerit*. VIII. *Attamen erit ad depascendum Kainum*, vel *cum depascetur Kaiin, tantisper dum Assyrius captivum tenebit te*. Kaiin est Kenæus transpositis litteris, & fortasse auctoris gentis istius nomen est. Exponuntque: *Tantisper dum Assyriis, &c.* nam ex deportatione quam ab Assyriis & Babyloniis perpessi sunt Hebræi, cum reducibus Iudæis reverterunt quoque Cinæi, I. Paralipom. II. vers. 55. Assur autem, vel Assyria generalis est multarum regionum appellatio, in quibus est Babylonia, & rex Babylonius Assyriæ dicitur I. Esdræ VI. 22. & Isaiæ LII. vers. 4. & alibi. IX. *Quinimmo erit ad removendum, ad separandum Kinæus, usque ad quid?* vel *usquequo Assur captivum abducet te*; id est, removebit se Cinæus a fratribus suis, separabit se ab illis e tribu Iuda, & recipiet se in tribum Naphthali, seu Manasse, Iudicum IV. vers. II. usquequo eum Assyrius Salmanasar cum decem tribubus Israel abducat captivum, IV. Reg. XVII. vel separabit se Cinæus usquequo tu Israel abducaris a Salmanasare. Verbum בער *bagbar*, quod *comburere* vertimus, omnia prædicta significata complectitur. X. *Sed erit in depastionem, in combustionem, Cinæus, donec Assur captivum te ducat*; quasi dicat: Affligetur, male habebit Cinæus usque ad deportationem Salmanasaricam.

*V.* 23. HEU, QUIS VICTURUS EST? Hebr. *Oi*, potest reddi *Heu, væ, o*, particula quæ potest esse exclamantis, & dolentis. I. *O quis tamdiu viveret, ut ad ea tempora pervenire posset, & ea coram intueri quæ hic vaticinor!* quasi dicat: Res a nostro ævo quam longissime remotas prænuntio. II. *Heu quis desideret se in ea tam funesta tempora reservari, quando Deus tam clara evertet imperia!* quasi dicat: O quantas, & quam graves calamitates, quando ista faciet Deus! משמו אל *missumo el*. Quidam: *A ponere eum Deus?* vel *cum posuerit istud Deus?* aut *ex quo disposuerit, statuerit hoc Deus fortis?* Alii *el* non pro Dei nomine, sed pro *istud*, sive *ista* capiunt: *A ponendo eum istud*, sive *ista*? quasi dicat: Quis vivere poterit ex quo evenire fecerit ista Deus?

*V.* 24. IN TRIERIBUS. צי *tzi*, *navis*, quia est pars sicca & arida in aqua, quasi insula, Isaiæ XXXIII. 21. Plurale צים *tzim*, *naves*, hic, & Ezechiel. XXX. 9. & geminato Iod, ציים *tziim*, Daniel. XI. vers. 30. DE ITALIA. Hebr. *De manu* כתים *cittim*. *De manu*. I. *De loco*, ut Isaiæ LVI. 5. II. *De littore, ora, ripa*, ut Numer. XIII. 30. Deuter. II. vers. 37. III. *De termino, finibus, limitibus*, Ezech. XXI. 19. quod veteres in limitibus manum ponerent. IV. *De plaga, tractu, regione*, ut Isaiæ XXII. 18. ITALIA. *Cittim*, de quo diximus Genes. X. vers. 4. Vide quæ de Cittim disseruimus in Antichristo Lib. VI. cap. II. Eo nomine generaliter comprehendi volunt *Cyprios, Cretes, Cilices, Macedones, Græcos, Italos*, unde nomen *Caietæ*, & singulariter Romanos. Ridicule quidam hic *Turcos* intelligunt. ET AD EXTREMUM ETIAM IPSI PERIBUNT. Hebr. varie exprimunt: 1. *& etiam ipse sempiterna perditio*; 2. *& etiam ipse perpetuo ablatus*; 3. *& etiam ipse prorsus periens*; vel *in sæculum periens*; 4. *& etiam ipse usque ad periens*, vel *usque ad perditum*, vel *perdentem*; vel *usque ad perditionem*, vel *ablationem*. Iam totius huius versus, & oraculi Balaami variæ feruntur explanationes. I. Veniet Alexander Magnus cum magnis Macedonum copiis, & navibus, ac triremibus; uti Diodorus Siculus Lib. XVII. num. 570. Plutarchus in eius vita, Arrianus Lib. I. Iustinus Lib. XI. perscribunt: & opprimet Assyrios, Babylonem, & Orientem, & subiugabit Hebræos; Iosephus Lib. XI. Antiquit. cap. VIII. eiusque successores Græci, & Seleucidæ, ut Antiochus Epiphanes, eosdem Hebræos vehementer afflixerunt: qui tandem Alexander veneno, aut violento morbo Babylone periit: & ipsi Græci, & Seleucidæ demum perierunt. II. Venient Romani cum magnis classibus, qui Assyrios, & Hebræos affligent & oppriment: & ipsi tandem Romani peribunt, eorumque imperium extinguetur. Quidam hunc locum conferunt cum eo Daniel. XI. vers. 30. *Et venient super eum trieres, & Romani, & percutietur, & revertetur*: quando Romani missa legatione, afflixerunt Antiochum Epiphanem Syriæ regem &

eum AEgypto excedere iusserunt. Huius vaticinii Balaamici copiosissimas expositiones habes in nostro Antichristo Lib. VI. cap. I. II. III. IV.

V. 25. ET REVERSUS EST IN LOCUM SUUM. Quidam exponunt: Abiit quidem animo revertendi in patriam suam Pethoram Mesopotamiæ urbem ad Euphratem, supra cap. XXII. 5. sed tamen non est reversus: nam apud Madianitas substitit, & illic interfectus est, infra cap. XXXI. vers. 8. Nisi velimus ivisse in Mesopotamiam, & inde ad Madianitas revertisse; sed cum Ammonitam dixerimus, facile potuit se recipere ad Ammonitas, ac deinde ad proximos & vicinos Madianitas, doli fabricandi causa concedere, ubi sit interfectus.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. CUMQUE VIDISSET BALAAM: divina illustratione cognovisset. UT AUGURIUM QUAERERET. LXX. *in occursum avibus*: augurium enim est divinatio ex avium volatu, cantu, aut pastu captata. Vox Hebræa superstitionem significat, & malas artes.

V. 2. SPIRITU DEI, spiritu prophetiæ a Deo immisso.

V. 3. ASSUMPTA PARABOLA. Vide cap. XXIII. 7. HOMO CUIUS OBTURATUS EST OCULUS. Qui in somnis, quando clauduntur oculi, accepit a Deo propheticam visionem; vel qui raptus in ecstasim, & alienus a sensibus, vidit visiones Dei; vel qui de aliis prophetat, ipse tamen permanet cęcus, nec suæ consulit saluti; vel cuius ante spiritus adventum obturatus est oculus mentis, deinde apertus adveniente lumine prophetico.

V. 4. QUI CADIT, scilicet in somnum, vel potius alienationem a sensibus. ET SIC APERIUNTUR OCULI EIUS, scilicet mentis per lumen propheticum.

V. 6. UT VALLES NEMOROSAE: ut valles nemorosæ spectabiles arborum copia, viriditate, opacitate; ita castra Hebræorum, qui plurima tabernacula intenderant, sed quorum umbra latebant, quorum species oculos pascebat. UT HORTI IUXTA FLUVIOS, qui semper virent, florent, & fructus proferunt. TABERNACULA QUAE FIXIT DOMINUS: quæ scilicet nulla vis possit convellere. CEDRI PROPE AQUAS: quæ scilicet irrigatione proceriores fiunt, & pulchriores.

V. 7. FLUET AQUA DE SITULA EIUS. *Situlam* vocat prosapiam, & posteritatem Israel; quasi dicat: Sicuti situla plena copiosam dat aquam; ita prosapia Israelis erit fecunda, multosque gignet filios. Hunc esse sensum patet ex hemistichio sequente, quod de more prius explicat: ait enim: *Et semen illius erit in aquas multas*. Aquarum metaphora designari copiosam prolem, & integros populos, patet ex Prov. V. 16. & Apocal. XVII. 15. REX EIUS, Saul, qui regno excidit propter Agag servatum. Vide I. Reg. XV.

V. 8. SIMILIS EST RHINOCEROTIS. Vide dicta cap. XXIII. n. 22. DEVORABUNT, Israelitæ, GENTES HOSTES ILLIUS, quæ Hebræis inimicæ, & infestæ.

V. 9. ACCUBANS DORMIVIT UT LEO: secure quiescet Israel, hostibus eum violare non audentibus. Accidit hoc præcipue tempore Davidis, & Salomonis.

V. 14. DABO CONSILIUM, ut per mulieres ad cultum Beelphegor Israelitas pellicias, & perdas: hoc enim fuisse Balaam consilium, patet ex cap. XXXI. 16. & Apocal. II. 14. EXTREMO TEMPORE, sequentibus diebus, postquam discessero.

V. 15. SUMPTA PARABOLA. Vide supra cap. XXIII. 7. CUIUS OBTURATUS EST OCULUS. Vide supra n. 2.

V. 17. VIDEBO EUM, Christum, non oculis corporis, sed visione prophetica. SED NON MODO; quasi dicat: Quæ modo prædico, & visione prophetica futura prævideo, evenient quidem certo, sed non tam cito, adhuc enim longius absunt a nostris temporibus. ORIETUR STELLA EX IACOB. Christus dicitur stella: primo quia ipse est lux mundi; secundo ob claritatem, & gloriam vitæ cælestis, miraculorum, resurrectionis, & beatitudinis; qua de causa vocatur Stella splendida, & matutina Apoc. II. 28. 26. tertio quia illius nativitas stella ostensa est Magis. CONSURGET VIRGA DE ISRAEL; quasi dicat: Christus nascetur ex Israel, qui virga, vel, ut est

est in Hebræo, *sceptro regni sui*, id est potestate regia, percutiet, & atteret duces Moab. VASTABITQUE. Chal. *Dominabitur*: sua ditione, & dominatu concludet, & quasi carcere coercebit, & habebit in potestate, ut significare videntur Hebræa. FILIOS SETH, omnes homines: nam omnes per Noe Sethi filii sumus, omnis enim Caini proles diluvio interiit.

*V.* 18. ET ERIT IDUMAEA POSSESSIO EIUS. Ut Iacob typus est omnium Israelitarum spiritu, hoc est proborum Christi sectatorum, ita Esau reproborum. Possidebit ergo Christus non solum Israelitas, qui se illi sponte subiiciunt, sed Idumæos etiam Esau posteros, refractarios, ac rebelles, improbos quosque aut infideles, aut Christianos. HEREDITAS SEIR, Esau, qui dictus est Seir, quia pilosus. Secundum hoc hemistichium idem significat quod primum, quod præcessit. ISRAEL FORTITER AGET, Christus, & Christiani.

*V.* 19. DE IACOB. De Christianis erit qui dominetur: quod evenit in Constantino, & Imperatoribus illum subsecutis. PERDAT RELIQUIAS CIVITATIS, Romæ, Romanorum gentilismum evertens, vel in secundo adventu reliquias civitatis cuiuslibet, hoc est omnes quotquot in ipsum credere noluerint, vel ei rebelles permanserint. Prophetia his tribus versibus comprehensa, de Christo est, ut explicuimus, sed cum allusione ad Davidem: itaque Davidis gestæ res hic perstringuntur, & quædam dicuntur quæ magis particulatim Davidi conveniunt, uti sunt: *Percutiet duces Moab*; &, *Erit Idumæa possessio eius*, *Israel vero fortiter aget*. Alia vero magis proprie competunt Christo, uti sunt: *Orietur stella ex Iacob*; &, *Perdat reliquias civitatis*.

*V.* 20. CUMQUE VIDISSET AMALEC, de monte Phasga altissimo, in quo constitutus erat. ASSUMENS PARABOLAM, prophetans. Vide supra. PRINCIPIUM GENTIUM AMALEC, prima, ac præcipua gens, nobilissima earum quæ circumiectas regiones habitabant: vel sensus est is quem exhibet Chaldæus, qui vertit: *Principium bellorum Israeli fuit Amalech* (quod patet Exodi XVII.) quare bene additur, CUIUS EXTREMA PERDENTUR, ut sit antithesis; quasi dicat: Cito & primi Amalecitæ insurrexerunt in Israelitas, sero autem extremis temporibus plexi sunt. Ita factum sub Saul I. Reg. XV.

*V.* 21. CINAEUM, posteros Iethro, qui erant in castris Israelitarum. ROBUSTUM EST HABITACULUM TUUM: quia modo inter duodecim tribus degis, & in Chanaam in tribu Iuda, quæ fortissima est, habitabis. SED SI IN PETRA POSUERIS NIDUM TUUM: etiamsi in fortissimo, & munitissimo loco sedem tuam constituas.

*V.* 21. DE STIRPE CIN, de stirpe Iethro. ASSUR CAPIET TE: quod factum cum Salmanasar transtulit decem tribus Israel in terram Medorum, IV. Reg. XVII. tunc enim cum eis eodem transtulit Cinæos, id est progeniem Aber Cinæi, qui recesserat ab aliis Cinæis, & habitabat in sorte Nephthali.

*V.* 23. HEU QUIS VICTURUS EST? Quis optabit vivere, cum tantæ strages Cinæorum, & Amalecitarum, vel potius Assyriorum, Hebræorum, & Romanorum, de quibus sequitur, edentur?

*V.* 24. IN TRIERIBUS, in triremibus. VASTABUNT HEBRAEOS, Vespasiano, & Tito imperantibus. ETIAM IPSI PERIBUNT, ruente Romanorum imperio, Gothis, aliisque barbaris Romam occupantibus.

## TIRINI.

*Vers.* 1. UT AUGURIUM QUAERERET. Solebat ergo impius Balaam, etiam cum a vero Deo responsum quæreret, adhibere superstitiosos quosdam ritus, ut hic septem præcise aras, septem vitulos, septem arietes; & forsan certo situ, verbi gratia ad Orientem, vel Meridiem; certo statu corporis, certis instrumentis, certis vocibus, &c. ut solent profani augures captare auguria. Quæ quia iam omnia sprevit, solique spiritui divino attendit, ideo dicitur non amplius augurium quærere.

*V.* 3. HOMO, CUIUS OBTURATUS EST OCULUS, scilicet internus mentis oculus, qui obturatus, id est clausus, & obtenebratus in Prophetis dicitur, quamdiu revelatio divina illis non innotuit:

tuit: tamdiu enim circa futura nihil omnino vident aut norunt. Patet ex adiunctis versu sequenti, ubi etiam exponit qua ratione aperiantur oculi eius, seu quo modo divinam visionem & revelationem accipere soleat, puta cadendo primum: addunt LXX. *in somnis*, non proprie dictis, sed in ecstasi, quæ est quasi soporatio seu suspensio sensuum exteriorum, spiritu prophetico totam mentem ad se rapiente, nec nisi clausis externis sensibus, internos oculos aperiente ad revelationem excipiendam.

*V.* 7. FLUET AQUA DE SITULA EIUS. Parabola est, quam mox sequentibus verbis explicat, ET SEMEN Israelis ERIT IN AQUAS MULTAS, id est in populos *a* multos; quasi dicat: Numerosissima erit posteritas, & multi quasi populi via generationis procedent ex hoc iam uno populo: ita Oleaster, Abulensis, Sa. Mox de primo Israelitarum rege subdit: TOLLETUR PROPTER AGAG, REX EIUS, puta Israelis, nempe Saul, cui sublatum est regnum propter non occisum Agag Amalecitarum regem, quem a Deo iussus fuerat occidere, I. Reg. XV. Ita omnes SS. Patres, & Doctores.

*V.* 14. DABO TIBI CONSILIUM. Quale id fuerit, hic non exprimitur, sed capite sequenti factum narratur: & licet consilio Balaam id factum, ibi non referatur; refertur tamen diserte capite XXXI. 16. & Apocalypsis II. 14. Iam enim non amplius actus spiritu Dei, sed a mammona insessus Balaam, ut auro Moabitico potiretur, gratiam regis Balaac, quam non potuit maledicendo Israeli, conatur demereri suggerendo pravum consilium ad Israelem evertendum. Erat autem istud consilium, de pertrahendis Israelitis in idololatriam per speciosas virgines Moabiticas, quæ suis blanditiis iuvenes Hebræos ad idolorum sacrificia pellicerent, ut factum capite sequenti. EXTREMO TEMPORE, id est tandem post alia omnia remedia frustra a nobis tentata; quasi dicat: Hoc saltem ultimum succedet ex voto. Sed hoc consilium ipsimet Balaamo exitium attulit, ut cap. XXXI. v. 8. patebit.

*V.* 17. VIDEBO EUM, scilicet Messiam de quo nunc ago, SED NON MODO... SED NON PROPE: nam quæ de illo iam prædico, non tam cito evenient, sed longius absunt a nostris temporibus. Addunt quidam, Balaam hic insinuare, visurum se Christum non suis, sed posterorum suorum oculis, hoc est Magorum trium, qui ductu stellæ adorarunt Christum recens natum in Bethlehem. Sed incertum est, an hi Magi fuerint e posteris Balaam. ORIETUR STELLA EX IACOB, ET CONSURGET VIRGA DE ISRAEL. Rabbini, & ex eis Abulensis, hæc de Davide ad litteram accipiunt, quia hic subegit Moabitas, & Idumæos, de quibus post agit Balaam. Et vero ad Davidem alludi non libenter negarim; primario tamen de Messia filio & herede Davidis, & per Davidem tamquam per typum & figuram repræsentato, certum est ad litteram hæc exponi debere. Et ita exponit Chaldæus, & fere omnes SS. Patres. Erat enim Christus ex Israele oriundus vera Stella mundi, luce doctrinæ suæ; & virga seu sceptrum, regia sua potestate qua toti mundo dominetur. Atque ita huic proprie quadrat, quod adventu suo *percusserit duces Moab, vastaritque omnes filios Seth*, id est *omnes homines*, inquit Chaldæus: quia omnes quotquot ex Noe prognati sunt, a Seth atavo Noe processerunt. Omnes ergo non solum Moabitæ, id est idololatræ, & iurati hostes Israelitarum, sed etiam alii populi, a Christo subiiciendi hic dicuntur, more Prophetis usitato, qui adventum Christi tum primum, tum secundum solent describere ad modum atrocissimi cuiusdam belli in omnes nationes gerendi, propterea quod omnium gentium idololatriam, impietatem, & scelera destructurus sit. Ita Eugubinus, Lyranus, Abulensis, Oleaster, Vatablus, Caietanus, & Sa.

*V.* 19. ET PERDAT RELIQUIAS CIVITATIS, puta Romæ, quæ antonomastice civitas & urbs vocatur, tamquam præcipua totius orbis urbs, inquit Abulensis. Hæc perdita est a Constantino Magno, cum hic conversus ad Christum totam quoque Romam, & reliquias Gentilium una secum ad Christum traduxit. Sic infra.

*V.* 24. VENIENT IN TRIERIBUS, seu triremibus, DE ITALIA, &c. Pluribus ante Romam conditam annis prædicit potentiam Romanorum superatum iri Assyrios: quod factum primo, tempore Augusti

gusti Imperatoris, cùm Ventidius Bassus de ipsis, & vicinis Parthis triumphavit; secundo, tempore Traiani, a quo rursum subiugati Assyrii & in provinciam redacti sunt, teste Dione, Cassiodoro *b*, Festo Ruso, & aliis. Ab iisdem Romanis prædicit hic vastatum & excisum iri etiam Hebræos, alludens ad clades a Pompeio ipsis inferendas, & ad excidium urbis, imperiique illorum per Titum, & Vespasianum Imperatores Romanos. Denique Romanos quoque ipsos, everso excisoque illorum imperio, stirpitus perituros prænuntiat eodem versu, quod futurum in fine mundi, sub initium monarchiæ Antichristi, constans est sanctorum Patrum, & Doctorum sententia. Idem prædixit Daniel cap. II. vers. 40. & sequentibus. Vide Bellarminum de Pontifice Lib. III. cap. V.

(*a*) Apoc. XVII. vers. 15.
(*b*) Dion. Lib. LXVIII. Rom. histor. Cassiod. in Chronic. de Cin., & Cinæis I. vers. 21. Vid. cap. X. vers. 20.

## GORDONI.

*Vers.* I. CUMQUE VIDISSET BALAAM, &c. Accepit quidem a Deo priorem de Israelitis revelationem. Quamvis forte ille ritu impio Deum consulere cogitaverit; tamen hoc loco videtur convertisse animum ad Deum verum, ut indicat hic primus versus, & quartus. Sint quidem hic adhibiti ritus vitiosi, non moror: sæpe enim contingit verum Deum inepto invocari modo.

*V.* 3. & 4. ASSUMPTA PARABOLA, hoc est prophetans. Parabolam vocat prophetiam, gravem, & pulchram. Vox Hebr. משל *maval*, *parabola*, significat illustrem aliquam sententiam, ut est proverbium, oraculum: sic משלי Parabolæ Salomonis. Additur, CUIUS OBTURATUS EST OCULUS; hoc est, non oculo videns corporis, sed mente per ecstasim illustratus prophetat. Hinc vers. 4. QUI CADIT, scilicet in ecstasim, mente videt.

*V.* 7. TOLLETUR PROPTER AGAG, REX EIUS. Prophetia est de Saule Rege, qui propter Agag privabitur regno, ut habes I. Reg. XV. Hieronymus cap. XXXVIII. Ezech. Consentit editio Hebraica; tamen Septuaginta vertunt, *Exaltabitur Gog*: sed verior est lectio prior. Aqua, & semen hic designant opum abundantiam, & numerosam posteritatem.

*V.* 8. SAGITTIS SUIS CONTERET HOSTES: devorabunt, id est consument.

*V.* 15. OBTURATUS. Vide vers. 3.

*V.* 17. VIDEBO EUM. Prophetat in persona posteritatis, quæ videbit regnum Christi, qui est virga, & stella. Aliqui tamen hæc interpretantur de David, qui Moab, & Idumæos subegit, II. Reg. VIII. sed recte Chald. *Ungetur Christus de domo Israel*.

*V.* 18. & 19. HEREDITAS SEIR, hoc est Idumæa: nam Esau dictus est tum Edom, tum Seir. Per civitatem hic vers. 19. Romam plerique intelligunt: & sic ad Christum referri debet; si vero ad David, per enallagen erit CIVITATIS pro civitatum.

*V.* 20. & 21. Ex edito monte prospiciens regionem Amalec, prædicit excidium per Saul, I Reg. XV. PRINCIPIUM GENTIUM, seu præcipua tunc natio, & nobilis, aut *principium bellorum*, ut habet Chaldæus. Cinæi sunt posteri Iethro, qui quamvis nunc associati Iudæis, tamen vastabuntur ab Assur. Quando Salmanasar transtulit decem Tribus, IV. Reg. XVII. translati tunc sunt Nephtalitæ, & Cinæi habitantes inter illos.

*V.* 24. IN TRIERIBUS, in triremibus. Historia hæc est, & notissima. Pro ITALIA, Chaldaice *Romani*: in Hebr. est כתים *Cittim*, & Cyprum significat, ad cuius latus (ut sciunt Geographi) est Italia; & hoc ipsum est in Hebr. ubi ad verbum est, venient ex latere מיד *miiad*, aliqui vertunt, *ex littore*. Pagninus, *de manu*. Quod est PERIBUNT, ad quos referatur plenæ sunt historiæ.

## Ex EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 14. DABO CONSILIUM. Colligimus ex cap. XXX. 16. & Apoc. II. consilium fuisse, ut per mulieres induceret Israelitas ad peccandum, & sic desererentur a Deo.

*V.* 15. OBTURATUS, ut dixi vers. 3.

# CAPUT XXV.

*Ob fornicationem Israel cum Madianitis iubet Deus principes suspendi; ipsique Phinees dat perpetuum sacerdotium, eo quod divino zelo Zambri, & Cozbi pugione confodisset.*

1. MOrabatur autem eo tempore Israel in Settim, & fornicatus
est populus cum filiabus Moab, 2. quæ vocaverunt eos ad
sacrificia sua. At illi comederunt, & adoraverunt Deos ea-
rum. 3. (a) Initiatusque est Israel Beelphegor: & iratus Do-
minus, 4. ait ad Moysen: (b) Tolle cunctos principes popu-
li, & suspende eos contra solem in patibulis: ut avertatur
furor meus ab Israel. 5. Dixitque Moyses ad Iudices Is-
rael: (c) Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.
6. Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madia-
nitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores
tabernaculi. 7. (d) Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filii Aaron sacer-
dotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, 8. ingressus est post
virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulie-
rem, in locis genitalibus. Cessavitque plaga a filiis Israel: 9. & occisi sunt viginti
quatuor millia hominum. 10. Dixitque Dominus ad Moysen: 11. Phinees filius
Eleazari filii Aaron sacerdotis avertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo
commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo: 12. † id-
circo loquere ad eum: (e) Ecce do ei pacem fœderis mei, 13. & erit tam ipsi
quam semini eius pactum sacerdotii sempiternum, * quia zelatus est pro Deo
suo, & expiavit scelus filiorum Israel. 14. Erat autem nomen viri Israelitæ qui
occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione & tribu Si-
meonis. 15. Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Coz-
bi, filia Sur principis nobilissimi Madianitarum. 16. Locutusque est Dominus ad
Moysen, dicens: 17. (f) Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos: 18. quia
& ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidiis per idolum Phogor, &
Cozbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ pro sa-
crilegio Phogor.

(a) Ios. xxii. 17. (b) Deuter. iv. 3. (c) Exod. xxxii. 27. (d) I. Mach. ii. 26. Psal. cv. 30. I. Cor. x. 8. (e) Eccli. xlv. 30. I. Mach. ii. 54. (f) Infra xxxi. 2.

## BRUGENSIS

### ROMANA CORRECTIO.

V. 13. *Quia zelatus est pro Deo suo.* Non addas *zelo.*

### LECTIONUM VARIETAS.

V. 12. *Idcirco loquere ad eum.* Alii libri supplent plurale *ad eos*, loco singularis: neutrum enim Hebraice legitur.

COM-

# COMMENTARIA.

## S A.

*Verſ.* 3. INITIATUSQUE. Hebr. *coniunctus*; LXX. *ſacrificavit*; Chal. *coniunctus cultoribus Beelphegor*. BEELPHEGOR, id eſt idolo quod colebatur in monte Phegor; quaſi dicat: Se ei conſecrarunt, eius ritus ſervantes.

*V.* 4. CONTRA SOLEM, id eſt coram ſole, ſcilicet publice. Hebr. *Domino, coram ſole*. Chald. *Iudica, & occide illum qui reus fuerit mortis, coram Domino contra ſolem*.

*V.* 6. MADIANITIDEM, ſcilicet *adductam in caſtra*, ut dicitur Hebraice.

*V.* 7. PUGIONE. Hebr. Chald. & LXX. *haſta*, ſeu *lancea*.

*V.* 8. GENITALIBUS, ſcilicet *mulieris*, ut dicunt Hebr. & Chald. at LXX. *per ventrem*. PLAGA, ſcilicet qua a Deo percuſſi. Chald. *peſtis*.

*V.* 9. OCCISI, ſcilicet a Deo, peſte.

*V.* 12. PACEM; quaſi dicat: Omnino fruetur mea promiſſione, nemine impediente. PACEM FOEDERIS MEI. Sic etiam Chald. at Hebr. & LXX. *pactum meum pacis*.

*V.* 13. EXPIAVIT SCELUS FILIORUM ISRAEL. Chald. & LXX. *Placavit pro filiis Iſrael*.

*V.* 18. SOROREM; quaſi dicat, popularem, ſeu civem ſuam.

## E S T I I.

*V.* 4. TOLLE CUNCTOS PRINCIPES POPULI, ET SUSPENDE EOS ..... UT AVERTATUR FUROR MEUS. Nota, quantum valeat apud Deum digna animadverſio in ſceleratos: nempe ad avertendum furorem Dei a populo. Et quidem, ſi tantum valet apud Dominum iuſta & ſevera animadverſio in malos; e contrario quoque intelligendum eſt quantum Deo diſpliceat, & iram eius provocet iuſtitiæ neglectus, & relaxatio publicæ diſciplinæ. Et utinam ſimilis iuſtitiæ neglectus etiam in nobis non provocaſſet iram Dei.

*V.* 7. & 8. De Phinees. ET ARREPTO PUGIONE, INGRESSUS EST POST VIRUM ISRAELITEM, &c. Pro *pugione*, Græce eſt, *Et cum accepiſſet ſeromaſten in manu*. Et idem vocabulum eſt in Græco IV. Reg. XI. Et Hieronymus quoque illo utitur in Epiſt. LIII. ad Riparium. Eam vocem alii *pugionem*, alii *lanceam*, alii *haſtam* vertunt. Vide Marianum in illam epiſtolam Hieron. Porro non occidit iſtos Phinees privata auctoritate, ne quis putet hoc in exemplum eſſe trahendum, ſed ex ordinatione Moyſis, qui dixerat ad iudices Iſrael, inter quos erat & Phinees ſummi Sacerdotis filius: *Occidat unuſquiſque proximos ſuos*.

*V.* 13. ET ERIT TAM IPSI (Phinees) QUAM SEMINI EIUS PACTUM SACERDOTII SEMPITERNUM. Loquitur Dominus de ſummo Sacerdotio. Fuit autem hoc pactum ſempiternum æternitate legis, id eſt quamdiu lex Moſaica duravit. Fuit quidem interruptio per Heli, & filium, nepotem, ac pronepotem eius, qui erant ex ſtirpe Ithamar patrui Phinees; ſed ita, ut ius ſalvum remanſerit poſteritati Phinees, opportuno tempore declarandum, ſcilicet reddita poſteris eius ſacerdotii poſſeſſione: quod fieri cœpit per Davidem (quoniam quaſi æquali gradu ſacerdotes habuit Abiathar, & Sadoc, II. Reg. XXV. & I. Paralip. XV.) & perfectum eſt per Salomonem; qui, repulſo Abiathar ex poſteris Heli, & Ithamar, Sadoco ex ſtirpe Phinees ſacerdotium generi ſuo debitum reſtituit.

## M A R I A N AE.

*Verſ.* 3. INITIATUSQUE EST ISRAEL BEELPHEGOR. Hebr. *Adhæſit Iſrael Beelphegor*: ſed ſententia eſt eadem. *Beelphegor*, *Priapus*. Iſidor. Lib. VIII. Etym. cap. XI. & hiſtor. Schol.

*V.* 4. SUSPENDE EOS CONTRA SOLEM, pro ad ſolem. Hebr. *Suſpendere fac eos Domino coram ſole*, id eſt palam. Itaque ipſi Principes erant ſuſpendendi; ſed quoniam proximo verſu præcipit Iudicibus ut quiſque proximos occidat, Pagn. vertit: *Fac ut ipſi ſuſpendere faciant eos*. Ego po-

potius credam alios fuisse Principes seu capita populi, alios Iudices.

*V.* 6. INTRAVIT CORAM FRATRIBUS SUIS AD SCORTUM MADIANITIDEM. Hebr. *Adduxit ad fratres suos Madianitidem*: sic Chald. at Sept. *Adduxit fratrem suum ad Madianitidem*.

*V.* 7. ET ARREPTO PUGIONE. Vox *romach* plerisque *lanceam* significat, aut quod *roncha* Italis est, Hispanis *guadagna*; sed ad confodiendum illos pugio erat habilior. Sept. σειρομάςην dixere, quod non omnes una significatione accipiunt.

*V.* 8. PERFODIT...IN LOCIS GENITALIBUS. Hebr. *In vulva* aut *ventre eius*, nempe mulieris, aut in utriusque membro, ut Hebraei putant, pugionem misit.

*V.* 12. ECCE DO EI PACEM FOEDERIS MEI. Hebr. *Ecce ego do ei*, scilicet Phinees, *fœdus meum pacis*.

*V.* 15. FILIA SUR PRINCIPIS NOBILISSIMI. Erat Madianitis. Hebr. *Filia Sur Princeps gentium*, *domus patris in Madian ipse*. *Gentium*, id est familiarum, quæ ex ea prosapia erant, erat Princeps pater Madianitidis.

*V.* 18. DECEPERE INSIDIIS. Vox Hebraica, *versutias, astutiasve significat*. Hinc colligitur, consilio a Madianitis missas puellas, ut Iudæos prosternerent; sed & Hebræi addunt, id consilium dedisse Balaam: id affert Iosephus V. Antiq. cap. IV. Tum Apoc. cap. II. vers. 14. id indicatur: *Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel*, &c. sic infra cap. XXXI. vers. 16.

## MALVENDAE.

*Vers.* I. IN SETTIM. Eusebius, & S. Hieronymus de Locis Hebraicis: *Settim, ubi populus pollutus est fornicatione filiarum Moab. Est autem iuxta montem Phogor: unde & Iesus exploratores ad investigandam & noscendam terram misit Iericho*. Et in Ioel. III. *Est autem Settim locus iuxta Liviadem trans mare mortuum, sexto ab ea distans milliari, ubi quondam cum Madianitis fornicatus est Israel*. De Liviade diximus cap. XXIII. vers. 28. Quidam existimant ligna illa שטים *schittim*, pretiosissima sacris litteris commendata, de quibus egimus Exod. XXV. 5. dicta a loco isto quod ibi abunde provenirent; alii vero volunt locum hunc ab illo arborum genere, quarum credibile est eum fuisse feracem, nomen habuisse. Numer. XXXIII. vers. 49. appellatur *Abel Settim*; & Ioel. III. vers. 10. *Nachal Settim*. Fuit postrema Israelitarum mansio, seu statio. ET FORNICATUS EST POPULUS CUM FILIABUS MOAB. Quidam ad utramque scortationem referunt, & carnalem, & spiritualem, id est idololatriam. Volunt autem hæc accidisse consilio Balaami, quod dederat ipsi Balak regi Moabitarum, ut scilicet speciosissimas mulieres mitteret ad castra Israelitarum, quæ eos ad fœdam libidinem exercendam incitarent; ea tamen lege ut nullis sui copiam facerent, nisi deos earum adorarent: sic enim fore ut populus Israel gravissimam in se iram Dei provocaret, inque hostium manus incideret. Atqui id fuisse consilium Balaami, satis diserte affirmatur infra cap. XXXI. vers. 16. & Apocalyp. II. vers. 14. de qua re vide Iosephum IV. Antiquit. cap. VI. *Cum filiabus Moab*: & cum filiabus etiam Madianitarum, infra dicitur cap. XXXI. vers. 16.

*V.* 3. INITIATUSQUE EST ISRAEL BEELPHEGOR. צמד *tzamad*, proprie *coniugatus*, *combinatus*, *colligatus*, *copulatus*, *coniunctus fuit*: *Et coniugatus fuit Israel ipsi Bahal Peghor*. Alii: *Et conglutinatus fuit, adhæsit Israel ipsi Bahal Peghor*. Sic Psalm. CV. vers. 28. *Et coniugati sunt ipsi Bahal Peghor*. Huc respexit Paulus II. Corinth. VI. vers. 14. cum dixit: *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. Sic vers. 5. infra. *Beel Phegor*. Heb. בעל פעור *bagbal peghor*. S. Hieronymus Lib. I. in Iovinianum: *Proprie quippe Phegor lingua Hebræa Priapus appellatur*. Idem habet in extremum XXV. Isaiæ. Consentiunt omnes esse deum seu idolum Moabitarum, quod gentes voce parum depravata *Priapum* vocarunt: vel ab apertione, hoc est nuditate, quia deus erat turpitudinis & libidinis, quæ Hebræis nuditatis appellatione significatur; eiusque cultus consisteret in otio, comessationibus, vacatione, & libertate ab omni disciplina, honestate, & pudicitia: vel quod sit apertor oris, id est foraminis, seu habens apertorem, scilicet foraminis; vel quod apertus, nudus, retectusque ingenti virili membro pingeretur.

De

De Priapo plura Gyraldus syntagmate VIII. de diis gentium. Nonnulli Chemos & Baal Pephor, unum & eumdem Moabitarum deum arbitrantur. Alii a Peghor monte, supra XXIII. verf. 28. dictum volunt Bahal Peghor, ut Iupiter Olympius: quod ibi coleretur.

*V.* 4. Et suspende eos. הוקע *hokagh*, reddunt, *Et distende*, *divelle*, *luxa*, *loco dimove:* voluntque esse illud supplicii genus quod Hebræor. XI. verf. 35. dicitur *Distenti sunt*, vel, ut Græce est, *Tympanizati sunt*: de quo dicemus II. Machabæor. VI. verf. 19. 28. & in loco Hebr. XI. Alii: *Et crucifige eos*, ut II. Samuel. XXI. verf. 6. & 9. *Eos*, quidam non ad principes populi referunt, sed ad eos qui ex populo peccaverunt: unde exponunt: *Assume* tecum in iudicium *omnes principes populi*, atque illis præsentibus iudicium fer in populares idololatras, *& suspende eos*, nempe noxios ex populo. Quem sensum afferunt Chaldæi Interpretes, & firmant verba sequentis verf. 5. *Dixitque Moses ad iudices Israel*, *&c.* Contra solem Hebr. *coram sole*. Quidam exponunt, claro, pleno, ac sereno die. Alii, publice, palam, in propatulo, ut sint omnibus exemplo, ut II. Samuel. XII. verf. 11. Nonnulli, hoc ipso die antequam occidat sol: nam uno die durasse plagam illam legimus infra verf. 18. & I. Corinth. X. verf. 8. Philo de specialibus legibus. *Erat necessarium hostes universi mundi sublime in conspicuum locum attollere, & punitos illos ostendere soli, cælo, aeri, aquæ, terræ*,

*V.* 5. Dixitque Moyses ad Iudices Israel: suspensis iam puta primoribus Israel, ut quidam interpretantur. Proximos suos. Hebr. *viros*, seu *homines suos*, id est suæ curæ commissos secundum ordinem institutum Exodi XVIII. verf. 25.

*V.* 6. Intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem. Hebr. *Venit*, *& adduxit ad fratres suos Madianitidem* quamdam: quidam notant, nempe ipsum malum in media castra intulit: adeo non satis illi fuit ad externas mulieres vocantes exivisse cum reliquis, nisi Iehovam probro afficeret, peccaretque elata manu, ut Deus loquitur supra cap. XV. verf. 30. & fratres suos ad libidinem eamdem proritaret.

*V.* 8. In locis genitalibus. Aliqui Hebr. reddunt, *Ad vulvam eius*; id est, officio vulvæ incumbentes, in actu ipso venereo. Alii, *In taberna*, seu *tabernaculo eius*, nempe mulieris. Cessavitque plaga. Hebr. *Coercita est strages*. Quidam præter suspendium primatum, & interfectionem aliorum, verf. 4. & 5. aliam pestis plagam intelligunt, vel ignis, aut similem, qua perierint vigintiquatuor millia verf. 9. Sed rectius est accipere plagam suspendii, & gladii.

*V.* 9. Viginti quatuor millia: quidam exponunt, in plaga illius diei, sive suspendio aut distensione vitam finierint, ut primoribus quasi mille factum est, sive gladio, quo populares ceteri confossi sunt: atque huc respexisse Paulum I. Corinth. X. verf. 8. viginti tria millia, id est confossos tantum numerantem. Ita conciliant hunc locum cum illo Pauli. De quo ibidem dicemus.

*V.* 12. Pacem foederis mei. Heb. *pactum meum pacis*: aliqui, *meum fœdus*, fœdus *pacis* id est, decretum æternum quo illi sacerdotium adiudico, & illum dono reconciliatione mea cum populo. Vide Sacerdotii seriem I. Paralipom. VI. verf. 4. & seqq. Alii, *fœdus meum integritatis*, id est integerrimum, firmissimum, stabile: vel *fędus meum pacis*; id est, decernam ei perpetuam salutem, incolumitatem, ac felicitatem.

*V.* 13. Pactum sacerdotii sempiterni. Hebr. *fœdus sacerdoturæ æternitatis*, alii, *fędere sacerdotium perpetuum*; id est, decreto tam perpetuo & irrevocabili, quam est fœdus inter partes initum. Vide supra cap. VIII. verf. 19.

*V.* 15. Principis nobilissimi Madianitarum. Hebr. *Caput populorum domus patris in Madian erat*. Aliqui: *Qui primarius nationum paternæ familiæ inter Madianitas erat*: ac propterea etiam in Madianitarum regibus numeratur infra cap. XXXI. verf. 8. Alii: *Qui caput fuit populorum in domo patria Madianitarum*: vel *princeps populorum erat ipse*, *& princeps familiæ patris in Midian*. Hispanica translatio: *Principe de pueblos*, *padre de familia en Madian*,

*V.* 18. Et decepere insidiis. Hebr. *In machinis suis*, *quas machinati sunt vobis*, Alii: *In ingeniis suis*, *quibus inge-* niati

*niati fuerunt erga vos*. Nonnulli: *In versutiis, vafritiis suis, quas excogitaverant, proprie, vafrifitiati sunt contra vos*. Quidam: *In insidiis suis, quas insidiose tetenderunt vobis*: nempe dolo &, arte formosarum mulierum.

## MENOCHII.

*Verſ.* 1. IN SETTIM, quæ eſt 42. & ultima manſio in deſerto. Hic geſta ſunt quæcumque ſequuntur uſque ad finem Deuteronomii.

*V.* 2. QUAE VOCAVERUNT EOS AD SACRIFICIA SUA, iuxta conſilium Balaam cap. XXIV. num. 14. CUM FILIABUS MOAB, & cum filiabus Madian, ut patet num. 6. & 17.

*V.* 3. INITIATUSQUE EST ISRAEL BEELPHEGOR: uſurpavit ſacra idoli Beelphegor; illi ſe addixit, coniunxit, & conſecravit. *Beelphegor* eſt Priapus; quaſi dicat, *Deus apertionis*: hoc enim vox Hebræa ſignificat, *Deus nuditatis*. Familiare autem eſt Hebræis ut nuditatis nomine obſcœnam partem intelligant.

*Verſ.* 4. TOLLE CUNCTOS PRINCIPES POPULI, ET SUSPENDE EOS; id eſt, congrega principes, ut illi quaſi iudices iubeant ſuſpendi contra ſolem eos qui fornicationis, & idololatriæ Beelphegor ſunt rei: vel iube ſuſpendi ipſos principes qui impietati illi faviſſent, aut, cum deberent pro officio, non reſtitiſſent. CONTRA SOLEM, coram ſole, publice. Quæ palam, fiunt, phraſi Hebraica dicuntur fieri in ſole, aut in oculis ſolis: ſic dictum David. II. Reg. XII. 11. *Dormiet cum uxoribus tuis in oculis ſolis huius*.

*V.* 4. OCCIDAT, ſuſpendat.

*V.* 6. UNUS DE FILIIS ISRAEL. Quis hic fuerit dicitur infra num. 14.

*V.* 7. PUGIONE, telo. Hebr. רמח *romach*: quam vocem noſter Interpres modo *pugionem*, modo *haſtam*, modo *lanceam* vertit.

*V.* 8. CESSAVITQUE PLAGA A FILIIS ISRAEL: ex quo apparet non ſuſpendio ſolum, ſed etiam plaga a Deo immiſſa, fuiſſe plures necatos. Quæ fuerit plaga, non exprimitur in ſacro textu: Ioſephus peſtem interpretatur.

*V.* 9. OCCISI SUNT, partim plaga divinitus immiſſa, partim ſuſpendio, viginti quatuor millia hominum.

*V.* 12. DO EI PACEM FOEDERIS MEI; id eſt, certitudinem, & ſecuritatem pacti mei firmiter decerno, & quaſi paciſcor, promittoque illi.

*V.* 13. PACTUM SACERDOTII SEMPITERNI: quod ſcilicet ipſe cum ſua ſtirpe, poſt patrem Eleazarum ſuccedet in Pontificatum, qui illi, & familiæ illius perpetuo manebit. Quamvis enim ad Heli, eiuſque poſteros Pontificatus fuerit translatus, qui non erat de filiis Phinees, & Eleazari, ſed Ithamar; tamen poſtea rediit ad eoſdem poſteros Phinees, & in iis manſit uſque ad Chriſtum. EXPIAVIT SCELUS FILIORUM ISRAEL, placato Deo, heroico illo facto ex zelo divini honoris.

*V.* 17. HOSTES VOS SENTIANT MADIANITAE, &c. qui præcipue fuerant ſcandalo Hebræis per ſubmiſſa ſcorta. Moabitis parcitur partim in gratiam Lot, cuius poſteri erant, ut dicitur Deut. II. 19. partim ob Ruth, ex qua David, & Chriſtus naſcituri. Poſtea Moabitæ Davidi pœnas dederunt II. Reg. VIII. 2.

*V.* 18. SOROREM SUAM, gentilem ſuam. PERCUSSA EST, a Phinees. IN DIE PLAGAE: nam eadem die graſſabatur plaga a Deo immiſſa.

## TIRINI.

*Verſ.* 1. FORNICATUS EST POPULUS, utraque fornicatione, corporali, & ſpiritali, id eſt idololatria, inquit Lyranus, & Oleaſter. Addit Villalpandus *a*, uno eodemque actu phyſico fornicationis coluiſſe idolum: nam tali turpitudine colebatur Beelphegor, id eſt Priapus, teſte S. Hieronymo, Iſidoro, Theophylacto, Adrichomio, Maſio, Aria, Ribera, Lorino *b*, Dicitur autem *Beel-Phegor* hebraice, id eſt *dominus opertionis*, id eſt obſcœnitatis; quaſi dicat, Deus nuditatis. Ita auctores iam citati. Ab hoc idolo nomen idem Phogor monti, & urbi, in quibus maxime colebatur, inditum fuit Numer. XXIII. verſ. 28. & Ioſue XIII. verſ. 20. Uſque eo autem invaluit ſubinde etiam apud Hebræos pudendus huius Dei cultus etiam per feminas principes, ut mater quoque Aſa regis Iuda ſordibus illis præeſſe vellet, III. Reg. XV. 13. ſed Rex illam vi dimovit, & Priapum evertit.

Por-

Porro lenocinia & artes quibus Madianiticæ puellæ deceperunt hic Hebræos, fuse enarrat Iosephus *c*.

*V.* 12. Do ei pacem foederis mei; hoc est, ineo cum Phinees fœdus pacificum, quo secure & pacifice perfruetur: nempe quod in posteris suis perpetuo fungetur Sacerdotio, scilicet summo.

Petes: Quomodo hoc subsistit, cum post pronepotem Phinees translatus fuerit Pontificatus ad Heli, qui erat de familia Ithamari patrui Phinees? teste Iosepho, & Scriptura *d*. Respondeo, fœdus hoc conditionatum fuisse, si nempe posteri ipsius in fide & cultu Dei constantes perseverarent. Sic enim fœdera, quia mutua, obligationem utrimque inducere solent. Vi tamen huius fœderis factum videtur, quod, resipiscentibus posteris Phinees, tempore Davidis, & Salomonis recuperarint Pontificatum, quem per Heli amiserant; semperque deinceps retinuerint in sua familia, saltem usque ad tempora Herodis, cum iam non amplius iure successionis, sed vel pretio, vel gratia principum, Pontificatus obtineretur *e*.

(*a*) Villalpan. in Ezech. xliii. Lib. IV. cap. lxxix.
(*b*) Hieron. Lib. I. advers. Iovinian. & in Isaiæ xxv. Oseæ iv. 9. Isidor. Lib. V. Originum cap. ii. Theophyl. in Oseæ iv. & ix. Adrich. in Theatro, in Ruben. Lorinus in Psalm. cv.
(*c*) Iosephus. Lib. IV. Antiquit. cap. v.
(*d*) Ioseph. Lib. V. Antiquit. cap. ult. & Lib. VIII. cap. I. I. Paralip. xxiv. vers. 3.
(*e*) Supra cap. xx. vers. 28.

## GORDONI.

*Vers.* 1. En mansionem ultimam, seu quadragesimam secundam Hebræorum, quæ est in Campestribus Moab, in Settim, ubi gesta sunt omnia quæ deinceps narrantur usque ad finem Deuteronomii.

*V.* 2. Duplex his versibus notatur fornicatio: una quidem cum filia principis, vers. 6. & 15. altera inde secuta per speciem quamdam idololatriæ, hic vers. 2. dum decepti Israelitæ (quod erat consilium Balaam) comedunt idolothyta in honorem Beelphegor: hinc castigatio, de qua vers. 4. & deinceps. De his Psalm. cv. vers. 28.

*V.* 3. Beelphegor. Imago viri nudi, & Deus concupiscentiæ. Idem sunt Bel, Belus, Beel, & Baal: estque commune nomen deorum, & additione vocis designabatur certus aliquis Deus, ut *Beelzebub*, *Deus muscarum*, abigebat muscas: *Beelsephon*, *Deus aquilonis*: *Beelphegor*, *Deus Phegor*, a monte in quo colebatur.

*V.* 4. Intellige principes populi, eos qui peccaverunt, non vero innocentes.

*V.* 5. Occidat unusquisque, scilicet suspendio.

*V.* 11. Hinc fit ut versu 13. confirmet Deus Pontificatum domui Phinees, longo tempore, & quamdiu stabit Iudæorum Respublica. Sed quomodo ergo post eius pronepotem translatus est Pontificatus ad Heli, qui erat de familia Ithamari? Ita quidem est: nam hæc promissio non impediebat quin propter peccata posterorum Phinees, transiret tempore aliquo Pontificatus ad familiam Ithamari. Postea tamen, ut erat promissum, rediit ad posteros Phinees, & familiam Eleazari Aaronicam, nempe ad Sadoc sub Davide, & Salomone, & ibi mansit, quamdiu stetit legitimum ius successionis Pontificiæ.

*V.* 13. Pactum sacerdotii sempiternum. Promittitur hic Pontificatus continuatio in posteris Phinees, quamdiu scilicet stabit Iudæorum Respublica; ut iam expressi.

*V.* 16. Nunc Moabitis parcit Deus (unde Lot, & Ruth) quos postea castigabit David II. Reg. cap. viii. vers. 2.

*V.* 18. Sororem suam: intellige non quidem ducis, cuius erat filia, sed Madianitarum, qui dolo deceperunt. Et clarum hoc est apud Septuag. ἀδελφὴν αὐτῶν *eorum sororem*: & in Hebr. אחתם *achotam*, ubi est affixum pluralis numeri.

## Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 6. Unus. Quis sit, docet vers. 14.

*Ver.* 7. *Pugionem* hic aliqui *hastam* interpretantur.

*V.* 8. Plaga. Plures occisi. Iosephus pestem interpretantur.

## CAPUT XXVI.

*Numerantur Iſraelitæ per ſingulas tribus, qui bello apti, ſunt terram promiſſionis ingreſſuri.*

1. POſtquam noxiorum ſanguis effuſus eſt, dixit Dominus ad
Moyſen & Eleazarum filium Aaron ſacerdotem: 2. (*a*) Nu-
merate omnem ſummam filiorum Iſrael a viginti annis &
ſupra, per domos & cognationes ſuas, cunctos qui poſ-
ſunt ad bella procedere. 3. Locuti ſunt itaque Moyſes &
Eleazar ſacerdos in campeſtribus Moab ſuper Iordanem con-
tra Iericho, ad eos qui erant 4. a viginti annis & ſupra,
ſicut Dominus imperaverat, quorum iſte eſt numerus: 5. Ruben primogenitus
Iſrael: (*b*) huius filius, Henoch, a quo familia Henochitarum: & Phallu,
a quo familia Phalluitarum: 6. & Heſron, a quo familia Heſronitarum: &
Charmi, a quo familia Charmitarum: 7. Hæ ſunt familiæ de ſtirpe Ruben:
quarum numerus inventus eſt, quadraginta tria millia & ſeptingenti triginta.
8. Filius Phallu, Eliab: 9. huius filii, Namuel & Dathan & Abiron: iſti ſunt
Dathan & Abiron principes populi, (*c*) qui ſurrexerunt contra Moyſen &
Aaron in ſeditione Core, quando adverſus Dominum rebellaverunt: 10. & ape-
riens terra os ſuum devoravit Core, morientibus plurimis, quando combuſſit
ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum eſt grande miraculum, 11. ut,
Core pereunte, filii illius non perirent. 12. Filii Simeon per cognationes ſuas:
Namuel, ab hoc familia Namuelitarum: * Iamin, ab hoc familia Iaminitarum:
Iachin, ab hoc familia Iachinitarum: 13. Zare, ab hoc familia Zareitarum; Saul,
ab hoc familia Saulitarum. 14. Hæ ſunt familiæ de ſtirpe Simeon, quarum om-
nis numerus fuit, * viginti duo millia ducenti. 15. Filii Gad per cognationes ſuas:
Sephon, ab hoc familia Sephonitarum: Aggi, ab hoc familia Aggitarum; Suni,
ab hoc familia Sunitarum: 16. Ozni, ab hoc familia Oznitarum: Her, ab hoc
familia Heritarum: 17. Arod, ab hoc familia Aroditarum; Ariel, ab hoc fa-
milia Arielitarum. 18. Iſtæ ſunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit, * qua-
draginta millia quingenti. 19. (*d*) Filii Iuda, Her & Onan, qui ambo mortui
ſunt in terra Chanaan. 20. Fueruntque filii Iuda, per cognationes ſuas: Sela, a
quo familia Selaitarum; Phares, a quo familia Pharesitarum: Zare, a quo fami-
lia Zareitarum. 21. Porro filii Phares: Heſron, a quo familia Heſronitarum: &
Hamul, a quo familia Hamulitarum. 22. Iſtæ ſunt familiæ Iuda, quarum om-
nis numerus fuit, ſeptuaginta ſex millia quingenti. 23. Filii Iſſachar, per cogna-
tiones ſuas: Thola, a quo familia Tholaitarum: Phua, a quo familia Phuaita-
rum: 24. Iaſub, a quo familia Iaſubitarum: Semran, a quo familia Semrani-
tarum. 25. Hæ ſunt cognationes Iſſachar, quarum numerus fuit, ſexaginta qua-
tuor millia trecenti. 26. Filii Zabulon per cognationes ſuas: Sared, a quo fami-
lia Sareditarum: Elon, a quo familia Elonitarum: Ialel, a quo familia Ialelita-
rum. 27. Hæ ſunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit, ſexaginta millia
quingenti. 28. Filii Ioſeph per cognationes ſuas, Manaſſe & Ephraim. 29. De
Ma-

Manasse ortus est Machir, a quo familia Machiritarum. (*e*) Machir genuit Galaad, a quo familia Galaaditarum. 30. Galaad habuit filios: Iezer, a quo familia Iezeritarum: & Helec, a quo familia Helecitarum: 31. & Asriel, a quo familia Asrielitarum: & Sechem, a quo familia Sechemitarum: 32. & Semida, a quo familia Semidaitarum: (*f*) & Hepher, a quo familia Hepheritarum. 33. Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantum filias, quarum ista sunt nomina: (*g*) Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa. 34. Hæ sunt familiæ Manasse, & numerus earum, quinquaginta duo millia septingenti. 35. Filii autem Ephraim per cognationes suas, fuerunt hi: Suthala, a quo familia Suthalaitarum: Becher, a quo familia Becheritarum: Thehen, a quo familia Thehenitarum. 36. Porro filius Suthala fuit Heran, a quo familia Heranitarum. 37. Hæ sunt cognationes filiorum Ephraim, quarum numerus fuit, triginta duo millia quingenti. 38. Isti sunt filii Ioseph per familias suas. Filii Beniamin in cognationibus suis: Bela, a quo familia Belaitarum: Asbel, a quo familia Asbelitarum: * Ahiram, a quo familia Ahiramitarum: 39. Supham, a quo familia Suphamitarum: Hupham, a quo familia Huphamitarum. 40. Filii Bela: Hered, & Noeman. De Hered, familia Hereditarum: de Noeman, familia Noemanitarum. 41. Hi sunt filii Beniamin per cognationes suas, quorum numerus fuit, quadraginta quinque millia sexcenti. 42. Filii Dan per cognationes suas: Suham, a quo familia Suhamitarum. hæ sunt cognationes Dan per familias suas. 43. Omnes fuere Suamitæ, quorum numerus erat, sexaginta quatuor millia quadringenti. 44. Filii Aser per cognationes suas: Iemna, a quo familia Iemnaitarum: Iessui, a quo familia Iessuitarum: Brie, a quo familia Brieitarum. 45. Filii Brie: Heber, a quo familia Heberitarum: & Melchiel, a quo familia Melchielitarum. 46. Nomen autem filiæ Aser, fuit Sara. 47. Hæ cognationes filiorum Aser, & numerus eorum, quinquaginta tria millia quadringenti. 48. Filii Nephthali per cognationes suas: Iesiel, a quo familia Iesielitarum: Guni, a quo familia Gunitarum: 49. Ieser, a quo familia Ieseritarum: Sellem, a quo familia Sellemitarum. 50. Hæ sunt cognationes filiorum Nephthali per familias suas: quorum numerus, quadraginta quinque millia quadringenti. 51. Ista est summa filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia, & mille septingenti triginta. 52. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 53. Istis dividetur terra iuxta numerum vocabulorum in possessiones suas. 54. Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem: singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio: 55. ita dumtaxat ut sors Terram tribubus dividat & familiis. 56. Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores. 57. (*h*) Hic quoque est numerus filiorum Levi per familias suas: Gerson, a quo familia Gersonitarum: Caath, a quo familia Caathitarum: Merari, a quo familia Meraritarum. 58. Hæ sunt familiæ Levi: Familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core. At vero Caath genuit Amram: 59. qui habuit uxorem Iochabed filiam Levi, quæ nata est ei in AEgypto: hæc genuit Amram viro suo filios, Aaron & Moysen, & Mariam sororem eorum. 60. De Aaron orti sunt Nadab & Abiu, & Eleazar & Ithamar: 61. (*i*) quorum Nadab & Abiu mortui sunt, cum obtulissent ignem alienum coram Domino. 62. Fueruntque omnes qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini, ab uno mense & supra: * quia non sunt recensiti inter filios Israel, nec eis cum ceteris data possessio est. 63. Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt a Moyse & Eleazaro sacerdote, in campestri-

stri-

ſtribus Moab ſupra Iordanem contra Iericho. 64. (*k*) Inter quos, nullus fuit eorum qui ante numerati ſunt a Moyſe & Aaron in deſerto Sinai. 65. (*l*) Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in ſolitudine. Nulluſque remanſit ex eis, niſi Caleb filius Iephone, & Ioſue filius Nun.

(*a*) Sup. cap. I. ver. 2. 3. (*b*) Gen. XLVI. 9. Exod. VI. 14. I. Paralip. V. 3. (*c*) Sup. XVI. I. (*d*) Gen. XXXVIII. 3. 4. (*e*) Ioſ. XVII. I. (*f*) Infra XXVII. I. (*g*) Infra XXVII. I. (*h*) Exod. VI. 27. (*i*) Sup. III. 4. Levit. X. I. I. Paralip. XXIV. 2. (*k*) I. Corinth. X. 5. (*l*) *Sup.* XIV. 23. 24.

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 12. *Iamin, ab hoc familia*. Non præponas & coniunctionem ante *Iamin*.

V. 14. *Vigintiduo millia ducenti*. Non mutes nominativum *ducenti* in genitivum *ducentorum*.

V. 18. *Quadraginta millia quingenti*. Nec hic nominativus cum genitivo *quingentorum* commutandus :: ſimiliſque ratio obſervanda verſ. 22. 25. 27. 34. 37. 41. 43. 47. 50.

V. 38. *Abiram, a quo familia Abiramitarum*. Quidam addito *e* ſcribunt *Achiram*, *Achiramitarum*: utroque modo exprimitur littera Hebraica *Heth*, ſeu *Cheth*.

V. 62. *Quia non ſunt recenſiti*. Præferenda eſt coniunctio *quia* pronomini *qui*.

# COMMENTARIA.

## SA.

*Verſ.* I. POSTQUAM, &c. Hebr. & LXX. *Poſt plagam dixit*. Chald. *Poſt peſtem dixit*.

*V.* 3. SUPER IORDANEM, id eſt prope Iordanem: ſic & infra.

*V.* 10. ET FACTUM EST, &c. Hebr. Chald. & LXX. *Et fuerunt in ſignum. Core autem filii non ſunt mortui*. *In ſignum* autem, id eſt in exemplum, ſcilicet ceteris.

*V.* 51. RECENSITI: ſcilicet ſecundo. nam qui primo, ſcilicet ſup. cap. I. non ſunt ingreſſi terram promiſſam. Vide infra.

*V.* 53. VOCABULORUM, id eſt familiarum, quæ vocabulis diſtinguuntur.

*V.* 54. PLURIBUS, id eſt maiori tribui.

*V.* 55. SORS: ſcilicet pro maiori portione inter maiores tribus & familias ſors mittebatur, & pro minori inter minores. Ita ſimul & ratione & ſorte agebatur.

*V.* 58. HAE SUNT; quaſi dicat, etiam hæ familiæ ex Levi ortæ.

*V.* 59. FILIAM, id eſt neptem. Nota, fuiſſe eodem nomine, ſcilicet *Iochabed*, appellatam, & filiam Levi, & neptem, ſecundum quoſdam.

## ESTII.

*Verſ.* 10. & 11. ET APERIENS TERRA OS SUUM DEVORAVIT CORE. Vide ſupra cap. XVI. verſ. 35. ET FACTUM EST GRANDE MIRACULUM, UT CORE PEREUNTE, FILII ILLIUS NON PERIRENT. Quomodo id accidiſſe putet Liranus, vide apud eum, ſi placet. Ubi etiam quæri poteſt, cur id acciderit potius in filiis Core quam in filiis Dathan & Abiron, qui, ut ſatis ſignificatur ſupra cap. XVI. perierunt una cum uxoribus, & filiis. Vide textum Hebræum, & quæ notavimus ad cap. XVI.

*V.* 54. & 55. PLURIBUS MAIOREM PARTEM DABIS, ET PAUCIORIBUS MINOREM .... ITA DUMTAXAT UT SORS TERRAM DIVIDAT. Quod dicitur, *Dabis*, intelligendum eſt per te, vel ſucceſſorem tuum, cui hæc mandabis. Non enim Moyſes terram promiſſam diſtribuit, qui eam non fuit ingreſſus, ſed ſucceſſor eius Ioſue. Quomodo autem præcipiat Dominus pluribus maiorem dari partem, & paucioribus minorem, ac nihilominus diviſionem velit ſorti committi, vide Ioſue XIX.

## MARIANAE.

*Verſ.* 4. SICUT DOMINUS IMPERAVERAT. Hebr. & Sept. addunt, *Moyſi*, *& filiis Iſrael qui egreſſi ſunt de terra AEgypti*. Hoc eſt, qualis numeratio tunc eſt facta, talis nunc.

*V.* 9. IN SEDITIONE CORE. Hebr. *In congregatione*. Sic Sept. & Chald.

*V.* 10. ET FACTUM EST GRANDE MIRACULUM, UT, CORE PEREUNTE, FILII ILLIUS NON PERIRENT. Hebr. *Et fuerunt in ſignum* ( id eſt monimentum memoriale. ) *Et filii Core non ſunt mortui*. Nimirum ſeditionis participes non fuerant: ſic evaſere incolumes.

*V.*40. DE HERED, FAMILIA HEREDITARUM. Illud, *De Hered*. deeſt in Hebraico, & ſuppleri debet ex Vulgata, & Sept.

*V.*53. IUXTA NUMERUM VOCABULORUM IN POSSESSIONES SUAS. Hebr. *Iſtis dividetur terra in hereditate in numero*, id eſt ſecundum numerum, *nominum*. In tot partes ſcilicet divides terram, quot ſunt nomina familiarum.

*V.* 62. AB UNO MENSE ET SUPRA. Alii a viginti annis numerantur. Levitæ a primo menſe, quippe pro primogenitis mutati, qui poſt primum menſem offerendi erant.

*V.*63. SUPRA IORDANEM CONTRA IERICHO. Hebr. *Supra Iordanem Ierìcho*: pars fluvii a vicina urbe nomen accepit. Sic cap. XXII. verſ. I. Tum in Prudentii Hymno II. eadem ratione Iberus fluvius Vaſco vocatur: *Nos Vaſco Iberus dividit*.

## MALVENDAE.

*Verſ.* I. POSTQUAM NOXIORUM SANGUIS EFFUSUS EST. Heb. *Et fuit poſt plagam*. Quidam, *Poſt cladem iſtam*. Alii, *Poſt illam plagam*, qua nimirum ceteri omnes qui ſupra cap. XIV. mortui fuerant a Deo adiudicati, abſumpti ſunt; id eſt, cum ii ſolum eſſent ſuperſtites in quos dividunda erat terræ hereditas, ut oſtenditur infra verſ. 63. & ſeqq. & Deuteron. II. verſ. 14.

*V.* 4. SICUT DOMINUS IMPERAVERAT. Heb. *ſecundum quod præceperat IHUH ipſi Moſi*, *& filiis Iſrael exeuntibus de terra Ægypti*. Mandatum Domini de recenſendo populo fuſe deſcriptum extat capitibus I. II. & III.

*V*: 9. QUI SURREXERUNT CONTRA MOYSEN, &c. Heb. *Qui involarunt ſuper Moſeh*. Alii: *Qui rixati ſunt*, vel *rixam moverunt*, aut *litigaverunt adverſus Moſeh*, *&c.* Nonnulli: *Qui eiaculati ſunt* verba contentioſa *adverſus Moſeh*. Hiſpanicus Interpres: *Que hizieron el motin contra Moyſen*, *&c.* Quidam, quia verbum נצה *natzah* eſt ex Hiphil, tranſitive reddunt: *Qui elevare*, *vel involare fecerunt*, ſabaudi Iſraelem, *contra Moſeh*. Sic ſtatim hoc eod. verſ. Id verbum in Hiphil & LXX. & Noſter Pſalm. LIX. verſ. 2. *ſuccendere*, *accendere*, *incendere* exponunt: quod hic recte congruit: *Qui accenderunt*, ſcilicet multitudinem, *contra Moſeh*, *&c.*

*V.*10. DEVORAVIT CORE MORIENTIBUS PLURIMIS. Heb. *Deglutivit eos*, *& Korach*, *in moriendo cœtum*. Plerique hic intelligunt, Core cum ſuo cœtu abſorptum a terra. Alii reddunt: *Abſorſit eos*, & quæ erant *Korachi*, *moriente cœtu illo*. Sic accipiendum eſſe volunt, e cap. XVI. verſ. 32. Korachum enim ipſum cum illis ducentis quinquaginta viris fuiſſe quos ignis cæleſtis conſumpſit, ſupra cap. XVI. verſ. 35. Unde quidam in hanc ſententiam ita Hebræa convertunt: *Et deglutiit eos*. *Deinde & Corach qui periit in morte congregationis*, *cum ignis devoraret ducentos quinquaginta viros*. Aliqui notant, non ſatis conſtare ex Scriptura qua morte ſublatus ſit Core, num incendio cum 250. viris, num deglutitus a terra: niſi quod eo magis inclinant, nomine Korach intelligi hic eius tabernaculum, & omnia quæ ad eum pertinebant: quod is perſonaliter erat cum ducentis quinquaginta illis. ET FACTUM EST GRANDE MIRACULUM. Heb. *Et fuerunt in ſignum*; id eſt, fuerunt exemplum omnium oculis propoſitum (ut eſt erectum ſignum aut vexillum) divini iudicii & vindictæ in impios ac rebelles, & ut ceteri diſcerent non temnere Deum. Quidam hoc eſſe putant quod Paulus I. Corinth. X. verſ. II. interpretatur: *Hæc omnia typi*, *figuræ contigerunt illi*: *Scripta autem ſunt propter admonitionem noſtri*, *&c.* Alii ſignum pro miraculo capiunt, & ad ſequentia referunt; quaſi dicat: Grande tunc patratum eſt mi-

miraculum, ut pereunte Core cum seditiosorum turba, filii eius non perirent. Quem sensum secutus est Noster. Alii distinguunt: *Et fuerunt ad miraculum. Et filii Korach non sunt mortui*: ut prior pars referatur ad antecedentia, nempe quod illi absorpti a terra fuerunt in perpetuam admirationem, & insigne miraculum in Israel, raro prodigo dehiscente terra, & absorbente impios; posterior indicet filios Korach non fuisse complices patris sui, ac proinde non fuisse mortuos cum patre, & hominibus eius: & hoc non fuit superius cap. XVI. narratum. Quod fieri potuit nullo miraculo, quia revera exemptio a crimine exemit eos a morte; sicut & reliquos qui crimine non fuerunt Koracho innexi. Alii pendulos in aere mansisse filios Korachi ingenti miraculo, somniant. Similem phrasim habes supra cap. XVI. ver. 38.

*V.* 12. NAMUEL. Hic Genes. XLVI. vers. 10. dicitur *Iamuel*.

*V.* 13. ZARE. Heb. *Zerach*. Hic Genes. XLVI. vers. 10. appellatur *Tzochar*.

*V.* 14. VIGINTI DUO MILLIA DUCENTI. In priore censu fuere Simeonitæ quinquaginta novem millia trecenti, supra cap. I. vers. 23. adeo hic imminutus habetur numerus Simeonitarum. Quidam id factum suspicantur, eo quod complures eorum ad Zamrum filium Sallu principem inter Simeonitas sese adiunxissent, supra cap. XXV. vers. 14. atque ob id interfecti fuerint in plaga illa.

*V.* 16. OZNI. Hunc esse putant, qui Genes. XLVI. vers. 16. vocatur *Etzbon*.

*V.* 20. FAMILIA SELAITARUM. Heb. *Familia Selanitæ*. Hæc videtur I. Paralip. IX. vers. 5. appellari *Silonita*.

*V.* 23. PHUA. Heb. *Puuah*. I. Paralip. VII. vers. 1. dicitur *Phuah*.

*V.* 24. IASUB. Iste Genes. XLVI. 13. *Iob* nuncupatur, forsitan per syncopen.

*V.* 30. IEZER. Heb. *Ihezer*: hic Iosue XVII. vers. 2. appellatur *Abighezer*; ut etiam I. Paralip. VII. vers. 18.

*V.* 35. BECHER, vel *Becer*, qui I. Paralip. VII. vers. 20. dicitur *Bered*.

*V.* 36. HERAN, vel *Gheran*. Hunc quidam putant eum esse qui I. Paralipom. VII. vers. 26. vocatur *Hadan*, vel *Hedan*, seu *Ghedan*, facili permutatione Resch in Daleth ob similitudinem. Vide ibi Comm.

*V.* 38. AHIRAM: qui idem, ut volunt, contra recte vocatur *Echi*, Genes. XLVI. vers. 21. & *Achrach* I. Paralipom. VIII. vers. 1.

*V.* 39. SUPHAM. Heb. *Sephupham*. Hic Gen. XLVI. vers. 21. numcupatur *Muphim*. HUPHAM. Heb. *Chupham*. Hic Gen. XLVI. vers. 21. & I. Paralipom. VII. vers. 12. dicitur *Chuphim*.

*V.* 40. HERED. Heb. *Arde*, vel *Ardi*, aut *Ard*, qui I. Paralipom. VIII. vers. 2. per metathesi dicitur *Adar*.

*V.* 42. SUHAM. Heb. *Sucham*. Genes. XLVI. vers. 23. appellatur *Chusim*. HAE SUNT COGNATIONES DAN PER FAMILIAS SUAS. Quidam Hebræa reddunt: *Hi sunt e familiis Danis per familias suas*; id est, ex uno Danis filio diversæ familiæ ortæ sunt.

*V.* 48. IESIEL. Heb. *Iachtzeel*; I. Paralip. VII. vers. 13. *Iechtziel*.

*V.* 49. SELLEM. Heb. *Silem*: I. Paralip. VII. vers. 13. *Salum*.

*V.* 53. IUXTA NUMERUM VOCABULORUM. Heb. *in*, *pro numero nominum*; id est, habita ratione frequentiæ, vel paucitatis in unaquaque familia, sortem in capita divido.

*V.* 55. ITA DUMTAXAT UT SORS TERRAM TRIBUBUS DIVIDAT ET FAMILIIS. Quidam ex Heb. reddunt: *Verumtamen sorte dividitor terra*; *pro nominibus tribuum paternarum suarum possidento*: exponuntque: Sorte dividitor terra, nempe in tribus duodecim, ut per eas viritim hereditas distribuatur ratione illa quæ posita est præcedenti versu. Vide losue XIV. & seq. & etiam infra cap. XXXIII. vers. 54.

*V.* 58. FAMILIA LOBNI, e Gersone orta, supra cap. III. vers. 18. FAMILIA HEBRONI, e Kahath orta, supra cap. III. vers. 19. de familiis Machlitide, & Musitide. Vide cap. III. vers. 20. FAMILIA CORE. Hebr. *Korachitarum*, nempe a Korach orta, supra cap XVI. vers. 1.

*V.* 62. QUIA NON SUNT RECENSITI INTER FILIOS ISRAEL; hoc est, ut quidam exponunt, Israelitarum numeratio dividundæ possessionis causa fuit instituta: quæ causa cum ad Levitas nihil pertinuerit, diverse eos numerandi ratio servata, & seorsim a Mose descripta est.

*V.* 63. SUPRA IORDANEM CONTRA IERICHO, seu *secundum*, *iuxta Iorda-*

*danem ex adverso Iericho*. Hebr. *Supra Iordanem Iericho*; id est, iuxta Iordanem, qua parte labitur iuxta Iericho, vel qua parte non procul distat a Iericho. Quidam putant, eam partem fluvii vicinam Iericho ab urbe ipsa nomen accepisse, quasi Iordanis Ierichuntinus. Vide supra vers. 3. & cap. XII. vers. 1.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. NOXIORUM, fornicantium cum filiabus Madian, & Moab.

*V.* 2. NUMERATE OMNEM SUMMAM FILIORUM ISRAEL. Fuit hic tertius census populi, habitus in limine terræ promissionis, ut illa inter tribus congrue pro numero cuiusque dividi, ac distribui posset. A VIGINTI ANNIS ET SUPRA: quia hi tantum apti censentur ad arma tractanda, & bella gerenda.

*V.* 3. SUPER IORDANEM, iuxta Iordanem.

*V.* 11. CORE PEREUNTE, FILII EIUS NON PERIRENT, qui servati sunt divino miraculo, quia patris peccato non consenserunt.

*V.* 12. FILII SIMEON. Genes. XLVI. 10. Exod. VI. 15. numerantur sex filii Simeonis; hic vero, & Paralip. IV. 24. tantum quinque: omittitur enim Ahod sextus, quia mortuus est sine liberis, unde non habuit familiam, nec sortem in terra Chanaan.

*V.* 38. FILII BENIAMIN. Hic tantum numerantur quinque filii Beniamin, cum tamen decem reliquerit, ut patet Genesis XLVI. 21. quinque ergo reliqui eius filii mortui sunt sine liberis, aut in posteris eorum familia interiit.

*V.* 53. IUXTA NUMERUM VOCABULORUM, id est familiarum, quæ vocabulis distinguuntur.

*V.* 54. SINGULIS, tum hominibus, tum tribubus, tum familiis, tum potius capitibus familiarum, ut ipsi ulterius in singulos suæ familiæ sortem acceptam dividant.

*V.* 57. NUMERUS FILIORUM LEVI, &c. Quinque tantum præcipuæ familiæ Levi numerantur, cum omnes fuerint octo, ut patet Exod. VI. 17. 18. 19. & I. Paral. XXIII. Hic enim familiæ Levi ex professo non numerantur ut ceteræ, eo quod non essent accepturæ sortem cum aliis tribubus, ut dicitur num. 62.

*V.* 62. OMNES, Levitæ. AB UNO MENSE, ex eo quod iusserat Dominus cap. III. 41. & 43. commutari primogenitos Hebræorum in Levitas unius mensis & supra; idque ad paucitatem Levitarum multitudini primogenitorum adæquandam, & simul ad dignitatem Levitarum declarandam: hac de causa iubet hic eos rursum numerari ab uno mense & supra tamquam suos, utpote qui olim eadem ætate servierant redemptioni primogenitorum.

*V.* 65. NULLUSQUE REMANSIT EX EIS, NISI CALEB, &c. Excipe Levitas: nam ex eis supererat Moses, Eleazar, Ithamar, & fortasse multi alii qui numerati fuerant in Sina.

## TIRINI.

*Vers.* 2. NUMERATE OMNEM SUMMAM FILIORUM ISRAEL A VIGINTI ANNIS ET SUPRA. Mortuis iam omnibus qui prima populi lustratione Num. 1. recensiti fuerant, *sexcenta tria millia virorum quinquaginta*; novus hic census iubetur institui, eo quod iam in procinctu essent ut ingrederentur in terram promissam, & hæc ipsis dividi deberet. Quo lustro reperti sunt *sexcenta millia, & mille septingenti triginta*. Unde patet, summam pugnatorum hoc quadragesimo anno initam non æquasse summam censorum primo censu anno secundo egressus ex AEgypto, sed inferiorem illa fuisse mille octingentis viginti capitibus.

*V.* 53. ISTIS DIVIDETUR TERRA IUXTA NUMERUM VOCABULORUM, id est *nominum*, ut est in Hebræo, Chaldæo, & LXX. id est per singula capita nominatim recensita. Sensus est, tribui uni plus, vel minus terræ donandum esse, quo plura vel pauciora essent in tribu capita: nam sequitur:

*V.* 54. PLURIBUS MAIOREM PARTEM DABIS, ET PAUCIORIBUS MINOREM. Sic tamen ut in divisione terræ, non solius mensuræ haberetur ratio, sed etiam, & quidem ante omnia, fecunditatis soli, ut factum ait Iosephus *a*. Indeque contigisse, quod tribus Beniamin,

licet numero multis aliis tribubus esset maior, tamen angustissimam sortem acceperit, quod optimum fertilissimumque totius Chananaeæ tractum nacta esset, Ierichuntem puta, & Ierosolymam.

*V.* 55. ITA DUMTAXAT UT SORS TERRAM TRIBUBUS DIVIDAT ET FAMILIIS. Petes: Quomodo sors hic habere potuit locum, cum iubeatur ratio haberi capitum plurium, pauciorumve, & praeterea bonitatis ac fertilitatis soli? Respondeo, haberi potuisse hoc modo. Geometrae dividebant cis Iordanem terram in novem partes aequales cum dimidia: nam reliquae duae tribus cum dimidia iam sine sorte terras suas trans Iordanem *b* acceperant. Super his novem cum dimidia vel decem partibus iaciebantur sortes quae cuique tribui pars cederet; sed post iactas sortes contrahebatur ea pars a Geometris quae obvenerat uni tribui, in qua pauciores erant numero bellatores quam pars tanta requireret, dilatabatur vero ab iisdem, si in ea plures essent, idque iuxta numerum capitum, & qua parte commodius dilatari, vel contrahi posset.

(*a*) Iosephus V. Antiq. cap. 8.
(*b*) Num. XXXII.

## GORDONI.

*Vers.* 1. Tertius hic census est generalis, habitus anno exitus quadragesimo; ut pro numero, inter tribus dividi terra posset. Dum hic vides auctum numerum familiarum, non est hoc, quod alia sit patris, & filiorum familia, sed est ex familiarum multiplicatione, veluti ramorum.

*V.* 10. & 11. De hoc miraculo, quo filii Core (quorum hic mentio fit) liberati sunt a morte, dixi cap. XVI. vers. 35. & an pater hiatu perierit, an potius igne.

*V.* 53. & 54. ISTIS DIVIDETUR, &c. Dividenda terra est per nomina, non quidem familiarum, sed ex numero capitum. Itaque Tribui uni plus, vel minus terrae dandum, quo plura, vel pauciora habuerit capita: nempe tot iugera millenis, & tot bis, vel ter millenis. Hoc etiam intellige de iugeribus, quo ad fecunditatem aequalibus: vide Ioseph. Antiquit. Lib. V. cap. I. Porro τῷ PLURIBUS, hoc est *maiori tribui*.

*V.* 55. Cum terra sit sorte dividenda, difficultas oritur, quomodo cum illa iam explicata terrarum proportione sors conveniat. Sed de hoc infra Iosue XIII. dicendum: potuit enim aequalitatem distributivam servare peritia Geometrorum astantium huic sortitioni, qui & numerum tribuum tenebant, & mensuram terrae dividendae, ut citato loco dicam.

*V.* 62. Sic quidem Levitae ab uno mense, alii a viginti annis numerantur.

*V.* 63. SUPRA IORDANEM: vel partem fluvii, vicinam urbi Iericho.

## EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 1. NOXIORUM. Qui fornicati sunt cum filiabus Moab, & Madian.

*V.* 2. A VIGINTI ANNIS, nempe apti ad bella.

*V.* 3. SUPER IORDANEM, iuxta.

*V.* 12. FILII SIMEON. Omittitur hic sextus filius, dictus Ahod (de quo Gen. XLVI. 10.) utpote mortuus sine liberis. Eadem omissio fit Paral. IV. 24. Vide Exod. cap. VI. 15. ubi Ahod numeratur.

*V.* 38. Hic quoque tantum numerantur quinque filii Beniamin: totidem omissi ex Gen. XLVI. 11. Hic ergo censentur omissi, quia in posteris extinctae sunt horum omissorum familiae.

*V.* 53. VOCABULORUM, familiarum.

*V.* 57. Hic ubi de bello, non numerantur ex professo familiae Levitarum. Ne ergo mireris aliquas omissas.

*V.* 65. NULLUSQUE REMANSIT EX EIS. Non loquitur de Levitis: nam supererant Moses ipse, Ithamar, & Eleazar.

CA-



# CAPUT XXVII.

*Filiæ Salphaad patri ſuccedunt in hereditatem: dicitque Dominus Moyſen moriturum, ubi ex monte terram promiſſionis conſpexerit.*



1. ACceſſerunt (*a*) autem filiæ Salphaad, filii Hepher, filii Ga-
laad, filii Machir, filii Manaſſe, qui fuit filius Ioſeph: qua-
rum ſunt nomina, Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha,
& Therſa. 2. Steteruntque coram Moyſe & Eleazaro ſacer-
dote, & cunctis principibus populi, ad oſtium tabernaculi
fœderis, atque dixerunt: 3. Pater noſter mortuus eſt in de-
ſerto, nec fuit in ſeditione quæ (*b*) concitata eſt contra
Dominum ſub Core, ſed in peccato ſuo mortuus eſt: hic non habuit mares
filios. Cur tollitur nomen illius de familia ſua, quia non habuit filium? Date
nobis poſſeſſionem inter cognatos patris noſtri. 4. Retulitque Moyſes cauſam
earum ad iudicium Domini. 5. Qui dixit ad eum: 6. Iuſtam rem poſtulant filiæ
Salphaad: da eis poſſeſſionem inter cognatos patris ſui, & ei in hereditatem ſuc-
cedant. 7. Ad filios autem Iſrael loqueris hæc. 8. Homo cum mortuus fuerit
abſque filio, ad filiam eius tranſibit hereditas. 9. Si filiam non habuerit, habe-
bit ſucceſſores fratres ſuos. 10. Quod ſi & fratres non fuerint, dabitis heredita-
tem fratribus patris eius. 11. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hereditas
his qui ei proximi ſunt: eritque hoc filiis Iſrael ſanctum lege perpetua, ſicut
præcepit Dominus Moyſi. 12. Dixit quoque Dominus ad Moyſen: (*c*) Aſcen-
de in montem iſtum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus ſum
filiis Iſrael: 13. cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, ſicut ivit
frater tuus Aaron: 14. (*d*) quia offendiſtis me in deſerto Sin in contradictione
multitudinis, nec ſanctificare me voluiſtis coram ea ſuper aquas. Hæ ſunt aquæ
contradictionis * in Cades deſerti Sin. 15. Cui reſpondit Moyſes: 16. Provideat
Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem
hanc: 17. & poſſit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere:
ne ſit populus Domini ſicut oves abſque paſtore. 18. Dixitque Dominus ad
eum: (*e*) Tolle Ioſue filium Nun, * virum in quo eſt Spiritus, & pone ma-
num tuam ſuper eum. 19. Qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote & omni mul-
titudine: 20. & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut
audiat eum omnis ſynagoga filiorum Iſrael. 21. Pro hoc, ſi quid agendum erit,
Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Ad verbum eius egredietur & ingredietur
ipſe, & omnes filii Iſrael cum eo, & cetera multitudo. 22. Fecit Moyſes ut
præceperat Dominus. Cumque tuliſſet Ioſue, ſtatuit eum coram Eleazaro ſacer-
dote & omni frequentia populi. 23. Et impoſitis capiti eius manibus, cuncta
replicavit quæ mandaverat Dominus.

(*a*) Sup. xxvi. 32. 33. Inf. xxxvi. 2. Ioſ. xvii. 3. (*b*) Sup. xvi. 1. (*c*) Deuter. xxxii. 49. (*d*) Sup. xx. 12. Deuter. xxxii. 51. (*e*) Deuter. iii. 21.

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 14. *In Cades deserti Sin*. Rectius legitur secundo casu *deserti* quam sexto *deserto*, aut *in deserto*.

V. 18. *Virum in quo est Spiritus*: non addas vocem *Dei*.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Vers.* 3. IN PECCATO, id est ob peccatum, scilicet murmurationis contra Dominum.

*V.* 11. SANCTUM, pro sancitum. Hebr. *statutum*. LEGE PERPETUA. Hebr. Chald. & LXX. *iudicii*: scilicet quod iudices servare debeant.

*V.* 14. SANCTIFICARE, id est glorificare. SUPER, id est ad.

*V.* 16. SPIRITUUM, id est animarum. OMNIS CARNIS, id est omnium hominum; quasi dicat, qui nosti corda.

*V.* 17. EXIRE ET INTRARE, id est regere. EDUCERE, scilicet ad bellum. INTRODUCERE, scilicet in urbem, vel terram promissam; vel quasi dicat, qui domum reducat.

*V.* 20. GLORIAE, id est auctoritatis, vel, secundum Augustinum; quasi dicat: Facies eum socium gloriae tuae.

*V.* 21. CONSULET DOMINUM. Heb. *Petet iudicium Urim coram Domino*. Chald. *Consulet pro eo in iudicio illuminationis coram Domino*. Nota, quod Sacerdos summus, cum Deum consulebat, adhibebat pectorale, seu rationale, ubi Urim, & Thummim: itaque I. Reg. XXIII. *Applica*, inquit, *ephod*. EIUS, scilicet Domini; vel Eleazari, consulto Domino.

## ESTII.

*Vers.* 14. QUIA OFFENDISTI ME IN DESERTO SIN, IN CONTRADICTIONE MULTITUDINIS &c. Hebr. est, *Sicut offendistis*; ut sensus sit: Quemadmodum noluistis me sanctificare, & potentiam meam celebrare coram populo murmurante propter aquas; ita vicissim ego non dignabor vos ingressu terrae, quam daturus sum filiis Israel. Ex quo intelligimus, Moysen coram populo talia verba protulisse, ex quibus videretur de potentia Dei dubitare. Hoc enim est quod dicitur, Deum non sanctificasse. Sanctificatur enim Deus ab homine, quando sanctitas eius, aut potestas, aut bonitas, hominis testimonio commendatur.

Mystice autem per hoc quod neque Aaron, neque Moyses permissi sunt ingredi terram promissionis, significatur, quod nec vetus sacerdotium, cuius personam gerebat Aaron, nec ipsa lex, repraesentata per Moysen, introducere possint populum Dei in terram aeternae hereditatis; sed eo introducit Iosue, qui & Iesus vocatur, in quo typus erat Domini nostri Iesu Christi.

*V.* 20. DABIS EI PRAECEPTA CUNCTIS VIDENTIBUS, ET PARTEM GLORIAE TUAE, UT AUDIAT EUM OMNIS SYNAGOGA FILIORUM ISRAEL. Ad Moysen sermo est de Iosue successore constituendo. Hebr. pro *partem gloriae*, est *de gloria tua*, vel de decore tuo. Sed sive legatur *de gloria tua*, sive *partem gloriae tuae*, non significatur gloria Moysi per hoc fuisse ex parte aliqua diminuenda; sed quod Iosue futurus esset socius eius gloriae quae erat in Moyse, ita tamen ut non aequalem cum Moyse gloriam esset habiturus. Nam de Moyse dicitur Deuter. ult. *Non surrexit ultra Propheta in Israel, sicut Moyses*. Patet id etiam ex sequentibus: nam iubetur Iosue in omnibus consulere Eleazarum summum sacerdotem; Moyses autem in omni re dubia per se, & immediate oraculum divinum consulebat.

## MARIANAE.

*Verſ.* 3. SED IN PECCATO SUO MORTUUS EST. Hebræi ſentiunt, hunc Salphaad fuiſſe qui ligna collegit in ſabbato: Hiſt. Schol. Num. XIX. Verum quoniam omnes peccamus, neque ſine illis vivimus, neque morimur; ideo aiunt: Seditionis quidem pars non fuit; peccata tantum propria, & privata commiſit.

*V.* 6. ET EI IN HEREDITATEM SUCCEDANT. Hebr. *Transfer hereditatem patris earum in ipſas*. Patri filiæ ſuccedant.

*V.* 11. ERITQUE HOC..... SANCTUM LEGE PERPETUA. Hebr. *In ſtatutum iudicii*, id eſt magna factum deliberatione: ideo perpetuum hoc decretum de filiarum hereditate vocat Hieronymus.

*V.* 18. PONE MANUM TUAM SUPER EUM. Ecce electio fit manus impoſitione. Inde Græcum χειροτονέω in ſignificatione eligendi.

*V.* 20. ET PARTEM GLORIAE TUAE. Hebr. *Et dabis de gloria tua ſuper eum*: Inſignia magiſtratus, aut auctoritatem regendi, vocat *partem gloriæ*.

*V.* 21. PRO HOC, SI QUID AGENDUM ERIT, ELEAZAR SACERDOS CONSULET DOMINUM. Hebr. *Et in conſpectu Eleazari ſacerdotis ſtabit, & petet ei in iudicio Urim coram Domino* (nempe ſacerdos petet:) *iuxta ſermonem eius egredientur, & iuxta ſermonem eius* (ſacerdotis) *venient ipſi & omnes filii Iſrael. Iudicium Urim* vocat ornatum Pontificum. Urim erat in Rationali: & a parte vocat totum ornatum; ac ſi diceret: Pontifex ſolemni ritu conſulet Deum; Ioſue eius reſponſis obediet.

## MALVENDAE.

*Verſ.* 1. FILII MANASSE. Hebr. addunt, *familiis Manaſſeh*, vel *de familiis*, aut *ad familias Manaſſeh*; id eſt, comparentes inter familias ſuæ tribus, quæ coram Moſe luſtrabantur, ut paternam hereditatem peterent.

*V.* 3. SED IN PECCATO SUO MORTUUS EST. Quidam in hunc modum ratiocinatas putant: Si pater noſter aut in cœtu Korachi fuiſſet, aut eiuſmodi peccatum commiſiſſet, non tantum hereditate, ſed etiam vita privandæ fuiſſemus, ut tum integræ familiæ quæ conſpiraverant, perierunt; atqui peccatum propter quod mortuus eſt, perſonam eius non tranſiit: quare æquum eſt nobis tradi hereditatem eius, ut vita nobis Deo relicta eſt; præſertim cum ex decreto Dei, aliorum qui propter infidelitatem terra excluſi ſunt, liberis hereditas promiſſa, & attributa ſit, ſupra cap. XIV. verſ. 31. & Deuteron. I. verſ. 39. Alii exponunt: *In peccato ſuo*, id eſt proprio, & non communi ſeditionis. Nonnulli: *Ob peccatum ſuum*, cum ſcilicet murmuravit cum aliis in deſerto, qui morſibus ſerpentum interierunt. Hiſpanicus Interpres explicat: *In peccato ſuo*; hoc eſt, *por la comun condicion delos hombres*: ſcilicet communi hominum conditione, ſorte, quæ iis ex peccato obvenit.

*V.* 4. RETULITQUE MOYSES CAUSAM EARUM AD IUDICIUM DOMINI. Nonnulli explicant: Quia adhuc incertum erat, utrum feminæ, deficiente maſcula ſobole, heredes eſſe poſſent; an vero ſola dos ad illas pertineret.

*V.* 6. DA EIS. לָהֶם *lahem*, pronomen maſculum, forte pro לָהֶן *lahen* femineo, quod alibi fieri ſolet; vel, quod potius eſt, ad indicandum virilem & generoſum earum animum, & quod in locum virorum in capienda hereditate ſuccederent. Sic mox, PATRIS SUI, ſeu *eorum*, pronomen eſt maſculeum. Vide Exodi I. verſ. 21.

*V.* 9. FRATRES SUOS. Notant intelligendum id, ſi pater ſuperſtes non erit, ut in hoc exemplo: ſic quoque accipiendum finem verſus 10. volunt: hoc enim modo intelligi hunc verſum oportere, ex duorum proxime ſequentium verſuum analogia oſtendi putant.

*V.* 11. DABITUR HEREDITAS HIS QUI PROXIMI SUNT. Hebr. *Et dabitis hereditatem eius concarneitati eius, propinquæ ad eum de familia eius*. Quidam: *Tunc dabitis hereditatem eius propinquo eius*, qui eſt *propinquus ei*, id eſt illi qui proxime ad eum attinebit, ſeu propinquiori eius *de familia eius*. Alii: *Et dabitis hereditatem eius conſanguineo eius, propinquiori eius, qui fuerit de familia eius*. Nonnulli: *Tunc tradetis poſſeſſionem eius neceſ-*

*ſario*

*fagio eius*, *propinquiori ei ex familia eius*, nempe patris, ex quo filii denominantur. SANCTUM LEGE PERPETUA, id est sancitum. Hebr. *in statutum iudicii*: quidam, *in statutum iudiciale*: alii, *in statutum legitimum*: nonnulli, *in iura & leges*. Id est, secundum hanc legem de huiusmodi iudicabunt inter filios Israel: manebitque sanctum firmum, & inviolabile hoc decretum, quod nullus iudex mutare audebit.

*V.* 13. SICUT IVIT FRATER TUUS AARON. Hebr. *Secundum quod aggregatus fuit Aharon frater tuus*. Vide supra versum 24. cap. xx.

*V.* 14. QUIA OFFENDISTIS ME IN DESERTO SIN. Hebr. *Secundum quod rebellavistis ori meo, &c.* Quidam: *Quemadmodum rebelles fuistis ori meo*. Nonnulla hic subaudiunt: *Ita moriemini, ut rebelles fuistis dictis meis in deserto Zin*. Alii: *Eo quod exacerbastis os meum in deserto Zin*. Nonnulli verba traducunt: *Quandoquidem rebellastis in deserto Tzini in contentione cœtus, contra præstitutum meum*, quod erat, *ut sanctificaretis me ad aquas illas ante oculos eorum*. Vide supra cap. xx. vers. 12. Proprie: *Secundum quod mutavistis os meum*; id est, multa pervertistis, & invertistis in mandato meo, aliter faciendo quam vobis præceperam. HAE SUNT AQUAE CONTRADICTIONIS, &c. Notant: Nam altera ante contigerat in Raphidimis, ubi Deus a neutro fratrum offensus fuerat, Exodi XVII. vers. 7.

*V.* 16. DEUS SPIRITUUM OMNIS CARNIS. Heb. *Deus spirituum omni carni*, seu *ad omnem carnem*; id est, qui dat spiritum omni carni, scilicet vitam, vim, virtutem, energiam, efficacitatem omni homini. Actor. XVII. vers. 25. Alii: *Qui novit corda & mentes omnium hominum*. Quidam: *Deus spirituum, Deus omnis carnis*; id est, Deus qui & spiritus, & carnis est Deus; qui utramque naturam condidit, & gubernat.

*V.* 17. POSSIT EXIRE ET INTRARE ANTE EOS, &c. hoc est, qui domi & foris, & pace & bello rempublicam administret. Proverbialis formula in Deuteronom. XXVIII. 6. Psalm. CXX. 8. Actor. I. vers. 21. quasi dicat: Qui sit ductor & gubernator populi in omni opere, tam bellico quam civili, qui possit educere ad bellum & reducere. Sic vers. 21.

*V.* 18. VIRUM IN QUO EST SPIRITUS. Plerique subaudiunt *Dei*, aut *meus*. Alii: In quo est vigor, vis, & efficacitas animi. Hebraice geminatio, *Virum cui spiritus in eo*, auget significatum; id est virum ingentis spiritus. ET PONE MANUM TUAM SUPER EUM. Hebr. *Et sustentabis, fulcies manum tuam super eum*. Alii: *Et niteris manu tua super eum*; vel, *& impones manum tuam super illum*. Exponunt: Ut hoc pacto videaris resignare ac deponere officium tuum in illum, atque illum populo imponere. Quidam: *Ut imponas manum tuam illi*: nimirum ut hac ratione mancipetur ille Domino ad obeundam sancte administrationem in populo eius. Vide de hoc ritu quæ notavimus Exodi XXIX. vers. 10.

*V.* 20. ET DABIS EI PRAECEPTA CUNCTIS VIDENTIBUS. Hebr. *Et præcipies ei in oculis eorum*. Quidam exponunt: Præcepto publico compelles eum ad suscipiendum officium regendi populum. Quantum ab his absunt qui munia publica per omnes artes ambiunt. Aliqui: *Et dabis ei mandata in oculis eorum*; id est, cunctis præsentibus instrue eum quid agere debeat. Alii: *Mandatis instruas illum ante oculos eorum*, seu cunctis spectantibus. Sic vers. 23. ET PARTEM GLORIAE TUAE. Hebr. varie reddunt, & elucidant. I. *Et dabis ex gloria tua super eum*: aiunt significari insignia gloriæ & magistratus, nescio quæ, quibus tunc populi dux utebatur: quasi iubeatur Moses diademate, vel alio eiusmodi principatus insigni Iosuam investire, ac sibi detractum ei imponere, vel id cum eo communicare. II. *Et dabis, impertieris illi de decore, splendore, honore, laude, gloria tua*; aut *aliquid, partem gloriæ tuæ ei impartire*; id est, transferas in eum gloriam tuam, ornando & commendando eum verbis, ostendasque eum divinitus constitutum. III. *Et dabis de robore, virtute, potentia, dignitate, potestate, imperio, auctoritate tua super eum*; id est, transfundes in eum tuam potestatem & auctoritatem. Aliæ explanationes frigent. UT AUDIAT EUM. Hebr. simpliciter, *Ut audiant*, vel *propterea audient*. Quidam: *Ut ei auscultent*; id est, pareant, morem gerant; obediant, ut dicto sint audientes.

*V.* 21. PRO HOC, SI QUID AGEN-

DUM.

DUM ERIT, ELEAZAR SACERDOS CONSULET DOMINUM. Hebr. *Et ante Eleazarum sacerdotem stabit, & interrogabit ei in Iudicio Urim, coram Domino*. Quidam: *Qui postea coram Eleazar sacerdote stabit, & interrogabit eum de iudicio Urim coram Iehova*; id est, consulet pontificem de rebus agendis tamquam conscius voluntatis Dei: de rebus, inquam, quas revelabit ei agendas Dominus, propter præsentiam nominis sui, quod ipse sacerdos gestat in sacro pectorali. Hic Urim pro summo Pontifice capiunt, ut sit antecedens pro relativo: Interrogabit eum de iudicio Urim; interrogabit pontificem de iudicio pontificis; interrogabit sacerdotem sententiam suam, quid Dominus fieri velit; quasi dicat: Cum aliquid agere volet, interrogabit summum pontificem, qui gestat Urim, & Thummim in pectorali. Aliter. *Interrogabit eum de iudicio*, id est de sententia Urim, & Thummim, quæ erant in pectorali pontificis, in quibus Deus tamquam in speculo voluntatem suam de rebus agendis manifestabit. Aliqui, *De iudicio Urim*, id est de oraculo & iudicio Dei in rebus obscuris & incognitis. Alii, *In iudicio Urim*, id est per oraculum Urim, & Thummim. Vel interrogabit eum Indutum sacro pectorali iudicii, in quo erant sacra illa Urim, & Thummim. *Iudicium* hic pro pectorali iudicii, Exodi XXVIII. vers. 30. ut testimonium pro arca testimonii. Nonnulli reddunt: *Et stabit ante Eleazarum sacerdotem, qui interrogabit ei*, vel *pro eo, secundum ritum Urim, idque coram Domino*. Iudicium pro ritu, infra cap. XXIX. vers. 6. II. Regum XVII. vers. 26. Suppositum verbi *interrogabit*, Hebr. potest esse Eleazar: Ipse sacerdos *interrogabit eum*, scilicet Dominum; vel *ei*, in gratiam eius, vel *pro eo*: nempe interrogabit Iehovam pro Iosue: quem sensum Noster secutus est: aut ipse Iosue interrogabit eum, scilicet sacerdotem: & hic sensus frequentior est apud recentiores. Notabis hic quanto antistet summus pontifex principi, & quanta observantia ac veneratione princeps pontificem colere debeat, tamquam interpretem voluntatis divinæ. De Urim, & Thummim vide Exodi XXV. 15. & 30. & Levit. VIII. 8. AD VERBUM EIUS. Hebr. *super*, *iuxta os eius*, vel *ad præstitutum eius*. Quidam, *Eius*, Iosue nimirum, seu principis, e vers. 17. Alii, *Eius*, Iehovæ, quod proxime præcessit. Melius plerique, *Eius*. Eleazari, seu pontificis summi; ac si dicat: Secundum quod ipse pontifex a Deo edoctus dixerit, princeps ipse Iosue, & filii Israel suscipient aliquid agendum, aut desistent. Non vult Dominus quidquam agere principem, aut populum, inconsulto summo pontifice. EGREDIETUR, ET INGREDIETUR. Volunt esse Hebraismum, *egredi*, & *ingredi*, pro aliquid aggredi faciendum, aut suscepto desistere: alii, pro administrare rempublicam domi forisque, pace belloque, ut supra vers. 17.

## MENOCHII.

*Vers.* 2. AD OSTIUM TABERNACULI. Quia iuxta ostium tabernaculi erat tentorium Mosis, atque ad illud, vel certe ad vicinum atrium tabernaculi conveniebant seniores populi, convocati a Mose ad concilium.

*V.* 3. PATER NOSTER MORTUUS EST IN DESERTO, scilicet ob peccatum murmuris tempore exploratorum, quod peccatum fuit commune totius populi: omnes enim a vigesimo anno, & supra ob hoc peccatum mortui sunt in deserto. CUR TOLLITUR NOMEN EIUS? &c. cur extinguitur familia, & nomen eius? DATE NOBIS HEREDITATEM: nam ex filiis nostris aliquis nomen illius tuebitur, & de familia Salphaad vocabitur, atque ita per lineam femininam nomen illius propagabitur.

*V.* 4. RETULIT CAUSAM AD IUDICIUM DOMINI: consuluit Dominum super hac re.

*V.* 6. DA EIS POSSESSIONEM: iube eis dari cum populus ingressus fuerit Chanaam.

*V.* 11. HIS QUI EI PROXIMI SUNT, masculi scilicet.

*V.* 12. IN MONTEM ISTUM: tum ut ex eo videas terram promissam; tum ut in eo moriaris. ABARIM. Mons hic Abarim saltem secundum diversas partes, & iuga, diversa habebat nomina. Nam vocatur Phasga, Phogor, Excelsa Baal, Nebo: in Nebo enim dicitur mortuus esse Moses Deut. ult. n. 1. Voluit enim Deus Mosen

Mosen mori in monte, non in castris, ne Hebræi ad idololatriam proni eius corpus quasi numen colerent. CONTEMPLARE INDE TERRAM: ut saltem aliqua voluptate fruaris in visione terræ, quam tantopere ingredi optasti, & petiisti. Vide Deut. III. 24. & 25.

V. 13. IBIS ET TU AD POPULUM TUUM. Morieris in Moab, & ibis ad limbum patrum.

V. 16. DOMINUS DEUS SPIRITUUM, qui scilicet spiritus, & corda hominum novit, & scit ad quæ quis aptus sit, quis tantæ gubernationis molem subire, & sustinere possit.

Verf. 17. POSSIT EXIRE ET INTRARE ANTE EOS; id est, possit esse dux, & ductor eorum in omni opere tam bellico quam civili. Est metaphora sumpta a pastoribus educentibus gregem. Hic enim ante exeunt, & intrant, atque ita eum pascunt, & regunt.

V. 18. IN QUO EST SPIRITUS DEI, id est prudentia, pietas, fortitudo, & ceteræ virtutes principi necessariæ. PONE MANUM TUAM SUPER EUM: ut hac ceremonia instituatur successor tuus, & dux populi, & a me spiritu, & gratia ad munus illud opportuna impleatur.

V. 20. DABIS EI PRAECEPTA, de modo regendi populum, maxime ut eum in vera unius Dei religione, ac lege conservet, & promoveat. ET PARTEM GLORIAE TUAE. Da Iosue partem gloriæ; id est, honoris, & auctoritatis tuæ apud populum, ut eum quasi futurum principem reverenter compelles, eumque ut talem toti populo propones, & commendes, ut populus eum pro te acceptet ut ducem, eum revereatur, & audiat. Alii *partem gloriæ* interpretantur insignia magistratus. ET AUDIAT EUM OMNIS SYNAGOGA: illi obediat.

V. 21. PRO HOC, pro Iosue. AD VERBUM EIUS, Eleazari scilicet Iosue aget quidquid agendum erit. TAM IPSE, Iosue scilicet.

V. 23. REPLICAVIT, retulit, enarravit. Heb. est *præcepit*.

## TIRINI.

*Verf.* 3. IN PECCATO SUO MORTUUS EST. Peccatum hoc fuit commune cum reliquis murmur post exploratorum reditum, supra cap. XIV. Cuius peccati pœnam Deus ibidem statuit mortem singulis oppetendam in deserto. Et quia hanc pœnam voluit in parentibus qui soli peccaverant, hærere, neque ad filios extendi, idcirco dicunt filiæ Salphaad parentem in suo peccato mortuum esse.

V. 12. ASCENDE IN MONTEM ABARIM. Est continuatio plurium montium in confinibus Amorrhæorum, & Moabitarum; cuius pars una, seu iugum unum, quod Moyses conscendit, dicebatur Nebo, vel Nabab, eiusque vertex Phasga, uti habes Deuteronomii XXXII. & XXXIV. De peccato Moysis, ob quod exclusus est a terra sancta, dixi supra capite XX. versu 12.

V. 18. PONE MANUM TUAM SUPER EUM. Hoc ritu significabatur Moysem resignare & transmittere potestatem suam in Iosue. Eratque hæc non nuda externa cæremonia qua inauguraretur Iosue princeps populi, sed eadem insuper conferebatur illi Spiritus sapientiæ, qui principi ad regendum est necessarius: conferebatur, inquam, morali quadam efficientia, Moyse id a Deo conceptis precibus expetente. Sic enim dicitur Deuteron. ult. 9. *Iosue filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas.*

V. 20. ET DABIS EI PRAECEPTA, utique ad principis officium rite obeundum spectantia: maxime vero ut strenue adversus hostes rem gerat, Deo fretus nihil metuat, populum in officio suo, & Dei cultu contineat: ut Philo *b* exponit, & colligitur Deut. III. verf. 21. & sequentibus. ET PARTEM GLORIAE TUAE, seu dignitatis, & auctoritatis tuæ communicabis Iosue, ut in posterum tibi non tamquam minister adsit, ut hactenus, sed tamquam princeps assideat, insignia principatus eadem quæ tu gestet, frequenti famulitio cingatur, denique pro principe se gerat in omnibus, & Moysi dignitate sit proximum. Idque UT AUDIAT EUM OMNIS SYNAGOGA; hoc est, ut hac via concilietur ei auctoritas apud populum, & omnes paulatim etiam te vivente, illi parere discant. Ita S. Augustinus *c*, Caietanus, Abulensis, Serarius.

(*a*) Philo Lib. de Caritate
(*b*) Aug. quæst. lv. in Num.

GOR-

## GORDONI.

*Verſ.* 3. IN PECCATO SUO MORTUUS EST. Hoc eſt peccatum, non quidem Core, ob quod etiam liberi caſtigati ſunt, ſed peccatum murmuris, quando redierunt exploratores: fuitque hoc potius quidem populi peccatum (unde perierunt tandem quotquot erant ſupra viginti annos) ſed perſonale, non tranſiens ad puniendos poſteros. Atque hinc ſumunt pro ſe argumentum filiæ Salphad, verbis illis: CUR TOLLITUR NOMEN ILLIUS DE FAMILIA SUA: Aliqui hoc exponunt de peccato aliquo proprio & privato, verbi gratia de collectis lignis in ſabbato. Et ſic ne ſeditionis quidem venia poſtulata eſt.

*V.* 8. Decretum de filiarum hereditate.

*V.* 12. ASCENDE IN MONTEM ISTUM ABARIM. Mons habet nomina varia, ut plures forte montes concludebat: nam Deuter. ult. vocatur *Nebo*, alibi *Excelſa Baal*, item *Phogor*, & *Phaſga*: Adrichom. in Ruben. At quomodo apud Septuaginta πέραν τȣ̃ Ιορδάνου *trans Iordanem*? Sane reſpectu Chananææ.

*V.* 18. PONE MANUM SUPER EUM. Cæremonia fuit in uſu, deſignans poteſtatis tranſmiſſionem. Septuag. in plurali habent χεῖρας. Vide Deuteron. ult. verſ. 9. ubi habemus non fuiſſe hoc nudam manus impoſitionem, ſed cum communicatione poteſtatis, & ſpiritus ſapientiæ ad gubernandum. Hinc verſ. 20. dedit ei ad bene regendum præcepta; & quidem (ut facile eſt colligere) pertinentia ad officium boni principis: & inter alia, ut conſulere Dominum per Eleazarum. Hinc apud Græcos χειροτονέω, ad electionem denotandam.

*V.* 20. PARTEM GLORIAE, inſignia magiſtratus, & auctoritatem.

*V.* 21. Pontifex conſulens Dominum adhibebat rationale, ubi Vrim & Thummim. Vide Præloquium Exod. verbo, Veſtitus.

### EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 2. AD OSTIUM, ubi ſemper erat tabernaculum Moſis.

*V.* 11. QUI PROXIMI SUNT, maſculi.

*V.* 21. PRO HOC, pro Ioſue. AD VERBUM EIUS, Eleazari, EGREDIETUR, ipſe Ioſue.

# CAPUT XXVIII.

*Sacrificia quotidiana & diei ſeptimi ac calendarum, & de duabus ſolemnitatibus azymorum & hebdomadarum.*

1. DIxit quoque Dominus ad Moyſen: 2. Præcipe filiis Iſrael,
& dices ad eos: Oblationem meam & panes, & incenſum
odoris ſuaviſſimi offerte per tempora ſua. 3. Hæc ſunt ſa-
crificia quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos
duos quotidie in holocauſtum ſempiternum: 4. unum offe-
retis mane, & alterum ad veſperum: 5. decimam partem
ephi ſimilæ, quæ conſperſa ſit oleo puriſſimo, & habeat
quartam partem hin. 6. Holocauſtum iuge eſt quod obtuliſtis in monte Sinai
in odorem ſuaviſſimum incenſi Domini. 7. Et libabitis vini quartam partem hin
per agnos ſingulos in Sanctuario Domini. 8. Alterumque agnum ſimiliter offere-
tis ad veſperam, iuxta omnem ritum ſacrificii matutini, & libamentorum eius,
oblationem ſuaviſſimi odoris Domino. 9. (*a*) Die autem ſabbati offeretis duos
agnos anniculos immaculatos, & duas decimas ſimilæ oleo conſperſæ in ſacrifi-
cio, & liba 10. quæ rite funduntur per ſingula ſabbata in holocauſtum ſempi-

æternum. 11. * In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos, 12. & tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos: & duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes: 13. & decimam decimæ * similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos: holocaustum suavissimi odoris atque incensi est Domino. 14. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum: hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt. 15. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis. 16. (b) Mense autem primo, quartadecima die mensis, Phase Domini erit, 17. & quintadecima die solemnitas: septem diebus vescentur azymis. 18. Quarum dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus servile non facietis in ea. 19. Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem: 20. &* sacrificia singulorum ex simila quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, 21. & decimam decimæ per agnos singulos, id est per septem agnos. 22. Et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis, 23. præter holocaustum matutinum quod semper offeretis. 24. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, & in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto, & de libationibus singulorum. 25. Dies quoque septimus celeberrimus & sanctus erit vobis: omne opus servile non facietis in eo. 26. Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis & sancta erit: omne opus servile non facietis in ea. 27. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem: 28. atque in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas, 29. per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem: hircum quoque 30. qui mactatur pro expiatione: præter holocaustum sempiternum & liba eius. 31. Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

(a) Matth. XII. 5. (b) Exod. XII. 18. Levit. XXIII. 5.

## BRUGENSIS

### ROMANAE CORRECTIONES.

V. 11. *In calendis autem offeretis*. Multa exemplaria post *autem* addunt, *Id est in mensium exordiis:* id quod, tamquam commentarium textui mixtum, omiserunt Romani Patres.

V. 13. *Similæ ex oleo*. Non addas participium *conspersæ*, quod satis intelligendum dat præpositio *ex*.

## COMMENTARIA.

### S A.

*Vers.* 2. INCENSUM, id est victimas, quæ incenduntur, seu cremantur. PER TEMPORA SUA, id est statis temporibus.

*V.* 3. ANNICULOS, id est non maiores anno uno, scilicet intra annum ætatis, sed post octavam diem.

*V.* 4. AD VESPERUM. Hebr. *Inter duas vesperas*. Vide Exod. XII.

*V.* 5. HABEAT, scilicet olei.

*V. 6.*

*V.* 6. INCENSI, scilicet holocausti. Hebr. *ignitionis*: sic infra.

*V.* 7. LIBABITIS, id est effundetis, scilicet ad Dei honorem.

*V.* 9. DUOS, scilicet præterea, alterum quidem mane, alterum autem vesperi, ultra illos duos quotidie offerendos in holocaustum.

*V.* 11. CALENDIS. Celebrabatur id festum ob beneficium gubernationis, secundum D. Thomam, ut sabbatum ob creationem; vel, secundum alios, ut temporum initia velut primitiæ offerrentur. Licebant autem opera servilia in hoc festo; ideo in Levit. inter alia festa non connumeratur, quibus ea opera non licebant.

*V.* 13. DECIMAE, id est ephi, quæ est decima pars cori. Hebr. & LXX. *decimam decimam*; quasi dicat, unam decimam per singulos: sic inf. Vide cap. XXIX. Chald. *singulas decimas*.

*V.* 15. IN HOLOCAUSTUM. Hebr. & Chaldaice, *ultra holocaustum*.

*V.* 18. VENERABILIS ET SANCTA, pro celebritas sancta; quasi dicat, solemnissima, seu celeberrima: sic & infra.

*V.* 19. INCENSUM HOLOCAUSTUM, pro sacrificium holocausti ignitum. Chald. *oblationem holocausti*.

*V.* 14. FOMITEM IGNIS; quasi dicat, Holocaustum. QUI SURGET, &c. Heb. & Chald. *ultra holocaustum iuge, & eius libamen*.

*V.* 26. PRIMITIVORUM, scilicet novarum frugum. HEBDOMADIBUS, scilicet septem.

*V.* 28. PER ARIETES DUAS, id est per singulos arietes decimas duas. Vide supra.

## ESTII.

*Vers.* 3. & 4. AGNOS ANNICULOS IMMACULATOS DUOS QUOTIDIE IN HOLOCAUSTUM SEMPITERNUM: UNUM OFFERETIS MANE, ET ALTERUM AD VESPERUM. Subditur deinde de sacrificio sabbati, ac demum quoque de sacrificio calendarum seu neomeniæ. Quorum trium sacrificiorum hæc brevis est explicatio, secundum D. Thomam I. II. quæst. CII. art. 4. Per quotidianum, seu iuge sacrificium repræsentabatur perpetuitas divinæ beatitudinis; per sacrificium sabbatorum, quod septimo quoque die fiebat, memoria creationis, quæ completa est die septimo: nam & Exodi XX. pro ratione præcepti de sabbato additur: *Sex diebus fecit Deus cælum & terram, & septimo requievit*. Denique sacrificium neomeniæ, sive novæ lunæ, hoc est a novilunio ad novilunium, fiebat ad commemorandum opus divinæ gubernationis: nam hæc inferiora præcipue variantur secundum motum lunæ. Et hæc ratio singulorum litteralis est.

Mystica, seu prophetica horum ratio est ista. Per iuge sacrificium significatur perpetuitas sacerdotii Christi, qui est verus agnus, tollens peccata mundi. Per sacrificium sabbati significatur spiritualis requies, quam expectamus per Christum, de qua ad Hebr. IV. Per sacrificium neomeniæ prænuntiatur illuminatio Ecclesiæ primitivæ per Christum. Sicut enim per lunam Ecclesia significatur; ita & per lunam novam, nova seu primitiva Ecclesia.

## MARIANAE.

*Vers.* 2. OBLATIONEM MEAM ET PANES, ET INCENSUM. Hebr. *Oblationem meam, panem meum in sacrificium, odorem quietis meæ observabunt, ut afferant mihi*. Hoc capite de panibus nulla mentio, sed de cruentis sacrificiis; ideo per *panem* hic escam, seu carnes intelligunt etiam Hebræi. Sacrificia erant ut epulæ quæ apponebantur Deo: sic quæ mactabantur, vocat escas carnes suas.

*V.* 5. DECIMAM PARTEM EPHI. Hebr. *decimam ephi similæ in donum*. Decima est gomor, sicut & ephi est cori decima: continet gomor Toletani celeminis plusquam dimidium. Hin continet duodecim sextarios Hebraicos, qui vocantur Loghim: quarta pars, quam olei offerri mandat, tres sextarii quantum ova 18.

*V.* 7. ET LIBABITIS VINI QUARTAM PARTEM HIN. In Hebræo שכר *scechar*, hoc est *sicera*, qua voce sæpe significatur potus omnis qui inebriare potest, præter vinum; hoc tamen loco vinum significat, & quibusdam aliis: nam in sacrificiis vini tantum usus erat, non siceræ.

*V.* 10. QUAE RITE FUNDUNTUR PER SINGULA SABBATA. Hebr. *holocau-*

*locaustum sabbati in sabbato suo*, *præter holocaustum iuge*, *& libamen eius*. Ita holocaustum de quo hic, distinguit ab holocausto iugi, & quotidiano.

*V.* 13. ET DECIMAM DECIMAE. Hebr. *decimam decimam*, id est singulas decimas, *uni agno*, id est cuique agno. Hieronymus voces Hebraicas putavit esse in regimine. Verum cum superius singulis agnis det decimam, quomodo hic daret decimam decimæ tantum? Idem dicito vers. 29.

*V.* 20. ET SACRIFICIA SINGULORUM EX SIMILA: ex Sept. sumptum. Hebraice: *Et donum eorum simila conspersa oleo*; id est, simul cum vitulis hæc offeretis.

*V.* 24. IN FOMITEM IGNIS, ET IN ODOREM SUAVISSIMUM. Hebr. *Panis sacrificii odor suavissimus Domino*. Dixi, *panem* pro esca, & carnibus sumi. Pro אשה *iseh*, id est *sacrificio*, Hieronymus legit אש *æs*, id est *ignem*; & pro *pane*, *fomitem* posuit, id est alimentum ignis: & fortassis ea est vera lectio.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. OBLATIONEM MEAM PANES, &c. Totam hanc versus partem verbatim ex Hebræo expressimus (*Korban meum*, *panem meum*, *ignitionibus meis*, *spirationem refocillationis meæ*, *observabitis*, *ad appropinquare facere mihi in statione eius*.) Alii clarius conati sunt explicare. I. *Oblationem meam*, *panem meum in oblationibus meis ignitis*, vel *pro ignitis sacrificiis meis*, *quæ fiunt in odorem quietis meæ*, *custodietis*, *ita ut offeratis mihi illa in tempore suo*. Nomine panis intelligi volunt carnes sacrificiorum, ut infra vers. 24. Id est, custodite ritum offerendi carnes meas, & victimas meas, quæ cremantur ut incensa mihi fiant gratissima, quibus excitetur mihi odor gratissimus; & afferte ea mihi, ut præcepi. Sacrificia autem Deus vocat cibum suum more hominum: quod sicut homines carnibus, vino, & oleo, simila, & panibus, &c. potissimum vescuntur, & delectantur; ita Deus illa in sacrificiis suis habere voluit: non quod illis, ut homo, vesceretur, aut delectaretur; sed quod ipsi grata essent propter aliud, nempe ob fidem in dilectum Filium, qui per omnia sacrificia adumbratur. Vide Levitici XXI. 6. II. *Sacrificium meum panis mei*, vel *escam meam*, *quod fit ad sacrificium ignitum in odorem suaveolentem*; vel *incensa mea in odorem quietis meæ custodietis*, *ut sacrificetis mihi ea stato suo tempore*. III. *Oblationem meam cibi mei*, *in igne absumenda mihi odorem gratum meum*, *observatote ad offerendum mihi stato tempore suo*. De odore quietis, vel suavissimo, vide Genes. VIII. vers. 21.

*V.* 3. HAEC SUNT SACRIFICIA, &c. De hoc versu, & 4. & 5. vide Exodi XXIX. vers. 38. & seqq.

*V.* 6. HOLOCAUSTUM IUGE EST QUOD OBTULISTIS IN MONTE SINAI, &c. Quidam exponunt: Holocaustum iuge, quod primum quidem oblatum fuit in monte Sinai Exodi XXIX. vers. 38. sed postea triginta novem annis, quibus Israelitæ in deserto vagati sunt, intermissum. Vide quæ notabimus Deuteron. XII. vers. 8. Quamobrem cum propius abessent Israelitæ a promissa terra, & mox ingressuri essent, mandatum istud redintegrari oportuit. Ac si dicat: Ad ritum holocausti iugis facti primum in monte Sinai, offeretis deinceps holocaustum iuge. Quidam vertunt accusandi casu: *Holocaustum continuitatis factum in monte Sinai in odorem gratum*, *ignitum Domini*; subaudi, deinceps offeretis, e vers. 2. Holocaustum quidem iuge intermissum fuisse triginta novem annis illis quibus Israelitæ vagati sunt in deserto, satis indicant verba illa, Factum *in monte Sinai*, quasi postea ad hanc usque diem qua eius mandatum innovatur, non fuerit factum.

*V.* 14. PER OMNES MENSES, QUI SIBI ANNO VERTENTE SUCCEDUNT. Heb. *mensis in mense suo*, *in mense anni*: quidam, *singulorum mensium*, *per singulos menses anni*: alii, *singulis mensibus in mensibus anni*: nonnulli, *mensis ineuntis*, *in initio suo*, *per singulos menses anni*.

*V.* 24. IN FOMITEM IGNIS. Heb. *Panem*, *cibum*, *escam*, *ignitionem*, vel *ignitionis*, seu *sacrificii igne absumendi*. Alii: *Panis sacrificii est*, *quod igne consit*. Quidam, *In cibum igne absumendum*. Aliqui, *Panem ignitum*. Nonnulli, *Carnem*, seu *victimam in oblationem ignitam*, aut *in suffitum incensi*.

*V.* 26. NOVAS FRUGES DOMINO. Heb.

Heb. *minchah novam*, id est sacrificium, vel munus farinaceum ex novis frugibus. Vide Levit. XXIII. vers. 16. EXPLETIS HEBDOMADIBUS. Heb. *in septimanis vestris*. Quidam, *post septimanas vestras*; id est, exactis illis septem septimanis, de quibus cautum est Levitici XXIII. vers. 15. & 16.

*V.* 27. OFFERETISQUE HOLOCAUSTUM: quidam exponunt, nempe in oblationem diei huiusmam alioquin altera fuit oblatio coniuncta primitiis, Levit. XXIII. vers. 18. quarum altera alteram minime perimebat. Hoc enim semper observatum fuit in lege, ne quid de oblatione una propter alteram supervenientem decederet. Itaque sabbatis etiam, & noviluniis non raro complures oblationes concurrebant, quarum nulla tamen eo nomine poterat intercidere. Sic conciliatur hic locus cum Levitici XXIII. vers. 18. Vide infra cap. XXIX. vers. 2.

*V.* 28. ATQUE IN SACRIFICIIS EORUM, &c. Heb. *Et munus eorum similam perfusam in oleo: tres decimas in iuvencum unumquemque, duas decimas in arietem unumquemque*. Quidam per nominativum vertunt: *Et oblatio eorum erit simila mixta cum oleo: tres decimæ ad iuvencum unum*, seu *in singulos iuvencos*; *& duæ decimæ ad arietem unum*, vel *per singulos arietes*. Nonnulli: *Cibarium sacrificium eorum fiat de similagine oleo conspersa*: nempe tres decimæ pro iuvenco uno, & duæ decimæ pro ariete uno. Sic etiam vers. 29. & 30.

## MENOCHII.

*Vers.* 2. OBLATIONEM MEAM ET PANES, ET INCENSUM, &c. Hebr. *oblationem meam, panem meum* (quæ scilicet panis meus, & cibus meus sunt) *per ignationes meas* (quibus scilicet hæ victimæ per ignem Deo cremantur) *in odorem suavitatis offerte*. Est ergo generale præceptum de non negligendis sacrificiis.

*V.* 3. AGNOS ANNICULOS, &c. De hoc sacrificio quotidiano vide Exod. XXIX. de libamentis, seu accessoriis sacrificiis, cap. XV. Numer. ANNICULOS, qui annum non excesserint. IMMACULATOS, non macula coloris, sed deformitatis: ne scilicet sint cæci, claudi, scabiosi,

*V.* 5. DECIMAM PARTEM EPHI. quæ Gomor dicitur. QUARTAM PARTEM HIN. Sunt tres scyphi tredecim unciarum aquæ, vel vini, sive sextarii tres Hebræi, unciæ scilicet quadraginta vini, vel aquæ, id est libræ tres, & quatuor unciæ.

*V.* 6. QUOD OBTULISTIS IN MONTE SINAI. Hebræi per annos 38. in deserto non sacrificarunt. In Sinai autem oblatum est iuge sacrificium, ut patet Levitici IX. 17. INCENSI, sacrificii igniti, & cremati Deo. IN SANCTUARIO DOMINI, in atrio ad altare holocaustorum.

*V.* 9. OFFERETIS DUOS AGNOS, mane ergo sabbati tres agni immolabantur, scilicet unus pro iugi sacrificio, duo pro sabbato. IN SACRIFICIO, ad sacrificium accessorium, farreum. LIBA, libamina similæ, olei, & vini.

*V.* 10. QUAE RITE FUNDUNTUR: *rite*, id est iuxta præscriptum legis. IN SINGULA SABBATA, in singulis diebus hebdomadæ: sabbatum enim in Scriptura accipitur aliquando pro hebdomada, & prima sabbati, & prima dies hebdomadæ, sive prima post sabbatum.

*V.* 11. IN CALENDIS, prima die mensis, quæ & neomenia, sive novilunium dicitur.

*V* 13. DECIMAM DECIMAE, id est una decima: unum gomor dicitur decima decimæ, id est decima pars ephi, quod ephi est decima pars cori.

*V.* 15. PRO PECCATIS, populi generatim. IN HOLOCAUSTUM, id est holocaustum, præter holocaustum: nam in Hebræo est, *Hircum pro peccato offeretis, ultra holocaustum iuge cum libamentis suis*. Ita vertunt Chald. LXX. & Vatablus. CUM LIBAMENTIS SUIS, libamentis holocausti: nam mincha, id est simila, vinum, & oleum non libabantur in victima pro peccato, ut colligitur Num. XV. 3. nec thus adolebatur cum eis, ut patet Levit. V. 12.

*V.* 16. PHASE DOMINI ERIT, id est Paschæ festum. ET QUINTA DECIMA DIE SOLEMNITAS, comestionis agni. Vide dicta Exod. XII. 6.

*V.* 19. INCENSUM, victimam quæ igne cremetur, fiatque holocaustum. Ex hoc pa-

patet: in festo Paschæ oblatos fuisse in holocaustum duos vitulos, arietem unum, agnos septem cum suis libamentis, atque hircum unum pro peccato.

*V.* 21. DECIMAM DECIMAE. Vide dicta num. 13.

*V.* 22. UT EXPIETUR: ut fiat expiatio.

*V.* 23. HOLOCAUSTUM MATUTINUM: intellige & vespertinum; sed illud non exprimitur, quia de eo non erat causa dubitandi, ut de matutino: hoc enim videri poterat omitti posse, cum eodem mane tam multa alia sacrificia immolarentur.

*V.* 24. IN FOMITEM IGNIS, ad nutriendum ignem.

*V.* 26. DIES ETIAM PRIMITIVORUM, in qua offerebantur primæ fruges maturæ, id est panes ex primis frugibus, id est festum Pentecostes.

*V.* 27. OFFERETISQUE HOLOCAUSTUM. Eædem victimæ iubentur hic offerri in festo Pentecostes, quæ iussæ sunt offerri in Paschate num. 19.

## TIRINI.

*Vers.* 11. IN CALENDIS. Hebraice, *In capite mensium*: Græce, *In neomeniis*: Latine *Novilunia* vocamus, a quibus Iudæi suos menses inchoabant, qui proinde alterni erant 29. & 30. dierum: nam ab uno novilunio ad alterum sunt dies 29. cum dimidio. Voluit autem Deus has calendas, seu novilunia esse sacra, quia primitiæ erant mensium. Sicut initium, finisque cuiusque hebdomadæ per sabbatum Deo consecrabatur, & initium totius anni per pascha; sic initium cuiusque mensis Deo similiter consecrandum erat, & quidem per festum proprie dictum, quo & servilia opera, & iter prolixius inhibebatur, ut patet I. Reg. xx. vers. 19. quo item specialia sacrificia, quasi mensis totius primitiæ, in templo, nomine publico offerebantur. Ita Sanctius in I. Reg. xx. vers. 19. & Abulensis ibidem, licet hic contrarium insinuet. S. Thomas, & Lyranus dicunt, sicut sabbatis iussi fuerant Hebræi celebrare memoriam creationis; ita neomeniis memoriam gubernationis divinæ: nam luna corporibus omnibus sublunaribus dominatur, & illa maxime in novilunio immutat. De festis Calendis apud Romanos, vide Macrobium *a*, & alios.

Petes, an singulæ neomeniæ clangore tubarum indici consueverint apud Iudæos? Respondeo cum Sanctio *b*, id probabilius esse, ex Numeror. x. vers. 10. quam quod volunt Ribera, a Lapide, & Bonfrerius, *c* in sola mensis septimi neomenia id factitari solitum, quasi ob id festum tubarum dicta fuerit, de quo fuse Levit. xxiii. ubi & de aliis huius, & sequentis capitis festis egimus.

*V.* 13. PER DECIMAM DECIMAE intelligit eam mensuram quæ *Assaron* dicebatur, quæ erat decima pars ephi: ac proinde vocabatur Decima minor, nempe ad distinctionem decimæ maioris, quæ erat ipsum ephi: nam ephi erat decima pars cori, quæ erat omnium maxima mensura apud Hebræos.

(*a*) Macrob. I. Saturnal.
(*b*) Sanctius supra.
(*c*) Ribera Lib. V. de Templ. cap. 11. A Lapid. & Bonfr. hic.
Vide Proleg. de Mensuris.

## GORDONI.

*Vers.* 2. & 3. MULTA de festis dicta sunt Levit. cap. xxxiii. sed nondum de sacrificiis quæ singulis offerri debebant festis. Ergo quid in illis offerendum sit, nunc præscribitur. Et quidem universe de his vers. 2. ubi pro oblatione in Hebr. est. קרבן *korban*, genericum nempe ad omnes oblationes. Quod vero est hic vers. 3. de quotidiano sacrificio, vide Exod. xxix. vers. 38. de libamentis, Numer. cap. xv. *Anniculus*, non maior uno anno.

*V.* 5. DECIMAM PARTEM EPHI est gomor: sic rursus ephi putatur decima pars cori. Hin continet 12. sextarios.

*V.* 11. IN CALENDIS. Hebræis ita menses sunt lunares, ut eos etiam incipiant a novilunio; in quo proinde etiam incidebant calendæ & neomeniæ. Vide Psalm. LXXX. num. 4. & I. Reg. cap. xx. vers. 25. Sed de anno Iudaico, Calendis, & Tekuphis alibi in Chronolog. Qq. cap. xix. num. 9.

*V.* 13. ET DECIMAM DECIMAE, &c. Inter mensuras aridorum, corus maxima erat.

erat. Huius pars decima dicebatur Ephi, eratque magnæ menſuræ pars decima; & hinc vocari poterat Magna decima: ſicut decima rurſus pars huius ephi, dici poterat Parva decima, ſeu ad declarandum, Decima decimæ; & proprio nomine *Aſſaron*, & alio nomine *Gomor*. Denique ut eſt decima decimæ, evadit centeſima pars cori. Eſt autem in Hebr. עשרון *hhiwaron*, a voce עשר *haſar*, *decem*. In textu Hebr. eſt geminata vox *hhiwaron*. De ſextario alibi dixi.

*V.* 15. In holocaustum. Particula *in* turbat ſenſum. Sane Septuag. Heb. & Chaldæus habent, *Præter holocauſtum*: & revera hircus pro peccato non offerebatur]. Itaque ſuſpicantur non leviter aliqui, irrepſiſſe *τὸ in*, loco particulæ *præter*: & ſic conſtat ſenſus. Vide cap. xxix. verſ. 6.

*V.* 19. Incensum holocaustum, id eſt ſacrificium holocauſti ignitum.

*V.* 24. In fomitem ignis. Certe quia victimas Deo oblatas accipiebat, & devorabat ignis, hic holocauſtum vocat fomitem ignis.

Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 6. In monte Sinai. Per triginta annos in deſerto non ſacrificabant. Vide Levit. ix. 17. de ſacrificio in Sinai. Incensi, ſacrificii igniti.

*V.* 9. Liba ſunt olei, vini, & ſimilæ libamina.

*V.* 10. Singula sabbata, ſingulis hebdomadæ diebus: ſic plerique hoc loco ſabbatum accipiunt pro hebdomada.

*V.* 15. Cum libamentis, libamenta holocauſti, aut mincha.

*V.* 26. Primitivorum, oblati panes ex primis fructibus. Eſt hoc feſtum Pentecoſtes.

*V.* 27. Eædem victimæ offerebantur in Paſchate, Num. 1. 19.

# CAPUT XXIX.

*Solemnitates menſis ſeptimi, & quid in eis offerendum ſit: nempe ſolemnitas tubarum, expiationis, & tabernaculorum, quæ octo diebus varias habent oblationes.*

1. MEnſis etiam ſeptimi prima dies venerabilis & ſancta erit vobis: omne opus ſervile non facietis in ea, quia dies clangoris eſt & tubarum. 2. Offeretiſque holocauſtum in odorem ſuaviſſimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos ſeptem: 3. & in ſacrificiis eorum, ſimilæ oleo conſperſæ tres decimas per ſingulos vitulos, duas decimas per arietem, 4. unam decimam per agnum, qui ſimul ſunt agni ſeptem: 5. & hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi, 6. præter holocauſtum calendarum cum ſacrificiis ſuis, & holocauſtum ſempiternum cum libationibus ſolitis: eiſdem cæremoniis offeretis in odorem ſuaviſſimum incenſum Domino. 7. (*a*) Decima quoque dies menſis huius ſeptimi erit vobis ſancta atque venerabilis, & affligetis animas veſtras: omne opus ſervile non facietis in ea. 8. Offeretiſque holocauſtum Domino in odorem ſuaviſſimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos ſeptem: 9. & in ſacrificiis eorum, ſimilæ oleo conſperſæ tres decimas per ſingulos vitulos, duas decimas per arietem, 10. decimam decimæ per agnos ſingulos, qui ſunt ſimul agni ſeptem: 11. & hircum pro peccato,

cato, absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem, & holocaustum sempiternum, * cum sacrificio & libaminibus eorum. 12. Quintadecima vero die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis, omne opus servile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus: 13. offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 14. & in libamentis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt simul vituli tredecim: & duas decimas arieti uno, id est simul arietibus duobus, 15. & decimam decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim: 16. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, & sacrificio, & libamine eius. 17. In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 18. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis: 19. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque & libamine eius. 20. Die tertio offeretis vitulos undecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 21. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis: 22. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque & libamine eius. 23. Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 24. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis: 25. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine. 26. Die quinto offeretis vitulos novem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 27. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis: 28. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine. 29. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 30. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis: 31. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine. 32. Die septimo offeretis vitulos septem, & arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 33. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis: 34. & hircum pro peccato, & absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine. 35. Die octavo, qui est celeberrimus, omne opus servile non facietis, 36. offerentes holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem: 37. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis: 38. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine. 39. Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris: præter vota & oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, & in hostiis pacificis.

(a) Levit. xvi. 30. & xxiii. 24.

## BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 11. *Cum sacrificio & libaminibus eorum*. Non mutes præpositionem *cum* in præpositionem *in*, aut in coniunctionem *&*.

COM-

# COMMENTARIA.

## SA.

*Verſ.* 4. QUI SIMUL SUNT AGNI SEPTEM. Chald. *Sic fiet omnibus ſeptem*: ſic ſup. & infr. in ſimilibus locis. Hebr. ſenſus eſt, per unumquemque ex ſeptem.

*V.* AFFLIGETIS, ſcilicet ieiunio.

*V.* 14. ID EST SIMUL, pro, ex quaſi dicat unicuique ex duobus, ut Hebr. & Chald. indicatur.

*V.* 17. ALTERO, id eſt ſecundo.

*V.* 35. CELEBERRIMUS. Hebr. *retentio*, ſcilicet populi: Chald. *collecta*: alii *cœtus*, ſeu *congregatio*, ſcilicet populi.

## ESTII.

*Verſ.* 1. MENSIS ETIAM SEPTIMI PRIMA DIES, VENERABILIS ET SANCTA ERIT VOBIS, QUIA DIES CLANGORIS EST TURBARUM. Quæritur quare hoc feſtum vocetur clangoris & turbarum. Reſpondeo: Cauſa litteralis duplex aſſignatur. Altera, quam tradunt Hebræi, in memoriam liberationis Iſaac a morte, quando immolandus erat a patre, & pro eo oblatus eſt aries: qui quidem aries quia hæreret cornibus inter vepres, ut Scriptura commemorat, ideo Iſraelitæ hoc die clangebant cornibus. Sed non admodum probabile hoc eſt: nam reliqua feſta non pro particulari aliquo, ſed pro communi bono inſtituta omnia videntur; ſcilicet creationis ac gubernationis mundi, liberationis totius populi ex AEgypto, legis populo datæ in monte Sinai, meſſis collectæ feliciter, & poſtea pro liberatione per Iudith, Eſther, & Machabæos, ſimiliter totius populi.

Itaque altera ratio probabilior iſta redditur, nimirum ut hoc clangore tubarum homines admonerentur ſe præparare ad feſta alia, quæ hoc eodem capite, eodem menſe ſeptimo præſcribuntur.

Prophetice autem feſtum tubarum ſignificavit prædicationem Apoſtolorum per univerſum orbem terrarum.

## MARIANAE.

*Verſ.* 14. DUAS DECIMAS ARIETI UNO, ID EST SIMUL ARIETIBUS DUOBUS. Hebr. *Arieti uni e duobus arietibus*, ſive *duorum arietum*. Sic Chald. ſed & ל ſolet eſſe nota genitivi. Itaque duas decimas offerebant pro ſingulis arietibus, non duas pro utroque, ut Vulgatæ verba innuere videntur. Quid ſi illud, *Id eſt ſimul arietibus duobus*, explices, qui ſunt ſimul arietes duo, ut de vitulis dixit: *Tres decimas* (offeretis) *per vitulos ſingulos, qui ſunt ſimul vituli tredecim*.

*V.* 35. DIE OCTAVO, QUI EST CELEBERRIMUS. Hebr. *Die octavo retentio erit vobis*. Ita hoc Feſtum in Kalendario Hebraico vocatur *Retentionis*, עצרת *hazereth*. Vocatur autem ſic, quod in eo retinerentur ne opus ſervile facerent. Et nomen commune aliorum feſtorum applicatur huic, quod non habeant peculiarem notam, qua diſtinguatur ab aliis, ut habent alia feſta. Vel dicitur *Retentio*, quoniam qui celebrarant diebus ſeptem feſtum tabernaculorum, retinebantur Ieroſolymis, ut id etiam feſtum celebrarent. Quidam pro *retentione*, *collectionem* exponunt, quod ſequitur Chald. ſed appellationis eſt ratio, quæ ſuperius eſt allata.

## MALVENDAE.

*Verſ.* 2. OFFERETISQUE HOLOCAUSTUM. Explicant, videlicet præter holocauſtum illud, quod imperatum eſt ad initia ſingulorum menſium, ſupra cap. XXVIII. verſ. 11. prout diſerte exponitur infra verſ. 6. Hoc enim holocauſtum alioqui minus ordinario futurum eſſet. Vide ſupra notata cap. XXVIII. ad verſ. 27.

*V.* 6. PRAETER HOLOCAUSTUM CALENDARUM. Heb. *Præter holocauſtum innovationis*, vel *lunationis*, *novilunii*, *menſis*. Quidam: *Præter holocauſtum principii menſis*. Alii: *Præter holocauſtum menſis illius ineuntis*. EISDEM CAEREMONIIS. Heb. *iuxta iudicium eorum*. Quidam:

dam, *ut ratio eorum postulat*. Alii, *secundum ritus suos*, Nonnulli, *iuxta normam eorum*. Aliqui, *pro ratione eorum*. Plerique, *iuxta morem & consuetudinem, quo illa rite fieri solita sunt*.

*V*. 7. AFFLIGETIS ANIMAS VESTRAS. Vide de his Levitici XVI. verf. 29. & cap. XXIII. verf. 27.

*V*. 11. ABSQUE HIS QUAE OFFERRI PRO DELICTO SOLENT IN EXPIATIONEM. Hebr. *Præter sacrificium pro peccato, expiationum*. De hoc peccatorio expiationum late cautum habes Levitici XVI.

*V*. 39. HAEC OFFERETIS DOMINO, &c. Hunc versum in Translatione nostra ex verbo reddidimus (*Ista facietis* IHUH *in stationibus vestris, ad solum de votis vestris, & spontaneitates vestras, ascensionibus vestris, & minchot vestris, & fusionibus vestris, & pacificis vestris*.) Alii in hunc modum. I. *Ista facietis Iehovæ in solemnitatibus*, vel *in temporibus statutis vestris: præter vota vestra, & spontanea vestra, in holocaustis vestris, & muneribus vestris, & libaminibus vestris, & pacificis vestris*, id est præter ea quæ sponte offeretis in holocaustis vestris, &c. quasi dicat: Sacrificia ordinaria non excludent extraordinaria. II. *Hæc facietis Domino in statis vestris feriis (præter vota vestra, & voluntaria vestra sacrificia) pro holocaustis vestris, & pro cibariis sacrificiis vestris, & pro libaminibus vestris, & pacificis vestris*. III. *Hæc paratote Iehovæ in solemnitatibus vestris: præter votiva vestra, & voluntarias oblationes vestras, cum holocaustis vestris, & cum muneribus vestris, & cum libaminibus vestris, & cum eucharisteriis vestris*. Sensum esse volunt: In sacrificiis quæ vobis lege præscripta sunt facienda in solemnitatibus vestris, prædictum sacrorum ordinem & ritum observabitis: & si quæ votiva, vel voluntaria sacrificia iis adiicere volueritis, integrum vobis erit, dummodo ea ad ritum & præscriptum legis offeratis.

## MENOCHII.

*Verf*. 1. DIES CLANGORIS EST ET TUBARUM. Festum tubarum celebrabatur die primo mensis septimi. Vide Levitici XXIII. 24.

*V*. 3. PER SINGULOS VITULOS, *vitulum*, ut est in Hebr. unus enim tantum offerebatur, singulis scilicet annis singuli vituli: & hoc voluit noster Interpres.

*V*. 6. PRAETER HOLOCAUSTUM CALENDARUM: festum enim tubarum incidebat in calendas septimi mensis, ut dicitur num. 1.

*V*. 7. DECIMA QUOQUE DIES, &c. festum expiationis, de quo Levit. XXIII. 27.

*V*. 11. OFFERRI IN EXPIATIONEM ut præscribitur Levit. XVI. HOLOCAUSTUM SEMPITERNUM, iuge sacrificium. CUM SACRIFICIO, mincha, seu libaminibus, quæ erant sacrificia accessoria.

*V*. 12. QUINTADECIMA DIE MENSIS SEPTIMI, &c. Festum tabernaculorum, de quo vide Levit. XXIII. 34.

*V*. 15. DECIMAM DECIMAE. Vide cap. præcedenti n. 13.

*V*. 19. PRAETER VOTA, ET OBLATIONES SPONTANEAS, &c. quasi dicat: Victimas iam dictas in festis offerri præcipio, præter ea quæ ex voto, vel sponte offeretis in holocaustum, in sacrificium, id est in mincha, in libamen, & hostias pacificas.

## TIRINI.

*Verf*. 12. CELEBRABITIS SOLEMNITATEM tabernaculorum DOMINO SEPTEM DIEBUS. Non quod totis septem diebus vacandum esset ab opere servili (nam de solo primo die id præceptum fuit) sed quod totidem diebus manendum esset in tabernaculis; & quod peculiaria singulis diebus sacrificia publico nomine offerenda essent, quæ hic etiam sigillatim recensentur. Non quod specie differrent, sed numero solo: nempe e vitulorum numero quotidie unus detrahebatur, ita ut primo die offerrentur tredecim, secundo die duodecim, tertio undecim, & sic consequenter, donec die septimo ad vitulos septem deventum esset. Alioquin in arietibus, agnis, libis seu libamentis, & aliis, idem numerus, & mensura eorumdem omnibus septem diebus servabatur, ut patet consideranti singula.

*V*. 38. ABSQUE HOLOCAUSTO SEMPITERNO; hoc est, præter iuge sacrificium duorum agnorum, qui quotidie infallibiliter offerri debebant, non obstante omni

omni alio hostiarum numero. Sensus ergo est, omnia iam dicta sacrificia, & libamina singulis suis diebus offerenda esse, ultra iuge sacrificium cum suo libamine; & ultra quoque alia omnia sacrificia quæ quis vel ex voto, aut privata aliqua culpa tenetur, vel ex peculiari devotione, vel pietate volet ultro offerre.

Cetera huius capitis vide supra cap. XXIII. Levit.

## GORDONI.

*Vers.* 1. & 2. QUod inchoatum fuit cap. XXVIII. de victimis festorum, hic absolvitur; ac trium hic festorum victimæ præscribuntur. Hic de festo tubarum, de cuius die, & ritu, vide Levit. cap. XXIII. vers. 24.

*V.* 3. Quid sit decima, dixi cap. XXVIII. Quod addit, PER VITULOS SINGULOS, intellige per vitulum, ut magis explicant Septuaginta, & Hebræus.

*V.* 6. Hic versus non male indicat explicationem versiculi 15. capitis præcedentis: ubi etiam de calendis, & libamentis dictum est, vers. 11. 12. 13. & 14.

*V.* 7. Hoc festum expiationis est, de quo Levit. XVI. vers. 29. Dies hic decimus ieiunium habebat: hinc additur: AFFLIGETIS ANIMAS VESTRAS. Per sacrificium hic mincham intellige.

*V.* 12. De hoc die decimo quinto, seu festo scenopegiæ, vide Levit. cap. XXIII. vers. 34. & 36. Ceterum die primo tantum abstinendum fuit a servilibus; reliquis tamen diebus eadem offerebantur sacrificia, usque ad diem septimum ineuntem, nisi quod singulis diebus detraheretur unus vitulus; ita ut die septimo tantum essent septem vituli offerendi, ut textus docet.

*V.* 14. ID EST SIMUL. Unicuique ex duobus dantur duæ decimæ, ut magis declarat Hebr.

*V.* 35. DIE OCTAVO. Hebr. *Retentio erit vobis*: & in Kalendario vocatur, *Retentio*, a retentione populi, עצרת *hhazereth*.

*V.* 39. Hic per sacrificium intellige mincham: unde etiam apparet satis distingui mincham, & libamina, ut diversa erat materia aridorum, & liquidorum.

### Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 11. CUM SACRIFICIO, cum mincha, seu libamentis solitis.

*V.* 15. DECIMAM DECIMAE. Gomor, decima pars ephi; sicut ephi est decima pars cori.



## CAPUT XXX.

*De voto ac iuramento virorum, & quando puellarum & uxorum vota seu iuramenta rata sint, vel irrita.*

1. NArravitque Moyses filiis Israel omnia quæ ei Dominus imperarat: 2. & locutus est ad Principes tribuum filiorum Israel: Iste est sermo quem præcepit Dominus: 3. Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit. 4. Mulier si quidpiam voverit, & se constrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari: si cognoverit pater votum quod pollicita est, & iuramentum quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit: 5. quidquid pollicita est & iuravit, opere complebit: 6. sin autem, statim ut audierit, contradixerit pater: & vota & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater. 7. Si maritum habuerit, & voverit aliquid, & semel de ore eius verbum egrediens animam eius obligaverit iuramento: 8. quo

die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat: 9. sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaque quibus obstrinxerat animam suam: propitius erit ei Dominus. 10. Vidua & repudiata quidquid voverint, reddent. 11. Uxor in domo viri cum se voto constrinxerit & iuramento, 12. si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat: 13. sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. 14. Si voverit, & iuramento se constrinxerit, ut per ieiunium, vel ceterarum rerum abstinentiam, affligat animam suam, * in arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat: 15. quod si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam: quidquid voverat atque promiserat, reddet: quia statim ut audivit, tacuit: 16. sin autem contradixerit postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem eius. 17. Istæ sunt leges, quas constituit Dominus Moysi, inter virum & uxorem, inter patrem & filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis domo.

## BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 14. *In arbitrio viri erit ut faciat*. Scribendum est ex antiquis codicibus *ut*, non *sive*, tametsi sequatur *sive non faciat*.

## COMMENTARIA.

### SA.

*Vers.* 4. ET SE; pro, aut se: vel est repetitio, & sumitur iuramentum pro voto. Vide infra proxime. ET IURAMENTUM, pro, aut iuramentum. Vel est repetitio, sumiturque iuramentum pro voto. Vide sup. proxime. VOTI REA, id est obligata voto.

*V.* 7. ET SEMEL; pro, aut semel, ut apparet ex Hebr.

*V.* 11. DOMO VIRI: nam sup. de coniugata, sed nondum domum ducta. Augustin. ait, supra dictum de votis ante coniugium, nunc de factis in domo viri. Quidam dicunt esse sermonem de viduæ voto, facto tempore quo erat cum viro. ET IURAMENTO; pro, aut iuramento: sic infra.

*V.* 15. ET IN ALTERAM DIEM, &c. Hebr. se[illegible]s est. Si tacuerit de die in diem, scilicet nihil dicendo, rata habebit vota: quod si postea contradixerit, ipsa quidem non tenebitur, sed ipse peccati reus erit. Idemque indicant Chald. & LXX.

*V.* 16. CONTRADIXERIT, scilicet non statim ut rescivit, sed postea, ubi diu dissimulasset. PORTABIT IPSE, &c. quasi dicat: Ipse a Deo punietur, non illa, quia impedita a viro, non potest præstare.

### ESTII.

*Vers.* 3. SI QUIS VIRORUM VOTUM DOMINO VOVERIT .... OMNE QUOD PROMISIT IMPLEBIT. Sed ante omnia intellige si votum, seu iuramentum sit factum de re licita: nam si sit res illicita, sicut male promittitur, seu iuratur, ita male, immo & peius impletur. Verbi gratia, iuravit aliquis se servaturum & defensurum civitatem aliquam contra legitimum principem: talis & iurando graviter peccavit, & iuramento suo non tenetur; & si implere voluerit, peccabit etiam longe gravius: sicut Herodes, qui quod imprudenter iuraverat, ut Aug. loquitur, scelerate implevit, occidendo Ioannem Baptistam.

Deinde circa hanc legem observandum est, non comprehendi illos qui sunt in alterius

terius

terius potestate; ut servi qui nihil vovere possunt, per quod aliquo pacto impediatur servitium Domino debitum; item religiosi, id est quicumque professi sunt vitam Monasticam, qui sine Superioris consensu, nec vovere possunt, nec, si forte voverint, votum sine eius arbitrio implere.

*V.*16. PORTABIT IPSE INIQUITATEM EIUS. Hoc dicitur de viro contradicente voto uxoris, illudque revocante. Et sensus est. Mulier quidem absolvetur a voto suo, neque peccabit, quod votum non reddat; vir autem peccati reus erit, si male votum uxoris cassaverit seu irritaverit. Quasi ergo sic dicit: Iniquitas mulieris transibit ad virum, ut auctorem voti non implendi.

## MARIANAE.

*Vers.* 2. AD PRINCIPES TRIBUUM FILIORUM ISRAEL. Bene versa sunt Hebraica; *nam* ל solet esse nota genitivi: sed & verti possent, *locutus est ad Principes tribuum ad filios Israel*.

*V.*6. SIN AUTEM, STATIM UT AUDIERIT, CONTRADIXERIT PATER. Hebr. הניא *annihilavit*, aut *irritavit*. Ecce a patre irritantur vota.

*V.* 7. OBLIGAVERIT IURAMENTO. In Hebræo non est *iuramento*, sed hoc, *Quod protulit labiis suis, quibus ligavit se*. Loquitur de voto uxoris.

*V.* 14. UT PER IEIUNIUM, VEL CETERARUM RERUM ABSTINENTIAM. Hoc non est in Hebræo, sed quod sequitur, AFFLIGAT ANIMAM: scilicet uxor. Sed hinc perspicitur, non modo vota realia, sed personalia quæcumque uxoris esse sub viri potestate. Tantumdem de filia intelligito patris comparatione.

*V.* 15. IN ALTERAM DIEM. Hebr. *de die in diem*, id est plures dies tacuerit vir.

*V.* 16. PORTABIT IPSE INIQUITATEM EIUS, scilicet feminæ; quasi dicat: Ipsa libera & innoxia erit; vir qui non statim contradixit, sed tacuit, & postea voto contradixit, rationem reddet voti prohibiti, quod irritando post consensum & silentium peccet. De filiis maribus nihil dicit.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. OMNIA QUAE EI, &c. Hebr. *Secundum, iuxta, omnia, quæ, &c.* id est, prorsus omnia, vel prorsus ut præceperat, &c.

*V.* 2. AD PRINCIPES TRIBUUM FILIORUM ISRAEL. Hebr. *Ad capita, primores tribuum, filiis Israel*: dativus. Quidam, *De filiis Israel*. Alii, *Pro filiis Israel*; id est, ut dicerent filiis Israel. Unde quidam reddunt: *Ad primarios tribuum, ut filiis Israel dicerent*.

*V.*4. QUAE EST IN DOMO PATRIS SUI, id est adhuc sub cura paterna: quod statim magis explicatur, *In ætate adhuc puellari*: sic vers. 17.

*V.* 6. CONTRADIXERIT PATER. Verbum נוא *no*, in Hiphil septies tantum in Scriptura occurrit. Noster varie reddidit: hic bis, & vers. 9. & 12. *contradicere*; infra cap. XXXII. vers. 7. & 9. *subvertere*; Psal. XXXII. 10. *reprobare*; Psal. CXL. vers. 5. *impinguare*. Recentiores diverse hic reddunt. I. *Et si fregit, infregit pater eius eam*; id est, de sententia dimoverit filiam suam. II. *Et si renuit pater eius illud*, scilicet votum. III. *Et si prohibuit, vetavit pater eius eam*: ne scilicet votum impleat. IV. *Et si irritavit, annihilavit pater eius illud*, votum. V. *Et si avertit pater eius eam*, a vovendo, vel votum implendo. VI. *Et si confutavit, refutavit pater eius illud*, votum. VII. *Et si inanivit, frustravit pater eius illud*, votum. VIII. Nonnulli: *Sin autem efficiet pater eius ut ea infringat illud*, votum. Sic in sequentibus. Hebr. אותה *otah*, potest reddi *eam*, scilicet *mulierem*, aut *filiam*; & *id*, seu *illud*, scilicet quod vovit, aut pro sese illa obstrinxit: nam sæpe Hebræis feminea sunt pro neutris, ut Psalm. XXVI. vers. 4 & alias.

*V.*7. ET SEMEL DE ORE EIUS VERBUM EGREDIENS. Hebr. *Aut enuntiatio labiorum eius*. Quidam reddunt: *Aut pronuntiatum, prolatio, apertio temeraria, & inconsiderata locutio, effutitio, deblatteratio, futilitas verborum, pronuntiatio, prolocutio futilis, & incauta labiorum eius*. Alii: *Aut quid incautius labiis eius excidit*. Sed nos potius, *diserte, distincte, & aperte pronuntiatum*, exponimus. Vide Levit. v. vers. 4. Sic vers. 9.

*V.* 10. VIDUA ET REPUDIATA QUIDQUID VOVERINT, REDDENT. Hebraicus accentus Athnach adiectus voci *repudiata*, poscit ut Hebræa ita exprimantur, & distinguantur: *Et votum viduæ, & expulsæ: omne quod ligavit super animam suam, stabit super eam*. Id est: Hoc est autem votum viduæ aut repudiatæ: omne quod obligaverit seipsam, ratum erit apud illam. Vel *hæc est autem ratio voti viduæ aut repudiatæ: quidquid promiserit aut voverit, tenebitur reddere*. Quidam reddunt: *Quod autem ad votum viduæ aut repudiatæ: quidquid erit quo obligaverit seipsam, statim incumbet ei*. Alii: *Votum vero viduæ aut repudiatæ: quodcumque tandem illud fuerit quo animam suam obstringit, ratum sit super eam*.

*V.* 13. SIN AUTEM EXTEMPLO CONTRADIXERIT, &c. Hunc versum nos verbatim ex Hebræo convertimus (*Et si labefactare labefactabit ea vir eius in die audire eum: omnis exitus labiorum eius, votis eius, & ligationi animæ eius, non surget: vir eius labefactavit ea: & IHUH condonabit ei*.) Alii clarius conati sunt exprimere. I. *Quod si irritum faciendo irrita fecerat ea vir eius, die qua audiverat; omnis egressio labiorum eius, in votis eius, & in obligatione animæ eius, non erit stabilis: vir eius irrita fecit ea: & Iehovah parcet illi*, scilicet mulieri: ut reliqua pronomina *eius*, hoc versu referuntur ad mulierem, nam sunt feminea. II. *Sin vero omnino irrita fecerit illa vir eius quo die audiverit; nihil prolatum labiis eius, ex votis eius, aut ex obligatione sui ipsius, statutum esto: vir eius irrita fecit illa, quapropter Iehova condonabit illi*. Sensum sic eruunt: Si maritus declaraverit irrita quæ uxor voverat, quidquid uxor dixerit vovendo & obligando seipsam, irritum erit, quia maritus irritum reddidit: neque peccaverit in Dominum uxor si non reddiderit vota illa. Sic vers. 6. & 9. Quidam fusiori paraphrasi convertunt: *Si vero pater familias plane vota ista reciderit, eo scilicet die quo audierit omne illud quod incautius labiis familiæ suæ exciderit, & vota eius, & obligationem animæ eius: haudquaquam firma erunt: pater familias irrita ea fecit: & Dominus propitius erit familiæ*.

*V.* 14. ET IURAMENTO SE CONSTRINXERIT. Hebr. *Et omne iuramentum obligationis*. Notant esse hypallagem, *iuramentum obligationis* pro obligationem iuramenti, seu iuramento confirmatam. UT PER IEIUNIUM, VEL CETERARUM RERUM ABSTINENTIAM AFFLIGAT ANIMAM SUAM. Pulchra paraphrasi explicuit Hebræa: *Ad affligendum animam*, vel *de affligenda anima*, seu *de se ipsa affligenda*; hoc est, de castigando, macerando, deprimendo corpus suum ieiuniis, vigiliis, aut aliis laboribus. IN ARBITRIO VIRI ERIT UT FACIAT, SIVE NON FACIAT. Hebr. *Vir eius stabiliet illud, & vir eius abolebit illud*; id est, mariti erit vel ratum habere votum illud, vel abolere. Addunt quidam: *Nec differet de die in diem; sed alterutrum statim faciat*: ut versus sequens ostendit.

*V.* 16. PORTABIT IPSE INIQUITATEM EIUS. Exponunt: Tunc pro illa dabit pœnas, & imputabitur illi peccatum eius, nempe mulieris: tunc pro illa fiet reus culpæ ac pœnæ, si illa vota suscepta non adimpleverit, aut violaverit; quasi dicat: Culpam eius voti temere irritati, si quæ fuerit, sustinebit maritus, non uxor. Sic anxias mulieres scrupolo eximit. Hispanicus Interpres: *Entonces el llevara el peccado de ella*. Quidam reddunt: *Feret ipse culpam familiæ*. Alii contrario sensu convertunt: *Tunc ipse sustulerit iniquitatem eius*, scilicet uxoris; id est, mariti auctoritas eam absolvit voto, nec ipsa tenetur ullius culpæ: ut enim puellis patria, sic mulieribus quoque maritalis prævalet auctoritas: vel tunc maritus culpa sublevabit & eximet uxorem, si vota non persolverit, quod ipse ea irritaverit, quamvis temere. Sic supra vers. 4.

## MENOCHII.

*Vers.* 3. AUT SE CONSTRINXERIT IURAMENTO, iuramento obstringens se Domino, ac proinde etiam votum Domino faciens: qui enim iurat se aliquid, verbi gratia oblationem facturum, simul Deo promittit; promissio autem facta Deo est votum. NON FACIET IRRITUM: non violabit iuramentum, aut votum.

*V.* 4. IN AETATE ADHUC PUELLARI. Sub puella intellige etiam puerum in ætate puerili: utriusque enim par est

est ratio. SI COGNOVERIT PATER. Sub patre etiam tutores intellige: hi enim, patre mortuo, quasi in ius, & regimen paternum succedunt. ET TACUERIT: quia sic confirmare videtur.

*V.* 6. STATIM UT AUDIVERIT: intelligendum moraliter, verbi gratia eodem die: nam sequenti die contradicere non poterat, ut habetur num. 15.

*V.* 5. SI MARITUM HABUERIT. Sermo est de ea quæ nupta habitat extra domum patris in domo mariti: ad sponsam etiam extendunt hanc legem Hebræi, & aliqui recentiores.

*V.* 9. PROPITIUS ERIT EI DOMINUS, qui non indignabitur uxori si non servet votum a marito irritatum.

*V.* 11. ET IURAMENTO. *Et* pro *aut* hic capitur: in Hebræo enim est *aut*.

*V.* 14. PER IEIUNIUM, &c. De quibuslibet votis hic agitur, non autem de votis abstinentiæ tantum, ut patet ex num. 5. 8. 10. 12. Ubi generatim agitur de quacumque re promissa, petitur exemplum ab abstinentia, & ieiunio, quia frequentia sunt vota in hac materia.

*V.* 16. SIN AUTEM CONTRADIXERIT, &c. intellige post diem in qua rescivit, ut habent expresse LXX. PORTABIT IPSE INIQUITATEM. Uxor a peccato excusabitur, quia impedita a viro non potest præstare quod promisit; sed maritus peccabit contra legem hanc consensum revocans.

*V.* 17. QUAE MANET IN PARENTIS DOMO: quæ necdum est emancipata, aut viro tradita.

## TIRINI.

*Vers.* 16. SIN AUTEM CONTRADIXERIT POSTQUAM RESCIVIT. Agit de parente puellæ, vel marito, qui cognito voto filiæ vel uxoris tacuit tota die, atque ita sua taciturnitate votum reddidit ratum, post illum nihilominus diem repugnat filiæ, vel uxori, neque vult votum ab illis impleri: quid tali casu faciet filia, vel uxor? Respondet hic Deus, obediendum esse parenti vel mario etiam illo casu: neque enim decet umquam, filiam aut uxorem parenti vel marito in dubiis reluctari. Atque ita liberat Deus tali casu filiam vel uxorem ab impletione voti. Quia tamen inique facit parens vel maritus impediendo completionem voti quod suo silentio semel confirmarat; hinc addit Deus, tali casu parentem, & maritum portaturum hanc iniquitatem; hoc est, obnoxium fore divinæ pœnæ, propter talis voti omissionem debitæ & infligendæ: sicut enim tota culpa est penes parentem, & maritum, ita penes eosdem fore & pœnam. Putarim tamen, quod hic dicitur, tali casu liberam esse filiam, & uxorem, limitari debere ad ea vota quæ commode impleri non possunt quin parens vel maritus id rescifcat, verbi gratia ieiunio, peregrinatione, & simili afflictione corporali. Nam si quæ alia vovisset, quæ parente vel marito inscio, & absque iusta offensione illius exequi potest, verbi gratia orare ad breve tempus, levem eleemosynam dare, &c. poterat ipsa etiam prohibente parente vel marito, clam votum implere, & vero etiam debebat. Ita sanctus Augustinus, Lyranus, Oleaster, Caietanus. Hinc patet, has leges non esse prorsus iuris naturæ, sed divini positivi, & cæremoniales (saltem pro maiore parte) legis veteris, atque ita pro ea parte iam abrogatas esse, neque obligare in lege nova.

## GORDONI.

*Vers.* 3. PRæter votum solemne, est aliud simplex; idque iuratum aliquando, vel interdum non iuratum. Hic mentio de utroque simplici voto est: &, ut Theol. Lib. VI. quæst. v. num. 70. 72. 73. observavi, eadem est ratio revocandi utrumque votum hoc simplex, iuratum, & non iuratum, non solum sub Mose, sed nunc etiam: atque hæc est lex statuta de virorum votis, quæ irritari hic prohibentur. Intellige vero si perfecta sint vota, nihilque desit ex parte voventis, quod ad essentiam voti pertineat. An hac lege contineantur etiam puerorum vota ante pubertatem emissa, quæri potest: sed vide loco citato prolixam de puerorum votis quæstionem, si præsertim realia non sint, nec de bonis in patris potestate.

*V.* 4. Iam de mulierum votis, puellarum, uxorum, & viduarum. Et quidem ante matrimonium, vers. 4. sub matrimonio, vers. 7. post matrimonium, vers. 10.

Et certe ſicut virorum, ita viduarum vota firma ſunt, nec revocantur, ut hæ leges decernunt.

*V.* 14. Colligi hinc poteſt, vota uxoris realia, & perſonalia, eſſe ſub poteſtate mariti. Item filiarum reſpectu patris.

*V.* 16. Lex eſt de viro qui initio quidem aliquamdiu tacuit, ſed poſtea contradicit.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 11. ET IURAMENTO. *τὸ Et* accipiendum pro *aut:* quod ſatis expreſſit Hebr. אן, *o*, *vel*.

*V.* 17. MANET IN PARENTIS DOMO; quæ nondum eſt emancipata, aut viro tradita.

# CAPUT XXXI.

*Cæſis Madianitis virgines ſolæ reſervantur, ſubſtantia ex æquo dividitur pugnantibus & plebi: primitiæ ſacerdoti ac levitis traduntur, gratiæ Deo cum donariis offeruntur.*

1. LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Ulciſcere
prius filios Iſrael de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum. 3. Statimque Moyſes, (*a*) Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui poſſint ultionem Domini expetere de Madianitis: 4. mille viri de ſingulis tribubus eligantur ex Iſrael qui mittantur ad bellum. 5. Dederuntque millenos de ſingulis tribubus, id eſt duodecim millia expeditorum ad pugnam: 6. quos miſit Moyſes cum Phinees filio Eleazari ſacerdotis, vaſa quoque ſancta, & tubas ad clangendum tradidit ei. 7. Cumque pugnaſſent contra Madianitas atque viciſſent, omnes mares occiderunt, 8. (*b*) & reges eorum, Evi, & Reſem, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. 9. Ceperuntque mulieres eorum, & parvulos, omniaque pecora, & cunctam ſupellectilem: quidquid habere potuerant depopulati ſunt: 10. tam urbes quam viculos & caſtella flamma conſumpſit. 11. Et tulerunt prædam, & univerſa quæ ceperant tam ex hominibus quam ex iumentis, 12. & adduxerunt ad Moyſen, & Eleazarum ſacerdotem, & ad omnem multitudinem filiorum Iſrael: reliqua autem utenſilia portaverunt ad caſtra in campeſtribus Moab iuxta Iordanem contra Iericho. 13. Egreſſi ſunt autem Moyſes & Eleazar ſacerdos, & omnes principes ſynagogæ, in occurſum eorum extra caſtra. 14. Iratuſque Moyſes principibus exercitus, tribunis, & centurionibus qui venerant de bello, 15. ait: Cur feminas reſervaſtis? 16. (*c*) Nonne iſtæ ſunt quæ deceperunt filios Iſrael ad ſuggeſtionem Balaam, & prævaricari vos fecerunt in Domino ſuper peccato Phogor, unde & percuſſus eſt populus? 17. (*d*) Ergo cunctos interficite quidquid eſt generis maſculini, etiam in parvulis: & mulieres, quæ noverunt viros in coitu, iugulate: 18. puellas autem & omnes feminas virgines reſervate vobis: 19. & manete extra caſtra ſeptem diebus. Qui occiderit hominem, vel occiſum tetigerit, luſtrabitur die tertio & ſeptimo. 20. Et de omni præda, ſive veſtimentum fuerit, ſive vas, & aliquid in utenſilia præparatum, de caprarum pellibus, & pilis, & ligno, expia-

piabitur. 21. Eleazar quoque sacerdos, ad viros exercitus qui pugnaverant, sic
locutus est: Hoc est præceptum legis, (e) quod mandavit Dominus Moysi:
22. Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, 23. &
omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur: quidquid autem
ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur: 24. & lavabitis ve-
stimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis. 25. Dixit quo-
que Dominus ad Moysen: 26. Tollite summam eorum quæ capta sunt, ab
homine usque ad pecus, tu & Eleazar sacerdos & principes vulgi: 27. dividesque
ex æquo prædam, inter eos qui pugnaverunt egressique sunt ad bellum, & in-
ter omnem reliquam multitudinem: 28. & separabis partem Domino ab his qui
pugnaverunt & fuerunt in bello, unam animam de quingentis, tam ex homini-
bus quam ex bobus & asinis & ovibus, 29. & dabis eam Eleazaro sacerdoti,
quia primitiæ Domini sunt. 30. Ex media quoque parte filiorum Israel accipies
quinquagesimum caput hominum, & boum, & asinorum, & ovium, * cuncto-
rum animantium, & dabis ea levitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Do-
mini. 31. Feceruntque Moyses & Eleazar, sicut præceperat Dominus. 32. Fuit
autem præda, quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque mil-
lia, 33. boum septuaginta duo millia, 34. asinorum sexaginta millia & mille:
35. animæ hominum sexus feminei, quæ non cognoverant viros, triginta duo
millia. 36. Dataque est media pars his qui in prælio fuerant, ovium trecenta
triginta septem millia quingentæ: 37. e quibus in partem Domini supputatæ sunt
oves sexcentæ septuaginta quinque. 38. Et de bobus triginta sex millibus, bo-
ves septuaginta & duo: 39. de asinis triginta millibus quingentis, asini sexaginta
unus: 40. de animabus hominum sedecim millibus, cesserunt in partem Domini
triginta duæ animæ. 41. Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini
Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum, 42. ex media parte filiorum Israel,
quam separaverat his qui in prælio fuerant. 43. De media vero parte quæ con-
tigerat reliquæ multitudini, id est de ovibus trecentis triginta septem millibus
quingentis, 44. & de bobus triginta sex millibus, 45. & de asinis triginta milli-
bus quingentis, 46. & de hominibus sedecim millibus, 47. tulit Moyses quin-
quagesimum caput, & dedit levitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, sic-
ut præceperat Dominus. 48. Cumque accessissent principes exercitus ad Moy-
sen, & tribuni, centurionesque, dixerunt: 49. Nos servi tui recensuimus nume-
rum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra: & ne unus quidem defuit.
50. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli quod in præda auri
potuimus invenire, periscelides & armillas, anulos & dextralia, ac murænulas;
ut depreceris pro nobis Dominum. 51. Susceperuntque Moyses & Eleazar sacer-
dos, omne aurum in diversis speciebus, 52. * pondo sedecim millia, septingen-
tos quinquaginta siclos, a tribunis & centurionibus. 53. Unusquisque enim quod
in præda rapuerat, suum erat. 54. Et susceptum intulerunt in tabernaculum
testimonii, in monumentum filiorum Israel coram Domino.

(a) Sup. xxi. 17. (b) Jos. xiii. 21. (c) Sup. xxv. 17. (d) Jud. xxi. 11. (d) Levit. vi. 28. & xi. 33. & xv. 12.

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 30. *Cunctorum animantium*. Alii claritatis causa addunt coniunctionem encliticam *cunctorumque*.

V. 52. *Pondo sedecim millia*. Non est surrogandum *pondere sanctuarii* in locum vocis *pondo*.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Vers. 6.* ET TUBAS; pro id, est tubas. Vel per vasa intelligitur arca fœderis cum suis instrumentis.

*V.* 8. PRINCIPES GENTIS. Hebr. Chald. & LXX. *Reges Madian*. BALAAM: scilicet vel redierat ad Balac, vel non recesserat nisi in locum suum, id est hospitium. Aug. in Num. quæst. LXI.

*V.* 12. AUTEM, pro etiam, ut apparet ex Hebr. Chald. & LXX. vel indicatur, sibi ea retinuisse.

*V.* 16. PECCATO PHOGOR, id est cultu idoli Phogor.

*V.* 21. PRAECEPTUM. Hebr. & Chald. *statutum*, seu *decretum*.

*V.* 23. SANCTIFICABITUR, id est purgabitur, seu purificabitur, ut patet ex Hebr. Chald. & LXX & nota, quod Hebraice etiam igni purgata iubentur aqua expiatoria mundari.

*V.* 29. PRIMITIAE. Hebr. *oblatio*.

*V.* 30. EX MEDIA QUOQUE PARTE FILIORUM ISRAEL ACCIPIES, scilicet ex iis qui ad bellum non iverant, quibusque data media pars prædæ. QUINQUAGESIMUM CAPUT, id est unum ex quinquaginta.

*V.* 50. UT DEPRECERIS PRO NOBIS DOMINUM. Hebr. *Ad expiandum coram Domino*. Chald. & LXX. *Ad propitiandum coram Domino*.

*V.* 53. UNUSQUISQUE, &c. quasi dicat: Illa fuit oblatio ducum: nam sibi milites retinuerunt quæ rapuerant in bello: vel quasi dicat: Illud oblatum fuit de iis quæ sibi in bello ceperant: ceperat enim sibi quisque quod potuit.

*V.* 54. IN MONIMENTUM, &c. quasi dicat; Ut Deus filiorum Israel recordaretur.

## ESTII.

*Vers.* 8. BALAAM QUOQUE FILIUM BEOR INTERFECERUNT GLADIO. Mirum hoc videri posset, cum supra cap. XXIV. dicatur Balaam reversus ad locum suum, qui, ut diximus, putatur fuisse in Mesopotamia. Alii hinc existimarunt, ipsum fuisse Madianitam, aut certe finitimum terræ Madian. Sed verisimilius est ipsum reversum ad aliquod spatium, deinde hospitio apud Madianitas aliquamdiu detentum: & sic, priusquam longius discederet, occupatum fuisse una cum toto illo populo Madian; sicque non potuisse evadere gladium filiorum Israel. Nam, ut diximus cap. XXIII. quod ipse Balaam ibi dicit se adductum de Aram, Septuaginta interpretantur, *Mesopotamia*; & ipse quoque noster Interpres Deuteron. XXIII. dicit eum venisse de Mesopotamia.

*V.* 15. & 16. CUR FEMINAS RESERVASTIS? NONNE ISTAE DECEPERUNT FILIOS ISRAEL AD SUGGESTIONEM BALAAM? De hoc sic Augustinus: *Hoc consilium malignum, ut eis ad illecebram feminæ subiicerentur, per quas non solum corporaliter, sed & spiritualiter in adorando idolo fornicarentur, quando dederit Balaam Scriptura non dixit*. Ex hoc tamen loco certum est eum hoc consilium dedisse. Quod & indicatur Apocal. II. ubi cuiusdam Ecclesiæ Angelo dicitur: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari*. Et hoc creditur consilium, quod recte innuit Balaam cap. XXIV. ne omnino indonatus abiret homo avarus, cum dicit: *Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore*.

V. 27.

*V.* 27. DIVIDESQUE EX AEQUO PRAEDAM INTER EOS QUI PUGNAVERUNT, ET INTER OMNEM MULTITUDINEM. Quomodo hæc divisio postea in legem transierit, & quomodo intelligenda sit, vide I. Reg. cap. xxx.

## MARIANAE.

*Verf.* 6. VASA QUOQUE SANCTA. Forte ipsam testamenti arcam detulerunt, quæ solebat ad bellum deferri: I. Reg. IV. & XIV. & superius cap. XIV. sed quoniam populus Dei tunc iniussu arma intulit finitimis, arca Dei mansit in castris, vers. 44.

*V.* 8. BALAAM QUOQUE FILIUM BEOR. Hinc putant quidam fuisse Madianitem, quia ibi est interfectus.

*V.* 10. TAM URBES QUAM VICULOS. Hebr. *Urbes eorum*, scilicet Madianitarum, *in habitationibus eorum*, id est quam longe eorum territorium pertinebat, *combusserunt*, scilicet Israelitæ.

*V.* 12. RELIQUA AUTEM UTENSILIA. Sept. & Chald. *Captivitatem, & spolia, & supellectilem, ea adduxerunt ad filios Israel in castra*. In Hebræo tres voces sunt, *Sebi*, *Malkoah*, *Salal*. Prima, hominum captivitatem significat; secunda, iumentorum & pecorum prædam; tertia, reliquam supellectilem.

*V.* 16. AD SUGGESTIONEM BALAAM. Hebr. *In verbo Balaam*. Ex hoc vides id consilium datum a Balaam ut mitterent ad Iudæos feminas Madian.

*V.* 18. PUELLAS AUTEM ET OMNES FEMINAS VIRGINES. Hebr. *Parvulas in feminis, quæ non noverunt coitum masculi*. Ex ætate discernit quæ servarentur, alioqui difficilis erat discretio.

*V.* 20. ET DE OMNI PRAEDA, SIVE VESTIMENTUM FUERIT, &c. Hebr. *Vos & captivitas vestra*, finis superioris versus: deinde, *Et omne vestimentum, & omne vas*, nempe expiabitur.

*V.* 23. IGNE PURGABITUR. In Heb. additur: *Verumtamen aqua expiationis purgabitur*. Ita metalla per ignem & aquam expiationis purganda erant, cetera per aquam tantum, in aqua communi lota: nam quod Hieronymus ait, *Aqua expiationis*, illud eo loco est additum. Hebr. hoc tantum est: *Et omne quod ignem non fert, transferetis per aquam*: sic Sept. & Chald.

*V.* 29. ET DABIS EAM ELEAZARO. Hebr. *De medietate eorum accipies quingentesimam, & dabis Eleazaro*. Non de omni præda sumi vult particulam quæ cedit Deo, sed de medietate eorum, nempe militum.

*V.* 41. NUMERUM PRIMITIARUM. Hic sunt duæ voces: מכס *meches*, pro qua superius Hieronymus posuit *partem*, nunc *numerum*; alii *tributum* exponunt, quod sequuntur Sept. תרומה *therumah* est vox altera, pro qua Hieronymus semper reddit *primitias*; alii *oblationem*. Ergo Moyses dedit Eleazaro oblationem & partem prædæ, quæ erat præcepta, scilicet vers. 29.

*V.* 42. HIS QUI IN PRAELIO FUERANT: scilicet ex prædæ medietate data militibus, sumpta est pars data Eleazaro. Hoc Hieronymus. Hebr. *Ab iis qui egressi sunt in exercitum*. Nimirum agit nunc de medietate prædæ, quæ ablata militibus, & data est populo. De qua parte ablata est quinquagesima, quæ levitis est data: sic Hieronymus vers. 42. iunxit cum superioribus, Hebræi cum sequentibus; sed quoad sententiam nil refert.

*V.* 43. DE MEDIA VERO PARTE. Hebr. *Et fuit dimidium congregationis*: itaque prosequitur quod cœpit superiori versu agere de medietate prædæ, quæ data est populo, quanta illa fuerit.

*V.* 50. MURAENULAS. *Chumaz*, vox Hebraica Rabbinis est figura vulvæ. Fortassis ut in festis Priapi gestabant membri virilis imaginem in pompa, sic Madianitæ in honorem alicuius Dei eam turpitudinem gestabant. Nisi cohibeatur populus, in turpitudinem facile degenerat.

*V.* 53. UNUSQUISQUE ENIM QUOD IN PRAEDA RAPUERAT, SUUM ERAT. Hebr. *Viri exercitus rapuerunt quisque sibi*; quasi dicat: Principes aurum obtulerunt: nam alii milites sibi retinuere quod ceperunt.

## MALVENDAE.

*Verf.* 2. ULCISCERE PRIUS FILIOS ISRAEL, &c. nempe de ea iniuria quam a Madianitis acceperunt, supra cap. xxv. vers. 13. & infra vers. 16. huius capitis.

*V.* 3. ARMATE, INQUIT, EX VOBIS VIROS AD PUGNAM. Hebr. diversimode convertunt. I. *Accingamini, accingite vos ex vobiscum, homines ad bellum*, seu *hanc militiam*. II. *Expendite vos ex vobis viros ad hanc militiam*. III. *Laxamini, separamini ex vobis*, id est *expedimini ad militiam*. IV. *Instruite viros e vobis ad prælium*. V. *Extrahimini, subtrahimini*, id est *expedimini, ex vobis viri ad militiam*; id est, extrahantur viri ex vobis. Hispanice: *Entresaquense, o entresacad de vos otros*, &c.

*V.* 6. VASA QUOQUE SANCTA, seu sacra instrumenta. Arcam intelligunt, & omnia quæ ad eam pertinebant.

*V.* 8. ET REGES EORUM. Quidam exponunt, beneficiarios, sive vassalos, ut vocant, Sehonis, ut apparet e Iosue XIII. vers. 21. quamvis cæso Sehone, mero imperio ut reges autocratores, seu toparchæ usi sint. BALAAM QUOQUE FILIUM BEOR INTERFECERUNT GLADIO. Quidam volunt, scilicet in itinere dum rediret in Mesopotamiam. Vide quæ supra notavimus in cap. XXIV. vers. 25. Alii volunt Bilaamum de Mesopotamia, ad quam iverat post recessum suum a Balako, rediisse ad Madianitas imminente bello eorum, ut malediceret exercitui Israel, & sic vinceretur; ipse vero reportaret lucrum a Madianitis. Vide Iosue XIII. vers. 22.

*V.* 10. CASTELLA. טירות *tirot*, hic quidam *ædes*, alii *palatia*, nonnulli *arces*. Vide quæ notavimus Genes. XXV. vers. 16.

*V.* 16. AD SUGGESTIONEM BALAAM. Hebr. *in verbo*, vel *sermone Bilgham*: quo auctore & suggestore puellæ in sacrificiis Baalphegoris submissæ sunt ad corrumpendum Israelem. Vide supra cap. XXIV. vers. 14. UNDE ET PERCUSSUS EST POPULUS. Hebr. *Et fuit plaga illa in cœtu Iehovæ*: de qua supra cap. XXV. vers. 14.

*V.* 19. SEPTEM DIEBUS. Vide supra cap. XII. vers. 14.

*V.* 21. HOC EST PRAECEPTUM LEGIS, quod habetur supra vers. 17. & seqq. sic enim iussit Deus cap. XXV. vers. 17.

*V.* 23. ET OMNE QUOD POTEST TRANSIRE PER FLAMMAS. Hebr. *Omne verbum*, seu *omnem rem*, *quod*, vel *quæ venit in ignem*; subaudi, ita ut in eo minime consumatur. Quidam reddunt: *quidquid fert ignem*; ut sunt metalla, quæ impuritatem contrahunt, & vim ignis sustinere possunt, & nihil detrimenti capiunt.

*V.* 26. ET PRINCIPES VULGI. Hebr. *Et capita patrum cœtus*. Alii, *& primarii paternarum familiarum cœtus*. Aliqui, *& præcipui patres multitudinis*. Nonnulli, *& capita avorum*.

*V.* 27. INTER EOS QUI PUGNAVERUNT. Hebr. *inter apprehendentes bellum*. Alii, *inter bellatores*. Quidam, *inter capessentes bellum*. Nonnulli, *inter eos qui in prælium profecti bellum gesserunt*. Aliqui, *inter gestores huius prælii*.

*V.* 28. ET SEPARABIS PARTEM. מכס *meces*, reddunt *annumerationem, additionem, collectam, accensitionem, censum, collationem, contributionem, vectigal, numerum, portionem numeratam, summam, pensionem, supputationem, tributum*. Sic vers. 38. 39. 40. 41.

*V.* 30. ACCIPIES QUINQUAGESIMUM CAPUT HOMINUM. Hebr. *Accipies unum captum e quinquaginta*; id est, quinquagesimum quemque, ut supra vers. 28. dictum est analogice, quingentesimum quodque. ET DABIS EA LEVITIS. Notant, sic eamdem proportionem hic servari, quæ in decimarum distributione: nimirum ut decimum eius quod levitarum est, ad sacerdotes perveniat. Vide supra cap. XVIII. vers. 26.

*V.* 32. FUIT AUTEM PRAEDA, QUAM EXERCITUS CEPERAT. Heb. *Et fuit captura, residuum direptionis*, seu *præda*. Observant dici residuum prædæ, quod pars ad alimentum exercitus consumpta fuerit in itinere, & in septiduana statione extra castra, supra vers. 19.

*V.* 49. SUB MANU NOSTRA, id est sub nostra potestate, qui nobis commissi fuerunt. ET NE UNUS QUIDEM DEFUIT. נפקד *niphkad* in Niphal notant sæpe numero contraria significatione verbi פקד *pakad*, *visitare, recensere*, significare, & *devisitari, derecenseri, denumerari, detrahi de summa, aut loco, ut desit*, quod Latine dicimus *desiderari, deesse*, *vacare*: sic Iudicum XXI. vers. 3. I. Samuel. XX. vers. 18. & cap. XXV. vers. 7. & 21. & alibi: ut sit eiusdem naturæ & rationis cum verbo נעדר *neghdar* in Niphal, sicut utrumque Isaiæ XXXIV. 16. coniungitur.

Pu-

Putantque, Lucam hanc phrasim & verbum usurpatum a Christo reddidisse per ὑστερεῖν, cap. XXII. vers. 35. *Numquid aliquid defuit vobis?* vel *aliquo defecti estis?* Ergo hic reddunt: *Et non devisitatus, derecensitus, desideratus, defectus, substractus, subductus fuit de a nobis vir.*

*V.* 50. PERISCELIDES. אצעדה etzghadah bis tantum in Scriptura legitur, hic, & II. Samuel. I. vers. 10. ubi Noster *armillam*: & quidem ornamentum brachii esse, diserte eo loco Samuelis asseritur. *Armillam* hic, & ibi plerique vertunt; alii, *brachiale*; nonnulli, *catenam*, seu *torquem aureum*; quidam, *tibiale*. Alii volunt esse *ornamentum pedum*. Hispanicus Interpres, *bracalete*, id est *brachiale*. ARMILLAS. צמיד *tzamid*. De hac voce egimus Genes. XXIV. vers. 22. Hic quidam, *ornamentum manus*; alii, *brachiale*; plerique cum Nostro, *armillam*. Hispanica Translatio, *manillas*. DEXSTRALIA. עגיל *ghagil*. Hic tantum invenitur, & Ezechiel. XVI. 12. ubi Noster *circulos* dixit, esseque aurium ornamentum expresse ibidem dicitur. Quidam notant esse ornamentum rotundum, quod vel *circulum*, vel *rotulam*, seu *sphaerulam* vertere licebit. *Inaurem* plerique reddunt. Hispanicus Interpres, *Carcillos*. Quidam hanc vocem praecedenti annectunt ut adiectivam, & טבעת עגיל *tabbaghat ghagil* exponunt *infixorium*, vel *immersorium tornatile*: curiose; sed quam apte, ipsi viderint. MURAENULAS. כומז *cumaz*. De hac voce diximus Exodi XXXV. vers. 22. Hic quidam vertunt, *subligaculum femineum*; alii, *formam vulvae*; aliqui, *brachiale*; nonnulli, *torquem*; alii, *cingulam pendulam*; quidam, *catenam*, seu *thricam auream*. Hebraeorum plerique hic *typum vulvae*, seu *matricis* intelligunt, quam fecerant Israelitae ad expiandum, propitiandumque cogitationem cordis filiarum Midian, quae ipsis causa ruinae fuit: uti Philisthaei fecerunt mures, & annos, I. Samuel. VI. vers. 5. UT DEPRECERIS PRO NOBIS DOMINUM. Hebr. *Ad expiandum super animas nostras, ad facies Iehovah*. Alii: *Ad faciendum expiationem pro animis nostris coram Iehovah*. Nam ex Mosis irati verbis supra vers. 14. intelligebant se peccasse, ideoque duo oblationum genera offerunt, expiatorium, & eucharisticum.

*V.* 51. IN DIVERSIS SPECIEBUS. Hebr. *Omne vas facturae*. Alii: *Totum instrumentum operis*, id est operosum, seu *omne instrumentum affabrefactum*; vel *totum aurum in instrumentis affabrefactum*; vel *totum aurum in instrumentis affabrefactis*. Quidam: *Ornamentaque omnia ex eo facta*. Aliqui: *Omnia vasa summa arte facta*. Hispanice: *Todo el oro en vasos labrados, en vasos de becburu, oro labrado*.

*V.* 52. PONDO SEDECIM MILLIA, SEPTINGENTOS, QUINQUAGINTA SICLOS. Summa est sexaginta septem millium scutorum aureorum Hispanicorum.

*V.* 53. UNUSQUISQUE ENIM QUOD, &c. Hebr. *Viri militares diripuerunt vir ei*, vel *sibi*. Quidam: *Milites diripuerunt quisque sibi*; id est, quod praedati sunt, retinuerunt sibi, neque dederunt centurionibus suis. Alii: *Militum autem qui fuerunt in exercitu, rapuerat quisque pro se*. Nonnulli: Quod ad *viros militares*, *praedam habuerunt quisque sibi*; quasi dicat: Etsi liberaliter admodum obtulerunt Domino, tamen tanta fuit praeda, ut quisque sibi multum reservaret. Aut intelligit: Quamvis magna fuerit praeda in commune collata & exposita; at praeter eam quisque ex militibus privatim & occulte multum reservavit sibi.

## MENOCHII.

*Vers.* 2. ULCISCERE PRIUS FILIOS ISRAEL DE MADIANITIS: quia ipsi provocaverunt Israelitas, prostituendo eis filias suas, ad fornicationem, & idololatriam Beelphegor. Vide supra cap. XXV. num. 6. & 17.

*V.* 3. ULTIONEM DOMINI. Dicitur *ultio Domini*, quia Domino adiuvante facta, & quia ea vindicata est iniuria facta populo Domini, & ipsi Domino.

*V.* 6. CUM PHINEES: cuius zeli ceperant experimentum, cum scortantes occidit supra cap. XXV. 7. VASA QUOQUE SANCTA, arcam cum tabulis legis, Cherubim, & propitiatorio: haec enim secum ferebant Iudaei euntes ad bellum. ET TUBAS, de quibus cap. X. 2.

*Vers.* 7. OMNES MARES OCCIDERUNT: qui erant in Madian, vel qui fuga elapsi non sunt.

*V.* 8.

*V.* 8. Sur, pater Madianitidis quam occidit Phinees, cap. xxv. 18.

*V.* 13. Egressi sunt Moyses et Eleazar, ad gratulandum victoribus ex Madian redeuntibus.

*V.* 16. Super peccato Phogor, in peccato adorationis Beelphegor.

*V.* 17. Cunctos interficite, &c. Mulieres, & parvuli iuste in bello occidi non possunt, cum non resistant; possunt tamen Dei iussu, qui vitæ, & mortis est Dominus. Ita factum est hic. Quae noverunt viros in coitu, iugulate: quia per tales decepti fuerant Hebræi, fornicando cum eis.

*V.* 18. Virgines reservate vobis, coniuges scilicet, vel primarias, vel secundarias vobis, vel filiis vestris futuras; vel certe ancillarum loco habendas, vel aliis divendendas. Quænam essent virgines in plerisque non difficile agnoscere ex ætate vix dum nubili: neque ad id necesse fuit Hebræi habere plusquam moralem certitudinem.

*V.* 19. Lustrabitur die tertio et septimo, iuxta legem de eo qui tangit cadaver, latam Num. xix. 14. & seq.

*V.* 20. Expiabitur: censebantur enim immunda per contactum cadaverum in tanta strage. Expiatio facta per ignem si res expianda id ferret, vel per aquam lustralem, de qua cap. xix.

*V.* 21. Hoc est praeceptum legis, quod mandavit Dominus Moysi. Hoc præceptum fortasse voce tantum traditum est, nam in lege scripta non extat.

*V.* 27. Divides ex aequo praedam, &c. Præda in duas partes æquales divisa, altera pars cessit multitudini quæ remanserat in castris, altera iis qui processerant ad bellum, qui cum essent tantum duodecim millia, multum plus prædæ singulis militibus obtigit, quam iis qui in eam expeditionem non iverant.

*V.* 29. Primitiae. Hebr. *oblatio*.

*V.* 30. Ex media quoque parte, &c. scilicet ab eis qui remanserant in castris, nec pugnaverant.

*V.* 50. Periscelides crurum sunt ornamenta. Armillas, brachiorum ornamenta. Dextralia. Videtur armilla, & dextrale sic distingui, quod armilla sinistri brachii, dextrale dextri ornamentum sit; quamquam armillæ nomen utriusque brachii ornamentum videtur comprehendere. Muraenulas, colli ornamenta. Ut depreceris. Hæc secundaria, & accessoria erat causa oblationis auri: primaria enim erat ut ostenderent se esse gratos Deo, qui illis incruentam victoriam concesserat.

*V.* 51. Aurum in diversis speciebus, id est in diversas vasorum species conflatum.

*V.* 52. Pondo sedecim millia septingentos quinquaginta siclos, in Hebr. Chald. & Septuaginta versione, non est vox illa *Pondo*. Sensus est, totum illud aurum fuisse ponderis sexdecim millium septingentorum quinquaginta siclorum. A tribunis, et centurionibus: hi enim detulerunt ad Mosen & Eleazarum quod ipsi, & quod milites obtulerant.

*V.* 53. Quod in praeda rapuerat, suum erat. Ex hoc intelligas, quod e præda supra cum tota multitudine fuerat communicatum, fuisse tantum animantium, & hominum prædam.

*V.* 54. In monumentum filiorum Israel coram Domino; hoc est, ut Deus eorum meminisset, & eis esset propitius.

## TITULI.

*Vers. 6.* Vasa sancta. Puta arcam cum suis appendicibus. Ita Rabbini, & Lyran. Abul. Caiet. & Serarius *a*. Solebat enim arca passim ad bellum deferri a Iudæis, ut idola a Gentilibus: idque ut pugnaturi firmum haberent adversus hostes præsidium, & certam spem victoriæ. Tubas quoque, scilicet argenteas illas sacras, de quibus supra cap. x. vers. 2. ad animos pugnantibus addendos, inflabant sacerdotes in bello, & hoc officium erat illis proprium. Et hæc erat causa cur Phinees sacerdos pugnaturis Israelitis iunctus fuerit a Moyse; non vero ut ducem supremum belli ageret, quod vult Lyranus. Cur enim id Iosue recens inaugurato principi, cui id ex officio incumbebat, negatum fuisset, ipso maxime præfecturæ initio, quo concilianda illi erat apud populum auctoritas? Ita Doctores supra citati.

*V.* 8.

*V.* 8. BALAAM QUOQUE FILIUM BEOR INTERFECERUNT GLADIO. Hærebat ergo adhuc Balaam in parte aliqua Madianitidis. Et hic locus illius dici potest, ad quem cap. XXIV. vers. ult. reversus fuisse dicitur, nempe ex confiniis & montibus, e quibus prospexerat castra Hebræorum, descenderat in interiora regni, & apud amicos adhuc hærebat hospes, inde in Mesopotamiam commodo suo traiecturus. Sed divino consilio ac providentia factum, ut hæsitans in via, cum pereuntibus Madianitis ipse auctor & totius flagitii architectus simul periret.

*V.* 16. SUPER PECCATO PHOGOR, idololatriæ scilicet, de quo cap. XXV. cuius auctor & incentor fuerat Balaam. Iubet ergo hic occidi mulieres omnes quotquot viros expertæ essent, eo quod hæ vel ad flagitium concurrissent sese prostituendo, & Israelitis ad idololatriam pertrahendo, vel saltem consensissent ut filiæ suæ id facerent. Virginibus, quia innoxiis, vitam condonat, & ut vel uxorum, vel ancillarum loco sint Hebræis permittit. Filios autem masculos, quantumcumque parvulos & innocentes occidi iubet, non solum in detestationem facinoris parentum, eorumdemque maiorem punitionem, sed etiam ut gens omnis Madianitica stirpitus exscinderetur, posteritatis spe omni recisa; & ne parentum aliquando ultores filii exsurgerent. Ita Theodoretus.

*V.* 50. MURAENULAS. Colli sunt ornamenta, vel stricte illi circumposita, ut fere uniones solent; vel in pectus defluentia, ut torques. Sic PERISCELIDES, crurum: DEXTRALIA, dextri; ARMILLAE, utriusvis brachii ornamenta sunt.

*V.* 52. PONDO, id est pondere, non vero libra. Et certum est ex Hebræo, pondus omne auri, quod hic ex spoliis & manubiis hostium Deo dedicatur, non fuisse nisi SICLOS SEDECIM MILLIA SEPTINGENTOS QUINQUAGINTA, qui conflabant talenta Hebraica quinque cum dimidio, & insuper siclos 250. nam talentum Hebraicum constabat ter mille siclis.

(a) Serar. Lib. I. Iosue cap. x. quæst. I.

GORDONI.

*Vers.* 6. QUOS MISIT MOYSES CUM PHINEES. Probabilior est sententia quæ asserit, Iosue ducem in hoc bello fuisse, & adfuisse Phinees, ut esset in his quæ ad Deum spectant. Et vero illo sæculo Pontifices non ductabant exercitus; quamvis tempore Machabæorum contraria invaluerit consuetudo.

*Vers.* 7. OMNES MARES OCCIDERUNT, quotquot, instante bello, non fugerunt in aliam regionem: nam fugitivi illi restituerunt gentem, & tempore Gedeonis vexarunt Hebræos. Inter occisos est Balaam, de quo dixi cap. XXIII. Hic transiens a Moab ad Madianitas, Hebræis adversatur.

*V.* 18. PUELLAS AUTEM, &c. Ad distinctionem virginum a corruptis, sufficiebat apparens coniectura, & moralis certitudo, accedente iudicio Mosis; nec plus diligentiæ, & certitudinis postulabat hoc præceptum.

*V.* 28. SEPARABIS PARTEM DOMINO AB HIS QUI PUGNAVERUNT; hoc est, separabis ab illa parte quæ debetur pugnatoribus, unam animam de quingentis. Meminit hic hominum, nam inter res captas erant, ex vers. 11. & 17.

*V.* 29. Particula quæ cadit Deo, non detrahitur de omni parte, sed de ea medietate quæ militum erat.

*V.* 32. FUIT AUTEM PRAEDA, &c. Hinc usque ad versum 48. initur ratio, quid quique acceperint ex præda, iuxta præscriptam divisionem vers. 27. & 28. ubi datur media pars pugnatoribus, & media toti populo; sed ita ut priori medietati subducatur quod dandum est Eleazaro, vers. 28. & ex altera medietate, quod dandum est levitis, vers. 30.

*V.* 42. De medietate data populo subducta est quinquagesima pro levitis.

*V.* 50. OB HANC CAUSAM OFFERIMUS IN DONARIIS DOMINI, &c Principes & Duces belli donaria Deo consecrant. De his quæ hic recensentur ornamentis, fere nihil addendum ad ea quæ dixi Isaiæ cap. III. vers. 18. *Murenulæ* colli ornamenta, Septuag. ἐμπλόκιον: est quidem πλόκιον species collaris. *Dextrariola*, περιδέξιον, idem quod armilla; nisi velis, ar-

armillam esse sinistri brachii ornamentum. Hebr. עגל *hhagil*. *Anulus*, δακτύλιον, notum est. Periscelides; Septuaginta, χλιδῶνες; Hebr. אצעדה *etshhada*: ornamenta circa brachia, ex Suida.

*V.* 52. Pondo sedecim millia. Præda hæc in auro æstimatur ad auri libras 697. & siclos 22.

Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 2. Ulciscere, ob provocatos Israelitas ad fornicationem, ut supra cap. xxv.

*V.* 6. Vasa sancta, arca, tabulæ legis, Cherubim, & propitiatorium. Hæc secum habebant Israelitæ in bello.

*V.* 16. Peccato Phegor, Ex adoratione Beelphegor.

*V.* 17. Mulieres non resistebant: cur ergo occisæ? Sane qui occidi iussit Deus est, & Dominus vitæ.

*V.* 51. In diversis speciebus, conflatum in species vasorum diversas.

*V.* 54. Præda hæc animalium, & hominum fuisse videtur.

# CAPUT XXXII.

*Filiis Ruben & Gad & dimidiæ tribui Manasse portio datur trans Iordanem, modo fratres suos in terram promissionis armati præcedant.*

1. Filii autem Ruben & Gad habebant pecora multa, & erat
illis in iumentis infinita substantia. Cumque vidissent Iazer
& Galaad aptas animalibus alendis terras, 2. venerunt ad
Moysen, & ad Eleazarum sacerdotem, & principes multi-
tudinis, atque dixerunt: 3. Ataroth, & Dibon, & Iazer,
& Nemra, Hesebon, & Eleale, & Saban, & Nebo, &
Beon, 4. terra, quam percussit Dominus in conspectu filio-
rum Israel, * regio uberrima est ad pastum animalium: & nos servi tui habe-
mus iumenta plurima: 5. precamurque, si invenimus gratiam coram te, ut des
nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Iordanem.
6. Quibus respondit Moyses: Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos
hic sedebitis? 7. Cur subvertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in lo-
cum quem eis daturus est Dominus? 8. nonne ita egerunt patres vestri, quando
misi de Cadesbarne ad explorandam terram? (*a*) 9. Cumque venissent usque ad
Vallem botri, lustrata omni regione, subverterunt cor filiorum Israel, ut non
intrarent fines, quos eis Dominus dedit. 10. Qui iratus iuravit, dicens: 11. Si
videbunt homines isti, qui ascenderunt ex AEgypto, a viginti annis & supra,
terram, quam sub iuramento pollicitus sum Abraham, Isaac, & Iacob: & no-
luerunt sequi me, 12. præter Caleb filium Iephone Cenezæum, & Iosue filium
Nun: isti impleverunt voluntatem meam. 13. Iratusque Dominus adversum Is-
rael, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur uni-
versa generatio, quæ fecerat malum in conspectu eius. 14. Et ecce, inquit, vos
surrexistis pro patribus vestris, incrementa & alumni hominum peccatorum, ut
augeretis furorem Domini contra Israel. 15. Quod si nolueritis sequi eum, in
solitudine populum derelinquet, & vos causa eritis necis omnium. 16. At illi
prope accedentes, dixerunt: Caulas ovium fabricabimus, & stabula iumentorum,

par-

parvulis quoque nostris urbes munitas: 17. nos autem ipsi armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Parvuli nostri, & quidquid habere possumus, * erunt in urbibus muratis, propter habitatorum insidias. 18. Non revertemur in domos nostras, usque dum possideant filii Israel hereditatem suam: 19. nec quidquam quæremus trans Iordanem, quia iam habemus nostram possessionem in orientali eius plaga. 20. Quibus Moyses ait: (b) Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam: 21. & omnis vir bellator armatus Iordanem transeat, donec subvertat Dominus inimicos suos, 22. & subiiciatur ei omnis terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum & apud Israel, & obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino. 23. Sin autem quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est quin peccetis in Deum: & scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos. 24. AEdificate ergo urbes parvulis vestris, & caulas & stabula ovibus ac iumentis: & quod polliciti estis implete. 25. (c) Dixeruntque filii Gad & Ruben ad Moysen: Servi tui sumus, faciemus quod iubet dominus noster. 26. Parvulos nostros, & mulieres, & pecora, ac iumenta relinquemus in urbibus Galaad: 27. nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu domine loqueris. 28. Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, & Iosue filio Nun, * & principibus familiarum per tribus Israel, & dixit ad eos: 29. (d) Si transierint filii Gad & filii Ruben vobiscum Iordanem, omnes armati ad bellum coram Domino, & vobis fuerit terra subiecta: date eis Galaad in possessionem. 30. Sin autem noluerint transire armati vobiscum in terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca. 31. Responderuntque filii Gad, & filii Ruben: Sicut locutus est Dominus servis suis, ita faciemus: 32. ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, & possessionem iam suscepisse nos confitemur trans Iordanem. 33. (e) Dedit itaque Moyses filiis Gad & Ruben, & dimidiæ tribui Manasse filii Ioseph, regnum Sehon regis Amorrhæi, & regnum Og regis Basan, & terram eorum cum urbibus suis per circuitum. 34. Igitur extruxerunt filii Gad, Dibon, & Ataroth, & Aroer, 35. * & Etroth, & Sophan, & Iazer, & Iegbaa, 36. & Bethnemra, & Betharan, urbes munitas, & caulas pecoribus suis. 37. Filii vero Ruben ædificaverunt Hesebon, & Eleale, & Cariathaim, 38. & Nabo, & Baalmeon, versis nominibus, Sabama quoque: imponentes vocabula urbibus, quas extruxerant. 39. (f) Porro filii Machir, filii Manasse, perrexerunt in Galaad, & vastaverunt eam interfecto Amorrhæo habitatore eius. 40. Dedit ergo Moyses terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitavit in ea. 41. Iair autem filius Manasse abiit & occupavit vicos eius, quos appellavit Havoth Iair, id est Villas Iair. 42. Nobe quoque perrexit, & apprehendit Chanath cum viculis suis: vocavitque eam ex nomine suo Nobe.

(a) Sup. XXXII. 24. (b) Iof. I. 14. (c) Iof. IV. 12. (d) Iof. XIII. 8. & XXII. 4. Deut. III. 12. (e) Iof. XXII. 4. (f) Gen. L. 22.

## BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Regio uberrima est*. Alii minus recte, mutatis nominativis in genitivos, scribunt *regionis uberrimæ est*.

V. 17. *Erunt in urbibus muratis*. Ita vertit Interpres, *muratis*, quod est muro cinctis, pro quo alii *munitis*.

V. 28. *Et principibus familiarum per tribus Israel*. Non omittas præpositionem *per*.

V. 35. *Et Ethroth, & Sophan*. Male quidam scribunt monosyllabum *Roth* pro dissyllabo *Ethroth*.

# COMMENTARIA.

## SA.

*Verf.* 5. FINES QUOS. Hebr. Chald. & LXX. *Terram quam*.

*V.* 12. CENEZAEUM. Videtur ita dictus a patre Cenez. Vide Iof. xv.

*V.* 14. INCREMENTA ET ALUMNI. Hebr. *Multiplicatio*. LXX. *Alumni*. Chald. *Discipuli*.

*V.* 15. NECIS. Hebr. *perditionis*, seu *corruptionis*. Chald. *damni*.

*V.* 17. ACCINCTI, id est prompti. Hebr. *Festinantes*. Chald. *Expediti*. ANTE FILIOS. LXX. *Priores in antecustodia filiorum*, &c. Vulgo *Vanguardia*.

*V.* 20. DOMINO, id est arca Domini.

*V.* 23. APPREHENDET VOS; id est, pro eo puniemini.

*V.* 28. VERSIS, &c. quasi dicat, aliis nominibus eas appellantes.

## ESTII.

*Verf.* 10. & 11. QUI IRATUS IURAVIT DICENS: SI VIDEBUNT HOMINES ISTI, &c. Phrasis ista frequens est in Scriptura: sic Psal. xciv. *Quibus iuravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam*: & Isaiæ xxii. *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*. Quidam hanc Scripturæ locutionem explicare volentes dicunt, *Si* positum esse pro non: ut si videbunt homines isti, id est non videbunt; si intrabunt, id est non intrabunt; si dimittetur, id est non dimittetur. Sed frivola est hæc expositio: neque enim usspiam apud Hebræos *si* pro non accipitur, non magis quam apud Latinos. Est igitur in hac phrasi agnoscenda aposiopesis, id est reticentia vehemens alicuius subintellecti; ut sit sensus: Si videbunt homines isti terram; supple, non sim Deus; aut non habear verax: hanc enim vim habet iuramentum quod fere in talibus præfigitur. Et similiter explicentur similes locutiones. Vide Comment. nostrum Hebr. III. vers. 11.

*V.* 12. De Caleb, & Iosue. ISTI IMPLEVERUNT VOLUNTATEM MEAM: sic ipse Dominus. Ex quo discimus contra hodiernos iustitiæ bonorum operum oppugnatores, iustos in Scriptura sacra ita commendari, ut non tantum dicantur facere voluntatem Dei eiusque mandata, sed etiam implere & perficere. Non quod omni peccato careant, sed quod multa tamen faciant in quibus nihil pravum aut vitiosum reperiatur.

*V.* 14. ET ECCE, INQUIT, VOS SURREXISTIS PRO PATRIBUS VESTRIS INCREMENTA ET ALUMNI HOMINUM PECCATORUM: sic mitis Moyses; in corde nihilominus retinens mansuetudinem: petitio enim istorum sic nude proposita tale merebatur responsum, ut Moyses graviter suis verbis docet. Sic & Paulus: *O insensati Galatæ!*

*V.* 26. PARVULOS NOSTROS, ET MULIERES, ET PECORA RELINQUEMUS IN URBIBUS; NOS AUTEM OMNES EXPEDITI PERGEMUS AD BELLUM: non omnino omnes, ut videtur, viri, sed omnes bellatores. Vide plenius Iof. xxii.

## MARIANAE.

*Verf.* 11. SI VIDEBUNT. *Si*, pro non, quod in Divinis libris frequens est; pro, non videbunt terram promissam.

*V.* 17. NOS AUTEM IPSI ARMATI ET ACCINCTI. Hebr. *Armati*, & חשים *husim*, *festinantes*.

*V.* 30. SIN AUTEM IPSI NOLUERINT TRANSIRE ARMATI VOBISCUM IN TERRAM CHANAAN, INTER VOS HABITANDI ACCIPIANT LOCA. Hebr. *Et si non transierint armati vobiscum, & possessionem habebunt in medio vestri in terra Chanaan*: sic Chald. & Sept. hoc est, non detis illis terram Galaad, quam petunt.

*V.* 41. IAIR AUTEM FILIUS MANASSE, abnepos, I. Paral. II. vers. 22. Fuit

Fuit etiam nepos Hesron, ibidem. Ita *filius* sumitur pro, e posteris. Id est Villas Iair. *Villæ* Hebraice dicuntur חות *bavoth*, a vivendo, quod in agris commodius vivatur.

*V.* 42. Chanath cum viculis suis. Hebr. *Et filiabus suis*. Vici vocantur filiæ, quod urbs sit velut mater earum unde nutriuntur.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. Pecora multa. Hebr. *Acquisitio multa*, seu *peculium multum*, vel *pecus multum*. Quidam divinant, partim ex præda Madianitarum, & trans Iordanini agri, partimque fortasse ex emptione ab aliis comparatum. Iazer. De hac terra diximus supra cap. xxi. vers. 32. Galaad. Vide de ea Genes. xxxi. vers. 48.

*V.* 3. Ataroth. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Ataroth iuxta Rammam in tribu Ioseph. Ataroth civitas in tribu Ephraim, nunc vicus ad aquilonem Sebaste in quarto eius milliario Atharius dicitur. Ataroth civitas tribus Beniamin. Sunt autem duæ Ataroth haud procul ab AElia*. Nulla harum videtur hæc esse Ataroth, quæ in tribu Gad ultra Iordanem fuit. Vide infra vers. 34. Idem Eusebius, & S. Hieronymus: *Ataroth, civitas olim Amorræorum trans Iordanem, quæ postea cecidit in sortem tribus Gad*. Nomen a coronis habet, quasi urbs insignis & coronata. Duas fuisse eiusdem nominis instauratas a Gaditis, infra dicitur vers. 34. & 35. Dibon. De hac plura annotavimus cap. xxi. vers. 30. Nemra. Hebr. נמרה *nimrah*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Nemra civitas tribus Ruben in terra Galaad, & usque hodie vicus grandis*. Sed infra vers. 36. & Iosue xiii. vers. 27. *Beth-Nemrah*, quæ proculdubio ipsa est *Nemrah*, in tribu Gad statuitur. Voluntque eamdem esse, quam Isaias xv. vers. 6. vocat *Nemrim*, ubi S. Hieronymus: *Hoc oppidum super mare mortuum est, salsis aquis, & ob hoc ipsum sterilibus. Sive autem allusit ad nomen; sive quod ante non fuerat: post vastitatem accidit, ut etiam aquæ in amaritudinem verterentur*. Urbem fuisse Moabitarum, ibidem S. Hieronymus affirmat. Quidam notant, ab Isaia eam ab aquis, & lætis pascuis prædicari; ut fuit universa illa planities ad Iordanem, quæ dicta est Campestria Moab, lætissimo, fecundissimoque solo: ob viciniam fluminis, & fortasse quod eius aquis irrigaretur. Observant etiam a Pardis nomen habere, quod ibi fortasse eorum copia esset. Aut quod ibi in domo aliqua servarentur, quod nomen *Beth-Nemrah* significat, id est Domus Pardi, vel Pardalis feminæ. Hesebon. De ea plenius egimus supra cap. xxi. vers. 25. Eleale. Heb. *Elghaleh*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Eleale civitas Amorrhæorum in Galaad, quæ cecidit in sortem tribus Ruben. Meminit huius & Isaias in visione contra Moab, & Ieremias; sed & usque hodie villa grandis ostenditur in primo ab Esbus milliario*. Est Esbus, Hesebon. Hanc Reubenitæ instaurant infra vers. 37. Saban. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Sebama civitas Moab in terra Galaad, quæ cecidit in sortem tribus Ruben: meminit & huius Isaias in visione contra Moab*. Vitibus fuisse nobilem, Isaias cap. xvi. vers. 9. satis indicat. Coniectantur quidam, ad pedem montium Abarim in apricis collibus fuisse positam, infra vers. 38. שבמה dicitur *Sibmah*: interpretantur, *Aliquid in ea*, iuxta Hispanicum proverbium, *En cada villa su maravilla*. Nebo. נבו. Eusebius & S. Hieronymus ibidem: *Naban, quod Hebraice dicitur Nebo; mons supra Iordanem contra Ierichum in terra Moab, ubi Moyses mortuus est: & usque hodie ostenditur in sexto milliario urbis Esbus contra orientalem plagam. Nabo civitas filiorum Ruben in regione Galaad: cuius meminit Isaias in visione contra Moab, & Ieremias. Sed & usque hodie ostenditur locus desertus Naba distans a civitate Esbus millibus octo contra meridianam plagam*. Videtur urbi nomen inditum a proximo monte; aut e contra a proventu & fertilitate terræ nomen habere videtur. Vide infra vers. 38. Beon. Non est dubium eam ipsam, quæ hic per contractionem dicitur *Beghon*, infra vers. 38. integre appellari *Baghal-Meghon*. Existimant Iosue xiii. vers. 17. dictam *Beth Baghal Meghon*, hoc est Fanum, aut AEdem Saturni, vel Iovis, aut alterius Dei tutelaris: מעון *maghon* enim significat habitaculum. Porro Baghal Meghon, quo etiam nomine num-

cupatur Ezechielis xxv. 9. exponunt *Baal*, seu *Deum tutelarem*, aut *Larem*. Alii, *Numen viscerale*, *quod visceribus sanandis praeesse fortasse crederetur*. מעים *meghaiim*. S. Hieronymus in eum Ezechielis locum: *Baal Meon quoque usque hodie in Moab vicus est maximus*. Ieremias vero xlviii. 23. eamdem urbem *Beth-Meghon* vocat. Forsan est Bean. I. Machab. v. vers. 4. Vide in Isaiæ xv. vers. 2. Fuerunt proculdubio novem istæ urbes Moabitarum, seu antea Amorrhæorum, e vers. 23.

*V.* 6. Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam? Hac reprehensione, ut quidam notant, non recusat Moyses Israelitis terram quam postulabant, attribuere, cuius attribuendæ mandatum se accepisse affirmat Deuteron. iii. vers. 18. sed petentes increpat ignaviæ, & sui erga fratres officii contemptum exprobat: idque eo vehementius, quod distractis copiis fore videbat ut Israelitarum animi frangerentur, ut ipse ait sequenti versu.

*V.* 12. Cenezaeum. Non satis expediunt Explanatores, cur & unde Caleb dictus sit *Kinezæus*: quidam exponunt, nepotem Kenazi e tribu Iudæ, I. Paralipom. iv. vers. 13.

*V.* 13. Quadraginta annis. Triginta octo præfixe divagati sunt post rebellionem exploratorum: sed iis annumerat duos antecedentes egressionis ex AEgypto usque ad missionem exploratorum: qua synecdoche solet Scriptura uti ad rotundationem numeri. Donec consumeretur universa generatio, &c. Iam hoc tempore quo hæc loquebatur Moses, consumptam fuisse, quidam annotant. Vide supra cap. xxvi. vers. 1.

*V.* 14. Incrementa et alumni. Heb. unica vox est תרבות *tharbuth*, quam varie vertunt: *Multiplicatio*, *multitudo*, *turba*, *educatio*, *proles*, *soboles*, *progenies*, *indoles*. Alii: *additamentum*, *incrementum hominum peccatorum*; vel *homines erratores*, *peccatores*, appositive.

*V.* 17. Nos autem ipsi armati et accincti pergemus ad praelium ante filios Israel. Hebr. *Et nos extrahemur festinantes ante filios Israel*. Quidam: *Nos autem expediti erimus*, *celeres ad procedendum ante filios Israelis*, id est is numerus ex nobis, quem iudicatis fratribus iuvandis sufficere. Nam non omnes aptos ad militiam Iordanem cum fratribus traiecisse, apparet ex Deuter. iii. vers. 18. Iosue iv. vers. 12. & cap. i. vers. 14. Iuvat apte hunc sensum verbum *extrahemur*, quod Hispanico dicimus *entresacarnos emos*; id est, non omnes, sed quosdam ex numero nostro extrahemus.

*V.* 18. Non revertemur in domos nostras, &c. Hoc quidem ita factum fuisse, ut isti dicunt, scribitur Iosue xxii.

*V.* 19. Nec quidquam quaeremus trans Iordanem, &c. Bis ponitur in hoc versu Hebraice nomen, vel præpositio מעבר *meghEber*, *de transitu*, seu *de trans*: Hispanice *detras*: & priori loco *trans*, *ultra*, reddunt; secundo vero loco, *cis*, *citra*: ea enim præpositione *meghEber* promiscue utuntur Hebræi pro *trans*, & *cis*; seu *ultra*, & *citra*; ex loco autem loquentis, aliisque circumstantiis dignoscitur *ultra* ne, an *citra* significet; ut hic: Rubenitæ enim, & Gaditæ cum de sua possessione loquuntur, *meghEber* pro *citra* accipiunt; cum vero de aliorum Israelitarum, pro *trans*, & ultra; ex situ nimirum locorum: nam venientibus ab AEgypto in Chananæam, Rubenitarum & Gaditarum hereditas citra Iordanem; aliorum vero Israelitarum ultra Iordanem. Unde hic quidam reddunt: *Non enim hereditatem capiemus cum eis trans Iarden*, & *ultra*, *quod evenerit hereditas nobis citra Iarden ad Orientem*. Alii: *Quin non erimus possessores cum illis*, *trans vadum Iardenis* & *ultra*, *cum obvenerit possessio nostra nobis cis vadum Iardenis Orientem versus*. Vide Genes. L. vers. 10. & 11.

*V.* 20. Coram Domino. Plerique exponunt, *coram arca*, *ante arcam*, in qua Dominus suam præsentiam exhibebat. Sic vers. 27. 29. 32. Alii, *coram Domino*, tamquam milites eius, eo inspectore, & ductore, qui rite æstimet virtutem cuiusque.

*V.* 22. Eritis inculpabiles. נקים *nekiiim*, *vacui*, *liberi*, *inculpabiles*, *innocentes*, *insontes*, *impunes*, *extra culpam* & *pœnam positi*; id est, eritis absoluti a Iehovah: nulla vobis culpa, aut pœna imputabitur a Iehovah, postquam officio vestro functi fueritis.

*V.* 32.

*V.* 32. ET POSSESSIONEM IAM SUSCEPISSE NOS CONFITEMUR. Hebr. *Et nobiscum possessio hereditatis nostræ.* Quidam: *Ut nobis maneat possessio hereditatis nostræ.* Alii: *Cum iam apud nos sit possessio hereditatis nostræ.* Nonnulli: *Quamvis hereditatem acceperimus.* Aliqui: *Ut in potestate nostra maneat hereditas quam apprehendimus.* Nec desunt qui: *Et penes nos manebit ius possessionis nostræ.*

*V.* 33. ET DIMIDIAE TRIBUI MANASSE. Notant. causam cur hanc tribum illis coniungat, assignari infra vers. 39. & seqq.

*V.* 34. AROER. ערוער *gharogher.* Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Aroer oppidum Moabitarum, quod situm est super ripam torrentis Arnon, possessum olim a gente veterrima Omniim, & postea retentum a filiis Lot, id est Moabitis, cum priores accolas subvertissent. Et ostenditur usque hodie in vertice montis illius; sed & torrens per abrupta descendens, in mare mortuum fluit. Cecidit autem Aroer in sortem tribus Gad, contra faciem Rabba.* Hanc eamdem esse quæ alio nomine dicta est *Moab*, seu *Rabath-Moab*, urbem populosissimam Moabitarum, Græcisque dictam *Areopolim*, quidam existimarunt: per contractionem esse Ar, de qua diximus cap. XXI. vers. 15. plerique putant. Coniectantur nomen urbi factum a myricis, seu tamaricibus, quę ibidem large proveniunt: seu quod urbs esset nudatissima, solitaria, & in desertis circum locis posita.

*V.* 35. SOPHAN. שפון *schaphon.* Ego hanc urbem non eruo; sed auguror eamdem esse quæ Iosue XIII. vers. 27. Tzaphon dicitur: de qua Eusebius, & S. Hieronymus de Locis Hebraicis: *Saphon in tribu Gad supra Iordanem.* Hic enim, & ibi coniungitur cum *Beth-Nimrah*, & *Beth-Haran*, urbibus Gaditarum trans Iordaninis. Nomen habere videtur, vel quod aquilonarior ceteris esset, vel quod cuniculis abundaret. Quidam nomen nactam volunt a Tzaphon filio Gad, supra cap. XXVI. 15. eius forsan fundatore, aut instauratore. Eusebius, & S. Hieronymus unam & eamdem urbem esse volunt hanc cum præcedenti, coniunguntque, *Ataroth Sophan.* IEGBAA. יגבהה *iagebbehah.* Huius mentio habetur Iudicum VIII. vers. 11. sic dicta videtur, quod in loco excelso & sublimi posita fuerit.

*V.* 36. BETHNEMRA, ET BETHARAN. Has duas urbes munitas fuisse hic dicitur; in valle vero, seu in planitie sitas, Iosue XIII. vers. 27. De Bethnemra vide supra ad vers. 3.

*V.* 37. CARIATHAIM. קריתים *kiriathaiim.* Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Chariathaim, civitas quam extruxerunt filii Reuben; nunc autem est vicus Christianis omnibus florens, iuxta Medabam urbem Arabiæ: & appellatur Coriatha, in decimo milliario supradictæ urbis contra occidentalem plagam, vicinus eius loci qui appellatur Bare.* Dualis forma *Civitatem geminam* sonat, vel *duplicem*, fortasse quod in duas magnas habitationes divisa esset. Ieremias XLVIII. I. משגב *Misgab* appellat, quasi altam & excelsam, vel quod in sublimi loco, vel quod munitissima esset. Vide Notas Genes. XIV. vers. 5.

*V.* 38. VERSIS NOMINIBUS. מוסבות שם *musabboth schem, versas, mutatas, commutatas, circumversas, circumgyratas nomine.* IMPONENTES VOCABULA URBIBUS QUAS EXTRUXERANT. Heb. *Et vocaverunt in nominibus nomina urbium quas ædificaverant,* seu instauraverant *in nominibus*, subaudi novis, vel pro nominibus mutatis & antiquis, nova nomina urbium. Quidam reddunt: *Quibus indiderunt nomina, mutatis nominibus illis civitatum quas ædificarunt.* Eclipsin supplent ex antecedente membro: quod, aiunt, videtur Moses de industria posuisse, ut ostenderet nominatim duo illa civitatum nomina mutata esse, quæ idololatriam turpissimam sapiebant. *Nebo* enim de nomine idoli vaticini dicebatur: *Bahal-Mehon* erat Bahalis habitatio: quorum nominum ne recordari quidem oportuit Exodi XXIII. vers. 13. Ego vero mutationem nominum non ad duas eas tantum urbes retulerim, sed ad omnes commemoratas, ut solent novi conditores seu instauratores urbium nova nomina illis imponere, uti videmus factum in novo orbe occiduo. Vide infra vers. 41. & 42. Verum tantum vetustas potuit, ut prisca harum urbium nomina obtinuerint.

*V.* 39. PERREXERUNT IN GALAAD: partem Galaadis intelligunt, quæ Rubenitis

nitis & Gaditis minime cesserat. Synecdoche. Vide Deuteron. III. vers. 12. INTERFECTO AMORRHAEO. Hebr. *Et expulit*, *eiecit*, *exhereditavit*, *hereditate depulit*, *exterminavit AEmoræum*, nempe ipse Machir, id est Machiri genus.

*V.* 41. IAIR AUTEM FILIUS MANASSE. Exponunt, *Filius*, id est accensus & annumeratus ipsi Manassi ob maternum genus: natus enim hic erat Segubo filio Chetzeronis e tribu Iudæ I. Paralip. II. vers. 22. Accensus autem propterea fuit, quod hereditatem cum eis cepisset bello, quemadmodum hoc loco exponitur. OCCUPAVIT VICOS EIUS. חוות *chauuoth*, a חיה *chaiah*, *vixit*, aiunt esse *vivaria*, *villas*, *pagos*, locos in quibus aluntur animalia, & alia quoque victualia ad vitam humanam necessaria: sicut Græci negotiationem, agricolationem, item victualia, aut facultates, & alia ad vitæ usum necessaria, *biotica* vocant. Hispanicus Interpres *aldeas* vertit. Alii aiunt esse Hispanice *las caphras*, *o vivares*. Vide Deuteron. III. vers. 14. & Iosue XIII. vers. 30. Iudicum X. vers. 4. Quidam notant, ea voce *Chavoth* appellari tantum eos pagos aut villas, in quibus homines ferinis & belluinis moribus habitarent, quasi feri & truces, a חיה *chaiah*, *fera*.

*V.* 42. NOBE. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Canath vicus Arabiæ, qui nunc Cannatha dicitur: quam cum cepisset Naban, appellavit Nabothaliam. Fuit autem in tribu Manasse, regione Trachonitidis iuxta Bosram*. Et rursus: *Est & cuiusdam viri vocabulum Nabam, qui Canath & ceteros viros qui circum eum erant, ex suo nomine numcupavit Naboth. Sed, & usque hodie ostenditur locus desertus Naba, distans a civitate Esbus millibus octo contra meridianam plagam*. Sunt hic nomina depravata, *Nuban*, *Nabam*, & *Naboth*, pro *Nobach*, aut *Nobe*: vicina fuisse videtur urbi Iegbaha, de qua supra vers. 35. uti indicatur Iudicum VIII. vers. 11.

## MENOCHII.

*Vers.* 9. SUBVERTERUNT, fregerunt, dissolverunt: hoc enim significat vox Hebræa תניא *cheni*. UT NON INTRARENT. Particula *ut* non significat intentionem, sed eventum rei.

*V.* 11. SI VIDEBUNT: non videbunt. Particula *si* iuramentis servit. A VIGINTI ANNIS. Significat ætatem hominum, non tempus discessus ex AEgypto.

*V.* 3. CIRCUMDUXIT EUM PER DESERTUM. Significanter LXX. *Circumvolvit eos ut rhombum per desertum quadraginta annis*. Est autem rhombus machina quam agitando tramam glomerant in circulum. Italice *Naspo*. INCREMENTA ET ALUMNI HOMINUM PECCATORUM, peccatorum discipuli, qui non tantum eorum peccata imitamini, sed propagatis, & augetis.

*V.* 17. HABITATORUM INSIDIAS: erant enim Rubenitæ, & Gaditæ vicini Moabitis, Idumæis, Chananæis, aliisque hostibus.

*V.* 20. CORAM DOMINO, coram arca, vel favente Domino.

*V.* 21. OMNIS VIR BELLATOR, qui commode potest: nam domi relicti quot erant necessarii ad urbes quas occupaverunt defendendas, transierunt ex eis Iordanem 40. millia, ut patet Iosue IV. 13. cum tamen in censu numerata essent ex eis centum & decem millia cap. XXVI. 18.

*V.* 23. PECCATUM VESTRUM, pœna peccati.

*V.* 26. IN URBIBUS GALAAD. Non de sola Galaaditide hoc intelligendum, sed de tota sorte Gaditarum, Rubenitarum, & dimidiæ tribus Manasse.

*V.* 30. INTER VOS HABITANDI ACCIPIANT LOCA. Quasi dicat: Si fidem datam fefellerint, noluerintque vobiscum ad pugnam progredi, compellite eos transire Iordanem, pugnare, & habitare vobiscum.

*V.* 31. LOCUTUS EST DOMINUS, Deus scilicet per Mosen: patet ex Hebræo.

*V.* 34. EXTRUXERUNT, restaurarunt: nam prius extiterant.

*V.* 38. VERSIS NOMINIBUS; præsertim quia quædam ab idolis quæ in illis colebantur nomen habebant, ut Bamoth Baal, & Baalmeon.

*V.* 40. MACHIR, posteris Machir, seu dimidiæ tribui Manassis, prognatæ ex Machir.

*V.* 41. IAIR AUTEM FILIUS MA-

NAS-

NASSE: non proximus, ſed remotus. Sic ſæpe nepotes vocantur filii, ut Luc. 1 5. Math. 1. 1.

## TIRINI.

*Verſ.* 12. CALEB FILIUM IEPHONE CENEZAEUM. Cum Scriptura *a* etiam Othonielem dicat filium fuiſſe Cenez, eumdemque fratrem Caleb, videri quibuſdam poſſet, & viſum fuit Emanueli Sa, *Iephonem* patrem fuiſſe tam Othonielis quam Caleb, & alio nomine vocatum fuiſſe *Cenez*, vel *Cenezæum*. Verum cum I. Paral. IV. verſ. 13. ubi filii Cenez ex profeſſo recenſentur, non adnumeretur Caleb; cum item Iosue XV. 17. filia Caleb nupſerit Othonieli: non video quomodo Othoniel poſſit dici frater Caleb ex uno eodemque parente Cenez, ſi eorum ſequamur ſententiam qui cenſent, lege Moſaica prohibitum eſſe matrimonium *b* patrui cum nepte. Cum quibus conformiter reſpondendum, Othonielem non abſolute dici fuiſſe fratrem Caleb, ſed cum additamento fratrem iuniorem *c*, vel minorem *d*, hoc eſt nepotem ex fratre, ut vult Oleaſter & Eugubinus; vel potius, ut alii, fratruelem. In Scriptura enim nepotes fratrueles, cognati paſſim vocantur fratres. Cenez ergo avus fuit tam Othonielis quam Calebi, ut videre eſt ex eius ſtirpe, quam recenſui in Chronico *e*. Itaque ab uno eodemque avo uterque nomen habuit *Cenezæi*.

*V.* 21. OMNIS VIR BELLATOR ARMATUS IORDANEM TRANSEAT. *Omnis*, ſcilicet a me, vel a Ioſue deſignandus. Neque enim poterant tot urbes, in quas Rubenitæ, Gaditæ & Manaſſitæ parvulos, & uxores, & omnes ſuos theſauros intulerant, ſine neceſſario præſidio relinqui; neque erat opus, tot millia Iordanem traiicere. Quin ex Ioſue IV. patet, vix tertiam partem armatorum ex duabus his cum dimidia tribubus ſuperiore luſtro cap. XXVII. recenſitorum, Iordanem traieciſſe. Reliqui ergo citra Iordanem remanſerunt, partim præſidio ſuis futuri, partim urbes *exſtructuri*; id eſt, ex parte dirutas vel collapſas inſtauraturi, & novis munimentis firmaturi. Porro de his, & aliis paſſim in Scriptura urbibus, vide Adrichomium de Locis terræ ſanctæ, & alios Interpretes.

(*a*) Ioſue XV. verſ. 17. & Iudic. I. verſ. 13. & cap. III. verſ. 9.
(*b*) Levit. XVIII. verſ. 12. & 14.
(*c*) Ioſue XV. verſ. 17.
(*d*) Iudic. I. verſ. 13. & cap. III. verſ. 9.
(*e*) Chron. cap. XLVI.

## GORDONI.

*Verſ.* 4. NOtandæ ſunt, quæ hic recenſentur urbes: nam & earum pleræque paſſim occurrunt, & dant notitiam regionis trans Iordanem, & duarum tribuum quæ hic ſedes acceperunt.

*V.* 9. & 11. De hac valle Botri, dixi ſupra cap. XIII. verſ. 24. Senſus eſt: Cum rediiſſent exploratores ad caſtra Iſrael. Illud autem verſ. 11. SI VIDEBUNT, explico ex more loquendi, *Non videbunt*. τὸ *ſi* ſæpe in Scripturis pro non.

*V.* 17. ACCINCTI. Hebr. *Feſtinantes, prompti*.

*V.* 21. TRANSIERUNT IORDANEM: idque ad quadraginta millia bellatorum, ut promiſerunt, & conſtat Ioſue 4. Non tamen ita ut non remanerent trans Iordanem multi bellatores ad cuſtodiendas urbes: nam in duabus tribubus iſtis cum dimidia tribu Manaſſe, numerabantur pluſquam centum millia.

*V.* 23. APPREHENDET VOS id eſt, puniemini.

*V.* 34. IGITUR EXTRUXERUNT, &c. Intellige reparaſſe eas quas invenerunt illi civitates: nam brevi proficiſcentur in Chanaan, nec potuiſſent tam brevi tempore tot novas condidiſſe civitates. Nova quidem urbibus nomina indiderunt, ſaltem aliquibus.

*V.* 38. & 39. Mutata dicuntur urbium nomina, ſed vetera etiam remanere apud aliquos potuerunt: ne mireris interdum occurrere vetera nomina, nondum penitus antiquata. Sed nec Galaad ſemper eoſdem retinuit limites: nam nunc ample, nunc preſſius accipitur.

*V.* 41. HAVOTH IAIR. Vox Hebr. חוה *havoth*, a vivendo, quod in villis & agris commodius vivant homines.

Ex

Ex Eiusdem Auctario.

V. 11. Si videbunt, habet negationem; & τὸ si designat iuramentum.

A viginti annis et supra. Notat ætatem hominum: nam a discessu ex AEgypto instat annus quadragesimus.

V. 30. Si recusent transire, ad hoc cogite eos, & vobiscum habitabunt.

# CAPUT XXXIII.

*Mansionibus 42. filiorum Israel per varia loca in deserto recensitis, Chananæi a Domino iubentur interimi.*

1. HAE sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de AE-
gypto per turmas suas in manu Moysi & Aaron, 2. quas
descripsit Moyses iuxta castrorum loca, quæ Domini iussione
mutabant. 3. Profecti igitur de Ramesse mense primo,
* quintadecima die mensis primi, altera die phase, filii
Israel in manu excelsa, videntibus cunctis AEgyptiis, 4. &
sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus (nam
& in diis eorum exercuerat ultionem) 5. castrametati sunt in Soccoth. 6. Et
de Soccoth venerunt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis. 7. (a)
Inde egressi venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon, & castrametati
sunt ante Magdalum. 8. Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium
mare in solitudinem: & ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati
sunt in Mara. 9. (b) Profectique de Mara venerunt in Elim, ubi erant
duodecim fontes aquarum, & palmæ septuaginta: ibique castrametati sunt. 10. Sed
& inde egressi, fixerunt tentoria super Mare rubrum. Profectique de Mari rubro,
11. castrametati sunt in deserto Sin. 12. Unde egressi, venerunt in Daphca.
13. Profectique de Daphca, castrametati sunt in Alus. 14. Egressique de
Alus, in Raphidim fixere tentoria, (c) ubi populo defuit aqua ad bibendum.
15. Profectique de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai. 16. Sed & de
solitudine (d) Sinai egressi, venerunt ad Sepulcra concupiscentiæ. 17. (e) Profectique
de Sepulcris concupiscentiæ, castrametati sunt in Haseroth. 18. (f) Et
de Haseroth venerunt in Rethma. Profectique de Rethma, castrametati sunt in
Remmomphares. 20. Unde egressi, venerunt in Lebna. 21. De Lebna, castrametati
sunt in Ressa. 22. Egressique de Ressa venerunt in Ceelatha. 23. Unde profecti,
castrametati sunt in monte Sepher. 24. Egressi de monte Sepher, venerunt
in Arada. 25. Inde proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth. 26. Profectique
de Maceloth, venerunt in Thahath. 27. De Thahath, castrametati sunt in
Thare. 28. Unde egressi, fixere tentoria in Methca. 29. Et de Methca, castrametati
sunt in Hesmona. 30. Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth.
31. Et de Moseroth, castrametati sunt in Beneiaacan. 32. Profectique de Beneiaacan,
venerunt in montem Gadgad. 33. Unde profecti, castrametati sunt in
Ietebatha. 34. Et de Ietebatha, venerunt in Hebrona. 35. Egressique de Hebrona,
castrametati sunt in Asiongaber. 36. (g) Inde profecti, venerunt in desertum
Sin, hæc est Cades. 37. Egressique de Cades, castrametati sunt in monte

te Hor, in extremis finibus Terræ Edom. 38. * (h) Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor, iubente Domino: & ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex AEgypto, mense quinto, prima die mensis, 39. cum esset annorum centum viginti trium. 40. Audivitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, in terram Chanaan venisse filios Israel. 41. Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona. 42. Unde egressi, venerunt in Phunon. 43. Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth. 44. * Et de Oboth, venerunt in Ieabarim, quæ est in finibus Moabitarum. 45. * Profectique de Ieabarim, fixere tentoria in Dibongad. 46. Unde egressi, castrametati sunt in Helmondeblathaim. 47. Egressique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo. 48. Profectique de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, supra Iordanem contra Iericho. 49. Ibique castrametati sunt de Bethsimoth usque ad Abelsatim in planioribus locis Moabitarum, 50. ubi locutus est Dominus ad Moysen: 51. Præcipe filiis Israel, & dic ad eos: Quando transieritis Iordanem, intrantes terram Chanaan, 52. disperdite cunctos habitatores terræ illius: (i) confringite titulos, & statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, 53. mundantes terram, & habitantes in ea: ego enim dedi vobis illam in possessionem, 54. quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitis latiorem, * & paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur hereditas. Per tribus & familias possessio dividetur. 55. Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ: qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, & lanceæ in lateribus, & adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ: 56. & quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.

(a) Exod. xii. 2. (b) Exod. xv. 27. (c) Exod. xvii. 1. (d) Exod. xix. 1. (e) Sup. xi. 35. (f) Sup. xiii. 1. (g) Sup. xx. 1. (h) Sup. xx. 8. 25. Deut. xxxii. 50. (i) Deuter. vii. 5. Iudic. ii. 2.

## BRUGENSIS

### ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Quintadecima die mensis primi, altera die phase.* Superfluit, obestque sensui verbum *fecerunt*, quod multi addunt: *Fecerunt altera die phase.* Præpositio autem *post*, quam alii præponunt voci *phase*, intelligenda est, non legenda. Consulat qui volet Notationes nostras in hunc locum.

V. 38. *Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor.* Non est omittenda vox *sacerdos*.

V. 44. 45. *Et de Oboth venerunt in Iie-abarim.... Profectique de Iie-abarim.* Alii pro *Iie-abarim*, omissa priore *i* vocali, scribunt *Ieabarim*, minus recte.

V. 54. *Et paucis angustiorem.* Antiqui libri habent positivum *paucis*, pro eo qui in aliis codicibus est comparatione *paucioribus*.

### NOTATIO.

V. 3. *Profecti igitur de Ramesse mense primo, quintadecima die mensis primi, fecerunt altera die phase, filii Israel, in manu excelsa, videntibus cunctis AEgyptiis, &c. Fecerunt altera die phase*, sic pleraque exemplaria: nonnulla vero tantum *Altera die phase* legunt; τὸ *fecerunt* auferunt tria Parisiensium, Basileense, Complutense, S. Germani parvum; sex nostra, unum quidem Lugduni excusum anno 1522. quinque autem manuscripta, quorum quatuor D. Hunnæi sunt litteris A. F. M. Q. signata, unum Plantini, quod latum diximus. Conformis est Glossæ ordinariæ, & Lyrani lectio. Exemplaria M. N. Hunnæi, D. F. K. cum Plantini medio & Bessarionis codice indicant, *fecerunt* superfluere. Atque his, his inquam codicibus, qui *fecerunt* auferunt, aut auferendum iudicant, volunt Hebræa, Chaldæa, & Græca. Rabanus, & Coloniensium Biblia anni 1529. omisso verbo *fecerunt*, legunt: *Altera die post phase*; quo modo etiam Isidorus exponit, cuius commentarium in tres Moysis libros scriptum contribuit Lovaniensis Bibliotheca Societatis Iesu. Beda habet, *altera die pascha.* Itaque transfodienda videtur

tur vox illa *fecerunt*, præsertim cum etiam textus series eam reiicere videatur, & legenti falsum sensum offerat. Non enim, quod primo intelligitur, filii Israel fecerunt phase 16. die mensis primi, nec videntibus AEgyptiis, & sepelientibus primogenitos, sed ad decimæquartæ diei vesperam domi, priusquam AEgyptii subita filiorum morte turbati exire compellerent. Tostatus quidem *fecerunt* legit, & partem istam, ut parenthesin additam intelligit, hoc sensu: Altera, id est decima quarta die, fecerant phase filii Israel: sed ut orationis incommodum non evitatur, ita non id Hebraice significatur. Legitur enim: *Et profecti sunt de Ramesses mense primo, decimaquinta die mensis primi,* מִמָּחֳרַת הַפֶּסַח, *a crastino pesach*, egressi sunt filii Israel in manu &c. *A crastino pesach*, id est altera die post pesach, seu phase, postridie quam immolatus fuerat agnus paschatis. Chaldæus vertit מִבָּתַר פִּסְחָא, *a post phase;* LXXII. τῇ ἐπαύριον τοῦ πάσχα, *postridie paschæ*. Præferenda igitur ea lectio videtur, quæ, omisso verbo *fecerunt*, habet: *Altera die phase*, quod est, die sequente ipsum phase, profecti sunt. Videri potest ab indocto quopiam adiectum, quod neque facile istud intelligeret, neque prolixioris sententiæ terminationem adverteret. Verum enimvero in antiquioribus, & emendatioribus nostris exemplaribus *fecerunt* addi deprehendimus: id quod & Epanorthotes annotavit, cuius in hunc locum hæc sunt verba: „ XXXIII. *a. Profecti igitur de Ramesse* &c. Suspensive usque *in Socoth*. Item *a.* „ *mensi primi altera die phase*, non video bene, quomodo sit ibi *fecerunt* (antiqui vero interponunt quod dicitur *fecerunt*, ibi: „ *Fecerunt altera die phase*) Sed & ipse Strabus „ habet: *Altera die post phase profecti sunt de* „ *Ramesse*. " Hæc Corrector. Lyranus suum hac de controversia iudicium his reliquit verbis. „ Aliqui libri habent, *Altera die fecerunt phase*; sed ly *fecerunt* non est in Hebræo, nec in libris correctis: nec mirum, „ quia non est de textu, sed pervertit sententiam, vel saltem obscurat eam: quia „ videtur sonare, quod filii Israel fecerunt „ phase post exitum de Ramesse, quod non „ est verum.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Vers.* 1. MANSIONES: sic etiam Chald. & LXX. Alii, *profectiones*. IN MANU, id est ducibus, seu ducentibus.

*V.* 3. ALTERA, id est postera. PHASE, id est diei quo phase immolarunt, seu diei paschæ. MANU EXCELSA, scilicet divina virtute.

*V.* 4. NAM: abundat, nec est Hebr. Chald. aut in LXX. DIIS. Dicunt Hebræi, illa nocte qua est egressus populus, omnia AEgypti templa corruisse. Hieronymus epist. CXXVII. ULTIONEM. Heb. *Iudicia*.

*V.* 6. ETHAM: nomen loci, unde dictum Desertum Etham.

*V.* 7. CONTRA, id est prope, ut apparet Hebr. & LXX. vide infra. RESPICIT. Hebr. Chald. & LXX. est *ante*.

*V.* 10. SUPER, id est prope.

*V.* 11. SIN, per ס *s*.

*V.* 36. SIN, per צ *ts*.

*V.* 48. SUPRA, id est prope, vel ultra. CONTRA, id est e regione.

*V.* 49. PLANIORIBUS LOCIS. Heb. & Chald. *campestribus*.

*V.* 52. TITULOS, id est aras, vel columnas, vel delubra. Chald. *templa*.

*V.* 53. MUNDANTES TERRAM ET HABITANTES IN EA. Hebr. *Expelletis habitatores terræ, & habitabitis in ea*. Sept. *Perdetis habitatores terræ, & habitabitis in ea*. Chald. *Possidebitis terram, & habitabitis in ea*.

*V.* 54. PLURIBUS, &c. Vide sup. cap. XXVI.

*V.* 55. INTERFICERE. Hebr. & Chald. *Expellere*. Sept. *Perdere*. QUASI CLAVI, &c. quasi dicat, molestissimi. Alii vertunt *cultros*, seu *gladios*. Chald. *Sument arma contra vos*.

*V.* 56. FACERE: scilicet si mihi obediretis.

## E S T I I.

*Vers.* 4. NAM ET IN DIIS EORUM EXERCUERAT ULTIONEM. Qualis fuerit hæc ultio, aut hoc iudicium (nam ita Hebræa sonant) Scri-

ptura

ptura tacuit. D.Hieronimus autem in epist. ad Fabiolam explicans quadraginta duas istas mansiones secundum sensum mysticum, de hac ultione ( mans. 1. ) ita loquitur: *Hebræi autumant, quod nocte illa qua egressus est populus Israel de AEgypto, templa destructa sint, sive motu terræ, sive ictu fulminum. Spiritualiter autem discimus, quod egredientibus nobis de AEgypto, errorum idola corruant, & omnis perversarum doctrinarum cultura quatiatur.* Sic ille.

*V.* 52. DISPERDITE CUNCTOS HABITATORES TERRAE ILLIUS. Quæritur: Quare non potius iubentur converti? Respondeo: Quamvis vix dubitandum sit quin, si eis vera religio fuisset prædicata, fuissent aliqui ex iis conversi, sicut de Tyro & Sydone dicit Dominus; noluit tamen Deus eis annuntiari ab Israelitis veram religionem, quia nondum tempus venerat quo per nationes veræ fidei lumen diffundendum esset: tum etiam quia ex nationum consortio plus nocumenti accepissent filii Israel, quam fructus illi essent consecuturi ex annuntiata illis veritate, fide, cultuque unius Dei.

## MARIANAE.

*Vers.* 1. HAE SUNT MANSIONES. Alii, *profectiones*.

*V.* 2. QUAS DESCRIPSIT MOYSES. Ecce Moyses scribit Pentateuchum.

*V.* 18. VENERUNT IN RETHMA. Forte sic dictum a multitudine genistarum, quæ Hebr. *Rethom* est.

*V.* 36. IN DESERTUM SIN, HAEC EST CADES: scilicet ubi urbs Cades erat, in finibus Idumææ.

*V.* 39. CUM ESSET ANNORUM CENTUM VIGINTI TRIUM. Moyses obiit natus annos 120. qui minor erat Aarone tribus annis. Ex quo constat, eodem anno obiisse utrumque, nempe quadragesimo ex quo egressi sunt de AEgypto.

*V.* 53. CONFRINGITE TITULOS, ET STATUAS COMMINUITE. Tituli statuæ erant. Voces Hebraicæ *zelem* & *masechah*, significant prior *imagines*, & posterior *statuas ex metallo*, quoniam *statuas conflatiles* vox *masechah* significat: radix נסך *nasach*.

*V.* 55. CLAVI IN OCULIS, ET LANCEAE IN LATERIBUS. Hebr. utramque vocem Hebraicam putat significare *spinas*, quibus prædia sepiuntur; & putat sententiam loci esse: Erunt ut spinarum sepes, impedientes vobis ingressum & egressum. Regio vestra circumvallabitur his hostibus, ut vos egredientes excipiant. ET ADVERSABUNTUR VOBIS. Hebr. *Angustiabunt vos*, opprimènt vos ii habitatores terræ, si illis parcitis.

## MALVENDAE.

*Vers.* 3. DE RAMESSE. Hæc est prima mansio, seu statio; de qua vide Exodi XII. vers. 37.

*V.* 4. ET IN DIIS EORUM EXERCUERAT ULTIONEM. Hebr. *Et in diis eorum fecit IHUH iudicia.* Vide Exodi XII. vers. 12. & cap. XVIII. vers. 11.

*V.* 5. IN SOCCOTH. Hæc est secunda statio; de qua Exodi XII. vers. 37.

*V.* 6. IN ETHAM. Hæc tertia statio, Exodi XIII. vers. 20.

*V.* 7. CONTRA PHIHAHIROTH. Hæc quarta statio, Exodi XIV. 2.

*V.* 8. IN MARAH. Hæc quinta statio, Exodi XV. vers. 23.

*V.* 9. IN ELIM. Hæc sexta statio, Exodi XV. vers. 27.

*V.* 10. SUPER MARE RUBRUM. Hæc septima statio. Exodi XVI. nulla huius stationis fit mentio: de qua re vide quæ ibi notavimus ad vers. 1.

*V.* 11. IN DESERTO SIN. Hæc est octava statio, Exodi XVI. vers. 1.

*V.* 12. IN DAPHCA. דפקה *daphekah*. Hæc nona statio, quæ silentio prætermittitur Exodi XVII. vers. 1. Significat pulsationem, seu impulsionem, vel impetum: rationem appellationis divinare non possum.

*V.* 13. IN ALUS. אלוש *allusch*. Hæc decima statio, omissa quoque Exodi XVII. 1. S. Hieronymus *Fermentum* interpretatur: nimirum a verbo לוש *lusch*, quod est *subigere pastam*, *depsere*: quod ibi forsan populus pastas subegerit, & panes confecerit. Hanc, & superiorem mansionem annotat S. Hieronymus fuisse in deserto Sin. Nescio, an hæc sit Allus, de qua Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Allus, regio Idumæorum, quæ nunc Gabalene dicitur, vicina Petræ civitati.* Nec situs locorum abludit.

*V.* 14. IN RAPHIDIM. Hæc eſt undecima ſtatio: de qua vide Exodi XVII. verſ. 1.

*V.* 15. IN DESERTO SINAI. Hæc eſt duodecima ſtatio: de qua Exodi XIX. verſ. 1. & 2.

*V.* 16. AD SEPULCRA CONCUPISCENTIAE. Hebr. *in Kibroth Hattaavah*. Hæc eſt tertiadecima ſtatio: de qua vide ſupra cap. XI. verſ. 34.

*V.* 17. IN HASEROTH. Hæc quartadecima ſtatio: de qua ſupra cap. XI. verſ. 35. & cap. XIII. verſ. 1.

*V.* 18. IN RETHMA. Notant, de hac manſione & ſubſequentibus uſque ad manſionem in deſerto Tzin, quæ ponitur infra verſ. 36. nihil hactenus lectum in libris Exodi, Levitici, & Numeri: proculdubio quod in illis nihil memorabile ad poſteritatem geſtum fuerit. Eſt ergo ſtatio in Rithmah quintadecima. De qua S. Hieronymus: *Et profecti de Hazeroth, caſtrametati ſunt in Rithmah, pro quo ſupra in hoc eodem libro Numer.* XIII. *verſ.* 1. *legimus: Poſtquam profectus eſt populus de Haſeroth, caſtrametati ſunt in ſolitudine Pharan. Hæc eſt autem decima quinta manſio. Et notandum, quod reliquæ manſiones decem & octo, quarum nunc breviter catalogus deſcribitur, a Rithma uſque ad Eſiongaber, id eſt uſque ad triceſimam ſecundam manſionem, ſub Pharan ſolitudinis nomine contineantur, in quibus univerſa quæ ſcripta ſunt, diverſis temporibus geſta ſentimus.* רתמה *Ritmah*, *Geniſtam*, ſeu *Iuniperum* ſignificat; Hiſpanice, *Retama*: quod iis forſan locus abundaret. Quidam exiſtimant, hanc eſſe quæ I. Machabæorum V. verſ. 9. dicitur *Dathema*, nam D, & R, apud Hebræos commutari non eſt inſolens, ut Dodanim, Rodanim, Geneſ. X. verſ. 4.

*V.* 19. IN REMMONPHARES. Hæc eſt ſexta decima ſtatio. רמון פרץ *rimmon paretz* interpretantur *malum Punicum*, ſeu *malogranatum rupturæ*: quod fortaſſe ibi eſſet copia malogranatorum ruptorum, id eſt nothorum & adulterinorum, quæ facile in ipſis arboribus rumpuntur, & dehiſcunt.

*V.* 20. IN LEBNA. Hebr. לבנה *libnah*. Hæc decima ſeptima ſtatio: ſonat *Candidam*, aut *Lateritiam*. Fortaſſis quod ibi officinæ laterum eſſent. *Albionem* quidam interpretantur, quod terræ facies alba eſſet. Aliqui putant de hac ſcribi in Notitia Imperii: *Ala ſecunda Conſtantiana Libonæ*, ſcilicet tendebat.

*V.* 21. IN RESSA. Hæc decima octava ſtatio. S. Hieronymus: *Decima octava manſio, in frenis vertitur. Hoc verbum, quantum memoriæ ſuggerit, nuſquam alibi in Scripturis ſanctis apud Hebræos inveniſſe me novi, abſque libro apocrypho, qui a Græcis* μικρογένεσις *(id eſt Parva Geneſis) appellatur. Ibi in ædificatione turris pro ſtadio ponitur, in quo exercentur pugiles, & athletæ; & curſorum velocitas comprobatur.* Forte quod ibi publicum ſtadium ad exercendum eſſet. רסן *reſen* Hebræis eſt *frenum*, & רסס *raſas*, *ſtillare*, *compluere*. Forſan quod ibi variorum fontium ſtillicidia caderent, aut quod ſolum ex roribus aſſiduis udum eſſet.

*V.* 22. IN CEELATHA. Hebr. קהלתה *Kehelathah*, *Congregationem*, *concionem*, *eccleſiam* denotat, quod illuc fortaſſe diverſi populi convenirent ad diſceptanda & capienda iura; quaſi dicas, *Conventum*: vel quod illic eſſent hordæ Arabum. Eſt decima nona ſtatio.

*V.* 23. IN MONTE SEPHER. שפר *Schapher*. Vigeſima ſtatio. Exponitur, *Mons pulchritudinis*; Hiſpanice, *Monte hermoſo*: vel *Mons explanationis*, *expanſionis*, *ampliationis*, id eſt mons planus, & amplus.

*V.* 24. IN ARADA. חרדה *Charada*. Vigeſima prima ſtatio: a commotione, & tremore nomen habet; forſan quod terra ibi motibus quateretur: vel quod frequentia ibi tonitrua perſonarent: nam חרד *chered* pro *tonitru* ponitur Iob. XXXVII. 9. S. Hieronymus *miraculum* interpretatur: quod ego non capio.

*V.* 25. IN MACELOTH. Hebr. מקהלות *makhelot*. Vigeſima ſecunda ſtatio. Eſt plurale; id eſt, *Conciones*, *congregationes*, Pſalm. LXVII. verſ. 27. vox eiuſdem ſignificatus, & rationis, ut *Kehelathah*, verſ. 22. quæ fuit decima nona manſio: fortaſſe quod hic eſſet alter iuridicus conventus. Niſi auguremur *makheloth*, inſerta littera *He*, eſſe plurale מקלות *maklot*, *baculos*, quod ibi populus baculos & ſcipiones ſibi paraverit ad levamen itineris.

*V.* 26. IN THAHATH. Hebr. תחת *thachath*. Vigeſima tertia ſtatio. S. Hierony-

ronymus interpretatur *pavorem*, *consternationem*, a verbo חתת *chatat*, quod locus esset horridus, squallidus, qui pavorem, & consternationem induceret. Vel *subter*, *subtus*, quod esset locus depressus, profundus, & infernus. Ita divinamus.

*V.* 27. In Thare. Vigesima quarta statio. Hebr. תרח *tarach*, si est a רוח *ruach*, locum indicat spirantem varios odores, ab amœnitate herbarum & florum; si a ירח *iarach*, fortasse locum rotundum in modum lunæ, aut semicirculatum.

*V.* 28. In Methca. Hebr. מתקה *mitkah*. Vigesima quinta statio. S. Hieronymus *dulcedinem* interpretatur a מתק *matak*, vel quod ibi esset apiaria, & multa copia mellis, vel varii fructus dulces, ut palmarum, &c.

*V.* 29. In Hesmona. Hebr. חשמונה *chaschmonah*. Vigesima sexta mansio. S. Hieronymus *festinationem* interpretatur: alii *Satrapiam*, *Primatiam*, *Ducatum*, *Marchiam*, seu *Legatiam*. Vide Psalm. LXVII. 32. Nonnulli putant esse Chesmon urbem limitaneam tribus Iudæ, ad confines Idumææ, Iosue XVII. vers. 27. vel Ghatzmon, cum Ghain & Tzade, de qua Iosue XV. vers. 4. Notantque, per inexplicabiles illas ambages, occæcatos suis peccatis, rursum prorsum oberrasse Israelitas.

*V.* 30. In Moseroth. Vigesima septima mansio. Vox מוסרות *moseroth*, *correctiones*, *disciplinas*, *doctrinas*, *castigationes*, *vincula* significat. Rationem nominis non queo explicare: nisi forte locus fuerit publicarum castigationum ac pœnarum, seu suppliciorum.

*V.* 31. In Beneiaacan. בני יעקן *bene iaghakan*. Vigesima octava statio. S. Hieronymus interpretatur, *Filios necessitatis*, seu *stridoris*, ab עיק *gaiak*: quos ego hic non eruo; nisi fortasse locus is incoleretur a pauperibus, & gemebundis præ angustia. Genes. XXXVI. vers. 28. inter posteros Esau recensetur quidam Ghaakan: & I. Paralip. I. vers. 42. Iaghakan, ex eiusdem Esau posteris: fortasse qui hæc loca incolebant, erant ex progenie istius Iaghakan, unde dicti sunt *Bene-Iaghakan*, id est, *Filii Iaghakan*. Quidam putant, horum fieri mentionem I. Machabæor. V. 4. de qua re ibi dicemus. Vide Deuter. X. vers. 6.

*V.* 32. In montem Gadgad. Vigesima nona statio. Noster legit הר *har mons*, cum He; exemplaria passim cum Chet habent חור *chor*, quod *candorem*, seu *foramen*, aut *cavernam* significat. S. Hieronymus: *Gadgad interpretatur nuntius, sive expeditio, & accinctio: vel certe (quod nos verius arbitramur) κατακοπὴ, id est concisio*. Fortasse dictus locus, quod in eo monte seu caverna esset receptus grassatorum & latrocinantium turmæ aut globi, quod voce גדגד *gidgad* significatur. Hic locus Deut. X. 7. vocatur *Ghudghodah*.

*V.* 33. In Ietebatha. יטבתה *iotbatah*. Trigesima statio. A bonitate nomen habet, quod fertilis & amœna esset terra, & aquis abundaret, ut dicitur Deuter. X. vers. 7. Vide Notas ibi.

*V.* 34. In Hebrona. עברנה *ghabronah* Trigesima prima statio. *Transitus* interpretatur; seu quod eo loco communis transitus esset, & via publica; seu quod traiectus esset alicuius fluminis, aut faucium montium.

*V.* 35. Asiongaber. עציון גבר. Trigesima secunda statio. S. Hieronymus: *Huc usque solitudo Pharan decem & octo continet mansiones, quæ descriptæ in catalogo in superiori itinere non pronuntiatur*. De Asiongaber, Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Asion-gaber. In hoc loco classis Iosaphat vi tempestatis attrita est. Fertur autem ipsa esse Essia haud procul ab Ailath in mari rubro*. Et paulo superius: *Ailath super littus rubri maris in terra Edom, de qua supra dictum est*. Et supra: *Ailath in extremis finibus Palæstinæ, iuncta meridianæ solitudini, & mari rubro, unde ex AEgypto in Indiam, & inde ad AEgyptum navigatur. Sedet autem ibi legio Romana cognomento decima: & olim quidem Ailath a veteribus dicebatur; nunc vero appellatur Aila*. Et postea: *Gasion-gaber castra in solitudine filiorum Israel, sicut in Numerorum libro scriptum est. Porro, iuxta Deuteronomium, civitas est Esau, quam nunc Essiam putant, iuxta mare rubrum, & Ailath*. Et in XLVII. Ezechiel. ad vers. 18. *Lingua maris rubri, in cuius littore Ailath posita, ubi nunc moratur legio & præsidium Romanorum*. Vide notitiam Orientalis Imperii, in Duce Palæstinæ, ubi hæc habentur: *Præfectus legionis decimæ Fretensis Ailæ*; subaudi, excubabat. III. Regum IX. vers. 26. *Classem quoque fecit rex Salomon*

*lomon in Asion Gaber, quæ est iuxta Ailath in littore maris rubri, in terra Idumææ.* Iosephus Lib. VIII. Antiquitatum cap. 11. *Quin & classem rex Salomon in AEgyptio Sinu ædificavit, in quodam loco ad mare rubrum, qui nominatur Asiongaber. Hæc nunc Berenice vocatur, non procul ab Elana urbe, quæ regio tum in Hebræorum ditione censebatur.* Berenicem vero littoralem Sinus Arabici urbem esse, docet Ptolemæus Lib. VI. cap. v. Aitlath autem esse Elanam urbem, & Iosephus, & omnes affirmant; ab Elana urbe dictum AElaniticum sinum rubri maris, norunt omnes. Plinius Lib. V. cap. xi. *AElaniticus sinus rubri maris in AEgyptum vergentis CLM. passuum intervalo inter duo oppida AElana, & in nostro mari Gazam.* Et lib. V. cap. xxviii. *Sinus intimus, in quo Leanitæ, qui nomen ei dedere. Regia eorum Agra, & in sinu Læana, vel, ut alii, AElana: nam & ipsum sinum nostri AElaniticum scripsere; alii AElenaticum: Artemidorus Aleniticum; Iuba Leniticum.* Agatharchides Lib. V. de Mari rubro, cap. xlv. *Post Læanitem, ut vocant, sinum, quem circumhabitant Arabes.* Diodorus Siculus Lib. III. numero 123. *Sinus Alainites excipit, multis Arabum pagis frequentatus, quos Nabathæos vocant.* De Elana & Elanitæ sinu maris rubri agit etiam Ptolemæus Lib. V. cap. xvii. quem describit in iv. Asiæ tabula. Locum celebrem in Scriptura ita exposuisse oportuit. Delirant prorsus qui Asiongaber in mare Mediterraneum transtulere. Vide de hac statione Deuteron. ii. vers. 8. & III. Regum ix. vers. 26.

*V. 36.* In desertum Sin. Trigesima tertia statio: de qua vide supra cap. xx. vers. 1. Hic *Sin* cum Tzade scribitur, צן *Tzin*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Desertum autem Tzin idem dicit esse Scriptura quod et Kades.* Deducunt a ציה *tzaiah*, vel צנים *tzinnim*, quod desertum esset aridum & siccum, & abunde spinarum ferax. Fuit terminus Chananææ australis, ut dicitur sequenti capit. vers. 3. Vulgo nunc appellari aiunt Alhiset. Diversum omnino esse a Sin, ubi Israelitæ octavis castris consedere, Exodi xvi. vers. 1. nimis est pervagatum, cum illud scribatur cum Scin, & Nun; hoc cum Tzade, & Nun.

*V. 37.* In monte Hor. Trigesima quarta statio: de qua vide supra cap. xx. vers. 22. Quidam notant, Israelitas bis castrametatos ad montem Hor, primum cum pergerent ut circumirent terram Edom, supra cap. xx. vers. 21. 22. & secundo cum post circumitam terram Edom, in anno quadragesimo egressionis iterum illuc redierunt; & mortuus fuit ibi Aaron, ut hic dicitur. Sed nihil necesse, nam totam illam historiam cap. xx. contigisse anno quadragesimo egressionis, illic ad vers. 1. notavimus.

*V. 40.* Audivitque Chananaeus rex Arad, &c. Totam hanc historiam fusius exposuit Moses supra cap. xxi.

*V. 41.* In Salmona. Trigesima quinta statio. Hebr. צלמנה *tzalmonah* significat *imaginem*. Augurantur quidam sic fortasse locum denominatum ab imagine serpentis ibi erecti iussu Dei, supra cap. xxi. vers. 6. & seqq.

*V. 42.* In Phunon. Trigesima sexta statio. S. Hieronymus: *Hæ duæ mansiones, trigesima quinta, & trigesima sexta in ordine historiæ non inveniuntur; sed scriptum est pro eis Numer. xxi. vers. 4. Egressi sunt de monte Hor per viam maris rubri, & circumierunt terram Edom. Ex quo ostenditur in finibus atque circuitu terræ Edom eas positas.* פונן *Phunon* denotat locum *ancipitem, difficilem, terribilem aspectu, plenum pavoris & consternationis, specie horribilem*. Vide in Gen. xxxvi. 41.

*V. 43.* In Oboth. Trigesima septima statio: de qua vide supra cap. xxi. vers. 10.

*V. 44.* In Iieabarim. Trigesima octava statio: de qua supra vers. 11. eiusdem cap. xxi.

*V. 45.* In Dibongad. Trigesima nona mansio. Quidam Dibon-Gad dictam volunt ad discrimen alterius Dibonis, quæ fuit Rubenis, Iosue xiii. vers. 17. sed alii unam & eamdem putant: verum in confinio utriusque sortis positam, ideoque nunc uni, nunc alteri tribui adscribi. Ego satis credo Dibon-Gad dictam, quod a Gaditis structa & instaurata fuerit supra cap. xxxii. vers. 34.

*V. 46.* In Helmon deblathaim. עלמן-דבלתימה *Galmon diblathaimah*. Quadragesima mansio. Nominis ratio videtur esse, quod eo loco optimæ massæ ficuum veterum, nempe caricarum, aut palatharum

rum reconderentur. De Deblathaim vide Ezech. VI. 14.

*V.* 47. AD MONTES ABARIM. Quadragesima prima mansio. De montibus Abarim vide Numer. XXI. vers. 11.

*V.* 48. AD CAMPESTRIA MOAB. Quadragesima secunda, & ultima statio: de qua vide cap. XXII. vers. 1. Exoritur hic difficultas, quod in hac enumeratione stationum omittuntur plures quæ supra cap. XXI. recensentur: nam ibi ex Ieabarim trigesima octava statione dicuntur filii Israel castrametati in torrente Zered; inde trans Arnonem; inde in Beer; inde in Mathanah; inde in Nachiele; inde in Bamoth; in Hagaie, seu valle Moab. S. Hieronymus: *Hæc loca in finibus Amorrhæorum quidam interpretantes putant non mansiones esse, sed transitus: nec præiudicare debere catalogo mansionum extraordinariam expositionem.* Ergo plerique putant, in breviario solemni mansionum numerari a Mose stationes fixas, & per aliquod tempus durantes, plantata militari forma castrorum; non stationes tumultuarias, & transeuntes. Addunt alii, stationes torrentis Zared, & Arnon, quæ fuerunt insignes & memorabiles, cap. XXI. descriptæ, forsan sub aliis nominibus fuisse hic recensitas. Sed hoc plane divinare est.

*Vers.* 49. BETHSIMOTH. Hebr. בית-ישמות *Beth-ieschimoth* domum deserti, vel solitudinis significat. Hispanice, *Casa de paramos*, o *casa de campo*. Eius mentio exstat Iosue XIII. vers. 20. sed Ezechiel XXV. 9. inquit: *Ecce ego aperiam humerum Moab de civitatibus, de civitatibus, inquam, eius, & de finibus eius, inclitas terræ* (Hebr. *decorem terræ*) *Beth-Iesimoth, & Beel-Meon, & Cariathaim.* Ponit eas in extremis Moabitarum finibus, & præ ceteris Moabitarum urbibus splendidas & magnificas fuisse indicat. Vide supra cap. XXI. vers. 20. ABELSATIM. אבל שטים *abel schittim.* Eusebius, & S. Hieronymus: *Abelsatim, locus in deserto ad meridiem Moabitarum.* Hunc ipsum locum esse ubi Israelitæ mulieribus Moabitarum convenerunt, apparet e cap. XXV. vers. 1. ut ibi notavimus. Abelis autem nomen, quod *luctum* significat, videtur accepisse a luctu quem extorsit populo gravis plaga Dei, ibidem vers. 6. Alii magis probant, dictum *Abelsitim*, id est *planitiem*, *tractum*, *campum*, *regionem protractiorem Sitim*: quod Abel Hebræis id significet, Iudicum VII. vers. 22. & alibi.

*V.* 54. PLURIBUS DABITIS LATIOREM, &c. Vide supra cap. XXVI. vers. 54.

*V.* 55. SIN AUTEM NOLUERITIS INTERFICERE HABITATORES TERRAE, &c. Vide Exodi XXIII. vers. 33.

*V.* 56. COGITAVERAM FACERE. Verbum דמה *damah* in Pihel, varie hic convertunt. I. *Silui*, *acquievi facere.* II *Assimilavi*, *formavi similitudinem*, *imaginatus fui*, *cogitavi facere.* III. *Silentium*, *quietem*, *exitium intuli ad faciendum.* IV. *Domui*, *perdomui facere*; id est, edomui, perdomui, evici me facturum, ac si necesse fuerit Deum voluntatem suam quasi reluctantem domare & vincere ad inferendum malum.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. IN MANU MOYSI ET AARON, ductu Mosis & Aaronis.

*V.* 2. IUXTA CASTRORUM LOCA; id est, iuxta numerum castrametationum.

*V.* 3. ALTERA DIE PHASE, postridie agni immolati, hoc est die 15. mensis primi. IN MANU EXCELSA, in magna potestate, robore, ac terrore AEgyptiorum.

*V.* 4. IN DIIS EORUM EXERCUERAT ULTIONEM: quia eadem nocte qua egressi sunt ex AEgypto, prostravit idola AEgypti. Hier. Epist. CXXVII. vide supra Exod. XII. 12.

*V.* 11. SIN: scribitur per Samech.

*V.* 36. SIN: scribitur per Tsade.

*V.* 40. VENISSE, adventare, ponitur actus perfectus pro inchoato.

*V.* 49. DE BETHSIMOTH USQUE AD ABELSATIM. Primum sistendo in Bethsimoth, ubi fuit una mansio, deinde ab Abelsatim progrediendo, ubi fuit alia mansio.

*V.* 52. CONFRINGITE TITULOS, aras, vel columnas, vel delubra; alii picturas; alii simulacra. Chald. *templa.* EXCELSA, altaria & sacella in locis excelsis idolis consecrata.

*V.* 55. CLAVI IN OCULIS, ET LANCEAE IN LATERIBUS. Erunt vobis infestissimi, arma in vos distringent, & perniciem vobis afferent.

## TIRINI.

*Verſ.* 2. MANSIONES QUAS DESCRIPSIT MOYSES IUXTA CASTRORUM LOCA, hoc eſt iuxta numerum caſtrametationum. Has manſiones enumerat quadraginta duas S. Hieronymus, & explicat in epiſtola ad Fabiolam: & illas deſcripſi in Chronico cap. XIX. Rabanus, & Rupertus tropologice applicant itineribus in cælum.

*V.* 55. SIN NOLUERITIS INTERFICERE HABITATORES TERRAE, ERUNT VOBIS QUASI CLAVI IN OCULIS, ET LANCAE IN LATERIBUS; hoc eſt, erunt vobis admodum infeſti, & continuis bellis omnem vobis adiment quietem: non ſecus ac ſi latus, vel oculi ſtimulis configerentur.

Petes: An ergo vicinæ omnes gentes uno impetu delendæ fuerint! Reſpondeo negative. Tantum enim iuſſi *a* ſunt Hebræi paulatim eas delere. Unde & Ioſue non delevit niſi eas gentes quæ occupabant interiora terræ ſanctæ; reliquas conſulto debellandas poſteris reliquit *b*. Cum vero poſteri id negligerent, immo data opera nonnullas gentes delere nollent, factum quod hic prædicitur, & plurimæ maximæque calamitates inde ſubortæ, & bella ex bellis prognata. Quibus tamen ex altera parte hoc boni effectum, quod Iudæi hoc freno continerentur in officio, vel deviantes hoc flagello *c* punirentur; ſaltem quod otio ac deſidia non diffluxerint. *d*

(*a*) Exod. XXIII. verſ. 29. & Deut. VII. verſ. 22.
(*b*) Ioſue XXIII.
(*c*) Iudic. II. verſ. 20.
(*d*) Iudic. III. verſ. 1. & 2.

## GORDONI.

*Verſ.* 1. MANSIONES: ſic etiam Sept. aut profectiones. deſcripſit Moſes: ergo auctor & ſcriptor Pentateuchi.

*V.* 5. Quæ ab hoc verſu uſque ad verſum decimum ſextum recenſentur, ſatis explicata ſunt in Exodo a capite XII. uſque ad caput XVIII.

*V.* 6. ETHAM: loci nomen: hinc dictum Deſertum Etham.

*V.* 11. SIN, per literam ס *Samech*.

*V.* 16. & 18. VENERUNT AD SEPULCRA CONCUPISCENTIAE. De his lege huius libri caput undecimum, ubi de huius manſionis rebus actum eſt. Sequitur verſ. 18. Manſio in Cadesbarne, de qua lege ſupra cap. XIII. verſ. 27. Hinc miſſi ſunt exploratores. De illa manſione in deſerto Sin, quam hic recenſet verſ. 36. & manſione in monte Hor, hic verſ. 37. vide rem totam geſtam ſupra cap. XX. & XXII. Adde quæ narrat ad Fabiolam Hieronymus. Nec iſta omiſit Adrichomius.

*V.* 36. SIN, per literam צ *Tſade*: hæc eſt Cades, id eſt ubi eſt urbs Cades, in Idumææ finibus.

*V.* 52. Tituli ſunt ſtatuæ.

### EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 3. ALTERA DIE: poſtridie agni immolati, qui fuit dies decimus primi menſis, qui & Niſan.

*V.* 4. IN DIIS EORUM. Proſtata ſunt idola Egypti eadem nocte qua egreſſi ſunt. Hieronymus epiſt. CXXVII.

*V.* 55. QUASI CLAVI, IN OCCULIS: moleſtiſſimi, & magnorum malorum cauſa.

CA-

# CAPUT XXXIV.

*Terræ promissionis situs & limites iuxta varias orbis plagas; eaque sorte dividenda præcipitur, additis illorum nominibus qui eam dividant.*

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Præcipe filiis
Israel, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram Cha-
naan, & in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus
terminabitur. 3. (*a*) Pars meridiana incipiet a solitudine
Sin, quæ est iuxta Edom: & habebit terminos contra O-
rientem mare salsissimum: 4. qui circuibunt australem pla-
gam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna, &
perveniant * a meridie usque ad Cadesbarne, unde egredientur confinia ad villam
nomine Adar, & tendent usque ad Asemona: 5. ibitque per gyrum terminus ab
Asemona usque ad torrentem Ægypti, & maris magni littore finietur. 6. Pla-
ga autem occidentalis a mari magno incipiet, & ipso fine claudetur. 7. Porro
ad septemtrionalem plagam a mari magno termini incipient, pervenientes usque
ad montem altissimum, 8. * a quo venient in Emath usque ad terminos Seda-
da: 9. ibuntque confinia usque ad Zephrona, & villam Enan: hi erunt termi-
ni in parte Aquilonis. 10. Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de
villa Enan usque Sephama, 11. & de Sephama * descendent termini in Rebla
contra fontem Daphnim: inde pervenient contra Orientem ad mare Cenereth,
12. & tendent usque ad Iordanem, & ad ultimum salsissimo claudentur mari.
Hanc habebitis terram per fines suos in circuitu. 13. Præcepitque Moyses filiis
Israel, dicens: Hæc erit terra, quam possidebitis sorte, & quam iussit Domi-
nus dari novem tribubus, & dimidiæ tribui. 14. Tribus enim filiorum Ruben
per familias suas, & tribus filiorum Gad iuxta cognationum numerum, media
quoque tribus Manasse, 15. id est duæ semis tribus, acceperunt partem suam
trans Iordanem contra Iericho ad orientalem plagam. 16. Et ait Dominus ad
Moysen: 17. (*b*) Hæc sunt nomina virorum qui terram vobis divident, Elea-
zar sacerdos, & Iosue filius Nun, 18. & singuli principes de tribubus singulis,
19. quorum ista sunt vocabula: De tribu Iuda, Caleb filius Iephone. 20. De
tribu Simeon, Samuel filius Ammiud. 21. De tribu Beniamin, Elidad filius
Chaselon. 22. De tribu filiorum Dan, Bocci filius Iogli. 23. Filiorum Ioseph
de tribu Manasse, Hanniel filius Ephod. 24. De tribu Ephraim, Camuel filius
Sephthan. 25. De tribu Zabulon, Elisaphan filius Pharnach. 26. De tribu Is-
sachar, dux Phaltiel filius Ozan. 27. De tribu Aser, Ahiud filius Salomi. 28. De
tribu Nephthali, Phedael filius Ammiud. 29. * Hi sunt quibus præcepit Do-
minus ut dividerent filiis Israel terram Chanaan.

(*a*) Iof. xv. 1. (*b*) Iof. xiv. 1.

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *A meridie usque ad Cadesbarne*. Pro *a meridie*, alii libri scribunt *in meridiem*, alii *ad meridiem*, male.

V. 8. *A quo venient in Emath*. Non est mutandus numerus pluralis in singularem *veniet*.

V. 11. *Descendent termini in Rebla*. Vox *Rebla* codices minus accurati scribunt, addita tertia syllaba, *Reblatha*, quod non est huius loci.

V. 29. *Hi sunt quibus præcepit Dominus*. Non mutes præteritum perfectum *præcepit* in plusquam perfectum *præceperat*.

# COMMENTARIA.

## SA.

*Vers.* 2. HIS FINIBUS TERMINABITUR. Hieronymus epist. cxxix. *Non acceperunt*, inquit, *Iudæi tam multa, quia præcepta Dei non observarunt*.

*V.* 3. SIN, per ס tſ. SALSISSIMUM, scilicet mortuum.

*V.* 4. CIRCUIBUNT, scilicet termini. SENNA, pro Sin.

*V.* 5. TORRENTEM, scilicet Rhinocoluram. Vide Gen. xv.

*V.* 7. ALTISSIMUM. Hebr. & Chald. *Hor*: est autem alius ab illo in quo mortuus Aaron.

*V.* 8. EMATH, quidam Antiochiam putant; at Hieronymus epist. cxxix. Epiphaniam Syriæ.

*V.* 11. REBLA. Hieronymus putat esse Antiochiam. CONTRA FONTEM DAPHNIM. Hebr. Chald. & LXX. *ab Oriente Hain*, id est fontis. CENERETH, scilicet ad lacum Genesareth.

*V.* 15. SEMIS TRIBUS, pro tribus & semis, id est dimidia; quasi dicat, duæ tribus, & dimidia.

## ESTII.

*Vers.* 3. ET HABEBIT TERMINOS CONTRA ORIENTEM MARE SALSISSIMUM. Quod hic vocat Interpres noster *mare salsissimum*, alibi vocat mare salsum; quomodo etiam verterunt Septuaginta. Hebr. est *Mare salis*. Est autem idem illud quod apud sæculares scriptores *Mare mortuum* vocatur, & *Lacus Asphaltites* a bitumine, propterea quod sit ita bituminosum, spissum & salsum, ut neque navigationi aptum sit, neque pisces, aut omnino vivens aliquid gignat, aut nutriat. Hic lacus eam regionem occupat, in qua erant quinque civitates, Sodoma, Gomorrha, & aliæ, iam desertæ in exemplum iusti iudicii Dei, ut Iudas ait, in sua Epistola.

*V.* 4. QUI CIRCUMIBUNT AUSTRALEM PLAGAM PER ASCENSUM SCORPIONIS. Heb. est plurale, *ad ascensum Scorpionum*. Est autem Ascensus scorpionis, seu scorpionum, nomen loci, Hebr. *Maala Harrabim*, ne quis hic imaginetur ascensum scorpionis in signo cælesti sic dicto. Fit etiam huius loci iterum mentio Iosue xv. & Iudic. 1. Lyranus putat esse nomen montis sic appellati a multitudine scorpionum quos habeat.

*V.* 11. CONTRA ORIENTEM AD MARE CENERETH. Intelligitur mare quod postea, nomine paululum immutato, vocatum fuit Genezareth: de quo aliquoties in Evangelio. Idem vocatur & mare, lacus, seu stagnum Tiberiadis, & Galilææ.

## MARIANAE.

*Vers.* 2. ET IN POSSESSIONEM VOBIS SORTE CECIDERIT, HIS FINIBUS TERMINABITUR. Heb. *Hæc terra, quæ cadet vobis in hereditate, terra Chanaan ad*, seu per, *terminos suos*.

*V.* 3. ET HABEBIT TERMINOS CONTRA ORIENTEM MARE SALSISSIMUM. Hebr. *Et erit vobis terminus Au-*

*stri*

*stri a fine maris salis ad Orientem*. *Mare salis* vocat Mare mortuum.

*V.* 5. Usque ad torrentem AEgypti. Nilus non est torrens, neque terra Chanaan pertinebat ad ostia Nili; sed torrens ille est Rhinocolura.

*V.* 7. A mari magno.... usque ad montem altissimum. Hebr. *montem Hor*. *Mare magnum* est Mediterraneum, sic dictum comparatione maris Tiberiadis, & Maris mortui. Porro mare Tiberiadis, seu Genesar, vers. 11. vocatur mare *Cenereth*, ut exponit Chaldæus.

*V.* 15. Ad orientalem plagam. Hebr. *ad ortum ortum*. Sed *Mizrahah* secundo loco posita sumitur pro *plaga*, ut Chald. aut pro *sole*; ac si dicas, *ad orientalem solem*. Hi termini terræ Chanaan describuntur etiam ab Ezechiele, paucis mutatis, cap. XLVII.

*V.* 17. Qui terram vobis divident. Hebr. *Qui hereditabunt terram vobis*, id est pro vobis: sic enim Deuter. III. vers. 22. *Dominus pugnabit* לכם *lachem vobis*, id est pro vobis: sic eo loco vertunt omnes, & ex eo Kimhi hunc locum sic explicat. Sententia est: Loco vestrum capient terræ possessionem hereditatemque Eleazar, & qui sequuntur.

*V.* 29. Ut dividerent filiis Israel. Hebr. *Ut in hereditatem mitterent filios Israel*: hi sunt scilicet quibus id præcepit Dominus.

## MALVENDAE.

*Vers.* 3. Quae est iuxta Edom. Hebr. *Super manus Edom*, seu *Idumææ*. Quidam exponunt: *Per manus*, sive *spatia*, id est latera; vel *secundum sedes Edomæorum*. Alii: Iuxta Idumæam, vel *ad terminos Edom*, id est propinquum Idumææ. Notant, harum sedium singularem quamdam circumscriptionem diverso ordine hic sequi ad versum 6. usque. Vide de tota hac descriptione Iosue XV. Contra Orientem. Hebr. *ad Orientem*; id est, qua parte terminus maris salsi iungitur termino orientali. Alii: Hoc est, esto vobis descriptionis initium ab Oriente, a sinu maris salsi, quo ad Austrum finitur. Mare salsissimum. Hebr. *mare salis*, seu mortui, sive lacus Asphaltitis: de quo vide Genes. XIV. vers. 3.

*V.* 4. Per ascensum Scorpionis. Alii, *Per Clivum Akrabim*. Rationem nominis esse volunt, quod ibi multi essent scorpiones, ut indicatur Deuteron. VIII. vers. 15. Alii, quod is locus forsan imaginem scorpionis referret. Aiunt esse montana quæ sese in modum scorpionis incurvant, ut solent colles, & cacumina montium speciem scorpionum suis curvitatibus exprimere. Nonnulli a spinis locum dictum putant, quæ acritate scorpionum aculeos referunt. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Acrabin terminus Iudææ provincia ad Orientem respiciens tribus Iudæ. Est autem & vicus nunc usque grandis, novem millibus a Neapoli contra Orientem, descendentibus ad Iordanem, & Iericho, per eam quæ appellatur Acrabithene; sed & confinium Amorrhæorum Acrabithene dicitur: de quo loco non exterminavit alienigenas tribus Nephthalim, ut in Iudicum libro scriptum est*. Acrabathenæ regionis, seu toparchiæ Iudææ meminere, Lib. I. Machabæorum V. vers. 3. Iosephus Lib. III. Belli cap. II. Plinius Lib. V. cap. XIV. Ad villam nomine Adar. Hebr. חצר אדר *Chatzar Adar*, id est *atrium*, *villam*, *prædium Adar*. Villam amplam & magnificam significat. Quidam hic *Chatzor Adar* intelligunt duo oppida coniuncta situ, etsi discreta muro: quapropter seorsim nominari Iosue XV. 3. *Chetzron*, & *Adar*. Asemona. Hebr. עצמנה *ghatzmonah*. Hanc quidam putant esse *Chasmona*, ubi vigesima sexta castra Hebræi posuere supra cap. XXXIII. vers. 29. ut sane Ghain & Chet facile inter se commutari possunt. *Osseam*, *ossatam*, aut *compactam*, seu *condensatam*, vel *robustam* significat. Eusebius & S. Hieronymus in Locis: *Asemona, civitas in deserto ad meridiem Iudææ, dividens AEgyptum, & sortem tribus Iudæ ad mare usque tendentem*.

*V.* 5. Usque ad torrentem AEgypti. Hunc torrentem plerique rivum prope Rhinocoluram, in mare Mediterraneum influentem, accipiunt. Sed nos in Paradiso cap. XXX. Nilum, vel aliquod Nili brachium, aut ostium potius demonstravimus. Vide Notas Genes. XV. vers. 18. Quidam hic reddunt, *Ad vallem AEgypti*

*gypti*, id est partem Casliotidos, quæ subest monti Casio, cis paludem Sirbonicam, quæ AEgypti propterea dicitur, quod AEgyptum ab Iudæa disterminat. Vide Iosue XIII. vers. 3. & cap. XV. vers. 4. & 47.

*V.* 6. MARI MAGNO. Ita Scriptura mare Mediterraneum, seu Palæstinum, AEgyptium, aut Syriacum appellat, comparatione aliorum lacuum, aut stagnorum, quæ sunt in Chananæa, ut Cinereth, & salis, seu Asphaltitis, quæ usu loquendi Scripturæ vocantur etiam maria, sed minora. Hunc versum nos ex Hebræo verbatim reddidimus, & interpunximus (*Et terminus maris: & erit vobis mare grande & terminus: iste erit vobis terminus maris.*) Alii clarius sic convertunt: *Terminus vero occidentalis, ut est vobis ipsum mare magnum; ita terminus esto: hic esto vobis terminus occidentalis*. Ter idem dicit; quasi dicat: Ab omni parte Occidentis mari mediterraneo cingitur.

*V.* 7. USQUE AD MONTEM ALTISSIMUM. S. Hieronymus in XLVII. Ezechielis: *Hebræi autumant*, vel *Amanum montem significari*, vel *Taurum*, *quod nobis videtur verius*. Apage, terminos Chananææ ad Taurum: vide eum epist. CXXIX. ad Dardanum. Hebr. *Definietis vobis Hor montem*. Quidam montem Hor exponunt non illum quidem hactenus commemoratum, in quo Aaron occubuit trigesimis quartis castris Israelitarum; sed ipsum Chermon montem aquilonarissimum terræ sanctæ, qui alio nomine dictus sit Hor: nam Hermon variis nominibus appellatum constat Deuteron. III. vers. 9. Atqui Horem hic esse Hermonem, colligunt e Iosue XIII. 5. nam ut hic coniungitur cum Introitu Hemath; sic ibi Hermon. Verum ego delirium puto Horem existimare Hermonem; sed hic tantum dici, in termino extremo australi terræ sanctæ duci rectam lineam a mari mediterraneo termino occidentali, Orientem versus, ad Hor montem, in quo obiit Aaron: & ab Hor monte aliam versus Aquilonem duci lineam usque ad introitum Hemath, terminum aquilonarem promissæ terræ.

*V.* 8. IN EMATH. De Emath vide Notas cap. XIII. vers. 22. SEDADA. Vide Ezechiel. XLVII. vers. 15.

*V.* 9. ZEPHRONA. Eusebius, & S. Hieronymus: *Zephrona terminus Iudææ ad Septemtrionem*. S. Hieronymus in XLVII. Ezechielis: *Quam urbem hodie Zephyrium oppidum Ciliciæ vocant*. Sed quis umquam terminos terræ sanctæ ad Ciliciam usque protendit? Vide eumdem epist. CXXIX. ad Dardanum. ET VILLAM ENAN. Heb. חצר עינן *Chatzer Ghenan*, id est *villam fontis*: fortasse quod insignis aliquis fons ibi esset, nimirum, si augurio locus sit, ille de quo versu seq. 11.

*V.* 10. SEPHAMA. Eusebius & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Sephama terminus Iudææ ad solis ortum*. Hanc quidam putant esse Siphmoth, I. Samuel. XXX. vers. 28. Ex ratione nominis videtur formam labritii, seu mystacis habuisse. S. Hieronymus in XLVII. Ezechielis: *Sephama, quam Hebræi Apamiam nominant*. Apamiæ, vel Apamææ urbis Cœles-Syriæ meminere Strabo Lib. XII. & XVI. Plinius Lib. V. cap. XXIII. & XXIX. Ptolemæus Lib. V. cap. XV. & alii.

*V.* 11. IN REBLA. Hebr. רבלה *Riblah*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Reblatha urbs, quam nunc Antiochiam vocant*. Idem S. Hieronymus in XLVII. Ezechiel. elucidans hunc Numerorum locum, ait: *A fine igitur septemtrionalis plagæ*, hoc est, *Atrio Enan, tendunt fines iuxta Numerorum librum, usque Sephama, quam Hebræi Apamiam nominant: & de Apamia descendunt termini in Rebla, quæ nunc Syriæ vocatur Antiochia. Et ut scias, Rebla hanc significare urbem, quæ nunc in Syria Cœle nobilissima est, sequitur: Contra fontem, &c.* CONTRA FONTEM DAPHNIM. Hebr. non habent *Daphnim*, sed tantum *Contra fontem*, quem perspicuum est intelligi Daphnim. Unde S. Hieronymus in XLVII. Ezechiel. *Contra fontem, quem perspicuum est significare Daphnim: de quo fonte supradicta urbs* (scilicet Rebla, seu Antiochia) *aquis abundantissimis fruitur. Hic autem locus a Gneo Pompeio, qui primus Iudæam Romano subiecit Imperio, militari manu consitus est, & ab eo iuxta fabulas poetarum, Daphones nomen accepit, ob lauros, & cyparissos; quæ arbores eo ipso loco frequentissimæ sunt*. Sextus Rufus in Breviario: *Rediens* (Pompeius) *apud Antiochiam, Daphnensem lucum, delectatus loci amœnitate, & aquarum abundantia, addito nemore consecravit*. Strabo Lib. XVI. Ul-

*terius* (Antiochiam) *est Daphne ad stadia quadraginta, mediocris vicus, & lucus ingens & opacus, fontanis aquis irriguus, &c.* Ammianus Marcellinus Lib. XIX. cap. XXIX. *Apud Daphnem amœnum illud & ambitiosum Antiochiæ suburbanum.* Hunc locum, & fontem late descripsere Philostratus Lib. I. de Vita Apolonii, cap. XII. Sozomenus Lib. V. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XVIII. Procopius Lib. II. Belli Persici cap. XII. e recentioribus Isaacus Casaubonus in Notis ad Marcum Antoninum Capitolinum, Ortelius in Theatro Orbis. Eius frequentissima mentio apud auctores etiam ecclesiasticos, præsertim in Actis S. Babylæ, & apud S. Chrysostomum oratione in S. Babylam: vide quoque II. Machabæor. IV. vers. 33. Antonius Nebrissensis, cap. XIV. Quinquagenæ, hunc locum ex Numeris *de fonte Daphni*, enarrat: quem etiam appellatum fuisse Castalium fontem divinatorium, disces ex Ammiano Lib. XXII. cap. XXX. & Sozomeno Lib. V. cap. XVIII. Drusius existimat, vocem *Daphnim* hic non esse positam a Nostro, sed ab erudito quodam ex Commentariis ad XLVII. Ezech. primum ad marginem tamquam glossema adscriptam, deinde in contextum illapsam. Nam satis apparet S. Hieronymum eam non legisse, sed intellexisse dumtaxat. Quod vero hoc versu Hebraice additur, *Et ab Oriente ipsi Ghain*, quidam putant, esse eum locum cuius mentio exstat Iosue XV. vers. 32. Sed ille fuit in tribu Iudæ, hic in tribu Nephthali, vel ulterius. AD MARE CENERETH. Hic est insignis ille Galilææ lacus evangelica historia nobilitatus. Quidam dictum volunt a *Cenereth* urbe in eius littore posita, Iosue XIX. vers. 35. quæ postea dicta Tiberias; & mare ipsum Tiberiadis. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Cenereth mare, ubi est terminus Iudææ, in tribu Nephthali. Sed & oppidum quod in honorem Tiberii Cæsaris Herodes rex Iudææ* (potius tetrarcha Galilææ) *postea instauratum appellavit Tiberiadem, ferunt hoc primum appellatum nomine.* Ab Herode tetrarcha Galilææ ædificatam, & in honorem Tiberii Tiberiadem numcupatam, diserte scribit Iosephus Lib. XVIII. Antiquit. cap. III. a qua urbe appellatum *Mare Tiberiadis* Ioan. VI. vers. I. non est dubium. Pausanias Lib. V. numer. 154. *paludem*, seu *stagnum Tiberiadem* vocat. Plinius Lib. V. cap. XV. lacum, *Tarichæam* ab aliquibus appellatum tradit, a Tarichæa urbe ad meridiem eius laci posita. Alii כנרת *Cinnereth* dictum existimant, quod formam citharæ referat, quæ Hebræis dicitur כנור *cinnor*, aut כנרת *cinnereth*. In Evangeliis interdum vocatur *Genasar*, & *Genesareth*, ut etiam I. Machabæor. XI. vers. 67. quo etiam nomine eum Chaldæi Paraphrastæ numcupant *Genosar* cum Samech. Græci Græcum etymon ei affingunt, *Genasar* quasi gignentem, seu spirantem auram, quod frigida aura perfletur: alii luxatum nomen putant ab Hebræo. *Cinereth*, ut sit *Genesereth*, quasi *Cinereth*: nonnulli compositum faciunt a גן *gan*, *hortus*, & סר *sar*, *princeps*, quod tota illa regio lacui circumposita, regiis & principalibus hortis & pomariis consita esset, ut fuse Iosephus describit Lib. III. Belli, cap. XVIII. & inter alia inquit: *Egregia quidem terra, & quodammodo regalis.* Sed & ipsum lacum ipse Iosephus pluribus ibidem exponit, & Plinius Lib. V. cap. XV. Ptolemæus Lib. V. cap. XV. Pausanias Lib. V. pag. 153. Egesippus Lib. III. Excidii, cap. XXVI. Vitriacus in Historia Ierosolymitana cap. LIII.

*V.* 15. AD ORIENTALEM PLAGAM. Hebr. *Ad Orientem*; *ad ortum*, seu *exortum solis*. Quidam, *Ab anteriore parte*, *Orientem versus*. Existimo, hanc geminationem Orientis significare verum & directum Orientem utriusque AEquinoctii. Vide Exodi XXVII. vers. 12. Hispanicus Interpres, *Al oriente, al nacimento del sol*.

## MENOCHII.

*Vers.* 2. HIS FINIBUS TERMINABITUR. Apte post impositum præceptum de delendis habitatoribus, fines hic terræ, quam occupaturi essent, statuuntur, ut scirent quarum regionum incolas essent deleturi, & quarum possessionem accepturi.

*V.* 3. A SOLITUDINE SIN. Incipit hanc terminorum descriptionem a latere meridiano, in angulo ubi latus meridianum iungitur lateri orientali: ille enim angulus incipiebat a solitudine. *Sin*, Hebr. צן *Tsin*, per Tsade, ne existimes esse desertum il-

lud

lud Sin cuius est mentio Exod. XVI. I. ubi in Hebræo est סין *Sin*. CONTRA ORIENTEM, versus Orientem; hoc est, ubi latus orientale concurrere debebit cum meridiano, & angulum communem efficere. MARE SALSISSIMUM est lacus Sodomorum, sive Asphaltites ubi prius fuit Pentapolis: dicitur salsissimum, quia omnia maria saltem Iudaica salsedine multum superat. Causa tantæ salsedinis sulphur, bitumen, sal, quæ in Pentapoleos incendio e cælo deciderunt.

*V.* 4. ASCENSUM SCORPIONIS. LXX. πρὸς ἀνάβασιν ἀκραβὶν, *per ascensum Acrabin*. Loci est nomen, & secundum aliquos etiam urbis, aut regionis, quam putant esse eam quæ Lib. I. Mach. cap. V. num. 3. vocatur Acrabathena, cuius sententiæ auctor videtur S. Hieron. in cap. I. Abdiæ, *Quæ vergit*, inquit, *ad Scorpionem, id est ad urbem Acrabathenam*. IN SENNA. D. Hier. in locis Hebraicis ait esse petræ nomen: & fortasse est petra illa, cuius fit mentio Iudic. I. num. ult. quæ cum Ascensu scorpionis statuitur esse Amorrhæorum terminus. A MERIDIE: in Hebræo est *ad meridiem*; & ita etiam habent LXX. πρὸς λίβα; & idem sensus nostri Interpretis, cui, *A meridie*, idem est ac versus meridiem.

*V.* 5. USQUE AD TORRENTEM AEGYPTI. Hic torrens rivulus est, qui ex deserto veniens iuxta Rhinocoluram in mare Mediterraneum delabitur, terramque tribus Iuda, & Simeon a deserto, viaque AEgypti disterminat. Passim in Scriptura hic torrens ponitur australis terminus terræ promissæ. MAGNI MARIS, Mediterranei.

*V.* 6. ET IPSO FINE CLAUDETUR. Sensus est: Plaga occidentalis sicuti a mari ipso initium accepit, ita ipso mari finem habebit; nec erit aliud quo concludatur iste limes occidentalis, quam ipsius maris littus. Non tamen existimes, totum littus Mediterranei Occidentem spectans datum esse Hebræis; sed tantum usque ad eam eius littoris partem, quæ Libano aut Hor monti e regione respondet: hinc enim inchoatur latus septemtrionale terræ promissæ.

*V.* 7. PERVENIENTES, recta linea. USQUE AD MONTEM ALTISSIMUM. In Hebræo habetur הר ההר *hor hahar*, *Hor montem*. LXX. qui habet παρὰ τὸ ὄρος ὄρος, *Apud montem montem*, viderunt in Hebræo legisse non הר, sed הק. Mons igitur iste Hor vel est promontorium aliquod Libani ita dictum, vel si legamus הר *mons i mons* ita dicetur propter Libanum, & Antilibanum, duo quasi eiusdem montis iuga & vertices.

*Vers.* 8. A QUO VENIENT IN EMATH. Urbs hæc fuit in parte Aquilonari terræ promissæ iuxta Libanum montem. Scribit S. Hieron. in cap. X. Isaiæ, Emath Epiphaniam fuisse a Syris etiam suo tempore appellatam. SEDADA: urbs, vel vicus ad limitem plagæ septemtrionalis. Eiusdem mentio est Ezech. XLVII. 16.

*V.* 10. SEPHAMA quis locus sit, non constat. S. Hieronymus nihil aliud habet quam esse terminum Iudææ ad solis ortum.

*V.* 11. CONTRA FONTEM DAPHNIM. In Hebræo est tantum *Contra fontem*, illum scilicet qui contra Reblata est notus & celebris: fortasse ita dictus a laurorum multitudine, ut etiam suburbanum celebre Antiochiæ urbis: & fortasse nostra Daphne illa est, cuius meminit Iosephus Lib. IV. belli Iudaici cap. I. quæ ad lacum Semechonitem sita est. Divus tamen Hieronymus, Daphnem hanc vult esse eam quæ vicina Antiochiæ est. Vide Bonfrerium hic late de hoc, & erudite disputantem. AD MARE CENERETH, quod est mare illud, seu stagnum quod mare Galilææ, aut stagnum Genesareth, aut mare Tiberiadis passim appellatur in Evangelio.

*V.* 12. USQUE AD IORDANEM, Iordanem scilicet maiorem. Idem fluvius dicitur Iordanis minor, donec ad locum Genesareth perveniat; maior postquam ab eo lacu egressus usque ad mare mortuum decurrit.

*V.* 18. SINGULI PRINCIPES DE TRIBUBUS SINGULIS: non principes totius tribus, sed principes aliquarum familiarum in sua tribu.

## TIRINI.

*Vers.* 3. MARE SALSISSIMUM est mare mortuum, seu lacus Asphaltites, seu Sodomorum. In Hebræo vocatur *Mare salis*, quod cetera maria Iudaica salsedine multum superet. Causa tantæ salsedinis est sulphur, bitumen, & sal.

ſal, quæ in incendio Pentapoleos e cælo deciderunt, & quorum regio illa ferax *a* eſt. Plura de hoc mari vide Gen. XIX. verſ. 26. Ab hoc mari, ſeu lacu deſumebantur termini orientales Iudææ, quæ ad ſeptemtrionem habebat mare Cenereth, quod a regione Cenneroth ei lacui adiacente III. Reg. XV. verſ. 20. vel ab urbe eiuſdem nominis vicina in tribu Nephthali *b* ſic nominatur. Sed in Evangeliis alia ſubinde ſortitur nomina: vocatur enim ſtagnum Geneſareth, mare Galilææ, mare Tiberiadis, a regione Geneſareth, & Galilææ, & urbe Tiberiade, eidem lacui adiacentibus. Dico, hos fuiſſe terminos aquilonares, & orientales Iudææ. Nam ſi totam terram ſanctam ſpectemus, prout illa poſſeſſionem univerſam Iſraelitarum complectitur, cum Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſe ultra Iordanem verſus Orientem, & tribus Nephthali ultra mare Cenereth verſus Aquilonem habitarint, alii termini neceſſario aſſignari debent. Itaque terra ſancta ab Aquilone terminatur Phœnicia, Syria Libanica, & Syria Damaſci; ab Ortu Arabia; ab Auſtro deſerto Sin, regione Cedar, & AEgypto; ab Occidente mari magno ſeu Mediterraneo. Quantus autem fuerit hic terræ tractus, quæ nomina provinciarum & urbium totius terræ ſanctæ, vide in tabula quam libro præfiximus, & apud Adrichomium qui hæc accurate proſequitur. Hoc conſtat, amplitudine ſua non exceſſiſſe Belgium noſtrum, fere tamen æquaſſe.

*V.* 4. PER ASCENSUM SCORPIONIS. Hebraice עקרבים *Acrabim*, nomen proprium eſt loci, a multitudine ſcorpionum ibi degentium ſic nominati, inquit Abulenſis, & Lyranus, vel a collium & cacuminum curvitate, ut Emmanuel Sa, & Mariana. Unde Andreas Maſius *c*, *Aſcenſum Scorpionis* vertit, *collem Acrabin*; Arias Montanus, & Serarius *d*, *Montes Acrabin*. Et certum eſt, etiam urbem eiuſdem nominis fuiſſe in Idumæa ad ipſa confinia Iudææ Acrabata dictam, ut ex Lib. I. Machabæorum verſ. 3. Hieronymo, & Ioſepho patet, a qua Acrabatena toparchia nomen accepit.

*V.* 11. IN REBLA, alias *Reblatha*: ubi Nabuchodonoſor aliquando ſtativa ſua fixit IV. Reg. V. CONTRA FONTEM DAPHNIM. Ne putes, hic agi de Daphne Syriæ Antiochena, ſeu de ambitioſo Antiochiæ ſuburbano perennibus irriguo fontibus, omnium hiſtoricorum ſcriptis celebri, licet id putarit S. Hieronymus, & Antonius Nebriſſenſis *e*: nam illa Daphne procul eſt extra limites terræ ſanctæ, intra quos tamen hæc noſtra ſtatuitur. Itaque cum Ioſepho *f*, & Adrichomio dic, Daphnum eſſe illam quæ ſita eſt ad lacum Semechonitem (qui in tabulis geographicis *Aqua Meron* dicitur, & Iordane interſecatur) eſtque ad inſtar alterius Daphnes Antiochenæ, delicioſiſſimus locus, fontibus ubique irriguus, & lauris ac cupreſſis pulcherrime conſitus. Neque mirum, pluribus & valde diſſitis locis, ob ſimilitudinem quarumdam rerum, unum ſubinde & idem nomen impoſitum fuiſſe, cum in plurimis regnis id uſu venire etiamnum cernamus; verbi gratia, Vienna Auſtriæ, & Galliæ; Lugduno Galliæ, & Bataviæ; Valentia Hiſpaniæ, & Galliæ, &c.

(*a*) Sophoniæ II. verſ. 9.
(*b*) Ioſue XIX. verſ. 35.
(*c*) Maſius in Ioſue XV.
(*d*) Arias Mont. in Chanaan, Serarius in Ioſue XV. & Iudicum I. I. Mach. V. verſ. 3.
(*e*) Hieron. in cap. I. Abdiæ. Ioſephus Lib. XII. Antiq. cap. XI. & Lib. III. Belli cap. I. Hieron. in Ezech. XLVII. Nebriſſ. cap. XIV. Quinquagenæ.
(*f*) Ioſephus Lib. IV. Belli cap. I. apud Bonfrerium: ubi vide plura de hac re.

## GORDONI.

*Verſ.* 2. POſt imperatam terræ diviſionem, recte hic deſcribuntur termini totius terræ dividendæ in ambitu. Initium ſumitur a Sin ſolitudine. Hebr. צין *Tſin*. Eſt velut angulus inter latus meridionale, & latus orientale. Non eſt deſertum Sin (Hebr. סין *Sin*) ubi fuit manſio trigeſima tertia. Vide Exod. cap. XVI. verſ. I. Hinc iam deducitur deſcriptio totius terræ verſus quatuor mundi plagas, quas in tabulis geographicis facile eſt intueri.

*V.* 3. MARE SALSISSIMUM lacus eſt Sodomorum. Dicitur etiam Mare ſolitudinis, nempe iuxta ſolitudinem Sin: & eſt ad Orientem terræ ſanctæ. Vide Gen. cap. XIV. Præter hunc lacum eſt mare Tiberiadis in terra promiſſionis, cui vicinum eſt quod verſ. 5. vocatur *Mare magnum*,

*gnum*, hoc est Mediterraneum. De his terminis vide Iosue, cap. I. vers. 4.

*V.* 4. QUI CIRCUIBUNT; hoc est, termini ambient, AUSTRALEM PLAGAM terrę vestræ PER ASCENSUM SCORPIONIS. Sept. πρὸς ἀνάβασιν ἀκραβὶν: retinuerunt vocem Hebraicam עקרבים *hhakrabbim*. Putant omnes fere esse nomen loci a scorpionibus dictum, seu montem a serpentibus sic nominatum. Vide Iudic. I. vers. ult. Ibi postea urbs Acrabathena, I. Machab. v. vers. 3. SENNA hic est Sin. Hebr. צנה *Tsina*: nam ה positum in fine, est *He* locale, designans motum ad locum; & per *in* explicatur. Ceterum non est mons Sinai, sed locus aliquis, aut mons, posteris parum notus. Descriptio tamen ista excurrere videtur versus Austrum; ut indicant loca hic, & vers. 5. apposita, usque ad mare magnum, seu Mediterraneum.

*V.* 7. & 8. Mons hic altissimus est Hor. En descriptionem plagæ occidentalis, & deinde septemtrionalis, per terminos suos. EMATH hæc minor est, postea dicta Epiphania ab Antiocho Epiphane. Altera erat Emath maior, postea vocata Antiochia, & caput Syriæ. Ceterum in Hebr. est הר ההר *hor hahar*, *Hor montem*, quasi hoc sit nomen montis proprium. Aliqui etiam faciunt partem Libani, vel ut alterum iugum, seu promontorium Libani, nempe biverticis; quasi Libanus, & antilibanus: sed tunc in Hebr. oportet legere aliter, scilicet הר ההר *har hahar*, ut habent Septuag. *Mons & mons*: & forte ita legit Hieronymus, nondum appositis punctis Masorethicis: vel certe *Mons montis*; quasi mons monti impositus, unde vertit *altissimum*.

*V.* 11. Fons Daphnis est celebris, aquis abundans, lauris, & amœnitate commendatus. CENERETH mare, seu Cinnereth urbs, ibi est Genezareth a Tiberio dicta Tiberias. Vicinæ erant urbes Nazareth, Betsaida, & Capharnaum. Erat etiam hoc mare salsissimum, vers. 12. ubi limes ab Oriente ponitur Iordanis. Vide Ioseph. Lib. V. Antiquit. Nascitur ad radices Libani, ex duorum rivulorum, Ior, & Dan, confluxu. Docet vero Iosephus Lib. III. Belli, cap. XVIII. fontem, seu rivum Dan derivari ex lacu Basan in Basanitide trans Iordanem.

*V.* 15. Hos terminos describit etiam Ezechiel cap. LXVII. DUAE SEMIS TRIBUS duæ tribus, & media.

*V.* 17. QUI TERRAM, לכם, VOBIS; id est, pro vobis possessionem terræ capient, &c.

## EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 5. TORRENTEM. Hic ponitur terminus terræ pomissæ versus Meridiem. Venit torrens iste a deserto per Rhinocoluram in mare Mediterraneum.

*V.* 6. IPSO FINE CLAUDETUR. Versus occidentalem plagam non est alius terminus quam mare Mediterraneum, protensum usque ad Libanum, & unde incipit latus septemtrionale.

# CAPUT XXXV.

*Assignari iubentur urbes & suburbana Levitis, & urbes refugii pro homicidio non voluntario: lex homicidii voluntarii, & non voluntarii: unius testimonio nemo puniendus.*

1. HAEc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campe-
stribus Moab supra Iordanem, contra Iericho: 2. (*a*) Præ-
cipe filiis Israel ut dent Levitis de possessionibus suis 3. urbes
ad habitandum, & suburbana earum per circuitum, ut ipsi
in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac iumen-
tis: 4. quæ a muris civitatum forinsecus, per circuitum mille
passuum spatio tendentur: 5. contra Orientem duo millia
erunt cubiti, & contra Meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque,
quod respicit ad Occidentem, eadem mensura erit, & septemtrionalis plaga æqua-
li termino finietur: eruntque urbes in medio, & foris suburbana. 6. (*b*) De ipsis
autem oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut
fugiat ad ea qui fuderit sanguinem: & exceptis his, alia quadraginta duo oppi-
da, 7. id est simul quadraginta octo cum suburbanis suis. 8. Ipsæque urbes,
quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his qui plus habent, plures
auferentur; & qui minus, pauciores: singuli iuxta mensuram hereditatis suæ da-
bunt oppida Levitis. 9. Ait Dominus ad Moysen: 10. Loquere filiis Israel, &
dices ad eos: (*c*) Quando transgressi fueritis Iordanem in terram Chanaan,
11. decernite quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum, qui nolentes san-
guinem fuderint: 12. in quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi non poterit
eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, & causa illius iudicetur.
13. (*d*) De ipsis autem urbibus, quæ ad fugitivorum subsidia separantur, 14. tres
erunt trans Iordanem, & tres in terra Chanaan, 15. tam filiis Israel, quam ad-
venis atque peregrinis, ut confugiat ad eas qui nolens sanguinem fuderit. 16. Si
quis ferro percusserit, & mortuus fuerit qui percussus est: reus erit homicidii,
& ipse morietur. 17. Si lapidem iecerit, & ictus occubuerit: similiter punietur.
18. Si ligno percussus interierit: percussoris sanguine vindicabitur. 19. Propin-
quus occisi, homicidam interficiet: * statim ut apprehenderit eum, interficiet.
20. (*e*) Si per odium quis hominem impulerit, vel iecerit quidpiam in eum per insidias:
21. aut cum esset inimicus, manu percusserit, & ille mortuus fuerit: percussor,
homicidii reus erit: cognatus occisi statim ut invenerit eum, iugulabit. 22. Quod
si fortuitu, & absque odio 23. & inimicitiis, quidquam horum fecerit, 24. &
hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem & propin-
quum sanguinis quæstio ventilata: 25. liberabitur innocens de ultoris manu, &
reducetur per sententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, do-
nec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur. 26. Si interfector
extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ sunt, 27. fuerit inventus, & percus-
sus ab eo qui ultor est sanguinis: absque noxa erit qui eum occiderit: 28. de-
buerat enim profugus usque ad mortem Pontificis in urbe residere: postquam

autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam. 29. Hæc sempiterna erunt, & legitima in cunctis habitationibus vestris. 30. Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur. 31. Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur. 32. Exules & profugi ante mortem Pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt: 33. ne polluatis terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore maculatur; nec aliter expiari potest, nisi per eius sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit. 34. Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum: ego enim sum Dominus qui habito inter filios Israel.

(a) Iof. xxi. 2. (b) Iof. xx. 8. Deuter. iv. 41. (c) Deuter. xix. 2. Iof. xx. 11. (d) Deuter. iv. 41. Iof. xx. 7. 8. (e) Deuter. xix. 11.

# BRUGENSIS

## Romana Correctio.

V. 19. *Statim ut apprehenderit eum, interficiet*. Pro *interficiet* invenio in libris antiquis *percutiet*, quod idem unum est; sed passivum *interficietur*, quod est in aliis exemplaribus, spurium est.

# COMMENTARIA.

## S A.

*Vers.* 3. Suburbana, id est prædia prope urbes.

*V.* 4. Mille. LXX. *bis mille passuum*. Hebr. Chald. & LXX. *cubitorum*. Nota, quod erant, ut statim dicitur, duo millia undique; sed in prioribus mille non licebat plantare, aut ædificare: vel spatium illud duorum millium passuum incipiebat post milliare a civitate: vel passus continebat duos cubitos. Hebr. tamen eadem vox est quam Interpres vertit *passum*, & *cubitum*. Forte verior est sententia, quod dictum est prius mille, explicari postea, ut intelligatur mille bis, scilicet duo millia; quasi dicat: Spatium per mille passus extendetur, nempe bis mille in omnem partem.

*V.* 6. Auxilia, id est refugium. Fuderit, scilicet hominem occidendo.

*V.* 8. Mensuram, id est proportionem, seu quantitatem.

*V.* 11. Nolentes: sic LXX. at Heb. & Chald. *per ignorantiam*, seu *errorem*: sic etiam infra.

*V.* 19. Interficiet; id est, data sententia a iudice poterit interficere: sic infra. Vide Deuter. xix. & August. q. lxv. in Num. Chald. & hic, & infra addit: *Quando fuerit condemnatus in iudicio*.

*V.* 21. Iugulabit. Hebr. *Interficiet*.

*V.* 24. Ventilata, id est discussa seu examinata.

*V.* 26. Extra fines, scilicet egressus, ut patet ex Hebr. Chald. & LXX. & sequentibus.

*V.* 29. Sempiterna. Hebr. & Chald. *statuta*, seu *decreta in generationibus vestris*.

*V.* 30. Punietur. Hebr. *Occidetur*.

*V.* 34. Emundabitur. Hebr. *Non polluetur*.

## E S T I I.

*Vers.* 13. & 14. De ... urbibus quae ad fugitivorum subsidia separantur, tres erunt trans Iordanem, et tres in terra Chanaan. Quæritur, quare non plures in terra Chanaan, vel pauciores trans Iordanem pro ratione numeri tribuum, & magnitudinis terræ? Respondendum videtur, quia expediebat homicidas quam longissime abesse a loco commissi homicidii, ut sic passim homicidæ ex terra Chanaan, etiam possent fugere trans Iordanem. Interim quia remotior pars terræ Chanaan longius inde aberat quam ut potuissent homicidæ facile trans Iordanem pertingere, & non propinquorum

rum aliquis eos insequens interim assequeretur, propterea etiam in ipsa terra Chanaan totidem deputatæ fuerunt, nempe similiter tres urbes refugii.

*V.* 19. PROPINQUUS OCCISI HOMICIDAM INTERFICIET: & rursum v. 21. STATIM UT INVENERIT, IUGULABIT. Hæc verba ita sonare videntur, quasi liceat propinquo eius qui occisus est, etiam non habita iudicis sententia, homicidam, ubicumque invenerit, occidere. Sed non ita intelligi posse, ex hoc eodem cap. ostenditur: sequitur enim: *Quod si fortuito, & absque odio & inimicitiis quidquam horum fecerit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum, liberabitur innocens de ultoris manu*: & infra etiam clarius: *Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur*. Oportebat ergo causam homicidæ prius examinari in iudicio, auditis testibus; in quo si condemnatus esset tamquam homicida voluntarius, tum demum poterat propinquus occisi homicidam, ubicunque eum invenisset, interficere etiam in urbe refugii. Nam & de homicida voluntario alibi dictum: *De altari meo avelle eum*. Lyranus super Iud. VIII. videtur quoque sentire, quod propinquus occisi teneretur esse executor huius iustitiæ; sed verisimilius est, eum potuisse quidem per se illum occidere, si vellet, sed non debuisse; fuisseque etiam tum ministrum iustitiæ publicæ, qui id tunc faceret.

## MARIANAE.

*Vers.* 4. MILLE PASSUUM SPATIO TENDENTUR, scilicet ager urbis Leviticæ. Hebr. *A muro urbis & extra mille cubiti circum*; hoc est, omni ex parte ager mille cubitorum erit: sic Chald. & Sept. *cubitos* posuerunt, non passus; sed Sept. in Regiis *mille cubitos* ponunt, in Romanis *bis mille*.

*V.* 5. CONTRA ORIENTEM DUO MILLIA ERUNT CUBITI. Hebr. *Angulum*, seu *latus Orientis duo millia in cubito*. Ecce cur Hieronymus superius *passum* posuit, ut singuli duos cubitos continerent, & loci discrepantes conciliarentur. Sed neque passus duos cubitos tantum continet, & præstabat prius dictum de diametro seu radio intelligere, qui ex quavis urbis parte mille cubitorum erat, totus citra & ultra urbem duo millia cubitos continebat; posterius de circumferentia, ut ad quamque cæli plagam costa duo millia cubitos pateat, universa contineret octo millia cubitos: qui numerus cum diametro ex utraque urbis parte duorum millium satis convenit, inclusa ipsa urbis latitudine, qua iuxta rationes Geometricas recte is numerus cubitorum efficiebatur. Certe enim circumferentia diametro triplo maior est in circulo quidem; at in quadrato, quadruplo est maior, ut hic. Ergo ab urbis medio mille radii cubiti inchoent, ut omnia consentiant.

*V.* 16. SI QUIS FERRO PERCUSSERIT. Hebr. *Et si in vase ferri* (pro, instrumento ferreo) *percusserit eum, & mortuus fuerit, occisor ipse; morte morietur occisor*. Sed & mutatis punctis, priori loco exponi potest, *Occisus ipse mortuus fuerit*, quod Hieronymus dixit: *Mortuus fuerit qui percussus est: qui percussit, reus erit homicidii*.

*V.* 29. HAEC SEMPITERNA ERUNT. Hebr. *in statutum iudicii*, id est magnæ deliberationis. Hieronymus sententiam expressit.

*V.* 30. HOMICIDA SUB TESTIBUS PUNIETUR. Sententia exprimitur: alioqui Hebr. *Omnis percussor animæ ad os testium occidet occisorem: & testis unus non respondebit in animam ad mortem*. Ita neque iudicium sine testibus exerceri vult, neque testem unum sufficere.

*V.* 32. EXULES ET PROFUGI. Hic etiam sententia est reddita. Hebr. *Non accipietis pretium ad fugientem* (pro, ab eo qui fugit) *ad civitatem refugii, ut revertatur ad habitandum in terra usque ad mortem sacerdotis*. Itaque לנוס *lanus* hoc loco non est infinitivus, ut significet *ad fugiendum*, sed est participium, aut nomen adiectivum: sic notat quidam Hebræus. Ita pecunia non dabatur ad fugiendum, sed a fugiente, ut ante tempus rediret domum suam.

*V.* 33. Vide quomodo terra polluitur cæso homine, & quomodo expiatur per sanguinem homicidæ.

MALVENDAE.

*Vers.* 4. MILLE PASSUUM SPATIO. Hebr. *mille cubiti in circuitu*, seu *circumquaque*. Quidam cubitos hic accipiunt notæ seu communis mensuræ, ut appellatur Iosue III. vers. 4.

*V.* 5. DUO MILLIA ERUNT CUBITI. Vers. 4. mille tantum cubiti, hic vero duo mille ponuntur. AEgre Explanatores hunc versum cum præcedente conciliant. I. In versu 4. subaudiendam vocem *bis*, nempe *mille bis cubiti*, e versu 5. ut hic sit exegesis præcedentis: ridicule. II. In versu 4. intelligi cubitos geometricos sacros, de quibus I. Reg. VI. vers. 2. & cap. VII. vers. 15. quos aiunt communibus & vulgaribus, de quibus versu 5. duplo fuisse maiores; uti de siclis plurimi censent. Sed observant quidam, sacros cubitos non ad puræ areæ, aut nudi soli mensiones, sed ad structurarum commensus pertinere in sacris Scripturis. III. Mille cubitos versu 4. propinquiores urbi datos tantum rei pecuariæ, in quibus non licebat ædificare domos, plantare vineas, arare, serere, sed solum pecora, & iumenta pascere; alios vero mille remotiores, vers. 5. permissos culturæ. Sed id fundamento carere plerique notant. IV. A pariete urbis extimo ad extremum suburbanum prædium mille tantum cubitos quaqua versum extitisse, versu 4. at circumferentiam totam octo millia cubitos complexam, & singulas quatuor circumferentiæ costas, ad singulas cæli plagas, iuxta rationes geometricas, bis mille cubitos, quod dicitur hoc versu 5. V. Alii bis mille cubitos accipiunt ab una extremitate suburbani prædii ad oppositam ei extremitatem: nempe quod mille cubitorum spatium imperatur a civitatis muro extimo ad prædiorum terminum, ut quamcumque partem inspectes, comperias bis mille cubitos iuxta diametrum esse (omisso tamen in medio, civitatis spatio) ab una suburbii extremitate, puta orientali, ad alteram oppositam occidentalem; & ita de diametro in aquilonem. Opponunt, iuxta hanc interpretationem mediam vers. 5. partem redundare, nempe totum illud de angulis seu plagis, occidentali, & aquilonali. Verum notant, id non perissologiæ, aut battologiæ, sed exegesi populari deputari oportere: qualem exegesim observant etiam Ezechielis XLII. vers. 16. & seqq. & cap. XLVIII. vers. 16. & seqq.

*V.* 8. AB HIS QUI PLUS HABENT, PLURES AUFERUNTUR; ET QUI MINUS, PAUCIORES. Nos Hebræa ex verbo reddidimus (*Et urbes quas dabitis de apprehensione filiorum Israel, de ad multum multiplicabitis, & de ad paucum pauce facietis, vir secundum os hereditatis suæ, quam hereditabunt, dabit de urbibus suis Levitis.*) Alii sic: *Ab eo qui plures habuerit, plures accipietis; & ab eo qui pauciores, pauciores capietis*. Quidam: *A multo multiplicabitis, a pauco diminuetis*. Nonnulli: *Qui multa habent, multa dabunt; ab his autem qui pauca habent, pauca accipietis*. Aliqui: *De eius possessione, qui multus est*, id est qui ampliorem accepit hereditatem, *multiplicatote dare*, id est multas datote; *de eius vero possessione, qui paucus est*, id est qui minorem accepit hereditatem, *minuite dare*, vel *date pauciores*: quod intelligitur e cap. XXXIII. vers. 54. supra.

*V.* 11. DECERNITE QUAE URBES ESSE DEBEANT. Verbum *Karah*, in Pihel, & in Hiphil, ut hic ponitur, notant quando de domo, seu civitate dicitur, & regit post se accusativum, tum significare *contignare*, tignis tecta coniungere, facere ut tigna occurrant, & coaptentur invicem, & coagmententur: nimirum ex voce קורה *koreh*, *tignum*, *trabes*, *tabulatum*, quasi *contignare*, *contrabere*, *contabulare*. Hic varie reddunt. I. *Et contignabitis vobis urbes*. II. *Et constituetis vobis urbes*. III. *Contingere facietis vobis civitates*. IV. *Et facietis occurrere*, id est constituetis, *vobis urbes*; vel *facietis obvenire*, sive *ut obveniant*, *vobis urbes*; id est, sorte constituetis. V. *Postquam sortiti eritis civitates obventuras vobis*. Ego existimo, verbum *karah* in hac significatione dici a קריה, *civitate*; quasi dicas, si ita dici posset, *urbificare*, *civitificare*, hoc est civitatem constituere. Vide Exodi XXI. 13.

*V.* 12. COGNATUS OCCISI. Proprie, *redemptor*, *vindex*, *iure consanguinitatis*, scilicet interfecti: nam ex lege Dei permittebatur consanguineo cædem necessarii persequi, infra vers. 19. & 21.

*V.* 12.

*V.*12. DONEC STET IN CONSPECTU MULTITUDINIS, ET CAUSA ILLIUS IUDICETUR. Hebr. quidam ita reddunt: *Tantisper dum stat coram cœtu in iudicium*, id est coram cœtu suo, ac legitimo, cui defertur huius facti cognitio ex iure, infra vers. 24. Hinc colligunt, nihil opus fuisse ut ii ad civitatem receptus confugerent, qui in civitate hominem occiderant, aut in alio loco, unde commodius poterant se sistere purgandos magistratui suo. Hunc locum non intellexit Maius in Iosue XXIX. vers. 4. nec illum Deuteron. XIX. vers. 12.

*V.* 14. ET TRES IN TERRA CHANAAN, trans, seu ultra Iordanem scilicet, ut docet præcedens membrum antithoton. Et vero dicendo, *In terra Chanaan*, satis indicat trans Iordanem: nam is præfigitur terminus orientalis Chananææ. De his tribus urbibus vide Deuteronom. XIX. vers. 1. & 2.

*V.* 16. SI QUIS FERRO PERCUSSERIT, &c. nimirum ex intentione sciens & prudens, e versu 20. & seqq. Sic duobus versibus sequentibus.

*V.* 17. SI LAPIDEM IECERIT, ET ICTUS OCCUBUERIT. Hebr. *Et si in lapide manus, quo morietur in eo*, id est in lapide, quem manu proiecerit. Alii: *Et si lapide manuario*, vel *manuali*, *quo quis mori potest*. Hispanica translatio: *Y si con piedra de man, o pedrada*. De manuali lapide vide Lipsium Lib. IV. Poliorceticων, Dialogismo III.

*V.*19. HOMICIDAM INTERFICIET. Hebr. *Mori faciet occisorem*. Alii: *Morti tradet occisorem*; id est, licebit ei interficere, & morti tradere occisorem illum.

*V.*21. CUM ESSET INIMICUS. Heb. *in inimicitia*, seu *per inimicitiam*. Quidam exponunt, aperta hostilitate, non infenso tantum animo.

*V.*25. DONEC SACERDOS MAGNUS, QUI OLEO SANCTO UNCTUS EST, MORIATUR. Notant, quia typus legalis erat Christi abluentis sanguine & morte sua immunditias nostras, redimentis morte sua nos a peccatis nostris, & constituentis pacem. Sic vers. 28. & 32.

*V.* 30. HOMICIDA SUB TESTIBUS PUNIETUR. Hebr. verbatim expressimus (*Omnis percutiens animam, ori testium occidet occidentem: & testis unus non respondebit in anima ad mori.*) Alii liberius in hunc modum: *Quicumque percusserit animam, per testes interfici debet homicida talis*. Futurum ירצח iirtzach passive acceperunt, *interficietur*, *occidetur*; sed est activum, *occidet*. Quidam: *Quicumque percussurus est aliquem*, sive iudex, sive vindex, *ex sermone testium occidet occisorem*.

*V.* 33. QUAE INSONTIUM CRUORE MACULATUR; NEC ALITER EXPIARI POTEST, NISI PER EIUS SANGUINEM, QUI ALTERIUS SANGUINEM FUDERIT. Quidam Hebr. reddunt: *Quia sanguis iste contaminaturus esset hanc terram; pro ea autem terra fieri non posset expiatio a sanguine qui effusus esset in ea, nisi per sanguinem effundentis eum*. Exponuntque: Fieri non posset expiatio, scilicet ante mortem sacerdotis maximi: nam Christus (quem sacerdos summus adumbrat) expiavit omnia morte sua, & reconciliavit nos Deo per crucem in sanguine suo. Notantque hanc legem cæremonialem fuisse, & typicam.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. SUPRA IORDANEM, iuxta Iordanem.

*V.* 4. MILLE PASSUUM SPATIO TENDENTUR. Hoc versu dantur Levitis tantum mille *amma*, id est cubiti; sequenti vero dantur bis mille *amma* (utrobique enim in textu Hebræo est ea vox, quæ cubitum significat) idque ad quamlibet mundi plagam. Varii varia, quorum sententias late explicat Cornelius a Lapide hic, & Serar. in cap. XXI. Iosue quæst. VIII. Bonfrerius hic putat textum Hebraicum corruptum esse, & ex nostro emendandum. Deinde docet, passum Græcorum fuisse pedum trium; cubitum vero unius pedis & semis mensuram habuisse. Atque ita sibi noster Interpres cohæret, & consentit: nam mille passus, & duo cubitorum millia idem sunt. Rursus docet, passum geometricum, seu compositum Romanum fuisse quinque pedum; cubitum vero sacrum ex Villalpando esse duorum pedum & semis Romanorum. Itaque bis mille cubiti sacri mille passus geometricos Romanos æquant, nec contraria sibi habet nostræ editionis vulgatus Interpres.

*V.* 6. QUI FUDERIT SANGUINEM: qui

qui aliquem occiderit nolens, ac nescius, ut dicitur num. 11. Iosue XXII.

V. 11. DONEC STET, scilicet homicida.

V. 12. COGNATUS EIUS NON POTERIT EUM OCCIDERE: in lege enim veteri ob populi illius duritiam permissum erat cognatis occidere percussorem propinqui sui, absque alia iudicis condemnatione, quocumque loco eum reperirent, ut patet num. 19. & 27.

V. 14. TRES TRANS IORDANEM. Bosor, Ramoth, & Golan.

V. 15. TAM FILIIS ISRAEL, QUAM ADVENIS ATQUE PEREGRINIS. Proselytis tamen, & ad Iudaismum conversis, aliqui docent etiam Gentiles in gentilissimo permanentes ius asyli habuisse.

V. 17. SI LAPIDEM IECERIT, ET ICTUS OCCUBUERIT, SIMILITER PUNIETUR: si videlicet ictus lapide statim expirarit: si enim ab ictu surrexisset, aut ambulasset, non occidebatur percussor; sed tantum impensas curationis læso solvebat, ut patet Exod. XXI. 19.

V. 19. PROPINQUUS OCCISI HOMICIDAM INTERFICIET. Videtur permissio, non præceptum. Bonfrerius putat, etiam obligatum fuisse occidere, si vel in iudicio homicida nocens fuisset declaratus, vel evidentia facti id constaret: quod colligit ex modo loquendi Scripturæ hoc versu, ac 21. & Deut. XIX. num. 12. & 13.

V. 22. ET HOC AUDIENTE POPULO FUERIT COMPROBATUM. Ad hanc rem comprobandam sufficiebat probari, nullum odium, nullam antea inter eos inimicitiam fuisse notatam: hæc enim iuris præsumptio sufficiebat, ut Deut. IV. 42. & Deut. XIX. 45. & Iosue XX. 5.

V. 25. SACERDOS MAGNUS .... MORIATUR: Id ita statutum, ut significaretur Christi morte perfectam libertatem afferendam: quæ ratio litteralis est.

V. 27. ULTOR SANGUINIS, propinquus cui competit vindicta. ABSQUE NOXA, non solum absque pœna, sed etiam absque culpa.

V. 30. SUB TESTIBUS, pluribus scilicet, non uno tantum.

V. 33. NE POLLUATIS TERRAM, &c. Terræ maculam quamdam aspergit sanguis fusus, quamvis innocentis: ea macula censetur abstergi, cum occiditur ipse homicida. NEC ALITER EXPIARI POTEST, nisi summus Sacerdos forte moriatur: hæc enim sufficiens erat expiatio, ut supra numero 25.

V. 34. EMUNDABITUR: munda conservabitur. ME COMMORANTE VOBISCUM: & ego apud vos ero, vobis favebo, &c.

## TIRINI.

*Vers. 6.* SEX urbes ERUNT IN FUGITIVORUM AUXILIA, cum iure scilicet asyli. Quænam vero sex illæ urbes fuerint, explicatur Iosue XX. nempe tres cis Iordanem, & aliæ tres ultra Iordanem. Hinc patet, non omnes Levitarum urbes, quæ erant 48. *a* habuisse ius asyli, sed solum sex illarum quæ æquali spatio distabant *b* a se mutuo, ne nimis coniunctæ, vel disiunctæ essent, utque omni ex parte commoditas esset ad unam aliquam istarum confugiendi, cum necessitas premeret.

Nota primo, ob nullum crimen seu voluntarium seu involuntarium ius refugii datum fuisse Iudæis, præterquam ob homicidium casu patratum. Puto tamen, id etiam locum habuisse, cum quis studio, sed vim vi repellendo, & cum moderamine inculpatæ tutelæ alterum occidisset; sed id publice necdum liquebat: tum enim necesse erat ad asylum confugere, donec iudicum sententiis de inculpata defensione constaret. Ita Serarius *c*.

Nota secundo, ob Iudæorum duritiem permisisse Deum *d* omnibus occisi cognatis, impune quo ad forum tam externum quam internum, occidere percussorem sui cognati, extra asylum deprehensi, etiam ante omnium iudicis sententiam; post sententiam vero, etiam coactos *e* fuisse occidere, si iudicatum esset, homicidium studio, & iniuste patratum fuisse. Quin etsi iudicatum esset, involuntarium & innoxium fuisse homicidium, si tamen extra locum asyli deprehenderetur homicida; censent aliqui *f* coactum fuisse lege divina cognatum occisi occidere occisorem, eo quod prætergressus legem divinam de remanendo in asylo, iam innocens esse desineret. Crediderim tamen, non fuisse obligatum occi-

occidere, licet posset: quia possunt permissive exponi verba legis, in casu innocentis homicidii. Hoc saltem certum, nullo casu licuisse cognatis prece vel pretio transigere cum homicida, etiam innocente, ut impune ex urbe asyli excedere, & ad propria redire posset; idque ad maiorem homicidii horrorem omnibus incutiendum, cum viderent, nolle Deum ne quidem homicidio involuntario perfectam securitatem præstari, saltem ante mortem summi Pontificis.

Nota tertio, confugientis ad asylum causam ventilari, & iudicari debuisse in porta civitatis, non refugii, ut volunt Masius, Serarius & Arias Montanus in cap. xx. Iosue, sed urbis in qua cædes patrata fuerat, ubi ad manum erant testes, & indicia criminis, vel innocentiæ. Ita Rabbini, Abulensis, Lyranus, & Caietanus. Iudicari, inquam, debebat a iudicibus eius urbis, sed in conspectu multitudinis, seu propalaam & publice: sic enim solebant olim iudicia in portis urbium exerceri. Huc ergo e loco asyli fida septus custodia reus deducebatur : & innocens iudicatus, ad idem asylum eadem securitate reducebatur *b*. Sin noxius indicaretur, tradebatur propinquis occisi, qui statim illum occidere *i*, & latam in eum a iudicibus sententiam exequi cogebantur, neque poterant vitam homicidæ donare.

Nota quarto. Quantumcumque innocens deprehensus ac declaratus, debebat in urbe asyli manere usque ad mortem summi Pontificis, quo sublato, ad propria remeabat*l*. Causas huius rei varias profert Serarius *k*. Vera, & solida, & litteralis est, ut significaretur, nonnisi Christi morte peccatori perfectam libertatem obventuram, reditumque in patriam seu cælum concessum iri: interea in urbe asyli, hoc est in Ecclesia, sacerdotum tutelæ committi debere. Quæ enim figuræ tantum seu signa sunt rei futuræ, vix aliam litteralem causam habent, quam quæ ex analogia & ordine ad rem figuratam desumitur.

Nota quinto, etiam templum, seu locum tabernaculi fuisse pro asylo, sed iis solis qui iam a cæde commissa expiati essent *l*. Sed quemadmodum qui homicidium certo ac scienter patrasset, poterat vi ex urbibus refugii extrahi, vel in eis occidi; ita etiam potuit fieri in templo *m*, & reipsa factum fuit Ioabo III. Reg. II. ob geminum homicidium dedita opera ante admissum.

(*a*) Numer. xxxv. vers. 7.
(*b*) Deut. xix. vers. 3. & 7.
(*c*) Serar. in Iosue xx. quæst. 12.
(*d*) Numer. iii. vers. 19.
(*e*) Vers. 21. & 1. item Deut. xix. vers. 11.
(*f*) Bonfrer. hic.
(*g*) Vers. 31. 32. &c.
(*h*) Num. v. vers. 15.
(*i*) Vers. 19. 21. 31. & Deuter. xix. vers 12.
(*k*) Serar. in Iosue xx. 5.
(*l*) Philo Lib. de Specialibus legibus, & Lib. de Sacerdotum honoribus.
(*m*) Exodi xxi. vers. 14.

## GORDONI.

*Vers.* 2. PEr Levitas intellige hic etiam Sacerdotes. Putat Lyranus, urbes has fuisse Levitarum, solum quoad usum, non quoad dominium: quod non recipitur ab aliis, quia Hieremias erat sacerdos, & tamen scribit ipse cap. xxxii. se emisse, ac possedisse agrum. Et favet Act. cap. iv. Verum quidem est, eos in divisione terræ, quam fecit Iosue, non accepisse regionem aliquam, ut acceperunt alii. Vide cap. xviii.

*V.* 4. & 5. Opponi videntur hi duo versiculi: unus dat mille cubitos, Hebr. אמה *amma*; alter dat bis mille. Ubi primum adverte, nostrum Interpretem, quamvis in utroque versiculo sit אמה, tamen quarto versu posuisse *passum*, in quinto posuisse *cubitum*; verum, cubitum utrobique intellexit: nam per passum intellexit minorem (qualem modeste ambulantes formant) qui est cubito æqualis; non autem maiorem, qui habet quinque pedes. Ceterum de illa apparente discordia in numero horum cubitorum, discrepant Interpretum sententiæ. Non male augurantur qui ex hoc diagrammate subiecto numerum iniecerunt. Centrum in medio est urbs. Extensiones per quatuor medietates diametri (ut vides) undequaque ad peripheriam suburbanorum dant octies mille cubitos: quilibet enim semidiameter concurrit ad duos efficiendos triangulos, ac proinde ex quolibet latere dat mille cubitos extensionis, ut est duorum triangulorum latus, seu linea dividens inter duas partes suburbanorum. Iam quilibet triangulus propter duo latera, dicitur habere bis mille cubitorum extensionem.

*V.* 6. DE IPSIS AUTEM OPPIDIS.

Datæ sunt hæ civitates ad tutelam innocentium, qualis erat ille qui nolens, vel nescius occidit. Immo ex vers. 19. & 27. permissum erat cognato occidere percussorem propinqui sui, ut quædam etiam alia ob cordis duritatem permissa sunt: alii, vocato iudice.

*V.* 11. NOLENTES. Hebr. ignorantes.

*V.* 15. ADVENIS ATQUE PEREGRINIS. Hi sunt proselyti: & quidem advena (Heb. גר *ger*) si a modico tempore advenit ad Iudaismum; peregrinus vero (Hebr. תושב *toschau*) qui iam pridem advenit: hi ergo proselyti gaudebant asylo. Vide Levit. cap. XXII.

*V.* 30. Non vult exerceri iudicium sine testibus, nec sufficere unum testem: PUNIETUR, Hebr. *Occidetur*.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 12. COGNATUS. Satis apparet ex vers. 19. & 27. fuisse in veteri lege permissum cognatis occidere occisorem propinqui, non expectata iudicis sententia. Permissio quidem est, sed præceptum non video.

*V.* 25. MORIATUR. Hic belle præfiguratur, per Christi mortem futurum ut staret perfecta libertas.

*V.* 27. ULTOR .... SANGUINIS. Loquitur de ultore propinquo, cui competit ultio iure propinquitatis.

# CAPUT XXXVI.

*Tribus per connubia ne misceantur, ne possessiones confundantur.*

1. Accesserunt (*a*) autem & principes familiarum Galaad filii
Machir, filii Manasse de stirpe filiorum Ioseph: locutique
sunt Moysi coram principibus Israel, atque dixerunt: 2. Ti-
bi domino nostro præcepit Dominus ut terram sorte di-
videres filiis Israel, & ut filiabus Salphaad fratris nostri da-
res possessionem debitam patri: 3. quas si alterius tribus ho-
mines uxores acceperint, sequetur possessio sua, & translata
ad aliam tribum, de nostra hereditate minuetur: 4. atque ita fiet, ut cum iu-
bilæus, id est quinquagesimus annus remissionis advenerit, confundatur sortium
distributio, & aliorum possessio ad alios transeat. 5. Respondit Moyses filiis Is-
rael, & Domino præcipiente, ait: Recte tribus filiorum Ioseph locuta est, 6. &
hæc lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est: (*b*) Nubant quibus
volunt, tantum ut suæ tribus hominibus: 7. ne commisceatur possessio filiorum
Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatio-
ne sua: 8. & cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient: ut hereditas per-
maneat in familiis, 9. nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant 10. ut a Do-
mino separatæ sunt. Feceruntque filiæ Salphaad ut fuerat imperatum: 11. &
nupserunt, Maala, & Thersa, & Hegla, & Melcha, & Noa, filiis patrui sui
12. de familia Manasse, qui fuit filius Ioseph: & possessio, quæ illis fuerat attri-
buta, mansit in tribu & familia patris earum. 13. Hæc sunt mandata atque iu-
dicia, quæ mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israel, in campestri-
bus Moab supra Iordanem contra Iericho.

(*a*) Sup. XVII. 1. (*b*) Tob. VII. 14.

COM-

# COMMENTARIA

## SA.

*Verſ.* 7. UXores, ſcilicet quæ ſuccedunt in hereditate paterna; quaſi dicat: Tales non ducentur niſi ab iis qui fuerint ex eadem tribu.

*V.* 8. Feminae, ſcilicet ſuccedentes in paterna hereditate.

*V.* 13. Supra, id eſt *prope*, ut vertit Chaldæus.

## ESTII.

*Verſ.* 7. OMnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione sua, et cunctae feminae maritos de eadem tribu accipient. Lex iſta non eodem modo ab Interpretibus exponitur. Alii eam ſic exponunt, ut putent generaliter prohibitum fuiſſe ne quis uxorem ducat de tribu non ſua; ne etiam nubat mulier viro ex aliena tribu. Alii vero intelligunt, legem non ulterius extendendam eſſe quam ad periculum transferendæ hereditatis de una tribu in aliam. Unde dicunt, ſolum pertinere ad eas feminas quæ hereditatem acceperunt patris ſui, propterea quod fratres non haberent: cuiuſmodi fuerunt hæ filiæ Salphaad, quæ, ut ſupra cap. xxvii. dictum eſt, iubebantur ſuccedere in poſſeſſionem debitam patri.

Hæc ſententia confirmatur primo ex occaſione legis, quia de talibus feminis, & non de aliis quæſtio proponebatur; ſecundo ex ratione legis quæ ſubiicitur, *Ut hereditas permaneat in familiis*; tertio, exemplis ſanctorum virorum in contrarium. Primo enim legitur David uxorem accepiſſe Michol filiam Saul, cum David eſſet ex tribu Iuda, Saul autem, & filia eius Michol ex tribu Beniamin. Secundo legimus Iojadan ſummum Pontificem in uxorem accepiſſe Ioſabeth ſororem Ochoziæ Regis Iuda, II. Paral. xxii. Quin & Eliſabeth uxor Zachariæ ſacerdotis fuit, & nihilominus ab Angelo vocatur cognata beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ ſine dubio fuit ex progenie David, & de de tribu Iuda. Denique I. Regum xvii. Saul promittit, filiam ſuam ſe daturum illi qui percuſſiſſet Philiſtæum, nullam tribum excipiens. Qui prohibitionem generalem intelligunt, reſpondent ad iam dicta exempla, in hac lege diſpenſatum fuiſſe in tribu Levi, & Iuda, tum propter nobilitatem utriuſque (altera enim erat ſacerdotalis, altera regia) tum ut hac ratione pax, & religio vera magis foverentur; ſed non oſtendunt ubi ſit diſpenſatum; tum etiam non video quomodo excuſent coniugium David cum Michol, tum & generalia verba illa Saul I. Reg. xvii.



## MARIANAE.

*Verſ.* 4. ATque ita fiet, ut cum iubilaeus. Tribus Manaſſe cavet ne per filias Salphaad hereditas tranſeat ad aliam tribum, ſi nupſerint alienis. Hebr. *Et ſi fuerit iubileus*; hoc eſt, etiamſi fuerit iubilæus, quo tempore alii reſtituuntur in hereditates paternas, nos eo beneficio non fruemur, ſi filiæ illæ nupſerint ex alia tribu. Id est quinquagesimus annus remissionis. Hæc explicatio addita eſt a Hieronymo.

*V.* 6. Tantum ut suae tribus hominibus. Hebr. *verumtamen ad familiam tribus patris ipſarum*. Itaque non intra tribum ſuam, ſed etiam cognationem iuſſæ ſunt eligere viros. Et credo propinquiores, ut vidua viro ſine liberis defuncto.

*V.* 8. Et cunctae feminae de eadem tribu maritos accipient. Hebr. *Omnis filia hereditans poſſeſſionem ex tribu filiorum Iſrael, uni ex familia tribus patris ſui erit in uxorem*. Ergo vides, non cunctis feminis imponi hanc legem, ſed iis tantum quæ ob defectum prolis maſculæ ſuccedebant patri in hereditate. Sicque intelligatur quod proximis verbis viris datum eſt præceptum, ut uxores accipiant de tribu ſua, nempe quando illæ ſunt heredes. Alioqui ſatis conſtat, per coniugia miſceri tribus conſueviſſe.

*V.* 11. Non eodem ordine filiæ Salphaad hic numerantur, & cap. xxvii.

Ibi secundum ætatem numerari videntur, hic iuxta coniugiorum tempus. FILIIS PATRUI SUI. Hebr. *filiis patruorum suorum*, nempe patruelibus suis: ἀνεψιοῖς dixere Sept. quæ vox tum *patrueles* significat, tum *consobrinos*. Ex hoc loco colligitur, B. Virginem parentum heredem fuisse, & fortasse unicam, & Ioseph eius propinquum maxime fuisse: sic per Ioseph recte Christi progenies deducitur, ut D. Matthæus fecit: quippe Virginis, & Iosephi progenitores iidem.

## MALVENDAE,

*Verf.* 1. PRINCIPES FAMILIARUM GALAAD FILII MACHIR, &c. Aliqui putant, hic in Hebræo, & in Nostro traiectionem esse, quam indicat versus 5. nam reliquæ familiæ filiorum Iosephi se adiunxerunt familiæ Ghilhadis, ut ei apud Mosen, & principes Israelis patrocinarentur. Unde versum hunc ita reddunt: *Tunc accedentes primores patrum ex familiis filiorum Iosephi, cum familia filiorum Ghilhadis, filii Maciris, filii Menaschis, locuti sunt coram Moseh, & coram principibus primoribus patrum inter filios Israelis*,

*V.* 2. PRAECEPIT DOMINUS: supra cap. XXVI. verf. 52. & seqq. DARES POSSESSIONEM: supra cap. XXVII.

*V.* 3. QUAS SI ALTERIUS TRIBUS HOMINES, &c. Hunc versum ex verbo ex Hebræo convertimus (*Et erunt uni de filiis baculorum filiorum Israel mulieribus: & diminuetur hereditas earum de hereditate patrum nostrorum, & addetur super hereditatem baculi, quibus erunt eis: & de sorte hereditatis nostræ diminuetur.*) Alii dilucidius sic reddunt: *Si nubent alicui e tribulibus aliis filiorum Israelis, tum detrahetur possessio earum de possessione paterna nostra, & adiicietur ad possessionem tribus eorum, quibus nupserint: utique de sorte possessionis nostræ detrahetur.*

*V.* 4. UT CUM IUBILAEUS .... ADVENERIT: quo alioquin possessiones distractæ & alienatæ, ad priores dominos ex lege redeunt, Levitici XXV. istarum possessio non esset reditura, sed mansura perpetuo in alia tribu iure coniugii,

*V.* 6. TANTUM UT SUAE TRIBUS HOMINIBUS. Hebr. *dummodo familiæ tribus sui sint in uxores*. Quia hereditatem patrum suorum obtinuerant, iubentur nedum tribulibus suis, sed insuper ex eadem familia & cognatione paterna nubere. Vide infra verf. 8. Non eadem est ratio de aliis filiabus, quæ in hereditatem paternam non succedebant.

*V.* 7. OMNES ENIM VIRI DUCENT UXORES DE TRIBU ET COGNATIONE SUA. Plerique Nostrum suggillant, quod sua interpretatione legem invexerit, & contextui Hebraico, & iuri, & mori recepto adversantem. nec enim prohibiti umquam sunt Israelitæ uxores ex aliis tribubus quam sua ducere: & plane duxisse, variis in Scriptura exemplis constat. Unde Hebræa sic reddunt: *Quisque enim hereditati tribus patrum suorum adhærebunt filii Israel*. Volunt hic reddi causam antecedentis membri: *Et non avertetur hereditas filiorum Israel de tribu in tribum: quisque enim hereditati tribus patrum suorum adhærebunt filii Israel*; id est, manebunt in possessione sua. Nihil hic de coniugiis dici. Sed sapientissime Noster verbum דבק *dabak*, de coniugii, nedum hereditatis adhæsione accepit: nam esse interdum proprie coniugale, seu connubiale, ut Genes. II. verf. 24. Genes. XXXIV. verf. 3. non est dubium. Vide ibidem Notas. Quin Tremellius, & Iunius eamdem Nostri hic interpretationem probant, cum hunc versum ita convertunt: *Nam non avertetur possessio in filiis Israelis a tribu in tribum: cum filii Israelis adhærebunt quisque possessioni tribus paternæ suæ. Illud adhærebunt exponunt, iunctis inter se connubiis: nam verbum hoc proprie coniugio tribuitur, ut Genes. II. verf.* 24. Ergo in Nostro illud *Ducent uxores*, sic capiendum: quæ nimirum succedunt in paterna hereditate, e versu 6. & 8. Et sic omnia conveniunt.

*V.* 11. FILIIS PATRUI SUI. Hebr. *patruorum suorum*. Quidam hic filios, posteros intelligunt: nihil enim contra ius & honestatem præcipit Deus, aut Moses fieri passus est: & hanc vocem *filiorum* late accipi est notissimum, ut sequens versus innuit. Sed nulla lege divina, aut naturali connubia inter patrueles aut consobrinos reperiuntur interdicta. Nec ex se iuri aut honestati repugnant, ut Iacob cum Lia, & Rachel.

*V.* 13. SUPRA IORDANEM CONTRA, seu exadverso, IERICHO. Hebr.

*supra*

*supra Iarden Iericho*. Vide hanc clausulam expositam in cap. XXII. vers. 1. & cap. XXVI. vers. 63.

Valentiæ 13. Iulii 1622. ætatis vero meæ LVII. cum tamen opus spatio unius mensis intermissum fuerit, ob iter Madritianum.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. PRINCIPES FAMILIARUM GALAAD: non qui iam acceperant possessionem in terra Galaad, & eam iam incolere cœperant, sed qui trans Iordanem accepturi erant: nam & hi Galaaditæ erant, a progenitore Galaad; & inter hos filios Salphaad hereditatem accepisse, patet ex Iosue cap. XVII. 3.

*V.* 2. ET UT FILIABUS SALPHAAD, &c. Vide supra cap. XXVII.

*V.* 3. TRANSLATA AD ALIAM TRIBUM, eam scilicet de qua fuisset maritus filiarum Salphaad: nam filii ex eo matrimonio nati, de tribu fuissent patris sui.

*V.* 7. OMNES ENIM VIRI DUCENT UXORES DE TRIBU ET COGNATIONE SUA. Loquitur in casu Mosi proposito, cum scilicet agitur de marito dando mulieri, quæ sit paternorum bonorum heres: hæc enim tantum intra tribum suam nubere poterat. Patet ex Hebræo, in quo num. 8. ita habetur: *Omnis filia hereditans hereditatem, &c. uni de familia tribus patris sui erit in uxorem, ut accipiant hereditatem filii Israel, unusquisque hereditatem patrum suorum.*

## TIRINI.

*Vers.* 7. OMNES ENIM VIRI DUCENT UXORES DE TRIBU ET COGNATIONE SUA. Non omnes absolute: neque enim tale hic omnibus præceptum datur, licet id censeant Abulensis, & Liranus. Nam constat permissu divino, & variis sanctorum virorum exemplis licuisse Iudæis, & ex aliena tribu, & ex aliena gente uxores ducere. Ita permittitur expresse Deuter. XXI. vers. 12. Et David uxorem accepit filiam Saul e tribu Beniamin; Ioiada sanctus Pontifex filiam regis Ioram de tribu Iuda; Salmon Rahab Chanaanitidem; Booz Ruth Moabitidem; David Maacham filiam regis Gessur; Salomon filiam Pharaonis; & alii alias. Ergo præceptum quod hic datur, particulare est, & eos solos concernit de quibus quæstio mota fuerat, puta ratione quorum hereditas devolvenda esset ad alienam tribum, vel saltem ad alienam familiam: nam & hoc caveri voluit Deus. Quare reciprocam hic imponit eo casu obligationem: sicut enim puellæ ad quam devolvebatur hereditas, iubet suæ tribus, & familiæ maritum accipere; ita iubet quoque viro qui tali puellæ erat cognatione proximus, eamdem in uxorem una cum hereditate accipere, nisi forte iure suo cedere vellet, & alteri eiusdem familiæ illam ambienti transcribere, ut factum vidimus Ruth cap. IV. Constant hæc non modo exemplis iam allatis, sed etiam ex textu huius loci Hebræo, Chaldæo, & Græco, ubi id diserte affirmatur, & insuper ex scopo & fine legis, qui (ut subditur) erat, *ut hereditas* quæque *permaneat in* sua *familia*. Ergo ubi periculum non erat transferendæ alio hereditatis, locum ea lex non habebat. Ita Burgensis, Oleaster, Vatablus, & Masius. Hinc patet, quomodo Elisabeth Lucæ 1. licet esset de tribu *a* Iuda, maritum habere potuerit Zachariam sacerdotem de tribu Levi.

Nota, occasione legis iam dictæ, puellas Hebræas, quandocumque vel ob morbum, vel ob imbecillitatem fratrum, aliorumve propinquorum, spem habebant futuræ successionis, ne hereditate frustrarentur, vel illi renuntiasse censerentur, solitas suæ tribus, & familiæ viris nubere: nam quo casu nupsissent alienis, etsi postea, sublatis fratribus, & propinquis, forte devolveretur ad ipsas hereditas, non succedebant tamen in hereditate, quia matrimonio suo cum extraneis censebantur iuri suo successionis renuntiasse: & tunc hereditas illa ad alios propinquos, eiusdem tribus & familiæ transibat, perinde ac si nullæ tales puellæ superfuissent.

(*a*) Chronic. cap. XLVI. in fine.

## GORDONI.

*Vers.* 7. QUærunt Interpretes, an hæc lex sit feminis omnibus communis: sed clarum satis est ex verbis le-

 gis,

gis, non extendi illam nisi ad eas feminas quæ succedunt in hereditatem patris, nempe ob defectum masculæ prolis: ac proinde versiculus octavus debet ad hunc sensum intelligi ex vers. 5. & 6. & quæstione proposita. Ceterum per verba illa, OMNES ENIM VIRI DUCENT UXORES DE TRIBU SUA, intellige qui accipiunt uxorem patris heredem: quem sensum clare explicant LXX. Interpretes. Et alioqui, quid fieri debeat, exemplis notum est. Nam David ex tribu Iuda duxit Michol filiam Saul ex tribu Beniamin; & Booz duxit Ruth Moabitidem, Ruth I. vers. 4. Immo ducere poterant Hebræi alienigenas quasvis, præter Chananitidas bello captas, Deut. cap. XXI. vers. II. Simili modo intelligunt aliqui, matrem Elisabeth fuisse de tribu Iuda, & patrem Elisabeth de tribu Levi. Sic ergo B. Virgo existens de tribu Iuda, cognatam habere potuit Elisabeth, quæ erat de tribu Levi.



# LIBER DEUTERONOMII, HEBRAICE ELLE HADDEBARIM.

*IN hoc Libro Moses historiæ tribus superioribus libris comprehensæ, nempe Exodi, Levitici, & Numerorum summam facit: Leges quoque latas a Deo exponit, & novas addit: unde &* Deuteronomium, *quasi* Lex secunda, *appellatur. Hieronymus in epistola ad Paulinum*: Deuteronomium quoque secunda Lex, & Evangelicæ Legis præfiguratio, nonne sic ea habet quæ priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus? *Eadem quidem est Lex, quæ in monte Sinai data est post exitum ex AEgypto; sed cum iidem se indignos præbuissent qui terram a Deo promissam possiderent, horum filiis Moses paulo ante obitum suum renovato fœdere Legem Dei exposuit.*

*Mosem ipsum esse huius Libri Auctorem, tot argumentis probatum fuit in Præfatione, ut in dubium id revocari non possit, cum in limine huius Libri, & in fine id ipsum testetur; ac Liber Legis per antonomasiam passim in Scripturis appelletur, ut cap.* VIII. *Lib.* II. *Esdræ, & Lib.* I. *cap.* V. *Cum Zorobabel populum reduxisset, cuncta iuxta Legis Mosis hominis Dei præscriptum facta fuisse, altare erectum, iuge sacrificium oblatum, & festa solemnia celebrata: adeo ut ante Esdræ adventum Lex Mosis cognita esset, non ab Esdra inventa, non mutata, in iis maxime quæ alicuius sunt momenti. Unde & Esdræ stylus a stylo Deuteronomii, & librorum Mosis, omnino diversus est; facta pene omnia, prodigia, cultus divinus, Leges in Prophetis sunt cognita, quæ corrumpere, aut mutare non ausus esset Esdras, nec potuisset, etiamsi voluisset.*

# CAPUT PRIMUM.

*Brevis epilogus eorum quæ Israeli in deserto contigerant, pœnaque infideli populo inflicta.*

1. HAEc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Iordanem in solitudine campestri, contra Mare rubrum, inter Pharan & Tophel & Laban & Haseroth, ubi auri est plurimum: 2. undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne. 3. Quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis, locutus est Moyses ad filios Israel omnia quæ præceperat illi Dominus ut diceret eis: 4. (*a*) postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, * qui habitabat in Hesebon: & Og regem Basan, qui mansit in Astaroth, & in Edrai, 5. trans Iordanem in terra Moab. Cœpitque Moyses explanare legem, & dicere: 6. Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis quod in hoc monte mansistis: 7. revertimini, & venite ad montem Amorrhæorum, & & ad cetera quæ ei proxima sunt campestria atque montana & humiliora loca contra meridiem, & iuxta littus maris, terram Chananæorum, & Libani usque ad flumen magnum Euphraten. 8. En, inquit, tradidi vobis: ingredimini & possidete eam, super qua iuravit Dominus patribus vestris, Abraham, Isaac, & Iacob, ut daret illam eis, & semini eorum post eos. 9. Dixique vobis illo in tempore: 10. (*b*) Non possum solus sustinere vos: quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli, plurimi. (11. Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, & benedicat vobis sicut locutus est.) 12. Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac iurgia. 13. Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. 14. Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere. 15. Tulique de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula. 16. Præcepique eis, dicens: Audite illos, & (*c*) quod iustum est iudicate: sive civis sit ille, sive peregrinus. 17. (*d*) Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum; nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam. 18. Præcepique omnia quæ facere deberetis. 19. Profecti autem de Horeb, transivimus * per eremum terribilem & maximam, quam vidistis, per viam montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cumque venissemus in Cadesbarne, 20. dixi vobis: Venistis ad montem Amorrhæi, * quem Dominus Deus noster daturus est nobis. 21. Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi: ascende & posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis: noli timere, nec quidquam paveas. 22. (*e*) Et accessistis ad me, omnes atque dixistis: Mittamus viros qui considerent terram: & renuntient per quod iter debeamus ascendere, & ad quas pergere civitates. 23. Cumque mihi sermo placuit.

cuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis. 24. Qui cum perrexissent, & ascendissent in montana, venerunt usque ad Vallem botri: & considerata terra, 25. sumentes de fructibus eius, ut ostenderent ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. 26. Et noluistis ascendere, sed increduli * ad sermonem Domini Dei nostri 27. murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos de terra AEgypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. 28. Quo ascendemus? nuntii terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est, & nobis statura procerior: urbes magnæ, * & ad cælum usque munitæ, filios Enacim vidimus ibi. 29. Et dixi vobis: Nolite metuere, nec timeatis eos: 30. Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in AEgypto cunctis videntibus. 31. * Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. 32. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro, 33. (f) qui præcessit vos in via, & metatus est locum in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis. 34. Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus iuravit, & ait: 35. (g) Non videbit quispiam de hominibus generationis huius pessimæ terram bonam, quam sub iuramento pollicitus sum patribus vestris: 36. præter Caleb filium Iephone; ipse enim videbit eam, & ipsi dabo terram quam calcavit, & filiis eius, quia secutus est Dominum. 37. Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc: 38. sed Iosue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te, hunc exhortare & robora, & ipse sorte terram dividet Israeli. 39. Parvuli vestri, de quibus dixistis quod captivi ducerentur, & filii qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur: & ipsis dabo terram, & possidebunt eam. 40. Vos autem revertimini, & abite in solitudinem per viam Maris rubri. 41. (h) Et respondistis mihi: Peccavimus Domino: ascendemus, & pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in montem, 42. ait mihi Dominus: Dic ad eos: (i) Nolite ascendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum: ne cadatis coram inimicis vestris. 43. Locutus sum, & non audistis: sed adversantes imperio Domini, & tumentes superbia, ascendistis in montem. 44. Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obviam veniens, persecutus est vos, sicut solent apes persequi: & cecidit de Seir usque Horma. 45. Cumque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. 46. Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore.

(a) Num. xxi. 24. (b) Exod. xviii. 18. (c) Ioan. vii. 24. (d) Inf. xvi. 19. Levit. xix. 15. Prov. xxiv. 23. Eccli. xlii. 1. Iacobi ii. 1. (e) Num. xiii. 4. (f) Exod. xiii. 21. Num. xiv. 14. (g) Num. xiv. 23. Psal. xciv. 11. (h) Num. xiv. 40. (i) Num. xiv. 42.

BRU-

## BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Qui habitabat in Hesebon*. Quidam codices omittunt pericopem hanc, sed immerito.

V. 19. *Per eremum terribilem & maximam*. Sequitur *solitudinem* in aliis libris, sed quod merito iudicatum est superfluere.

V. 20. *Quem Dominus Deus noster daturus est nobis*. Primæ personæ pronomina non sunt mutanda cum secundæ.

V. 26. *Ad sermonem Domini Dei nostri*. Idem hic esto iudicium.

V. 28. *Et ad cælum usque munitæ*. Hæc videtur Latini Interpretis esse scriptura, *munitæ*, pro qua alii *mutatæ*.

V. 31. *Et in solitudine ( ipse vidisti ) portavit te Dominus*. Hæc est genuina loci interpunctio, qua periodus hæc incipit ab his verbis, *Et in solitudine*, relatis ad sequentia, parenthesi interclusis his, *Ipse vidisti*: quæ qui pluraliter legunt, *Ipsi vidistis*, minus sinceram sequuntur lectionem.

## COMMENTARIA

### S A.

*Vers.* 1. TRANS, scilicet respectu Palæstinæ. CONTRA, id est e regione. UBI AURI EST PLURIMUM. Hebr. *& dizahab*. LXX. *& auri fodinas*. Chald. ubi dixit, correptos Iudæos trans Iordanem de peccatis commissis in deserto, & in campestribus, & in Pharan, & in Hasaroth, addit hic, *Et de eo quod fecerunt vitulum aureum*.

*V.* 2. UNDECIM DIEBUS, scilicet itur. Chald. & LXX. *Iter est undecim dierum*: quod forte additum a Moyse, quia sequenti cap. docturus erat, viam deinde breviorem vix potuisse ab illis 38. annis confici: tanti refert Deum fautorem habeas, an ultorem.

*V.* 7. REVERTIMINI. Hebr. *Vertite vos*. MARIS, scilicet magni.

*V.* 15. NOBILES. Hebr. *notos*, id est spectatæ probitatis. QUI DOCERENT VOS SINGULA. Hebr. *præfectos tribubus vestris*, seu *in tribubus vestris*, ut vertit Chald.

*V.* 17. ACCIPIETIS. Hebr. & Chald. *Timebitis*. DEI IUDICIUM: scilicet sustinet iudex personam Dei.

*V.* 28. ENACIM, id est gigantum; quasi dicat, Gigantes. Sic Homerus *filios Achivorum*, pro Achivos; & Scriptura, *filium hominis*, pro hominem. Anac nomen proprium gigantis.

*V.* 33. METATUS EST, id est designavit, exploravit.

*V.* 38. ROBORA; id est, iube esse bono animo.

*V.* 45. AUDIVIT, scilicet volentes ingredi terram promissam.

### E S T I I.

*Vers.* 1. HAEC SUNT VERBA, QUAE LOCUTUS EST MOYSES AD OMNEM ISRAEL. Quidam per omnem Israel totum populum intelligunt, ut ideo omnes convocati fuerint, ut a Moyse repetita confirmarentur. Sed non est verisimile, totum populum, in quo, præter imbellem ætatem, & sexum, erant sexcenta millia virorum, potuisse unius hominis vocem audire, & intelligere. Proinde dicendum, sermonem Moysi habitum fuisse tantum ad Principes populi, qui quia reliquum populum repræsentant, recte ad omnem Israel dicitur verba fecisse. Simili ergo modo recte quoque licebit dicere, totam Ecclesiam in conciliis universalibus præsentem esse, quia Episcopi præsentes sunt, qui reliquam multitudinem repræsentant.

*V.* 5. COEPITQUE MOYSES EXPLANARE LEGEM. Nota. Moyses proprie non tulit legem veterem, sed velut internuntius Dei ad populum, eam a Deo accepit, & populo attulit, proposuit, explanavit. Ita cap. IV. huius Libri: *Ista est lex quam proposuit Moyses coram filiis Israel*. Unde nec proprie Moyses fuit legislator, sed tantum divinæ legis prolator ad populum

lum Dei. Dicitur quidem aliquoties Moyses hæc, & illa præcepisse; immo infra cap. xxx. *Legem præcepit nobis Moyses*: & Iosue I. *Facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses*: & Marci x. Christus sic loquitur: *Quid vobis præcepit Moyses?* Et passim vocatur lex Moysi, sed sensu iam dicto: quia Moyses legem a Deo acceptam attulit ad populum, habens mandatum ut eam populo proponeret, explanaret, & transgressores auctoritate sua ex eius præscripto puniret.

*V.* 17. ITA PARVUM AUDIETIS UT MAGNUM; NEC ACCIPIETIS CUIUSQUAM PERSONAM, QUIA DEI IUDICIUM EST. Vox Moysis ad iudices est; quasi dicat: Estis iudices vice Dei; hoc est, ut Iosaphat postea suos iudices admonebat, II. Paralip. xix. *Non hominis exercetis iudicium, sed Domini*. Sicut ergo Deus personam cuiusquam non accipit, ita nec vos accipere debetis. Accipere autem personam in iudicio, est iudicando considerare qualitatem seu conditionem personæ, quæ ad causam pertineat, ea in iudicio omnino considerari potest, & debet. Verbi gratia, si quis magistratum verberaverit, & ob eam rem graviori pœna dignus iudicetur quam si verberasset aliquem ex plebe, non est acceptio personæ: quia qualitas illa personæ attenditur, quam attendere oportebat. Sed si quis hominem divitem, aut etiam in magistratu constitutum, de iniuria pauperi irrogata accusatum, & convictum, absolvat, propterea quia dives est, aut potens; talis iudex incidit in acceptionem personarum, quam Scriptura toties damnat. Vide etiam II. Paralip. xix.

*V.* 37. CUM MIHI QUOQUE IRATUS DOMINUS PROPTER VOS, DIXERIT. Illud, *Propter vos*, connectendum est ex præcedentibus, ut patet ex cap. III. ubi hoc repetitur. Dicitur autem Dominus fuisse Moysi iratus propter populum, quia Moyses occasionem peccandi habuit ex incredulitate, & duritia populi, propter quam dubitaverat, an Deus facturus esset quod promisisset.

## MARIANAE.

*Vers.* I. HAEC SUNT VERBA. Repetit in summa, quibus locis Moyses locutus est, quæ superioribus libris continentur, locorum ordine non servato. Ita hi duo primi versus quasi epilogus sunt superiorum. TRANS IORDANEM. Hebr. *in transitu Iordanis*, ad vada Iordanis, qui locus & *trans Iordanem est Ierosolymæ*, ut vertunt Sept. Chald. & Pagn. & *cis Iordanem deserto*, unde Hebræi veniebant, ut quidam vertunt. CONTRA MARE RUBRUM. Hebr. *contra Suph*, quod & Mare rubrum esse potest: nam Hebraice *Suph* vocatur, & loci nomen, ut alii putant. UBI AURI EST PLURIMUM. Quidam *Dizahab* ponunt quasi nomen loci, sic dicti ab auri copia, quod Sept. indicant, cum vertunt, *&* *auri fodinas*, pro *dizahab*.

*V.* 2. HOREB. Mons Sinai est, aut illi coniunctus, unde ad Cadesbarne ait esse viam undecim dierum.

*V.* 3. UNDECIMO MENSE. Hic est Sceveth, si a mense Nisan annus inchoetur; si a Thisri, erit Ab, nostro Augusto fere respondens.

*V.* 5. COEPITQUE MOYSES. Hebr. הואיל *hoil*. *Voluit Moses explanare legem*: sic plerique Hebræi vertunt. Sept. & Chald. *Cœpit*.

*V.* 6. SUFFICIT VOBIS QUOD IN HOC MONTE MANSISTIS. *Quod*, non est adverbium, sed nomen; quasi dicat: Satis multo tempore hic mansistis, discedite.

*V.* 7. LITTUS MARIS. חוף *hoph*, quidam vertunt *portum*, maris certe Mediterranei, quo pertingebat Chanaan terra.

*V.* 13. QUORUM CONVERSATIO SIT PROBATA. Hebr. *Noti in tribubus*: eadem sententia. Sic vers. 15. pro eadem voce Hieronymus vertit *nobiles*. Chald. & Sept. *Intelligentes in tribubus vestris, date illos*.

*V.* 15. QUI DOCERENT VOS SINGULA. Hebr. *Præfecti tribubus vestris*.

*V.* 17. NEC ACCIPIETIS CUIUSQUAM PERSONAM. Hebr. *Non timebitis a facie viri*; id est, ne metu potentum pervertatis iudicium vos, quos iudices constituo.

*V.* 26. SED INCREDULI AD SERMONEM DOMINI DEI NOSTRI. Heb. *Et rebellastis ad sermonem*, seu *ad os Domini Dei vestri*.

*V.* 28. FILIOS ENACIM VIDIMUS IBI. Hi erant de stirpe gigantum: sic Chal-

Chaldæus, & Sept. *filios gigantum* dixere.

*V.* 38. Et ipse sorte terram dividet Israeli. Hebr. *Ipse hereditare faciet eam Israeli.*

*V.* 41. Cumque.... pergeretis in montem. Hebr. *Contenderetis ascendere in montem, satageretis.* תהינו *thabinu* a *hin*, quod est *ecce*; quasi dicat: Præsto essetis ascendere.

## MALVENDAE. *

*Vers.* 1. Contra Mare rubrum. Hebr. *e regione Suph*. Plerique hic cum Nostro *Suph* mare ipsum rubrum, seu sinum Arabicum accipiunt, qui Hebræis mare *Suph* dicitur. Vide Exodi x. vers. 19. At mirum, quem locum hic habeat rubrum Mare, quod a planitie & campis prope Iordanem multorum dierum itinere distabat! unde reddunt: *Ve[illegible] a fronte Suph*; id est, erat oppositus locus recta ad mare rubrum, quamquam inde multum abesset: מול *mul* enim particula respectum importat; sed hæreo, an tantam distantiam denotare queat. Proinde alii סוף *Suph*, hic non Mare rubrum, sed terram, seu regionem algosam, & caricibus seu iuncetis abundantem intelligunt, quæ ad lacum Asphaltitem erat; quasi dicas, Iuncariam: vide Numeror. xxi. vers. 14. unde hic reddunt: *In deserto in campestribus, que sunt e regione Suph*, seu *Iuncariæ*. Inter Pharan. De Pharan diximus Genes. xiv. vers. 6. Et Thophel. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Thaphol locus in deserto trans Iordanem, in quo Deuteronomium scripsit Moses, contra Iericho*, Quidam volunt esse Pellam Cœles-Syriæ urbem, aquis divitem, de qua Plinius Lib. V. cap. xviii. Ptolemæus Lib. V. cap. xv. cuius & Polybius Lib. V. & Iosephus, & ecclesiastici scriptores frequenter meminere. Haud procul a Gerasa, & Scythopoli sitam, Iosephus Lib. I. Belli cap. iv. & v. Hebraicum nomen caducam, & insulsam denotat, quod forsitan cæmento incondito & caduco condita esset. Et Laban. De hac Eusebius, & S. Hieronymus nihil aliud quam: *Locus solitudinis trans Iordanem, in quo Moses Deuteronomium legit*. Nonnulli *Laban*, voce consentiente, *Libiadem*, seu *Liviadem*, esse volunt, de qua diximus in Numer. xxiii. vers. 28. Et Haseroth. Hebr. *Chatzeroth*: quidam *Gazorum* Ptolemæi Lib. V. cap. xvi. esse existimant. Vide Notas in Numer. xi. vers. 35. Ubi auri est plurimum. Hebr. די זהב *Dizahab*, quæ vox sonat *sufficientiam, abundantiam auri*, quod ibi fortasse aurifodinæ essent, uti LXX. intellexerunt, qui habent *Catachrysea*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Catachrysea*, id est *aurea. Sunt autem montes auri fertiles in deserto, procul undecim millibus a Choreb, iuxta quos Moyses Deuteronomium scripsisse perhibetur: sed & metalli æris, quod nostro tempore corruit, montesque venarum auri plenos olim fuisse vicinos existimant*. Plerique tamen nomen proprium loci malunt. Quidam annotant, Dizahab esse tractum inferiorem ad Arabiam Petræam pertinentem, ubi oppidum fuit Mezahab, sive Medava Geographis: eumque esse putant, qui Genes. xxxvi. vers. 39. dicitur *Mezahab*: illud enim filia Mezahab, pro nomine oppidi capiunt, quasi dicas *Mezahabensis*, ut ibi uxor Hadar appelletur Mehethabel de oppido Mezahab, id est Mezahabensis: nomen autem oppidi, seu urbis Hebraice esse Mezahab, Syriace Medehab, id est aquæ aureæ: quam Ptolemæus Medabam vocat. De Medaba vide quæ notavimus Numer. xxi. vers. 30. Quidam annotant, in hac descriptione Mosis duos summos ac præcipuos terminos præfigi Campestrium Moab prope Iordanem, in quibus Israelitæ castra fecerunt: prior est meridiem versus, desertum Pharaonis; posterior aquilonem versus, est Cœles-Syriæ terminus, ubi oppidum Pella situm, quod hic Thophel dicitur. Sequentia vero loca minutam circumscriptionem campestrium Moab complectuntur, quasi reflexo ordine a septemtrione ad meridiem revertaris per Liviadem, Gazorum, & Dizahabam, seu Medabam. Sic campestria Moab ab Occidente Iordanem habentia, tribus terminis reliquis definita sunt; a septemtrione, Thophelo, id est, Pella, & Libiada: ab oriente Chatzerotis, id est Gazoro, & Dizahabato, id est Medaba; & a meridie, deserto Pharaonis.

*V.* 2. Undecim diebus de Horeb, &c. Aliqui hunc versum ex Hebræo clarius ita exprimunt: *Distantia undecim*

*decim dierum a Chorebo*, *facto itinere per montana Sebiris*, *ad Kadeschum Barneæ usque*. Notantque hunc versum ad interpretationem huius capitis & sequentium commode præmissum esse, ut gravitas iudiciorum Dei, minarumque veritas ostendatur. Breve quidem est iter, inquit Moses, a monte Choreb ad hæc usque Moabitarum campestria, etiamsi per circuitum montium Idumææ circumducatis Kadeschum usque: in quem locum si quis venerit, cum a Chorebo ad campestria hæc profecturus est, anfractuosum iter insistit, ac non contendit recta: hac non iter amplius dierum undecim. Verumtamen Israelitæ hoc ipsum tam breve iter, propter gravitatem peccati non potuerunt ante trigesimum octavum annum absolvere, infra cap. II. vers. 15. Qui hanc interpretationem reiiciunt, satis produnt se nullum in Scripturis gustum habere. Fortasse hunc versum adiecit Moses, ut annueret, sicut in Chorebo seu Sinai facta fuit prior legis promulgatio; ita in Campestribus Moab, undecim tantum dierum itinere (etiamsi per circuitum montium Idumææ circumducas, ut fecerunt Israelitæ Numer. XX. 20. cap. XXI. 4. & infra cap. II. I.) a Chorebo distantibus, facta fuit secunda legis promulgatio, nempe Deuteronomium. MONTIS SEIR. Notant, nomen montis hic & similibus locis, in quibus terras & populos significat, pro montanis accipi debere, seu potius pro tota terra seu regione montana, in qua varii montes sunt. Hinc sæpe legemus, *In monte Ephraim*, *in monte Iuda*. Sic vers. 7. *mons Amorrhæorum*, & hic *mons Seir*, de quo vide Genes. XIV. 6.

*V.* 3. QUADRAGESIMO ANNO, ab exitu Israelitarum ex AEgypto. UNDECIMO MENSE: paulo nimirum ante mortem suam, ut quidam observant: nam eum mortuum esse septimo die mensis duodecimi, colligi aiunt ex Deuteron. XXXIV. Iosue I. & IV. OMNIA QUAE PRAECEPERAT ILLI DOMINUS UT DICERET EIS. Hebr. *secundum omnia quæ præcepit Iehovah ei ad eos*: aliqui, *circa eos*: quidam, *referenda ad eos*: alii, *prorsus*, vel *omnino ut præceperat*, *&c.*

*V.* 4. POSTQUAM PERCUSSIT SEHON. Vide historiam Numer. XXI. vers. 21. & seqq IN HESEBON. De Hesebon vide Numer. XXI. vers. 25. ET OG REGEM BASAN. Vide historiam Numer. XXI. ver. 33. & seqq. IN ASTAROTH, ET IN EDRAI. De Astaroth vide in Genes. XIV. vers. 5. De Edrai, in Numer. XXI. vers. 33. Quidam hic subaudiunt, percussit in Edrahi: nam illuc duxisse exercitum contra Israelitas, dicitur Numer. XXI. vers. 33. & infra cap. III. vers. I.

*V.* 6. SUFFICIT VOBIS QUOD IN HOC MONTE MANSISTIS. Hebr. *Multum fuit vobis habitare in monte isto*. Quidam: *Satis habitastis in monte isto*. Alii: *Sufficiat vobis hactenus habitasse in monte hoc*. Nonnulli: *Sat superque mansistis apud montem istum*. Nam ferme annum ibi habitasse, docet comparatio Exodi XIX. vers. I. cum Numer. X. vers. II.

*V.* 7. CONTRA MERIDIEM, &c. Notant, describi hic terminus promissæ terræ suo ordine, a Meridie, Occidente, Aquilone, & Oriente.

*V.* 10. SUSTINERE VOS. Quidam exponunt, *Onus vestri*. Vide Numer. XI. vers. 14. SICUT STELLAE CAELI. Hyperbole frequens, e Genes. XV. vers. 5.

*V.* II. ADDAT AD HUNC NUMERUM MULTA MILLIA. Hebr. *Addet super vos*, *sicut*, iuxta, secundum *vos mille vices*. Alii: *Sicut estis*, *mille vicibus*. Quidam: *Addat vobis*, *ut vos estis*, *mille vicibus*; vel *augeat vos supra quam estis*, *millecuplo*. Nonnulli: *Auctiores vos reddat*, *ut sitis millecuplo plures quam nunc*; vel *reddat numerum vestrum maiorem millies*.

*V.* 15. ET CONSTITUI EOS PRINCIPES, TRIBUNOS, &c. Quidam hanc partem versus ex Hebr. ita reddunt: *Et constitui istos primores vobis*, *chiliarchos*, *&* *centuriones*, *&* *præfectos quinquagenis*, *&* *decuriones*, *&* *moderatores per tribus vestras*. *Primores* exponunt, id est iudices, ac veluti centumvirali auctoritate præditos. Vide Exodi XVIII. vers. 21. *Moderatores* vero intelligunt veluti prætores quosdam, qui ius dent populo, & iudicatum curent fieri in caussis singulis. Alii שוטרים *schoterim*, hic præfectos interpretantur, qui exequebantur quæ iudicaverant, & perversos cogebant. Vide Exodi V. vers. 6.

*V.* 18. PRAECEPIQUE OMNIA QUAE FACERE DEBERETIS: scilicet totam legem ad mores, iudiciaque, & cæromonias.

nias pertinentem, de quibus inde ab Exodo xx.

*V*. 19. PER EREMUM TERRIBILEM. Eam descriptam habes infra cap. VIII. vers. 15.

*V*. 22. ET ACCESSISTIS AD ME OMNES. Hoc cum Numeror. XIII. vers. 1. coniungendum est: primum enim populus hoc a Mose petiit, ut hic dicitur; deinde Moses ad Deum petitionem retulit: & Deus id sibi placere per Mosen declaravit, ut scribitur Numer. XIII. vers. 1.

*V*. 26. SED INCREDULI AD SERMONEM DOMINI, &c. Varie Hebr. convertunt. I. *Sed rebellastis verbo Iehovæ*. II. *Et irritastis os Iehovæ*; id est, & repugnastis imperio Iehovæ. III. *Sed exacerbastis os Domini*. Hispanice, *Le amargastes la boca*: nimirum ut vobis aspera & dura denuntiaret, & amara. IV. *Et mutare fecistis os Iehovæ*; id est, fecistis ut Deus aliud consilium vobis proponeret quam quod habetur supra vers. 8. sic infra vers. 43. V. *Sed maximopere rebellavistis præstituto Iehovæ*. VI. *Et protervi, contumaces, inobedientes, immorigeri fuistis ori IHUH*. Vide similem phrasim Numer. XXVII. vers. 14. & infra vers. 43. & Deuteron. IX. vers. 7.

*V*. 27. MURMURASTIS. Verbo רגן *ragan* omnia ista significata tribuunt: *Et detulistis, infamavistis, murmuravistis, mussitavistis, obstrepuistis, rinxistis, grunnivistis*: ut ex *ragan*, metathesi, facta sint verba Latina *grunnio, ringo*. ODIT NOS DOMINUS. Hebr. *in odio IHUH nos*. Quidam resolvunt: *Propter odium Iehovæ, quo odit nos*. Ellipsis coniugati, ut Genes. XIX. vers. 17. Vel *eo quod Iehovah odio prosequitur*. Sed אותנו *otanu*, recte vertas, *ad nos*, ut supra vers. 25.

*V*. 28. FILIOS ENACIM. De his vide Numer. XIII. vers. 34.

*V*. 36. QUIA SECUTUS EST DOMINUM. Hebr. *Propterea quod implevit post IHUH*; id est, quod plene & perfecte secutus est IHUH. Vide de hac phrasi Numer. XIV. vers. 24. & cap. XXXII. vers. 11. & 12. Hispanicus Interpres: *Porque cumplio en pos de Iehovah*: vel *porque fue perfecto con Iehovah*.

*V*. 37. PROPTER VOS. בגללכם *biglalcem*, exponunt, *causa, occasione vestri, propter vos*: ex verbo, *in revolutione vestra*: quod occasio facile volvitur; vel quod vestram pœnam & causam etiam in me devolveritis: aut in vestra illa revolutione, idest seditione & tumultu, in quo sus deque omnia volvuntur. Hispanice, *En vuestra revolacion, o rebuelta*. Quidam annotant, hunc versum & sequentem inseruisse Mosen parenthetice, duabus de causis: una, ut ostenderet eos in causa fuisse cur non tantum ipsi, sed etiam Moses terra promissa exclusus sit, dum ipsorum rebellione fuit perturbatus; altera, ut Iehosuam ab ista exclusione nominatim exceptum, prout cum Calebo exceptus fuerat Numer. XIV. vers. 30. successorem sibi eadem opera nominaret.

*V*. 41. PERGERETIS IN MONTEM. Hebr. *Et contendistis ad ascendere in montem*. Verbum הנן *hen*, vel הין *hin*, quod hic tantum, & in Hiphil legitur in Scriptura, varie elucidant. 1. *Et voluistis ascendere in montem*; 2. *Et cœpistis ascendere in montem*; 3. *Et parati fuistis ascendere*, *&c*. 4. *Et sategistis ascendere*; 5. *Mutuoque adhortati estis ad ascendendum in montem*; 6. *Et obtulistis vos ad ascendendum montem illum*; 7. *Et conati estis omnibus viribus*, vel *intendistis nervos ascendere in montem*; 8. *Et ausi fuistis ascendere*, *&c*. 9. *Et prompti fuistis ad ascendere*, *&c*. vel *prompte voluistis ascendere*, *&c*. Hebræi deducunt id verbum ab הן *hen*, *ecce*, eo sensu quo qui se ultroneum, promptum, & paratum offert, dicit, הנני *hinneni*, *ecce me*; הננו *hinnenu*, *ecce nos*. Quidam notant id verbum proprie denotare, ea quæ sparsa erant, colligi, & condensari ac coarctari: unde vertunt: *Et collecti, condensati, coarctati, conglobati, contendistis ascendere*. Voluntque ex circumstantia & collatione locorum, eiusdem, aut plane cognatæ significationis esse cum verbo עפל *ghaphal*, quod ponitur Numer. XIV. vers. 44. Vide ibi, & loca confer. Hispanicus Interpres: *Y apercebistes os para subir al monte*. Recte.

*V*. 43. TUMENTES SUPERBIA ASCENDISTIS IN MONTEM. Hebr. *Et intumistis, & ascendistis in montem*. Quidam: *Et superbe egistis, & ascendistis*, *&c*. Alii: *Et temere egistis, & ascendistis*; id est, temere ascendistis. Nonnulli: *Insolentes ascendebatis in montem*. Aliqui: *Cum arrogaretis vobis ut ascenderetis*; vel

*cum*

*cum arroganter ascenderetis ipsum montem.*

*V.* 44. SICUT SOLENT APES PERSEQUI: nimirum eum a quo sunt offensæ, confertim & denso agmine ab omni parte aggredientes. Virgilius Georgic. IV.

.....*magnum mistæ glomerantur in orbem.*
*Illis ira modum supra est: læsæque venenum*
*Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt,*
*Affixæ venis, animasque in vulnere ponunt.*

Plinius Lib. XI. cap. XVIII. *Est in exemplis equos ab iis occisos.*

*V.* 45. REVERSI PLORARETIS. Hebr. *Et conversi estis, & plorastis*; id est, pœnitentia ducti flevistis. Alii putant esse Hebraismum notissimum: Et iterum atque iterum flevistis. De quo vide Notas Genes. XXVI. vers. 18.

*V.*46. SEDISTIS ERGO IN KABESBARNE MULTO TEMPORE. Hebr. *Et sedistis in Kades diebus multis, secundum dies quibus sedistis.* Quidam: *Et mansistis in Kades diebus multis, iuxta numerum dierum quibus antea manseratis*; id est, quanto tempore prius habitaveratis illic ante reditum exploratorum. Sed id prorsus incertum. Alii: *Sed consedistis Kadeschi dies multos*, ut sane inviti fuerunt *dies quibus consedistis ibi:* nimirum annos ferme triginta octo, ut annotavimus supra in versu 2. Vide infra cap. II. vers. 14. Quasi dicat: Equidem plurimos dies consedistis in Kades.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. HAEC SUNT VERBA: quæ scilicet hoc Deuteronomii libro sequuntur, non, quod aliqui putant, quæ hactenus superiori libro præcesserunt. TRANS IORDANEM. Moses non transierat Iordanem, sed citra eum consistebat; dicitur tamen trans Iordanem hæc locutus, quia respectu terræ promissæ (iuxta quam Scriptura solet consignare plagas, & situs locorum) regio hæc trans Iordanem erat. IN SOLITUDINE CAMPESTRI. LXX. *in solitudine ad Occidentem.* Aliqui putant solitudinem hanc esse campestria Moab: alii intelligunt de vasta illa solitudine Arabiæ, in qua annis 40. Hebræi egerunt. CONTRA MARE RUBRUM, e regione Maris rubri. UBI AURI EST PLURIMUM. LXX. vertunt, *aurifodinas.*

*V.* 2. UNDECIM DIEBUS: intellige, itur.

*V.* 3. UNDECIMO MENSE, PRIMA DIE MENSIS. Undecimus mensis ab Hebræis dicitur *Sebet*, & respondet nostro Ianuario. LOCUTUS EST; hoc est, rursum eadem repetiit.

*V.* 4. QUI HABITABAT IN HESEBON: ibi enim Rex ille regiam suam collocaverat. ASTAROTH. De Astaroth, seu Astaroth-carnaim vide dicta Genes. XIV. 5.

*V.* 5. TRANS IORDANEM IN TERRA MOAB. Hæc referenda sunt ad verbum *Locutus est*, num. 3.

*V.* 6. SUFFICIT VOBIS QUOD IN HOC MONTE MANSISTIS; hoc est, satis diu hic commorati estis, tempus est ut hinc recedatis, & promissionis terram adeatis.

*V.* 7. REVERTIMINI. Hebr. *Vertite vos.* Itaque præcipitur ut convertant se, & accingant ad iter, vel ut intermissum iter resumant. AD MONTEM AMORRHAEORUM, hoc est in Cades-barne ad terminos terræ promissæ, qui locus, vel urbs est ad montes, in quibus habitant Amorrhæi. CAMPESTRIA ATQUE MONTANA ET HUMILIORA LOCA CONTRA MERIDIEM. His verbis, & aliis quæ sequuntur hoc versiculo, mundi plagæ, finesque australes, occidentales, & boreales terræ promissæ designantur. Cum ergo dicit *Campestria, montana, & humiliora loca contra meridiem*, latus designat terræ promissæ, quod meridiem respicit. ET IUXTA LITTUS MARIS TERRAM CHANANAEORUM: terminus est occidentalis. ET LIBANI, &c. terminus borealis. Vide supra Lib. Numer. cap. XXXIV. num. 7.

*V.* 8. TRADIDI VOBIS, terram scilicet.

*V.* 10. SUSTINERE VOS, vestrum regimen, vestrique curam. Vide Exod. XVIII. & ibi dicta.

*V.* 15. TULIQUE DE TRIBUBUS VESTRIS VIROS SAPIENTES ET NOBILES. Heb. *Tuli capita tribuum vestrarum.*

*V.* 17. NON ACCIPIETIS CUIUS-

QUAM

QUAM PERSONAM. Hebr. *Non timebitis a facie viri*. QUIA DEI IUDICIUM EST: quia cum iudicatis, Dei vices geritis, qui iustissimus est. REFERTE AD ME, tamquam ad supremum iudicem.

*V*. 21. VIDE TERRAM: quia Cadesbarne est iuxta Chanaam, tantum enim interest mons Idumææ. Unde ex Cadesbarne missi sunt exploratores in Chanaan.

*V*. 22. DIXISTIS: MITTAMUS VIROS. Hinc patet ipsos Hebræos petiisse ut mitterentur exploratores, qui, eis annuente Deo, missi sunt, Num. XIV.

*V*. 28. AD CAELUM USQUE MURATAE. Hyperbole. FILIOS ENACIM, filios gigantum, gigantes ex posteris Enac gigantis.

*V*. 31. PORTAVIT, deduxit, direxit, fovit.

*V*. 33. METATUS EST LOCUM, præcedens castra in columna nubis.

*V*. 36. SECUTUS EST, Caleb scilicet.

*V*. 39. BONI AC MALIQUE IGNORANT DISTANTIAM: parvuli, qui nondum habent usum rationis, ut bonum a malo discernant.

*V*. 43. ADVERSANTES IMPERIO DOMINI. Hebr. *Exacerbastis os Domini*; id est, repugnastis eius verbis, & iussis, itaque eum, eiusque os, & vultum irritastis.

*V*. 44. SICUT SOLENT APES, quæ magno numero, & furore in se lacessentes involant.

*V*. 45. NON AUDIVIT VOS, volentes ingredi in terram promissam.

*V*. 46. SEDISTIS, sedem habuistis.

## TIRINI.

*Vers*. 1. HAEC SUNT VERBA. Referuntur hæc ad sequentia, quæ toto hoc libro recensentur; quasi dicat: Hæc sunt verba quæ Moyses iampridem locutus fuerat in vasto illo deserto, ubi per 40. annos peregrinati sunt Israelitæ, incipiendo a monte Horeb seu Sinai e regione Maris rubri, usque ad Cadesbarne. Quæ eadem verba rursum postea, quadragesimo & ultimo peregrinationis anno, mense undecimo, eodemque ultimo vitæ suæ, elocutus est, & repetiit in campestribus Moab. Et ab hac repetitione liber hic vocatur Græce *Deuteronomium*, hoc est *secunda lex*, seu secundo explicata lex. Neque enim est nuda repetitio præceptorum seu legum, tribus præcedentibus libris expositarum; sed repetitio simul, & explicatio, quin multæ etiam leges, quarum nulla facta libris præcedentibus mentio, hic adferuntur. Ita S. Athanasius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus. Cum enim populus Israel totus iam esset novus, mortuis omnibus qui ante 38. annos priori legis promulgationi interfuerant, & iam iam instaret transitus Iordanis, & ingressus in terram promissam; ne quid forte contra legem ex ignorantia peccaretur, fuit secundo lex promulganda, & explicanda. Et hæc eadem est ratio cur de novo etiam fœdus Dei cum populo sancitum sit cap. XXIX. & cur septimo quoque anno, in festo Tabernaculorum, totum hoc Deuteronomium (quo brevi compendio omnia scitu necessaria complexus est Moyses) toto audiente populo prælegi iubeatur cap. XXXI. vers. 10. cur item iubeantur novi reges seu principes Hebræi, mox ut inaugurati essent, Deuteronomium sibi describere, & quotidie aliquid ex eo lectitare, cap. XVII. vers. 18. cur denique iussum sit, totum lapidibus seu lapideis tabulis inscribi, cap. XXVII. vers. 3. & Iosue inscripserit de facto, Iosue cap. VIII. vers. 32. nempe ad æternam memoriam, & ne legum ignorantia posset ullo umquam casu prætexi.

*V*. 7. USQUE AD FLUMEN MAGNUM EUPHRATEN. Hic quatuor termini, seu fines terræ promissæ secundum quatuor mundi plagas designantur.

Dices. Numer. XXXIV. & alibi longe angustioribus terminis terra promissa definitur; & satis constat, Hebræos numquam, ne Salomonis quidem tempore, sedes suas aut habitationem ad Euphratem usque protulisse. Respondet S. Augustinus *a*, duplicem fuisse terram Hebræis promissam: nam una fuit quasi hæreditaria, quamque ut propriam inhabitarunt: hæc strictioribus terminis finiebatur, a Dan usque Bersabee, & ab introitu Emath usque ad rivum AEgypti. Altera ultra hos fines protendebatur usque ad Euphratem; sed erat tantum tributaria seu vectigalis Hebræis sub Davide, & Salomone, qui eo usque dominabantur *b*. Vel etiam dici posset, hanc quo-

quoque usque ad Euphratem terram omnem Hebræis quasi hereditariam & propriam fuisse a Deo promissam; sed sub conditione, si in fide & cultu Dei constantes permanerent, ut expresse cavit Deus Deut. XIX. vers. 8. & 9. quod quia non fecerunt, mirum non est, promissionem etiam hanc completam reipsa non fuisse: quin potius, ob tam frequentem in idololatriam relapsum, vix umquam tangustiores illos fines integros plene possedisse. Ita S. Hieronymus, Andreas Masius, & Serarius *c*.

(*a*) August. L. Quæst. in Iosue cap. XXI.
(*b*) II. Reg. VIII. vers. 3. I. Paralip. XVIII. 3. III. Reg. IV. vers. 21. & Ioseph. Lib. VI. Antiq. cap. II.
(*c*) Hier. epist. 129. ad Dardanum, & in Ezech. XX. vers. 8. Masius, & Serarius in Iosue I.

## GORDONI.

*Vers.* I. IN SOLITUDINE CAMPESTRI. Dicuntur hæc campestria esse contra Mare rubrum, ac proinde non videntur intelligenda campestria Moab; tamen cum sensus sit e regione, & ex opposito respectu ad Mare rubrum; nihil in modo loquendi apparet incommodi, quamvis sermo sit de campestribus Moab: nam distantia loci non impedit respectum: alioqui quomodo contra Italiam Carthago? ut dixit Latinus Poeta. Quod est hic, AURI ... PLURIMUM, Septuag. dant *aurifodinas*, & καταχρύσεα.

*V.* 2. UNDECIM DIEBUS. Designat iter dierum ab Horeb, seu monte Sina, usque ad hæc campestria Moab, ubi publicatum est Deuteronomium. Ex tabulis Adrichomii numerantur leucæ 51. ac proinde si quotidie quatuor leucas conficias, consurgit iter undecim dierum, nempe eundo per montem Seir, & per Cadesbarne. Sane Cadesbarne, unde missi sunt exploratores, distat a Chanaan tantum per interiectum montem Idumææ; & a Sina eo usque numerantur leucæ 17. a Cadesbarne vero ad campestria Moab leucæ 34.

*V.* 3. UNDECIMO MENSE. An a Nisan, vel a Tisri nescitur.

*V.* 7. Atequam ordiatur sermonem de servanda lege, proponit ob oculos terram promissam, iam vicinam, & spe captam; ut sic paratiores sint ad legem audiendam, & servandam. Designat autem terram belle hic, designando hoc vers. 7. quatuor mundi plagas, dum proponit Meridiem, Mare, Libanum, & Euphratem. LITTUS MARIS, Mediteranei. בחוף *behoph*, *in porta* ex Pagnino.

*V.* 19. & 20. PER VIAM, &c. qua itur ad montem, in quo habitat Amorrhæus. Hunc montem dedit Deus Israelitis ut partem terræ promissæ; sicut etiam Cadesbarne erat in finibus terræ promissæ, Num. XXXIV. vers. 4.

*V.* 24. De Valle botri vide quæ dicta sunt Num. XIII.

*V.* 28. FILIOS ENACIM. Sept. *Gigantum*.

*V.* 33. METATUS EST, designavit.

*V.* 39. IGNORANT DISTANTIAM; hoc est, rationis usum, & discretionem minime assecuti.

*V.* 44. SICUT SOLENT APES PERSEQUI eos a quibus irritantur. Vide de cæsis Israelitis usque Horma, Num. XIV.

## EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* I. TRANS IORDANEM, scilicet habitantibus in Iudæa. AURI .... PLURIMUM. Sept. *Auri fodinæ*.

*V.* 7. Vide Exod. XXXIV. 7. quo loco assignati sunt termini terræ promissæ; & hic usque ad vers. 9. reponuntur iidem termini. Australis, occidentali (ad mare) & borealis (ad Libanum.)

*V.* 10. SUSTINERE: ferre non possum solus totum onus hoc.

*V.* 16. & 17. Vitanda iniustitia, & personarum acceptio, quia pro Deo iudicatis.

C A-

runt: qui egressi de Cappadocia deleverunt eos, & habitaverunt pro illis. 24. Sur-
gite, & transite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon
Amorrhæum, & terram eius incipe possidere, & committe adversus eum prælium.
25. Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui
habitant sub omni cælo: ut audito nomine tuo paveant, & in morem parturien-
tium contremiscant, & dolore teneantur. 26. (*a*) Misi ergo nuntios de solitudine
Cademoth ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis, dicens: 27. *Transibimus per
terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus neque ad dexteram, neque
ad sinistram. 28. Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur: aquam pecunia tribue,
& sic bibemus. Tantum est ut nobis concedas transitum, 29. sicut fecerunt filii
Esau, qui habitant in Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar: donec veniamus
ad Iordanem, & transeamus ad terram quam Dominus Deus noster daturus est
nobis. 30. Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum: quia indurave-
rat Dominus Deus tuus spiritum eius, & obfirmaverat cor illius, ut traderetur
in manus tuas, sicut nunc vides. 31. Dixitque Dominus ad me: (*b*) Ecce cœpi
tibi tradere Sehon, & terram eius, incipe possidere eam. 32. Egressusque est
Sehon obviam nobis cum omni populo suo ad prælium in Iasa. 33. Et tradidit
eum Dominus Deus noster nobis: percussimusque eum cum filiis suis & omni
populo suo. 34. Cunctasque urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitato-
ribus earum, viris ac mulieribus & parvulis, non reliquimus in eis quidquam.
35. Absque iumentis, quæ in partem venere prædantium: & spoliis urbium, quas
cepimus 36. ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido quod in
valle situm est, usque Galaad. Non fuit vicus & civitas, quæ nostras effugeret
manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis. 37. Absque terra filiorum
Ammon, ad quam non accessimus: & cunctis quæ adiacent torrenti Ieboc, &
urbibus montanis, universisque locis, a quibus nos prohibuit Dominus Deus noster

(*a*) Num. XXI. 21. (*b*) Ammos II. 9.

## B R U G E N S I S

### Romanae Correctiones.

V. 12. *In Seir autem prius habitaverunt Horræi*. Alii libri servant terminationem Hebræam, scribentes *Horrim*.

V. 19. *Et accedens in vicina filiorum Ammon*. Non mutes *accedens* in *ascendens*.

V. 20. *Gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim*. Trissylabum est *Zomzommim*: repetendum est enim *zom*, contra quosdam qui legunt *Zommim*.

V. 21. *Populus magnus & multus & proceræ magnitudinis*. Nullo modo omittendum est medium illud *& multus*.

V. 27. 28. 29. *Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via*, &c. Non sunt nomina, verbaque pluralis numeri, quæ his tribus versibus continentur, mutanda in singularia, ad hoc ut Hebræo respondeant, quod quidam faciunt.

### Notatio.

V. 27. 28. 29. Quæ Latini libri Rabano consentiente, fere numero multitudinis scribunt, *Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via, non declinabimus &c.* exemplar S. Germani parvum singulari legit: *Transibo per terram tuam, publica gradiar via, non declinabo neque ad dextram neque ad sinistram. Alimenta pretio vende mihi ut vescar: aquam pecunia tribue, & sic bibam. Tantum est, mihi concedas transitum, &c. Donec veniam ad Iordanem, & transeam ad terram quam Dominus Deus noster daturus est nobis;* conformiter codicibus Hebraicis, & quibusdam Chaldaicis ac Græcis. Textus Regiorum Bibliorum Græcus & Chaldaicus cum reliqua singulari legunt: ille primum numero plurali habet (a) *παρελευσόμεθα διὰ τῆς γῆς σου, transibimus per terram tuam;* hic tertium לא (b) נסטי וגו' *non declinabimus* &c.

(*a*) σπαρελθόσωμεθα Gq. (*b*) אסטי Ven.

# COMMENTARIA

## S A.

*Verſ.* 1. SOLITUDINEM, ſcilicet Sin.
*Verſ.* 3. SUFFICIT VOBIS CIRCUIRE; id eſt, ſatis circuiſtis.
*V.* 5. VIDETE, id eſt cavete.
*V.* 7. BENEDIXIT, id eſt benefecit.
*V.* 8. MOAB. Eſt id & urbis, & provinciæ nomen, in finibus Arabiæ.
*V.* 11. EMIM, id eſt terribiles, ſeu horrendos.
*V.* 12. POSSESIONIS; id eſt, quam poſtea poſſedit.
*V.* 14. CONGREGATIO. LXX. *generatio*.
*V.* 15. MANUS, id eſt potentia.
*V.* 20. ZOMZOMMIM, id eſt flagitioſos, ſceleratos.
*V.* 25. SUB OMNI CAELO, id eſt ubique.
*V.* 28. TANTUM, id eſt ſatis.
*V.* 29. FECERUNT. Apparet feciſſe poſtea quod antea negaverant, ſaltem feciſſe aliquos, ſcilicet prope quos tranſibant.

## E S T I I.

*Verſ.* 5. QUIA IN POSSESSIONEM ESAU DEDI MONTEM SEIR. Quomodo valet hæc ratio, cum & ceteris gentibus ſuas poſſeſſiones non alius dederit quam Deus? *qui terram dedit filiis hominum*, Pſal. CXIII. Quin & hac denuntiatione non obſtante, poſtea ſub Davide Deus Idumæam ſubiecit populo Iſrael. Sed dicendum eſt, quod ſicut Geneſis XV. de Amorrhæis dictum erat, ita & hic nondum impletæ eſſent iniquitates Idumæorum, ſive filiorum Eſau, ſic ut præponderarent meritis Iſaac, ob quæ Deus montem illum Seir Eſau conceſſerat. Et eodem modo quoque intelligendum eſt, quod hoc eodem capite dicitur, de Moabitis, & Ammonitis, ſe non daturum filiis Iſrael quidquam de terra eorum, quia filiis Lot eam dediſſet in poſſeſſionem. Certe ob merita Lot Deum multa bona aliis præſtitiſſe, ex Geneſi manifeſtiſſimum eſt. Nam propter ipſum & familia eius ex incendio Sodomorum liberata fuit, & generi quoque eius liberati fuiſſent, ſi voluiſſent: quin & Segor civitas integra ſervata fuit. Longe autem aliud de Chananæis fuit. Non enim illis terra fuerat data propter meritum aliquod patrum eorum; ſed e contra pater eorum Chanaan propter ſuum, & patris ſui Cham peccatum, fuit a Noe maledictus Geneſis IX.

*V.* 28. & 29. TANTUM EST UT NOBIS CONCEDAS TRANSITUM, SICUT FECERUNT FILII ESAU, QUI HABITANT IN SEIR. Non pugnat cum his quod Numer. XX. Rex Edom (quo nomine filii & poſteri Eſau intelliguntur) pertinaciter videatur ſemel, atque iterum Iſraelitis tranſitum negaſſe: nam potuit id quod prius negaret, aliqua parte poſtea concedere; immo & conceſſit eatenus, ut per extremos eius fines poſſint iter facere. Et hoc eſt quod initio huius capitis narrat Moyſes his verbis: *Et circuivimus montem Seir longo tempore. Dixitque Dominus ad me: Sufficit vobis circuire montem iſtum; ite contra Aquilonem: & populo præcipe dicens: Tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau, qui habitant in Seir, & timebunt vos*. Ex quibus verbis ultimis colligitur, Regem Edom, hoc eſt filiorum Eſau, tandem præ timore de ſua pertinacia remiſiſſe, & eatenus, ut dictum eſt, tranſitum conceſſiſſe.

## M A R I A N AE.

*Verſ.* 5. VIDETE ERGO DILIGENTER. Hebr. *Cuſtodiemini nimis*: quod poteſt referri ad Idumæos, ut Sept. *& vitabunt vos valde*; vel ad Iudæos, *ut ipſi cuſtodiant & caveant*, quod ſequitur, ne ſcilicet illis noceatis, ut poſuit Chald. & Hieronymus, paſſivum in in activum vertentes.

*V.* 6. CIBOS EMETIS. Hebr. *Cibum frangetis ab illis argento*: ſed frangere, emere eſt; quia ementes fere non totum, ſed partem volunt: eſt etiam vendere, verſ. 28.

V. 7.

v. 7. NIHIL TIBI DEFUIT. Hebr. Non eguisti verbo: sic Sept. sed verbum pro re.

*V.* 9. AR IN POSSESSIONEM. *Ar* urbs Regia Moabitarum, de qua multa in Prophetis.

*V.* 10. EMIM PRIMI FUERUNT. *Emim* ab אימה *emah*, id est *terrore*, quod terrerent eos videntes. Hi habitarunt in urbe Ar ante Moabitas, & dicit hos fuisse ut *Enacim*: non ergo erant iidem, ut quidam putant.

*V.* 11. ET ESSENT SIMILES FILIORUM ENACIM. Hebr. *Raphaim*, id est *gigantes*, *putabantur etiam ipsi ut Enacim*. Itaque illi *Emim* erant *Raphaim*, id est *gigantes*: & vocantur sic a רפה *raphah*, quod est *dissolvere*, quod videntes dissolverentur animis præ metu: & rursus dicit esse similes Enacim, qui sic vocabantur a patris nomine, de quibus frequens mentio in divinis libris.

*V.* 13. TORRENTEM ZARED. Hebræis נחל *nahal* est *torrens*, est & *vallis*, in quam decurrunt aquæ, quo etiam nomine vocatur, ut maxime aqua deficiat: sic pro ea voce aliquando *torrentem* vertunt, aliquando *vallem*.

*V.* 20. QUOS AMMONITAE VOCANT ZOMZOMMIM. Regia *Zomim*. Hebr. *Zamzummim*: ecce quartum nomen, quo Ammonitæ vocant gigantes, quos dicit etiam esse similes *Enacim*.

*V.* 23. HEVAEOS QUOQUE, QUI HABITABANT IN HASERIM. חצרים *hazerim*, quod *villas* Chaldæus intelligit; quasi dicat, qui in agris habitabant. Hieronymus ut loci nomen accepit. CAPPADOCES. Pro *Caphthorim* ferme omnes vertunt *Cappadoces*.

*V.* 24. ECCE TRADIDI. In Hebræo, *Vide*, *tradidi*; sed *vide* Hebraicum bene vertitur per *ecce*.

*V.* 34. INTERFECTIS HABITATORIBUS EARUM. Hebr. *Et anathema fecimus omnem urbem*, *viros*, *mulieres*, & *parvulos*. Et nota, hoc loco viros vocare voce מתים *methim*, per Sceva, quod significat *mortales*: nam cum significat *mortuos*, scribitur per Zere: aut homines, mortuos vocat, ut Paulus: Corpus mortuum est propter peccatum.

*V.* 36. AB AROER, QUAE EST SUPER RIPAM, id est super labium, TORRENTIS: Hebr. *nahal*: torrentis, inquam, ARNON; sed id est ripa. OPPIDO QUOD IN VALLE SITUM EST. Hebr. *Et civitatem*, *quæ in valle Nahal*: sic Sept. Ita in unico versu dictio *nahal* pro *torrente* prius, deinde pro *valle* sumitur.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. LONGO TEMPORE: Hebr. *Diebus multis*: non est referendum ad proximum membrum, *Circuivimus montem Seir*; sed ad anterius, *Venimus in solitudinem*: nam in vasto & magno illo deserto vagati sunt 38. annos.

*V.* 3. ITE CONTRA AQUILONEM. Quidam exponunt, relicto meridiano tractu respectu Chananææ, secundum Moabitarum agrum iter facite. Vide Num. XXI. *Ite contra Aquilonem*, scilicet relictis Idumæis a sinistris, & Moabitis, & Hammonitis, qui ad orientem terræ promissæ habitant, a dextris, ut recta via tenderent ad Aquilonem ad Amorrhæos: deinde victis Amorrhæis, ad Occidentem versi, Iordanem transirent in terram Chanaan.

*V.* 4. ET POPULO PRAECIPE, &c. Annotant, quia de Moabitis, & Hammonitis non infestandis ab Hebræis inferius locuturus est, quorum regiones erant transeundæ, mandatum hic coniungit de non molestandis Idumæis, quorum regionem hic dicuntur circumivisse, & unde iubentur discedere. ET TIMEBUNT VOS. VIDETE ERGO DILIGENTER. Hebr. *Et timebunt vos*, & *custodiemini*; seu *custodite vos valde*. Clarius reddunt: *Quamvis metuant sibi a vobis*; *tamen cavete vobis valde*; id est, quamvis vestri metu percellantur, non tamen ut impares sunt contemnendi, nec securi ab illis esse debetis; sed instructa acie, & in prælium parati quasi cum illis dimicaturi transite. Alii vertunt: *Et timebunt sibi a vobis*; & *cavebitis vobis valde*; id est, diligenter cavete ne provocetis eos ad pugnam, ne lædatis eos: vel diligenter custodite vos, ne forte irruant in vos, & noceant vobis, quia timent sibi a vobis, ne velint ipsi damnum antevertere. Sequenti versu se ipsum declarat.

*V.* 5. NE MOVEAMINI CONTRA EOS. Verbum גרה *garah*, quod hic in Hithpahel ponitur, תתגרו *titgaru*, diver-

ſimode enodant. I. *Non miſcebitis litem*, *non litigabitis*, *non rixabitis*, *contendetis cum eis*. II. *Non irritabitis eos*. III. *Non oſtendetis vos feroces contra eos*. IV. *Non provocare facietis vos in illos*. V. *Non incitabitis vos in eos*. VI. *Non miſcebitis vos*, *non miſcere facietis vos cum illis*. Hiſpanice, *No os mercleys con ellos*. Hiſpanicus Interpres, *No os reboluays non ellos*. VII. *Non miſcebitis bellum cum eis*. Notant, id verbum de contentione ac bello tantum dici: quomodo Latini dicunt, *Miſcere prælia*, *miſcere certamina*. VIII. *Non attrahere facietis vos in eos*. Aiunt enim id verbum in Hitphahel proprie eſſe *attrahere*, ſcilicet curſus, ut mos erat curribus uti in bello & pugnare; inſtruere tracturam curruum ad pugnandum. Vide hanc hiſtoriam Numer. XX. verſ. 14. & ſeqq. CONTRA EOS: intelligunt contra reliquos Idumæos, per quos tranſituri eſtis: nam Hamalekitas, quamvis Idumæi eſſent, nominatim ex hac lege excluſit Deus, Exodi XVII. verſ. 14. & infra cap. XXV. verſ. 17.

*V.* 7. BENEDIXIT TIBI, &c. Quidam annotant eſſe hanc confirmationem in futurum ab experientia gratiæ Dei quadraginta annorum, in horrendo illo itinere eis ſemper conſulentis. NOVIT ITER TUUM: curam habuit tui in toto illo itinere, favit, benefecit. Sic verbum noſcendi ſæpe capitur in Scriptura, ut Pſal. I. verſ. 6. Quidam obſervant, hunc verſum occupationis eſſe, & cauſæ redditionem; tamquam ſi quærentibus Iſraelitis: Et unde nobis pecunia ad emendum? & reſponderetur: Habetis plus ſatis cum nullam expenderitis inde ab AEgypto, ſed multam ex ſpoliis comparaveritis, favente vobis ſemper Deo, & per totum iter mille beneficiis afficiente.

*V.* 8. CUMQUE TRANSISSEMUS, &c. Vide Numer. XX. verſ. 21. & cap. XXI. verſ. 4. DE ELATH, ET DE ASIONGABER. De hac ſtatione vide Numer. XXXIII. verſ. 36.

*V.* 9. AR. De hac vide Numer. XXI. verſ. 15. & 28. & hic infra verſ. 18. & Iſaiæ XV. verſ. 21.

*V.* 10. EMIM. De his vide Geneſ. XIV. verſ. 15.

*V.* 11. GIGANTES, *Rephaim*, de quibus vide Geneſ. XIV. verſ. 5.

*V.* 12. HORRHAEI. Hebr. *Chorræi*; quaſi dicas, *Candidi*, *candidati*, *illuſtres*, *clari*, *nobiles*, *heroes*, &c. Vide Geneſ. XIV. verſ. 6.

*V.* 13. TORRENTEM ZARED. De hac ſtatione vide Numeror. XXI. verſ. 12.

*V.* 14. TEMPUS AUTEM QUO AMBULAVIMUS DE CADES, &c. Hebr. *Et dies quibus ambulavimus de Kades*, &c. Exponunt, quibus in itinere ab AEgypto verſati ſumus: nam in Kadeſcho Iſrael annos triginta ſeptem cum dimidio commoratus eſt, poſtea vero dimidium annum in itinere a Kadeſcho ad vallem Zeredi occupavit: ergo illud a *Kadeſcho Barnehæ* intelligunt; id eſt, ex quo Kadeſchum venimus. HOMINUM BELLATORUM DE CASTRIS: Hebr. *Virorum belli e medio caſtrorum*, id eſt virorum aptorum bello, a nato viginti annos & ſupra: contra quos excluſionis a terra promiſſa ſententia lata eſt Num. XIV. verſ. 21.

*V.* 20. ZOMZOMMIM. Hebr. *Zamzummim*. Deducunt a nomine זמם *zamam*, vel זמה *zimmah*, de quo diximus Levitici XVIII. verſ. 17. quaſi dicas, *Sceleratos*, *facinoroſos*, *nefarios*, *flagitioſos*, *abominabiles*, quale hoc genus hominum habiti ſunt ſemper in ſacris, & profanis litteris. Quidam *Præſumptuoſos* interpretantur: alii, *Machinatores*, *vafros*. Geminatio auget ſignificatum; ac ſi dicas, quam ſceleratiſſimos, & turpiſſimos: abutebantur enim robore & potentia ſua ad quævis abominanda flagitia. Hos dictos *Zuzim*, Geneſ. XIV. verſ. 5. plerique exiſtimant.

*V.* 23. HEVAEOS QUOQUE. Diſtincti videntur ii qui primam nominis litteram Ghain habent, ab Hevæis Geneſ. X. verſ. 17. qui Cheth præferunt. Notant, Ghavæos iſtos vetuſtam ſatrapiam fuiſſe Philiſthinorum, Ioſue XIII. verſ. 3. quos Caphthoræi, ſeu Cappadoces ſedibus expulerint, eorumque regionem occupaverint, ut hic dicitur. Quidam notant, non ſic penitus expulſos, & abolitos, quin vel ipſi eiecti in Aſſyriam commigraverint, vel reliquias eorum Salmanaſar in Aſſyriam tranſtulerit, ibique urbem Ghava de ſuo nomine condiderint; eoſque rurſus idem Salmanaſar, vel potius Aſar-Hadon in Iudæam reduxerit, ut apparet e IV. Regum XVII. verſ. 24. & 31. Equidem

Gha-

Ghavæos istos fuisse Philistææ incolas, ex locis Hazerim & Gaza, in quibus hic habitasse dicuntur, facile intelligitur. Masius existimavit, Hevæos cum Cheth eosdem esse cum istis Hevæis cum Ghain, quod gutturales istæ litteræ facile inter se permutari soleant: ut etiam quidam Hebræorum volunt. Cum Ghain sonat *curvos*, *pravos*, *distortos*; cum Cheth, *vivos*, *vivaces*, *longævos*. HASERIM. Hebr. *Chatzerim*. De hoc loco, qui idem est cum *Chatzeroth*, quartadecima Israelitarum statione, vide Numer. XI. vers. 35. Numer. XXXIII. vers. 17. USQUE GAZAN. De ea vide Notas Genes. X. vers. 19. CAPPADOCES. Hebr. *Caphthorim*: de quibus accurate diximus in Genes. XX. vers. 14. Hic quidam Caphthorim accipiunt Philisthæos, e Caphthoræis, seu Cappadocibus ortos, qui Ghavæos priscos Palæstinæ incolas deleverint. Vide locum Genes.

*V.* 24. ECCE TRADIDI IN MANU TUA SEHON. Victoriam de Sehon rege Amorrhæorum descripsit Moses Numer. XXI. vers. 21. & seqq. INCIPE POSSIDERE. Vide Numer. XXXII. vers. 6. & infra vers. 31.

*V.* 26. DE SOLITUDINE CADEMOTH. Istud desertum Numer. XXI. vers. 20. dicitur *Iesimon*, de quo ibi vide. קדמות *kademoth* sonat orientale, quod illud desertum magna ex parte in Orientem tenderat. Alii Cedemoth urbem esse volunt, de qua Iosue XIII. vers. 18. quasi dicas, *Orientalem*, seu *antiquam*, vel *antiquariam*. Hispanice, *Antequeram*. VERBIS PACIFICIS. Siquidem iubebat Deus primum pacem offerre, infra cap. XX. vers. 10. qua repudiata, bellum rite & iuste suscipiebatur, nedum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Sic Romani multo pacis ritu bella per Fetiales concipiebant.

*V.* 27. PUBLICA GRADIEMUR VIA. Hebr. *In via in via ambulabo*. Repetitio publicam, tritam, & regiam viam indicat. Numer. XXI. vers. 22. *Via regia* dicitur. Alii viam rectissimam intelligunt. Quidam reddunt: *Indesinenter procedam eadem*.

*V.* 29. SICUT FECERUNT FILII ESAU, QUI HABITANT IN SEIR, ET MOABITAE, QUI MORANTUR IN AR. Equidem Idumæi, ut notant quidam, transitum per regionem suam Israelitis denegarunt, ut exprimitur Numer. XX. vers. 20. terminos vero suos attingere eis permiserunt; cibumque & potum pecunia concesserunt, ut ex hoc loco colligitur. Moabitæ vero a terminis attingendis non repulerunt; sed cibum & potum recusarunt, ut docetur infra cap. XXIII. vers. 3. & 4.

*V.* 30. QUIA INDURAVERAT DOMINUS: uti de Pharaone dicitur Exodi IV. vers. 21. & alibi sæpe. SICUT NUNC VIDES. Hebr. *Sicut die ista*, vel *secundum diem hanc*. Quidam reddunt: *Ut est hodie*; vel *sicut est hoc tempore*. Alii: *Ut dies ista testatur*; vel *quemadmodum hodie omnibus notum est*; aut *sicut hodie cernere licet*; seu *ut hodiernus dies declarat*. Vide infra cap. VIII. vers. 18.

*V.* 31. INCIPE POSSIDERE EAM. Hebr. *Incipe, hæredita ad hæreditandum terram eius*. Quidam: *Incipe adire hæreditatem, ut hæreditario iure possideas terram eius*.

*V.* 34. INTERFECTIS HABITATORIBUS EARUM, VIRIS AC MULIERIBUS, &c. Hebr. *Et anathematizavimus, excommunicavimus, devovimus internecioni, devotavimus, exscidimus omnem urbem, mortales, ac mulieres*. Quidam reddunt, *omnem urbem hominum*; ut sit hypallage, omnes homines urbium, vel urbes populosas, frequentes hominibus, ut cap. II. vers. 6. *Ac mulieribus*: ut mandatur infra cap. XX. vers. 16.

*V.* 36. OPPIDO QUOD IN VALLE SITUM EST. Hebr. *Et urbe quæ in torrente*, vel *quæ est in flumine*. Hanc quidam volunt esse ipsam urbem Harem, Numer. XXI. vers. 15. unde & regioni nomen fuerit impositum, supra vers. 9. Sed in eo loco Numerorum notavimus, Ar, & Aroer unam & eamdem urbem a plerisque existimatam, quæ dicta sit Aroer, quasi Ar gemina, quod dimidium eius esset ad ripam fluminis vel torrentis Arnonis, & alterum dimidium ad alveum eiusdem torrentis protenderetur: vide ibi. QUAE NOSTAS EFFUGERET MANUS. Hebr. *Quæ altior fuit a nobis*, vel *quæ superior esset nobis*; id est, quam non transcendere, & expugnare potuimus. Alii: *Quæ munita fuit a nobis*; id est, cuius munitiones, quantumvis validæ & altæ, eam vobis eripere potuerint, quin eam ceperimus.

## MENOCHII.

*Verſ.* 1. Sicut dixerat mihi Dominus, ſcilicet Numerorum xiv. 25. Circuivimus montem Seir, Idumæam: Idumæorum enim pater fuit Eſau, qui etiam dictus eſt Seir, id eſt piloſus. Idumæa dicitur mons, quia regio eſt alta, & montoſa.

*V.* 3. Ite contra Aquilonem: ite verſus terram promiſſam, quæ venientibus de AEgypto eſt verſus Aquilonem.

*V.* 4. Per terminos fratrum veſtrorum filiorum Esau. Licet enim Numeror. xx. 21. Idumæi initio negarint tranſitum Hebræis; hinc tamen, & ex numero 6. & 28. patet eos Hebræis tandem tranſitum ſaltem per extrema regionis conceſſiſse: hoc enim ſignificare videtur particula illa, *Per terminos*.

*V.* 5. Quantum poteſt unius pedis calcare veſtigium, ne minimum quidem. Proverbialis loquendi formula.

*V.* 6. Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis. Itaque licet eis quotidie manna depluerct, nullo tamen præcepto eis vetitum erat alios cibos edere, ſicunde habere potuiſſent. Aquam emptam haurietis. Septuaginta: *Aquam menſura accipietis argento*. Hebr. *Aquas fodietis in argento*: fodere enim Hebræi uſurpant pro emere, & acquirere: quem idiotiſmum etiam alibi noſter Interpres retinuit, ut Oſeæ III. 2.

*V.* 7. Novit iter tuum: direxit, proſperum fecit, & in eo te variis beneficiis affecit: dicitur enim Deus in Scriptura noſse eos quibus peculiariter bene vult, ac bene facit. Nihil tibi defuit. LXX. retinentes Hebraicum idiotiſmum, vertunt: *Non indiguiſtis verbo*.

*V.* 9. Filiis Lot, Moabitis; ſicut & infra num. 19. Filii Lot ſunt Ammonitæ: Moab enim, & Ammon duo Lot filii ex duabus filiabus extitere. Ar, urbs regia Moabitarum.

*V.* 10. Emim primi fuerunt habitatores eius: ante Moabitas ea loca tenuerunt. Hæc commemorat Moyſes, ut Hebræi exemplo Emim ſuis ſedibus pulſorum, fiduciam concipiant occupandæ Chananææ. *Emim* autem dicuntur, quaſi terribiles propter immanem proceritatem, & vires: אימה *ema* enim in Hebræo eſt terror. Alii deducunt ab אמה *amma*, id eſt *cubitus*; quaſi dicas, viri cubitorum, ſcilicet multorum. Similes filiorum Enacim, qui habiti ſunt omnium proceriſſimi gigantes.

*V.* 12. Prius habitaverunt Horrhaei, de quibus Geneſ. xiv. 5. quos percuſſit Codorlahomor vaſtans montana Seir. Maſius Ioſue xii. 4. putat Horræos fuiſſe Troglodytas. Sicut fecit Iſrael in terra poſſeſſionis suae, ſcilicet in terra duorum Regum Og, & Sehon: necdum enim ceteram terram promiſſam ingreſſi erant Iſraelitæ.

*V.* 13. Torrentem Zared eſt torrens defluens in Mare mortuum.

*V.* 14. Sicut iuraverat Dominus, Num. cap. xiv.

*V.* 15. Cuius manus fuit adverſum eos. Domini vindicta, ut plurimi morerentur immatura morte.

*V.* 19. Filiis Lot, Ammonitis, & Moabitis.

*V.* 20. In ipsa, Ammonitide. Zomzommim. Hi ſunt qui Gen. xiv. 5. vocantur *Zurim*: ſignificat autem vox Zomzommim 1. flagitioſos, & ſceleratos; 2. inuſitatæ magnitudinis; 3, famoſos, & celebres.

*V.* 21. Et fecit, Dominus. Illos, Ammonitas. Habitare pro eis, pro Zomzommim.

*V.* 23. Cappadoces expulerunt. In Hebræo hi Cappadoces appellantur *Caphthorim*: nec ſunt illi qui per Aſiam minorem ad Pontum Euxinum extenduntur, ſed alii, qui Palæſtinam incoluerunt.

*V.* 25. Sub omni caelo: ad quos ſcilicet fama rerum a me pro te geſtarum perveniet.

*V.* 26. Miſit ergo nuntios. Vide Num. xxi. 21. De solitudine Cademoth, quam ad orientale latus regionis Moabiticæ conſtituit Adrichomius.

*V.* 28. Tantum eſt: tantum requirimus.

*V.* 29. Sicut fecerunt filii Esau, per extrema ditionis ſuæ, ut dixi num. 4. Et Moabitae, qui moran-

RANTUR IN AR. Ergo Moabitæ transitum aliquem in limitibus Ar dederunt Hebræis; ſed paulo poſt ſibi timentes, mutato conſilio negaverunt.

*V.* 30. INDURAVERAT, non molliendo, & inflectendo, cum poſſet.

*V.* 32. EGRESSUSQUE EST, &c. Hiſtoriam habes Num. XXI. 23. & deinceps.

*V.* 34. INTERFECTIS HABITATORIBUS EARUM, &c. iuxta præceptum Domini, ut patet infra cap. XX. 16.

*V.* 37. TORRENTI IEBOC: ubi Iacob luctatus eſt cum Angelo, Gen. XXXII. 22. pertinetque ad Ammonitas.

## T I R I N I.

*Verſ.* 4. TRANSIBITIS PER TERMINOS ESAU, id eſt per extremas Idumææ oras ac fines. Nam per interiora regni, aut viſcera terræ, ut tranſirent, negarunt Iſraelitis Idumæi Num. XX. verſ. 21.

*V.* 10. EMIM, id eſt terribiles, nempe robore, & proceritate ſua gigantes. Meminit enim hic quadruplicis generis gigantum. Primo *Emim*; ſecundo *Enacim* a; tertio *Hevæorum* b, ſeu *Raphaim* c; quarto *Zomzommim* d, vel *Zuzim* e. Hos gigantes dicit, initio tenuiſſe terram Paleſtinæ, ſed ab Amorrhæis, Moabitis, Ammonitis, & Cappadocibus inde vi pulſos fuiſſe. Quod idcirco hic narrat Moyſes, ut fiduciam etiam Iſraelitis faciat occupandæ, Deo duce, eiuſdem Palæſtinæ. Nam ſi tam proceri, tam validi gigantes potuerunt armis & vi humana ſuperari; quid erit impervium aut impoſſibile militantibus Deo, & fultis ope divina?

*V.* 23. CAPPADOCES, egreſſi de Cappadocia. Hebraice eſt *Caphtorim*. Non enim agit hic Moyſes de Cappadocibus qui in Aſia Minore, in continente, ad Pontum Euxinum degunt, quorum regio paſſim a geographis Cappadocia vocatur. Nam hi ab Iaphet oriundi ſunt, teſte Ioſepho f; cum alii de quibus hic Moyſes, a Meſraim, qui AEgyptum propagavit, filio Cham proſeminati fuerint, ut dicitur Gen. X. verſ. 14. Unde & veroſimile eſt, Cappadociam, ſeu locum e quo hi in Chananæam venerunt, vel AEgypti partem fuiſſe, vel AEgypto conterminum, puta Meroen, Syenen, vel ipſum etiam Delta aliaſque inſulas Nili, quæ ut numero plurimæ, ita magnitudine vaſtiſſimæ ſunt. Supra ſeptingentas eſſe Diodorus Siculus g affirmat, & quaſdam vix quinque dierum curſu permeari poſſe, Iuſtinus, & Plinius. Quare merito a Ieremia cap. XXXXVII. & Amos IX. dicuntur Paleſtini, Cappadocum reliquiæ, veniſſe ex inſulis Cappadociæ. Et videntur hi non alii fuiſſe quam Philiſthæi, & loca quæ in Palæſtina occuparunt, eſſe quinque illæ Philiſtinorum ſatrapiæ, Accaron, Geth, Azotus, Aſcalon, & Geza: quas omnes ſimul Noſter hic complectitur duabus vocibus *Haſerim*, ſeu villarum, & *Gaza*.

(a) Deut. II. verſ. 10. & Ioſue XXI. verſ. 11.
(b) Deut. II. verſ. 23.
(c) I. Paral. XX. verſ. 6. & ibid. And. Maſius Gen. I. verſ. 6. Iſaiæ XXVI. verſ. 14.
(d) Deut. II. verſ. 20.
(e) Geneſ. XIV. verſ. 5.
(f) Ioſeph. Lib. I. Antiq. cap. VI.
(g) Diod. Siculus Lib. I. Iuſtinus Lib. II. Hiſt. Plinius Lib. V. cap. IX.

## G O R D O N I.

*Verſ.* 1. DUo hæc capita, primum, & ſecundum, non aliam requirunt explicationem, præter inſpectionem tabularum geometricarum, quas de hac re habes in hoc volumine expanſas. Res ipſa ſupra narrata eſt, præſertim Num. XIV. 20. & 21.

*V.* 4. & 5. Hi Idumæi initio negarunt tranſitum, Num. cap. XX. verſ. 21. tamen poſtea, ut hinc conſtat, conceſſerunt. Adde hic verſ. 6. & 28.

*V.* 6. Manna uſi ſunt in deſerto: non tamen omnes ſemper, ut hinc conſtat; ſed interdum alios cibos emebant, ac forte etiam carnes.

*V.* 9. AR urbs eſt Moabitarum regia.

*V.* 10. 11. & 12. EMIM, &c. *Emim*, gens fortis, & procera, a Moabitis, inquit, deleta eſt; ſicut etiam Horrhæi ab Idumæis, ut narrat verſ. 12. De Horrhæis vide Geneſ. XIV. verſ. 6. Additur hic idem nunc factum eſſe ab Iſraelitis, certe in regnis Sehon, Og, & Amorrhæis. Fruſtra quæruntur alii ſenſus.

*V.* 14. & 20. De rebus geſtis ad Zared, vide Num. XXI. verſ. 12. Addit verſ. 20. ut antea verſ. 10. & 12. pulſos Zomzommim ab Ammonitis. ZOMIM regia. Si-

milia verſ. 23. de Hevæis, quos expulerunt Cappadoces.

*V.* 24. SURGITE ET TRANSITE, &c. Pergit narrare geſta in itinere, & hic de exhortatione ante pugnam contra Amorrhæos.

*V.* 30. De modo quo Deus indurat, dictum ſæpe. Vide Exod. cap. VII. & XIV.

*V.* 34. VIRIS. Hebr. מתים *methim*, per Sceva, ſignificans mortales: nam per Zere, ſignificat mortuos.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 6. AQUAM HAURIETIS. Hebraiſmus eſt. Solent Hebræi pro fodere, & haurire, intelligere id quod eſt emere, & poſſidere.

*V.* 13. Eſt Zared torrens defluens in Mare mortuum.

*V.* 19. FILIIS LOT, Ammonitis, & Moabitis.

*V.* 20. IN IPSA, Moabitide. ZOMZOMMIM, flagitioſos ſignificat.

*V.* 21. ILLOS, Ammonitas.

*V.* 23. Hi ſunt Cappadoces illi qui Palæſtinam incoluerunt.

*V.* 26. MISIT. Vide Num. XXI. 21.

*V.* 29. SICUT FECERUNT. Moabitæ initio tranſitum aliquem permiſerunt, ſed poſtea mutarunt conſilium.

*V.* 37. IEBOC, locus eſt ubi luctatus eſt Iacob cum Angelo Gen. XXXII.

# CAPUT III.

*Pugna contra Og regem Baſan, & lectus eius, atque ſors duarum tribuum & ſemis citra Iordanem: precatur Moyſes ut liceat ei terram promiſſam ingredi.*

1\. ITaque converſi aſcendimus per iter Baſan: (*a*) egreſſuſque
eſt Og rex Baſan in occurſum nobis cum populo ſuo ad
bellandum in Edrai. 2. Dixitque Dominus ad me: Ne ti-
meas eum: quia in manu tua traditus eſt cum omni po-
pulo ac terra ſua: facieſque ei (*b*) ſicut feciſti Sehon regi
Amorrhæorum, qui habitavit in Heſebon. 3. (*c*) Tradidit
ergo Dominus Deus noſter in manibus noſtris etiam Og
regem Baſan, & univerſum populum eius: percuſſimuſque eos uſque ad interne-
cionem, 4. vaſtantes cunctas civitates illius uno tempore. Non fuit oppidum,
quod nos effugeret: ſexaginta urbes, omnem regionem Argob regni Og in Ba-
ſan. 5. Cunctæ urbes erant munitæ muris altiſſimis, portiſque & vectibus, abſ-
que oppidis innumeris, quæ non habebant muros. 6. Et delevimus eos, ſicut
feceramus Sehon regi Heſebon, diſperdentes omnem civitatem, viroſque ac mu-
lieres & parvulos; 7. iumenta autem & ſpolia urbium diripuimus. 8. Tulimuſ-
que illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant
trans Iordanem: a torrente Arnon uſque ad montem Hermon, 9. quem Sidonii
Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir: 10. omnes civitates, quæ ſitæ ſunt in pla-
nitie, & univerſam terram Galaad & Baſan uſque ad Selcha & Edrai civitates
regni Og in Baſan. 11. Solus quippe Og rex Baſan reſtiterat de ſtirpe gigantum.
Monſtratur lectus eius ferreus, qui eſt in Rabbath filiorum Ammon, novem
cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad menſuram cubiti virilis ma-
nus. 12. Terramque poſſedimus tempore illo ab Aroer, quæ eſt ſuper ripam
torrentis Arnon, uſque ad mediam partem montis Galaad: & civitates illius

(*d*) de-

(*d*) dedi Ruben & Gad. 13. Reliquam autem partem Galaad, & omnem Basan regni Og, tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob: cunctaque Basan * vocatur terra gigantum. 14. Iair filius Manasse possedit omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri & Machati. Vocavitque ex nomine suo Basan, Havoth Iair, id est Villas Iair, usque in præsentem diem. 15. Machir quoque dedi Galaad. 16. Et tribubus Ruben & Gad dedi de terra Galaad usque ad torrentem Arnon medium torrentis, & confinium usque ad torrentem Ieboc, qui est terminus filiorum Ammon: 17. & planitiem solitudinis, atque Iordanem, & terminos Cenereth usque ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra Orientem. 18. Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in hereditatem, expediti præcedite fratres vestros filios Israel omnes viri robusti: 19. absque uxoribus, & parvulis, atque iumentis. Novi enim quod plura habeatis pecora, & in urbibus remanere debebunt quas tradidi vobis, 20. donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit; & possideant ipsi etiam terram, quam daturus est eis trans Iordanem: tunc revertetur unusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis. 21. (*e*) Iosue quoque in tempore illo præcepi, dicens: Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus; sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es. 22. Ne timeas eos: Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis. 23. Precatusque sum Dominum in tempore illo, dicens: 24. Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam: neque enim est alius Deus, vel in cælo, vel in terra, qui possit facere opera tua, & comparari fortitudini tuæ. 25. Transibo igitur, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem istum egregium, & Libanum. 26. Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, sed dixit mihi: Sufficit tibi: nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. 27. Ascende cacumen Phasgæ, & oculos tuos circumfer ad Occidentem, & ad Aquilonem, Austrumque, & Orientem, & aspice: (*f*) nec enim transibis Iordanem istum. 28. Præcipe Iosue, & corrobora eum atque conforta: quia ipse præcedet populum istum, & dividet eis terram quam visurus es. 29. Mansimusque in valle contra fanum Phogor.

(*a*) Num. xxi. 33. Inf. xxix. 7. (*b*) Num. xii. 34. (*c*) Num. xxi. 35. (*d*) Num. xxxii. 29. (*e*) Num. xxvii. 18. (*f*) Inf. xxxi. 2. & xxxiv. 4.

## BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 13. *Vocatur terra gigantum*. Alii pro præsenti scribunt præteritum imperfectum *vocabatur*.

## COMMENTARIA

S A.

*Verf.* 1. BASAN. Hæc est Trachonitis regio.

*V.* 2. TRADITUS EST. Hebr. *Eum tradidi*, pro tradam.

*V.* 11. RESTITERAT, id est remanserat. VIRILIS MANUS; quasi dicat, communis, seu vulgaris: mensuratur enim cubitus palmo.

*V.* 14. FILIUS, id est nepos.

*V.* 17. CENERETH, id est maris, seu lacus Genesareth. SALSISSIMUM, scilicet Mare mortuum. CONTRA, proad.

*V.* 25. EGREGIUM, scilicet in quo templum ædificandum, Deusque colendus: vel montem Libanum intelligit, ut quod sequitur, sit explicatio. LIBANUM, scilicet montem, vel locum, ubi templum ex cedris Libani ædificandum. LXX. *ante Libanum*. Chald. *domum sanctuarii*. Notant quidam, dictum Libanum, id est album, ob perpetuas nives, vel quia thure abundat, quod Hebraice *Lebanon* dicitur.

*V.* 26. SUFFICIT, scilicet quod a me hactenus accepisti.

*V.* 28. PRAECEDET, id est ducet. VISURUS ES, pro *vidisti*, ut verterunt LXX.

*V.* 29. FANUM, id est templum.

## ESTII.

*Vers.* 5. CUNCTAE URBES ERANT MUNITAE MURIS ALTISSIMIS, PORTISQUE AC VECTIBUS, ABSQUE OPPIDIS INNUMERIS, QUAE NON HABEBANT MUROS. In Hebræo idem est vocabulum, pro quo noster Interpres modo vertit *urbes*, modo *oppida*, modo *civitates*. Comprehenduntur autem eo nomine etiam vici seu pagi, ac similia loca non munita, in quibus aliqua sit hominum frequentia.

*V.* 23. PRECATUSQUE SUM DOMINUM IN TEMPORE ILLO. Quæritur, cum Moysi iam ante prædictum esset quod terram promissionis non esset ingressurus, idque ob incredulitatem suam ad aquas contradictionis, quomodo hic non committat novum peccatum incredulitatis, utpote non conformans se divinæ voluntati? Resp. quod prædictiones divinæ, quibus pœna vel afflictio, vel quodcumque malum prædicitur, non semper definitivam continent sententiam, sed frequenter tantum sunt comminatoriæ: sic illud ad Ezechiam: *Morieris*, *& non vives*: & item ad Ionam: *Adhuc tres dies*, *& Ninive subvertetur*. Ita fieri potuit ut Moyses sententiam Dei intellexerit tamquam comminatoriam; aut saltem dubitaverit, utrum definitiva esset sententia, an vero comminatoria tantum, maxime cum iam recenter Reges aliquot debellasset, & eorum terram populo distribuisset: unde spem concipere poterat etiam Iordanem transeundi. Sic ergo similis erat oratio Moysi orationi Ezechiæ, qui, audita prædictione illa, *Morieris*, *& non vives*, tamen precatus est, & vita ei producta est.

*V.* 25. TRANSIBO IGITUR, inquit Moyses, ET VIDEBO TERRAM HANC OPTIMAM TRANS IORDANEM. Quæstio hic nascitur, quare Moyses tantopere expetivit intrare corporaliter terram promissionis, & corporalibus oculis eam lustrare, cum esset tam sanctus Propheta, qui corporalem illum adspectum non magni facere debebat, maxime cum iam ante etiam longe maiora ipsi essent ostensa; velut quod Deus palam, & non per ænigmata, cum ipso tam familiariter ageret, vidissetque tam frequenter Dei magnalia, & stupenda opera? Ad quod videtur respondendum, quod Moyses id desiderarit tantopere duas ob causas. Cum enim vir sanctus esset, tangebatur devotione videndi, & perlustrandi ea loca in quibus sanctissimi Patriarchæ progenitores ipsius, ac totius populi, peregrinati fuerant, & divinas promissiones acceperant; sicut nunc ex devotione ob memoriam sanctorum loca conversationis eorum pie a fidelibus visitantur. Tum secundo, cum etiam Propheta esset, merito desiderabat videre coram, & venerari ea loca in quibus omnium Prophetarum Dominus, semen illud benedictum, Patriarchis promissum, aliquando conversari deberet, & redemptionis humanæ mysterium peragere.

## MARIANAE.

*Vers.* 1. PER ITER BASAN. *Basan* regio lætissimis pascuis: sic Psalm. XXI. vers. 13. ubi nos *tauri pingues*, Hebr. *tauri Basan*.

*V.* 4. OMNEM REGIONEM ceperunt Israelitæ. Hebr. *omnem funiculum*: sic regionem vocat, quoniam funiculis dividebant prædia.

*V.* 8. & 9. AD MONTEM HERMON, QUEM SIDONII SARION VOCANT. Psalm. XXVIII. vers. 6. Hebr. *Libanum quoque*, *& Sarion*, *sicut filios unicorni*.

*V.* 11. LECTUS EIUS FERREUS. Quia ligneus pondus non ferebat. CUBITI VIRILIS MANUS. Chald. *cubito eius-*

*eiusdem Regis*, sed melius mensura vulgari: & dicitur *cubitus viri* Hebr. quod esset cubitus maior alius, & legalis, ut inter nos Romanus Hispano, & vulgari maior est. Quidam hunc lectum sepulcrum fuisse putat.

*V.* 17. AD RADICEM MONTIS PHASGA CONTRA ORIENTEM. Hebr. *sub effusionibus collis ad Orientem*. Sed bene *effusiones*, quo aquæ confluunt e monte dilapsæ, vocavit *radicem montis*. Idem Hieron. Num. XXI. vers. 15. pro eadem voce dixit *scopuli*; in Iosue Lib. cap. X. dicit *Aseroth*; & cap. XII. *Asedoth*, quasi sit nomen proprium. Hebræi ubique *effusiones* intelligunt. Porro hoc loco *Phasga* non accipiunt Hebræi ut nomen proprium, sed in significatione collis. CENERETH est Genesar. MARE SALSISSIMUM est Mare mortuum.

*V.* 23. PRECATUSQUE SUM DOMINUM. Verbum Hebraicum significat *Petere misericordiam*.

*V.* 25. MONTEM ISTUM EGREGIUM, ET LIBANUM. Quidam putant esse duos montes; sed melius est ut *&* redundet, & designetur tantum *Libanus*.

*V.* 28. DIVIDET EIS TERRAM. Hebr. *Hereditare faciet eos terram*, non tu scilicet, sed Iosue.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. ASCENDIMUS PER ITER BASAN. Hanc historiam deleti Hog regis Basan expositam quoque dedit Moses Numer. XXI. vers. 33. & seqq.

*V.* 3. USQUE AD INTERNECIONEM. Hebr. *Usque ad non reliquit ei residuum*. Quidam: *Ita ut non remaneret illi superstes*. Alii: *Ita ut non superesset ei reliquus*. Nonnulli: *Adeo ut non reliqueret sibi superstitem*. Aliqui: *Adeo ut non fecerimus ei reliquum superstitem*. Similis locutio est Numer. XXI. vers. 35.

*V.* 4. OMNEM REGIONEM. Hebr. *omnem funem*. חבל *chebel*, *funis*, solet figurate interdum poni pro *spatio terræ*, quod funiculis mensuratur; pro *parte*, *portione terræ*, seu *hereditatis*, quæ funiculis mensoriis dividebatur. Psalm. XV. vers. 6. & alibi sæpe, *regionem*, *tractum*, solent interpretari. ARGOB. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Argob, regio Og regis Basan super Iordanem, quæ cecidit in sortem dimidiæ tribus Manasse: & est usque hodie vicus circa Gerasam urbem Arabiæ, quindecim ab ea distans millibus contra Occidentem, qui Arga appellatur: quod interpretatur Symmachus mensuram*. Chaldæi Interpretes hic Trachonitidem intelligunt. Nomen habere videtur a pingui gleba, & solo fertili. Hebræorum quidam non regionis, sed viri nomen Argob hic esse volunt.

*V.* 5. PORTISQUE. דלתים *delataiim*, duale aiunt significare, *fores*, *ianuas*, *bifores*, seu *bifidas*, vel quod hinc tabulam unam, inde alteram ad claudendum habeant; vel quod duas habeant valvas, quibus occludantur. ABSQUE OPPIDIS INNUMERIS, QUAE NON HABEBANT MUROS. Hebr. *præter urbes irruptionis multum valde*. פרזי *perazi* quidam pro nomine substantivo capiunt, *irruptionis*, *perruptionis*; id est, oppida in quæ facilis est irruptio, quod muris careant. Alii volunt esse plurale contractum: *Præter urbes paganorum*, seu *pagorum*, aut *villarum*.

*V.* 8. USQUE AD MONTEM HERMON, seu *Chermon*. Hic primum occurrit mons Hermon sacris Scripturis egregie nobilitatus; de quo Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *AErmon mons Amorrhæorum, quem Phœnices vocant Sanior: Amorrhæus appellavit Sanir: diciturque in vertice eius insigne templum, quod ab Ethnicis cultui habetur. e regione Paneadis & Libani, & terra filiorum Israel trans Iordanem ad solis ortum a prærupto Arnon usque ad montem AErmon extenditur*. Et paulo superius: *AErmon regio AEvæorum, quam obtinuit Iesus. Hebræus vero, quo prælegente sacras Scripturas didici affirmat montem AErmon Paneadi imminere; quem quondam tenuere AEvæi, & Amorrhæi: de quo nunc æstivæ nives Tyrum ob delicias deferuntur*. Vide Iacobum Vitriacum in Historia Ierosolymitana, cap. LXXXIV. Hevæos habitasse sub Hermone, scribitur Iosue XI. vers. 3. & Iudic. III. vers. 3. Esse ipsum Libanum longe lateque, vel certe eas Libani partes versus Orientem supra Iordanis fontes, atque ad Trachonitidem pertinuisse, plerique annotarunt. Brocardus: *Mons Hermon, qui circuit Trachonitidem regionem, & proveniens usque Da-*

*mascum, copulat se Libano inter Bellenam & Damascum*. Partem magnam Antilibani putant. Hebræorum nonnulli existimant, Hermon non esse nomen proprium alicuius loci, sed esse epitheton Libani iis partibus quibus vastus & inhospitalis est, nivibus coopertus, & frigore rigidus: quod verbum חרם *charam*, *perditum*, *excitum*, *anathematizatum*, *vastum*, *ab usu sepositum*, significet.

*V.* 9. SARION. Hebr. שרין *schirion*. Hebræi secuti Chaldæum, *fœtentem*, seu *fœtidum* interpretantur, quod fructus in eo corrumpantur: alii, *principalem*. Chaldæi, & Hebræi *nivosum* interpretantur, quod nivibus semper coopertus esset, seu hieme, seu ætate: notant enim id significare in lingua Chananæa, ut etiam Germanica. Vide cap. IV. vers. 48. & *Sanir* Canticor. IV. vers. 8.

*V.* 10. IN PLANITIE. משור *mischor*, proprie *rectitudo*, *æquabilitas*, *planities*. Differre notant a ערבה *gharabah*, *campestri*, quantitate, & qualitate: quod *gharabah* sit maioris spatii, aspera, & acida; *mischor*, melliflua, exculta, arvis, arboribus, hortis iucunda, & amœna. USQUE AD SELCHA. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Selcha civitas regis Og in regione Basanitide*. Coniectantur positam fuisse in extrema Basanitidis ora, quæ supra Philippi Cæsaream est. Dimidii diei itinere distare a monte Galaad, auctor est Beniamin Tudelensis in Itinerario.

*V.* 11. IN RABBATH FILIORUM AMMON. Eusebius, & S. Hieronymus: *Rabbath civitas regni Ammon, nunc Philadelphia: cuius meminit Ieremias*. Meminere Philadelphiæ Strabo Lib. XVI. Ptolemæus Lib. V. cap. XV. Plinius Lib. II. cap. XVIII. *fertilem Philadelphiam* vocat. Est urbs Cœles-Syriæ, Arabiam versus. רבת *Rabbath* dicta videtur quod esset populosissima. Polybius Lib. V. *Factus certior Antiochus magnum hostium numerum in urbem Arabiæ convenisse*. Stephanus de Urbibus: *Rabbathammana urbs est in Arabicis montibus*: & rursum: *Tertia Philadelphia Syriæ est inclyta urbs, quæ primum Ammana, deinde Astarte, demum Philadelphia est cognominata, a Ptolemæo Philadelpho*. S. Hieronymus in Ezechiel. XXV. *Contra filios Ammon, qui habebant metropolim nomine Rabbath, quæ hodie a rege Ægypti Ptolemæo cognomento Philadelpho, qui Arabiam tenuit cum Iudæa, Philadelphia nuncupata est*. AD MENSURAM CUBITI VIRILIS MANUS. Hebr. *in cubito viri*. Quidam exponunt: Id est iustæ & communis mensuræ, qualem mensuram cubitalem quisque artifex observare solet. Idem cubitus notæ mensuræ appellatur Iosue III. vers. 4. Alii, *cubitum viri*, interpretantur cubitum vulgarem, seu viri mediocris, quales erant homines illius temporis, aut viri iustæ & perfectæ staturæ. Nec desunt qui explicant, *in cubito viri*, nempe ipsius Hog, qui erat gigas. Chaldæi Interpretes, *in cubito regis*. Herodotus Lib. I. numer. 178. *Est autem regius cubitus, quam quo pro mensura utimur* (nempe communi & vulgari) *tribus digitis maior*. De cubito egere complurimi. Vide S. Augustinum Lib. XV. de Civitate Dei, cap. XXVII. Antonium Nebrissensem repetitione VI. de Mensuris; Drusium hic.

*V.* 14. GESSURI. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Gessuri, regio alienigenarum in Syria*. Aliqui putant esse Batanæam provinciam, in qua fuerit Gerrha apud Ptolemæum, Lib. V. cap. XV. Notant quidam Gessuræos a tergo Basanitidis oræ supra Cæsaream Philippi introrsus iacuisse, in montosis quidem illis locis, sed fertilibus tamen & populosis, quæ ad Syriam Damasci, seu Damascenam vergunt: unde Gessur Syriæ dicitur II. Samuel. XV. vers. 8. De quibus etiam Iosue XIII. vers. 11. & 13. MACHATI. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Machathi urbs Amorrhæorum supra Iordanem, iuxta montem Ærmon: de qua exterminare non valuerunt filii Israel Machathæum*: & postea: *Maachah regio regis Gessur*. Esse conterminos Gessuræis, non est dubium. Hanc dictam *Syriam Maachah*, plerique existimant: de qua vide Genes. XXII. vers. 24. Chaldæi Interpretes pro Maachathæis Epicœreos reddere solent: fortassis a fluvio Epicœro Palæstinæ Iudææ, apud Ptolemæum Lib. V. cap. XVI. Sed longe Maachathæi ab Epicœro Ptolemæi distabant, quem ipse ad lacum Asphaltitem collocat. De Maachathæis, etiam Iosue XIII. vers. 11. & 13.

*V.* 17. AD RADICES MONTIS PHASGA. De voce אשדות *aschdoth*, quam hic radi-

radices Noster dixit, egimus Numer. xxi. vers. 15. Varie hic reddunt. I. *sub effusionibus collis*, id est ad radices collis, quæ fontibus irrigari solent. II. *sub scatebris collis*. III. *sub decursibus ipsius collis*: sic vocari aiunt declivem illius collis partem in quam e diversis locis torrentes decurrunt. IV. *sub declivitatibus, devexitatibus Phisghah* (Hispanicus Interpres apposite: *Las vertientes abaxo del Phasga*.) V. *sub Aschdoth Phisghah*. Putant proprium esse nomen urbis, de qua Iosue xiii. vers. 20. sic dictam, quod in locis declivibus & vergentibus montis Phasga sita esset: volunt enim *aschdoth* esse ea loca, quæ, a Græcis dicuntur ὑπώρειαι; hoc est, ubi montes, collesve in campos se porrigunt, proiiciuntque; quasi dicas, porrectiones, proiectiones, effusiones, loca devexa & declivia: quæ solent esse ceteris cultiora lætioraque. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Asedoth urbs Amorrhæorum, quæ cecidit in sortem tribus Ruben: appellatur autem, addito cognomento Asedoth, Phasga, quod in lingua nostra resonat Abscissum*. Ridicule quidam exponunt, locum ubi Iordanis e mare Cinereth effunditur in terram planitiei: quod ex Beniamin Itinerarii pag. 51. acceperunt.

*V.* 18. EXPEDITI PRAECEDITE, &c. Hoc illis præcepit Moses, cum se illi prius obtulissent Numer. xxxii. vers. 17. 20. 21.

*V.* 20. DONEC REQUIEM TRIBUAT DOMINUS FRATRIBUS VESTRIS. Hebr. *Quousque reponet, dimittet, quiescere faciet, pausare faciet, fratres vestros*, scilicet in terra promissa.

*V.* 21. IOSUE QUOQUE, &c. Vide Numer. xxvii. vers. 18. & seqq.

*V.* 24. QUI POSSIT FACERE OPERA TUA. Hebr. *sicut, secundum opera tua*, id est opera similia tuis; quasi dicat: Opera non dico paria, sed etiam similia, aut prope accedentia ad tuorum operum amplitudinem & gloriam. FORTITUDINI TUAE. גבורות *geburoth*, quidam reddunt *virtutes, stratagemata*.

*V.* 25. ET MONTEM ISTUM EGREGIUM: alii, *optimum*; id est, uberrimos colles, quibus montosa Chananæa referta est, Exodi xv. vers. 17. & infra cap. xi. vers. 11. Aliqui Moriam intelligunt. ET LIBANUM. Plerique Hebræorum Libanum hic, locum in quo postea extruetur templum ex lignis cedrinis, quæ afferentur e monte Libano, interpretantur. S. Hieronymus in xvii. Ezech. *Crebro templum in Scripturis sanctis Libanus appellatur*: ut Zachar. xi. vers. 1. & alias. Sed rectius est accipere montem Libanum proprie terminum aquilonarem terræ promissæ. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Libanus mons Phœnices altissimus*. Eum descripsere Polybius Lib. V. Diodorus Siculus Lib. XIV. num. 407. Strabo Lib. XVI. Plinius Lib. V. cap. xx. Ptolemæus Lib. V. cap. xxv. & recentiores innumeri. Libani appellationem, ab albedine, & candore quidam derivant, quod nivibus semper albescat. Sic Alpes dictas volunt ab eo quod est ἄλφον, id est *album*. Tacitus Hist. V. de Iudæa: *Præcipuum montium Libanum erigit: mirum dictu! tantos inter ardores opacum, fidumque nivibus*. Supra ad vers. 8. ex S. Hieronymo vidimus, ex eo nives æstivas Tyrum ob delicias deferri. Auctor Hœdoporici Ierosolymitani: *In summo cacumine, ut in altissimis Alpium iugis perpetuæ nives, quæ paleis conservantur, & ad vicina loca magnis caloribus æstuantia, ut vinum, & reliquæ fruges frigore temperentur, in sportulis deportantur*. Alii a thure, cuius sit ferax, Libanum vocatum existimant: constat enim Libanum cedrorum atque aliarum resinosarum arborum fertilem esse: ex quibus credibile est, si non purissimum & pretiosissimum illud thus Sabæis proprium, at thuris speciem quamdam excipi. Idem Auctor Hœdoporici: *In Libano iuxta cedros electæ abietes, odoriferæ cyparissi, pingues olivæ, pini, buxi, variæque arbores, instar thuris mire fragrantes*. Vide in Cant. iv. vers. 11.

*V.* 26. IRATUSQUE EST. Hebr. *Et transire se fecit*; id est, invectus est. Vide supra cap. i. vers. 37. & Numer. xx. 12. Plerique vertunt, *Et excanduit*, vel *exarsit*.

*V.* 27. ASCENDE CACUMEN PHASGAE. Vide infra cap. xxxii. vers. 49. & cap. xxxiv. vers. 1.

*V.* 29. IN VALLE. Hebr. *in Gaie*. Quidam nomen proprium esse volunt. CONTRA FANUM PHOGOR. Hebr. *e regione Beth-Phegor*. De hoc loco vide Notas Numer. xxvii. vers. 28.

## MENOCHII.

*Verſ.* 1. EGRESSUSQUE EST OG REX BASAN,&c. Hoc prælium habes deſcriptum Num. XXI. 33. & deinceps, ubi eadem prope omnia quæ hic reperies.

*V.* 4. ARGOB eſt eadem regio cum Baſan, ex D. Hier. de locis Hebraicis, & Adrichomio.

*V.* 5. MUNITAE MURIS, &c. Idem de his urbibus habetur III. Reg. IV. 13. Hæ tamen urbes ita grandes, munitæ, & obſeratæ, ſubinde vocantur vici, & villæ, ut ſupra Num. XXXII. 42. & infra hoc cap. num. 14. & Ioſue XIII. 30.

*V.* 8. MONTEM HERMON. *Hermon* mons pars eſt extrema montis Galaad trans Iordanem: totus enim mons, Galaad dicitur; at in variis locis varia habet nomina.

*V.* 9. SIDONII SARION. Mons ergo Hermon vocatur *Sarion*, & Sanir, vocatur & Sion, vel Seon, ut patet cap. IV. 48.

*V.* 11. SOLUS QUIPPE OG REX BASAN RESTITERAT DE STIRPE GIGANTUM; intellige in regione illa: nam alibi adhuc extitiſſe gigantes, patet Numer. XIII. 34. Ioſue XV. 14. 2. Par. XX. 6. IN RABBATH. Hæc poſtea dicta eſt Philadelphia, teſte S. Hieronymo de locis Hebraicis. CUBITI VIRILIS MANUS. Heb. *ſecundum cubitum viri*.

*V.* 14. FILIUS MANASSE, nepos: Hebræi enim omnes poſteros vocant filios. USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Hæc Abulenſis putat edita ab Eſdra, & non eſſe Moſis verba, quod longum aliquod tempus antecedens denotare videantur. Sed non eſt neceſſe: ſatis enim eſt, ſi tempus aliquod interceſſerit, quo toto eadem aliqua res continuata fuerit, ut dici poſſit: *Uſque in præſentem diem* monſtratur.

*V.* 15. MACHIR, id eſt poſteris Machir. DEDI GALAAD, id eſt partem Galaad: nam Rubenitæ etiam, & Gaditæ eius partem habebant.

*V.* 17. TERMINOS CENERETH. Vide dicta ſupra Num. XXXIV. 11. USQUE AD MARE DESERTI, Mare mortuum, ſive lacum Aſphaltitem, Num. XXX. 3. & 12.

*V.* 18. PRAECEDITE FRATRES VESTROS, armati in Chanaan.

*V.* 20. DONEC REQUIEM TRIBUAT, donec debellatis Chananæis, terræ diviſio facta ſit: quod bellum, atque diviſio annos quatuordecim tenuit, ex Abulenſi.

*V.* 25. TRANSIBO IGITUR, &c. quaſi dicat: Quæſo transeam, & videam terram, pro qua quadraginta annis laboravi. MONTEM ISTUM EGREGIUM, montem Moria, in quo Abraham obtulit Iſaac, & in quo ædificanda eſt Sion, & templum. Alii putant, ſermonem eſſe de montibus Bethel, qui & altiores quam mons Moria, & Iordani viciniores, nec multum a Iericho remoti ſunt.

*V.* 29. CONTRA FANUM PHOGOR. Hebr. *contra domum*, id eſt templum, *Phogor*.

## TIRINI.

*V.* 11. SOLUS QUIPPE OG REX BASAN RESTITERAT DE STIRPE GIGANTUM. Hebraice *de ſtirpe Raphaim*. Itaque ſolum hic negatur, quemquam ſuperfuiſſe de una illa & particulari ſtirpe gigantæa Raphaim, cum antea tempore Abrahami Gen. XIV. Raphaim totam illam regionem occuparent. Cui non obſtat, quod alii gigantes ex alia triplici ſtirpe, capite præcedenti, eodem tempore, & diu poſt ſuperſtites extiterint, ut patet ex Ioſue, Iudicum, & Regum libris. Quin neque obſtat, quod vel tunc, vel poſtea etiam, aliqui Raphaim ſuperfuerint; ſed extra terminos Baſanitidis, in qua ſola regione hic dicitur, nullos ex ea ſtirpe ſuperfuiſſe, patet: nam I. Par. XX. mentio iterum fit Raphaim.

*V.* 24 TRANSIBO IGITUR; hoc eſt, precor ut tranſire mihi liceat, & videre MONTEM ISTUM EGREGIUM. Forte deſignat montes Bethel, qui viciniores erant Iordani, nec multum a Iericho remoti, mirum in modum ameni, fecundi, nemoroſi, arboribus conſiti, odoriferis herbis referti, teſte Adrichomio. Niſi malis cum Oleaſtro dicere, per *montem egregium* deſignari Libanum, ut copulativa *&* pro exegetica ponatur, ſignificetque *id eſt*, ut alias ſubinde.

*V.* 26. IRATUS EST MIHI DOMINUS PROPTER VOS; hoc eſt, occaſione

ne vestri peccati & murmurationis: quia illa occasio fuit ut ego, dum aquas de petra conarer educere, in aliquam incredulitatem, etiam externo signo scandalose a vobis patefactam, inciderim, atque ita iram Dei incurrerim. Ergo per accidens saltem & remote populus causa fuit iræ divinæ in Moysen: propria, & propinqua causa fuit Moysis incredulitas, ut supra dixi Num. xx.

*V.* 29. MANSIMUS CONTRA FANUM PHOGOR. Hebraice, *contra*, seu *iuxta Bethphogor*, id est domum Phogor. Erat autem *Phogor* nomen idoli, ut dixi Num. xxv. hinc domus in qua adservabatur, *fanum* proprie verti potuit. Quin & urbs ipsa in qua id fanum erat, vel vicina erat fano, *Bethphogor* dicta fuit Iosue XIII. vers. 20. cessitque tribui Ruben, ut ibidem narratur.

(4) Num. xx. vers. 11.

## GORDONI.

*Vers.* 1. & 4. REponit, ut dicebam, prælium contra Og: de quo vide quæ dicta sunt Num. cap. XXI. vers. 33. VASTANTES CUNCTAS CIVITATES. De his sexaginta urbibus fit etiam mentio Num. cap. XXXII. vers. 41. & III. Reg. IV. vers. 13. & alibi. BASAN, regio Trachonitis, pascuis dives.

*V.* 8. MONS HERMON. Non est, quod aliqui dixerunt, pascua Ierusalem, aut mons Moria, ubi Abraham immolare voluit Isaac, & ubi ædificata est Sion, aut qui vers. 25. vocatur *Mons egregius*, הטוב *hatob*; sed est extrema pars montis Galaad trans Iordanem: late enim patet mons Galaad (quale videmus in Pyrenæis) cuius pars una est mons Seir, septentrionalior iuxta Damascum, & Paneadem; pars alia est Hermon, Savir, vel Sirion, qua parte videtur mons cum Libano coniungi. Plura Hieronymus de Locis Hebraicis.

*V.* 10. & 11. UNIVERSAM TERRAM GALAAD: eam scilicet partem universam, quam possidebat Og, ut vides hic vers. 13. SELCHA, ET EDRAI erant regni Basan partes extremæ. At quomodo post Og nulli gigantes? cum tempore Saulis fuerit Goliath? vide etiam I. Paral. xx. Sed notat hic, hanc regionem Basan trans Iordanem. Prodiisse ferunt a Rapha, & Enach gigantibus, duo gigantum genera Raphaim, & Enachim. Et habemus ex Genes. XIV. regionem hanc tempore Abraham occupatam fuisse a Raphaim gigantibus. En horum finem, saltem in hac regione. Ceterum lectus hic quibusdam videtur ipsum sepulcrum, marmoribus, ferro, aliisque rebus extructum, & familiæ regiæ antiquum monumentum. Erat in Rabbath, urbs Ammonitarum regia (postea expugnata a Philadelpho) & quæ antea fuisse debuit Og regis. Porro si cubitus tunc habebat duos pedes Romanos & semis, lectus ille erat viginti duorum pedum & semis.

*V.* 14. & 15. GESSURI ET MACHATI sunt urbes in finibus Basanitidis, non longe a monte Hermon. Pertinebant ad sortem dimidiæ tribus Manasse. Porro, vers. 15. MACHIR, intellige, filiis Machir dedit Galaad: fuit enim Machir filius Manasse, Gen. ult.

*V.* 16. ET TRIBUBUS RUBEN ET GAD. Harum tribuum dat, & describit terminos, quos etiam dilucide exponunt videndos geometricæ tabulæ.

*V.* 17. CENERETH est Genesareth. SALSISSIMUM hic est Mare mortuum.

*V.* 25, TRANSIBO IGITUR, &c. Optat Moses transitum in terram promissam trans Iordanem, At quis mons iste egregius? Non videtur mons Sion, aut mons Moria: nam distabat magis quam qui a Mose videri posset: certe stadiis 210. distabat, a Iordane, inquit Iosephus Lib. V. belli, cap. IV. Oleaster Libanum intelligit, & est probabile: erat enim editus, & conspicuus.

CA-

# CAPUT IV.

*Exhortatur Moyses ad servanda Dei præcepta, comminando transgressoribus, prohibet omnem imaginem quæ ad idololatriam induceret, suam prædicit mortem, tresque urbes refugii separat.*

1. T nunc Israel audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te; ut faciens ea, vivas, & ingrediens possideas terram quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. 2. Non
addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. 3. (*a*) Oculi vestri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriverit omnes cultores eius de medio vestri. 4. Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro,
vivitis universi usque in præsentem diem. 5. Scitis quod docuerim vos præcepta atque iustitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra quam possessuri estis: 6. & observabitis, & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis, * ut audientes universa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. 7. Nec est alia natio
tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. 8. Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, iustaque iudicia, & universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros? 9. Custodi igitur temetipsum, & animam tuam solicite. Ne obliviscaris verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. (*b*) Docebis ea filios ac nepotes tuos, 10. * a die in quo
stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi, dicens: Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos, & discant timere me omni tempore quo vivunt in terra, doceantque filios suos. 11. Et accessistis ad radices montis, qui ardebat usque ad cælum: erantque in eo tenebræ, & nubes, & caligo. 12. Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis. 13. Et ostendit
vobis pactum suum, quod præcepit ut faceretis, & decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. 14. Mihique mandavit in illo tempore ut docerem vos cæremonias, & iudicia, quæ facere deberetis in terra quam possessuri estis.
15. Custodite igitur solicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem, in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: 16. ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ,
17. similitudinem omnium iumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium, 18. atque reptilium quæ moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis: 19. ne forte elevatis oculis ad cælum, videas solem, & lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.

20. Vos

20. Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea AEgypti, ut habe-
ret populum hereditarium, sicut est in præsenti die. 21. (c) Iratusque est Do-
minus contra me propter sermones vestros, & iuravit ut non transirem Iorda-
nem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus est vobis. 22. * Ecce mo-
rior in hac humo, non transibo Iordanem: vos transibitis, & possidebitis ter-
ram egregiam. 23. Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod
pepigit tecum; & facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus
prohibuit: 24. (d) quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmula-
tor. 25. Si genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in terra, deceptique
feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo ve-
stro, ut eum ad iracundiam provocetis: 26. testes invoco hodie cælum & ter-
ram, cito perituros vos esse de terra, quam transito Iordane possessuri estis: non
habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus, 27. atque disperget
in omnes gentes, & remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est
Dominus. 28. Ibique servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno & la-
pidi qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur. 29. Cumque
quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quæ-
sieris, & tota tribulatione animæ tuæ. 30. Postquam te invenerint omnia quæ
prædicta sunt; * novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, &
audies vocem eius. 31. Quia Deus misericors, Dominus Deus tuus est: non di-
mittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti, in quo iuravit patri-
bus tuis. 32. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die quo crea-
vit Deus hominem super terram, a summo cælo usque ad summum eius, si fa-
cta est aliquando huiuscemodi res, aut umquam cognitum est, 33. ut audiret
populus vocem Dei loquentis de medio ignis, * sicut tu audisti & vixisti: 34. si
fecit Deus ut ingrederetur, & tolleret sibi gentem de medio nationum, per
tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, & robustam manum, exten-
tumque brachium, & horribiles visiones, iuxta omnia * quæ fecit pro vobis
Dominus Deus vester in AEgypto, videntibus oculis tuis: 35. ut scires quoniam
Dominus ipse est Deus, * & non est alius præter eum. 36. De cælo te fecit
audire vocem suam, ut doceret te, & in terra ostendit tibi ignem suum maxi-
mum, & audisti verba illius de medio ignis, 37. quia dilexit patres tuos, &
elegit semen eorum post eos. (e) Eduxitque te præcedens in virtute sua magna
ex AEgypto, 38. ut deleret nationes maximas & fortiores te in introitu tuo:
& introduceret te, daretque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in
præsenti die. 39. Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quod Dominus
ipse sit Deus in cælo sursum, & in terra deorsum, & non sit alius. 40. Custo-
di præcepta eius atque mandata, quæ ego præcipio tibi: ut bene sit tibi, & fi-
liis tuis post te, & permaneas multo tempore super terram, quam Dominus
Deus tuus daturus est tibi. 41. (f) Tunc separavit Moyses tres civitates trans
Iordanem ad orientalem plagam, 42. ut confugiat ad eas qui occiderit nolens
proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum & alterum diem, & ad ha-
rum aliquam urbium possit evadere: 43. (g) Bosor in solitudine, quæ sita est
in terra campestri de tribu Ruben: & Ramoth in Galaad, quæ est in tribu
Gad: & Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse. 44. Ista est lex, quam
proposuit Moyses coram filiis Israel, 45. & hæc testimonia & cæremoniæ atque
iudicia, quæ locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de AEgypto,

46. trans Iordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitavit in Hefebon, quem percuffit Moyfes. Filii quoque Ifrael egreffi ex AEgypto 47. poffederunt terram eius, & terram Og regis Bafan, duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem ad folis ortum: 48. Ab Aroer, quæ fita eft fuper ripam torrentis Arnon, ufque ad montem Sion, qui eft & Hermon, 49. omnem planitiem trans Iordanem ad orientalem plagam, ufque ad mare folitudinis, & ufque ad radices montis Phafga.

(a) Num. xxv. 4. (b) Exod. xix. 18. (c) Sup. I. 37. (d) Heb. xii. 29. (e) Exod. xiii. 21. (f) Num. xxxv. 14. (g) Iof. xx. 8.

# BRUGENSIS

## ROMANAE CORRECTIONES.

V. 6. *Ut audientes univerfa præcepta hæc*. Alii pro neutro *univerfa* legunt mafculinum *univerfi*, minus fincere.

V. 10. *A die in quo ftetifti coram Domino*. Pro duabus voculis *a die*, plerique unam legunt *diem*. Præpofitio hebraice , etfi non exprimatur, fubaudienda eft tamen.

V. 22. *Ecce morior in hac humo*. Nequaquam mutandum eft præfens *morior* in futurum *moriar*.

V. 30. *Noviffimo tempore reverteris ad Dominum*. Non eft addenda coniunctio *autem*.

V. 33. *Sicut tu audifti & vixifti*. Spurium eft quod quidam fubftituunt *vidifti*, quod eft afpexifti, pro *vixifti* quod eft in mortem non incurrifti.

V. 34. *Quæ fecit pro vobis Dominus Deus vefter*. Non funt commutanda pronomina fecundæ perfonæ cum primæ, *nobis*, *nofter*.

V. 35. *Et non eft alius præter eum*. Non eft furrogandum nomen *unum*, in locum pronominis *eum*, quod multi faciunt.

# COMMENTARIA

## S A.

*Verf.* 2. LOQUOR. Hebr. Chald. & LXX. *præcipio*.

*V.* 3. CULTORES, fcilicet Madianitas.

*V.* 7. GRANDIS, id eft eximia, feu excellens. DEOS. Chald. & LXX. *Deum*. APPROPINQUANTES, id eft faventes.

*V.* 8. CAEREMONIAS. Hebr. & Chald. *ftatuta*: fic & infra. ET UNIVERSAM LEGEM. Hebr. Chald. & LXX. *Ut univerfa lex*, fcilicet eft. PROPONAM. Heb. Chald. & LXX. *do*, id eft pono.

*V.* 9. ET ANIMAM; pro, id eft animam. VERBORUM, id eft rerum.

*V.* 11. CAELUM. Hebr. *Cæli cor*, id eft medium.

*V.* 19. CREAVIT. Hebr. & LXX. *divifit*, feu *diftribuit*: Chald. *præparavit*: alii, *impertivit*.

*V.* 20. FORNACE FERREA, id eft fervitute duriffima. HEREDITARIUM; id eft, qui fit velut hereditas eius. EST, id eft apparet.

*V.* 21. PROPTER SERMONES VESTROS, id eft veftri caufa.

*V.* 23. SCULPTAM SIMILITUDINEM, pro fculpturam, aut fimilitudinem, ut Hebr. indicant. Chald. *fimulacrum*, aut *fimilitudinem*.

*V.* 24. IGNIS; pro, velut ignis. AEMULATOR, id eft zelotes: fcilicet qui non patitur alium pro Deo coli, fed vult folus coli.

*V.* 26. CAELUM ET TERRAM, id eft cæleftes, & terreftres.

*V.* 27. IN NATIONIBUS, id eft inter gentes.

*V.* 29. TOTA TRIBULATIONE ANIMAE TUAE. Hebr. Chald. & LXX. *tota anima tua, in tribulatione tua*.

*V.* 30. REVERTERIS; pro, fi reverteris.

*V.* 32. A SUMMO, id eft extremo; quafi dicat: Quære ab Oriente ad Occidentem.

*V.* 33. VIXISTI: fic etiam LXX. At Hebr. & Chald. *vixit*, feu *vixerit*.

V. 34

*V.* 34. HORRIBILES VISIONES. Chald. & LXX. *visiones magnas*. Alii, *terrores magnos*. Vide Sap. XVII. & 18.

*V.* 38. DELERET. Hebr. & Chald. *expelleret*. LXX. *perderet*.

*V.* 42. NOLENS. Hebr. Chald. & LXX. *per errorem*, seu *ignorantiam*.

*V.* 44. ISTA, scilicet de qua seq. cap.

*V.* 48. SION, per ש scribitur. Sion autem qui in Ierusalem, per צ.

# E S T I I.

*Vers.* 2. NON ADDETIS AD VERBUM QUOD VOBIS LOQUOR, NEC AUFERETIS EX EO. Non facit hoc neque contra traditiones solemnes Ecclesiæ, neque contra eius præcepta & constitutiones. Nam primo prohibetur hic potissimum, ne quidquam immutetur circa sacrificia a Deo præscripta: nam ita habetur infra cap. XII. ubi hoc idem præceptum repetitur: *Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes quas aversatur Dominus, fecerunt Diis suis offerentes filios & filias, & comburentes igni*: & subnectitur: *Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas*. Non dicit simpliciter, *Hoc tantum facito*, sed *hoc tantum facito Domino*, scilicet in sacrificiis. Non ergo prohibuit Dominus præcepta aliqua condi pro temporum opportunitate, sed tantum nihil mutari circa substantialia cultus divini. Unde & poterant sacerdotes veteris legis ieiunia indicere ob causas occurrentes. Sic Ioel. II. *Sanctificate ieiunium*; & in libris Iudith, Esther, & Machabæorum festa quædam instituta sunt: immo III. Regum VIII. Salomon legitur etiam aliud adhuc altare erexisse, propter multitudinem victimarum: ut nihil mirum sit, si iam præfectis Ecclesiæ similia liceant; maxime cum Christus dixerit: *Adhuc habeo vobis multa dicere, &c. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*: Ioan. XVI. & clarius etiam capite præcedenti: *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia*, scilicet cum opus erit.

*V.* 6. HAEC EST ENIM VESTRA SAPIENTIA ET INTELLECTUS CORAM POPULIS, UT AUDIENTES... DICANT: EN POPULUS SAPIENS ET INTELLIGENS, &c. Non falso, sed vere dicturi erant populi nationum de populo Israelitico, quod esset populus sapiens, & intelligens. Neque enim a falsa laude Moyses populum Dei commendare voluit. Erat igitur populus sapiens, & intelligens, quoniam persistebant in cultu unius Dei, & non suscipiebant idola; etiamsi in illo populo multi essent insipientes, & parum assequentes seu intelligentes rationem legis ac cæremoniarum. Certe ipse populus professione talis erat, & non tantum professione, sed & reipsa; non quidem in omnibus, sed in potiori ac præstantiori parte, quæ professioni suæ respondebat. Et eodem modo Ecclesia nunc vocatur Sancta, etiamsi multi sint in ea non sancti. Est enim sancta & professione, & reipsa, secundum eos qui præcipua sunt Ecclesiæ membra.

*V.* 23. ET FACIAS TIBI SCULPTAM IMAGINEM EORUM, QUAE FIERI DOMINUS PROHIBUIT. Hebraice est: *Et faciatis vobis sculptile similitudinem omnis rei, quam præcepit tibi Dominus Deus tuus*, scilicet ne faceres, id est quam *prohibuit*; ut non male noster Interpres verterit. Porro satis indicat his verbis Moyses, non prohiberi populo ne ullum sculptile, aut simulacrum habeat, aut faciat; sed ne earum rerum quas Dominus prohibuit coli; ac proinde tantum ne simulacra fierent ad colendum. Nam utique solem, aut lunam, aut canem, aut serpentem in pictura haberi non vetuit, nisi quis dicat artem pictoriam illi populo penitus interdictam fuisse, quod nec ipsi osores imaginum nostri sæculi ausint dicere, qui artem illam suis permittunt. Adde, si imaginem pictam solis, aut lunæ habere non licebat, erant & ipse sol & luna eis subtrahenda, quia multos legimus solem, & lunam adorasse, pauciores vero solis, & lunæ simulacra.

*V.* 33. SICUT TU AUDISTI ET VIXISTI. Male quidam codices *vidisti*: nam Hebraice est, Et *vixit*. Sensus enim est: Numquid auditum est aliquando, ut populus audiret vocem Dei ad se loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, & vivus remansit, sicut tu audita Dei voce non es mortuus, sed supervixisti?

## MARIANAE.

*Verſ. 3.* Contra Beelphegor. Hebr. *in Baalpegor*: ſed *in* ſumpſit Hieron. pro *contra*, ut & Sept. Chald. *contra cultores Beelphegor*. *Phegor* eſt nomen proprium idoli Moabitarum: Numer. xxv. verſ. 3. eſtque Priapus, ut ibi eſt dictum. *Baal* eſt commune nomen idolorum: ſignificat *dominum*, quoniam illis ut ſervi ſe colentes ſubiiciebant.

*V.* 11. Qui ardebat usque ad caelum, ſcilicet mons Sina. Hebr. *uſque ad cor cæli*. Cor eſt in medio: ideo quidam vertunt, *uſque ad medium cæli*: & *cælum* ſumitur pro aere.

*V.* 15. Custodite igitur solicite animas vestras. Hebr. *Ad animas veſtras*, id eſt animabus, *mente conſervate*.

*V.* 17. Avium sub caelo volantium, in cælo, id eſt aere ubi aves volant.

*V.* 19. Videas solem et lunam. Contra hæc Plato in Epinomide, aſtra eſſe Deos: male facere legislatorem cum eis cultum, & ſacrificia detrahit. Moyſem ſuggillare videtur, eius ſuppreſſo nomine. Et errore deceptus adores ea et colas. Hebr. *Et impellaris, & adores ea*. Eum impetum ex pulchritudine idoli ſuſceptum Hieronymus, & Septuag. *deceptionem* vocarunt. Quae creavit Dominus. Hebr. *diſtribuit*, *diviſit*: ut quæque ſtella ſua eſſet in regione, terræque ſerviret.

*V.* 20. Eduxit de fornace ferrea. Afflictiones vocat *fornacem*, quia in iis coquuntur homines, ut metalla in fornace liquantur. Vocat *ferream*, non quod fornaces e ferro ſint, ſed ut duras fuiſſe oppreſſiones indicet, ut eſt ferrum.

*V.* 23. Quae fieri Dominus prohibuit. Hebr. *Quæ omnia præcepit tibi Dominus Deus tuus*, nempe ne faceres. Sententiam Hieronymus reddit.

*V.* 25. Morati fueritis in terra. Hebr. *ſenueritis*. Tempus omnia corrumpit.

*V.* 27. Remanebitis pauci. Heb. *viri numeri*, nempe *pauci numero*, ut Sept. ſuppleverunt: & alioqui adiectio numeri abſolute Hebræis paucitatem deſignat.

*V.* 32. A summo caelo usque ad summum eius. Hebr. *A fine cæli uſque ad finem cæli*: ab uno termino ad alterum. Gotthic. *A ſummo cæli*.

*V.* 33. Ut audiret populus vocem Dei... sicut tu audisti et vixisti. Hebr. *Numquid audivit populus*, aliquis, *vocem Dei loquentis de medio ignis, & vixit*: nimirum ille populus de quo loquitur, alius a Iudaico.

*V.* 48. Montem Sion, qui est et Hermon. Regia legunt *Seon*, ut diſtinguatur a monte *Sion*, ubi eſt Ieruſalem; ſed Hebraice *Sion* eſt, & tamen melius diſtinguuntur in ea lingua: nam hic mons per ש *ſin* ſcribitur, ille per צ *zade*. De hoc loquitur Pſal. cxxxii. *Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion*. Ergo ex hoc, & ſuperiori capite habes, montem Hermon vocari *Sirion*, *Sanir*, & *Sion*.

*V.* 49. Mare solitudinis, vocatur Mare mortuum.

## MALVENDAE.

*Verſ.* 1. Praecepta. חקים *chukkim*, *ſtatuta*, *conſtitutiones*, *præſcripta*, *ritus*, *cæremonias* pertinentes ad divinum, & eccleſiaſticum cultum. Et iudicia. משפטים *miſchpatim*, *iura*, & *leges civiles*, quibus politica ſocietas regitur, & continetur. Ita ſumi has duas voces cum coniunguntur, admonuimus in Exodi xv. verſ. 25. Sic infra verſ. 5. 6. 8. 14.

*V.* 2. Non addetis ad verbum, &c. Non prohibet vel Magiſtratum, vel Eccleſiam leges & conſtitutiones addere ſuper leges a Deo conſtitutas; ſed ne ſint vel contrariæ, vel alienæ a verbo Dei; aut ut non tamquam verbum Dei recipiantur; vel ne ipſum verbum Dei additionibus, vel detractionibus, aut pravis interpretationibus interpoletur, aut pervertatur.

*V.* 3. Oculi vestri viderunt, &c. Hiſtoriam huius facti habes Numeror. xxv.

*V.* 6. Populus sapiens et intelligens. Quidam ita iſta diſtinguunt, ut ſapiens dicatur qui ea norit quæ fidei ſunt & religionis erga Deum, & iuris & caritatis erga proximum; intel-

telligens vero, qui in utrisque acutus, prudens, & cautus sit, ut recte & legitime in his incedat, & nulla fallacia seducatur. Alii in eumdem ferme sensum discernunt, ut חכם *chacam*, *sapiens*, sit qui habet rerum sive divinarum ex verbo Dei, sive humanarum cognitionem; נבון *nabon* autem, qui in rebus agendis industriam habet & peritiam: ut verbum *chacam*, *sapere*, dicatur de luce in mente, qua res aliqua certo cognoscitur, vel agitur; at verbum בין *bin*, *intelligere*, de discretione & iudicio, quo res inter se similes, aut dissimiles prudenter intelliguntur, id est distinguuntur & diiudicantur; ut sit discernere intrinsecus in intellectu, & penitus considerare, & curare.

*V.* 7. APPROPINQUANTES SIBI, vel *propinquos*, id est benevolos, propitios, favorabiles, qui presto adsint, & succurrant invocantibus ipsos in afflictione.

*V.* 16. NE FORTE DECEPTI FACIATIS VOBIS. Hebr. *Ne quando corrumpatis vos*, *& faciatis vobis*. Quidam: *Ne forte corrumpatis vias vestras*, vel *opera vestra*, *& faciatis vobis*: vel *ne forte corrumpamini*, *& faciatis*, *&c.* id est, corrupti animo ac mente curetis faciendum sculptile; Alii: *Ne forte perverse quid agatis faciendo*, *scilicet vobis*, *&c.* Nonnulli: *Ut non non corrumpatis vos*, *& faciatis vobis*, *&c.* nimirum aut peccantes in maiestatem Dei, effingendo falsorum deorum similitudinem; aut in fœdus & legem eius, addendo, vel detrahendo de ea; aut denique in vos ipsos, aliter vivendo quam ex præscripto eius. Verum notant, verbum שחת *schachat* in Hiphil, ut hic ponitur, quando non regit post se accusativum, sed absolute scribitur ut hic; tunc idem valere quod *corrupte*, *depravate*, *perdite agere*: unde reddunt: *Ne perdite agatis*. Sic infra vers. 25. & Deuteron. XXXI. vers. 29. Similem vim & rationem idem verbum habere in Pihel, annotavimus in Exod. XXXII. vers. 7.

*V.* 19. QUAE CREAVIT DOMINUS DEUS TUUS IN MINISTERIUM CUNCTIS GENTIBUS. Hebr. *Quæ dispertivit*, *distribuit*, *divisit*, *impertivit* I H U H *Elohim tuus ea*, *omnibus populis*, *&c.* Quidam annotant duobus argumentis dehortari Deum Israelitas a cultu cælestium corporum: uno quod non homines illis, sed illa hominibus data sunt ut eis ministrent; altero quod non uni alicui populo, sed omnibus sub universo cælo data sunt, non colenda quidem ( ut Gentes impie, & imperite faciunt) sed utenda solum, ut infra cap. XXIX. vers. 26. Facit enim Deus ut sol suus oriatur super bonos, & malos. Hinc disces quam vanissime de his disserat Plato in Epinomide.

*V.* 20. DE FORNACE FERREA. כור *cur*, aiunt esse *foveam excisam*, *fornacem*, a similitudine foveæ; *focum*, *caminum*. Alii, *catinum*, *labrum*, *vas in quo liquatur ferrum*, seu excoquuntur, funduntur aurum, argentum, æs. Hispanice, *Crisol*. Sic III. Regum VIII. vers. 51. vehementi verbo appellat AEgyptiacam servitutem, ut eius crudelitatem & immanitatem exprimat.

*V.* 24. IGNIS CONSUMENS EST. Sic infra cap. IX. vers. 3. & Hebræor. XII. vers. 29.

*V.* 26. TESTES INVOCO HODIE CAELUM ET TERRAM. Hebr. varie reddunt. 1. *Contestari*, *testificari feci in vos hodie cælos & terram*: 2. *Testor contra vos hodie cælum & terram*, idest appello, sive advoco in testes: 3. *Contestor*, *obtestor vos hodie per cælos & terram*; vel *cælum & terram in vos obtestor*. Vide infra cap. VIII. vers. 19. Notant Paulum imitatum hanc phrasim I. Timoth. V. vers. 21. *Obtestor in conspectu Dei*, *& Domini nostri Iesu Christi*, *& electorum Angelorum eius*, *ut hæc serves*, *&c.*

*V.* 31. NON DIMITTET TE. Hebr. *Non remittere sinet te*; idest, animo concidere, ac viribus, remissum, flaccidum ac debilem esse. Hanc enim esse interdum vim verbi רפה *raphah*, e II. Samuel. IV. vers. 1. Isaiæ XIII. vers. 7. Ieremiæ XLIX. vers. 24. aliisque locis constat.

*V.* 32. INTERROGA DE DIEBUS ANTIQUIS. Hebr. *Quia postula nunc de diebus primis*. Quidam: *Nam repete nunc ad dies priores*. Alii: *Etenim sciscitare*, *idque a priscis temporibus*. ימים *iamim*, *dies*, hic aliqui pro diariis & annalibus capiunt; quasi dicat: Consule annales, seu diaria prisca, quæ continent res gestas ante tua tempora. A SUMMO CAELO USQUE AD SUMMUM EIUS.

EIUS. Hebr. *Ab una extremitate cæli, usque ad alteram extremitatem cæli*; id est, ab una extremitate orbis terrarum, qui circumclusus est cælo, ad alteram: metonymice. Sic infra cap. XXX. vers. 4. & Matthæi XXIV. vers. 31. Marci XIII. vers. 27.

*V.* 34. SI FECIT DEUS. Verbum נסה *nissah*, reddunt *tentavit*, *intentavit*, *probavit*. Alii, *extulit*, *elevavit*, nimirum ad tantam dignitatem, & decus, ut eum sibi caperet. PER TENTATIONES. Heb. *in tentationibus*. מסות *massot*, *elevationes*, *tentationes*, *probationes*, *experimenta*. Hispanicus Interpres, *con pruevas*. Intelligunt signa quibus Moses divinam suam legationem confirmavit, & populo, Pharaonique approbavit, Exodi IV. PER PUGNAM. Hebr. *in bello*, *prælio*, *conflictu*. Quidam exponunt, in conflictu Dei contra AEgyptios in mari algoso, cuius ratione Moses Deum virum belli vocat, Exodi XV. 3. ET HORRIBILES VISIONES. Hebr. *in terroribus magnis*, tam AEgyptiorum, quam reliquorum populorum, qui ad famam illius territi nihil contra eos moliri ausi sunt, ut promiserat Deus Exod. XXIII. vers. 27.

*V.* 37. ET ELEGIT SEMEN EORUM POST EOS. Hebr. *Et elegit in semine eius post eum*: exponunt, in semine Iahacob, eo mortuo. Alii: *Elegitque semen cuiusque eorum post eum*. EDUXITQUE TE PRAECEDENS. Hebr. *Et eduxit te in faciebus suis*; id est, cum ipse adesset præsens, vel in præsentia sua.

*V.* 38. SICUT CERNIS IN PRAESENTI DIE. Hebr *sicut die ista*. Quidam: *Sicut est hodie*; vel *ut hodie res habet*. Alii: *Id quod hæc probat dies*.

*V.* 39. SCITO ERGO HODIE, ET COGITATO IN CORDE TUO. Quidam reddunt: *Agnoscas igitur hodie, & revoces in animum tuum*; videlicet imposterum reminiscens eorum quæ hodie agnoscis.

*V.* 40. ET PERMANEAS MULTO TEMPORE SUPER TERRAM, QUAM DOMINUS DEUS TUUS DATURUS EST TIBI. Hebr. *Propterea prolongabis dies super humum, quam Iehovah Deus tuus dans tibi, omnibus diebus*. Illud, *Cunctis diebus*, quidam referunt ad illud quod præcessit initio versus, *Custodi omnibus diebus præcepta eius*: alii ad illud, *Ut bene sit tibi cunctis diebus*. Nonnulli traiiciunt, ac reddunt: *Ut prolonges omnibus diebus*, id est semper, *super terram illam quam Iehova Deus tuus dat tibi*.

*V.* 41. TRES CIVITATES: prout præceperat Deus Numer. XXXV. vers. 14.

*V.* 43. BOSOR. Hebr. בצר *Betzer*. Dictam quoque in Scriptura בצרה *Botzrah*, plerique annotant. Fuisse in terra Moab, in deserto, in planis campis Moabiticis, hic, & Ieremiæ XLVIII. vers. 24. dicitur: fuisse civitatem magnam & munitam in regione Galaaditide, scribitur I. Machabæorum V. vers. 26. & 36. Notant, illic Galaaditidem appellari universam regionem quæ cis Iordanem est Israelitis assignata. Certum est ex hoc loco, & Iosue XX. vers. 8. extitisse in tribu Ruben: positam trans Arnonem longiusculo intervallo, produnt. *Munitionem*, *Arcem*, *seu locum munitum* significat: postea Pœni dixere *Byrsam*, seu metathesi *Bysram*, nimirum ex Hebraico *Botzrah*, ut sane lingua Phœnicia seu Pœnica sunt cumprimis affines: quod fuit primum Carthaginis nomen. Virgilius AEneidos I.

.... *nova Carthaginis arcem*
.... *facti de nomine Byrsam*.

Cuius vocabuli vim nec ipse Virgilius, nec Servius, nec alii intellexere, ac proinde invertere, putantes corium significare, cum dicere debuisset *Byrsam*, id est *arcem*. Vide Scaligerum in Festum, verbo *Suffes*. Diversa ab hac Botzrah, illa altera Idumææ Gen. XXXVI. vers. 33. Isaiæ LXIII. vers. 1. Hanc nostram potius quam illam Idumææ, esse Bostram Arabiæ, de qua Ptolemæus Lib. V. cap. XVII. Ammianus Lib. XIV. cap. XXVII. & Notitia Imperii, non est dubium. Quidam unam & eamdem censent, sed quod forte fuerit in confiniis Idumææ, & Moabitidis, nunc huic, nunc illi attribui. RAMOTH IN GALAAD. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Ramoth Galaad villa trans Iordanem iuxta fluvium Iabok. Diximus de hac supra*. Et supra: *Ramoth in tribu Gad civitas sacerdotalis, & fugitivorum in terra Galaaditide. Nunc autem est vicus in quintodecimo milliario Philadelphiæ, contra Orientem*. Hanc dictam Ramath Mitzpeh, Iosue XIII. vers. 26. in quam Iacob e Mesopotamia rediens devenerit, Genes. XXXI. vers. 49. plerique annotant. Vide

Vide Iosue XIII. vers. 26. GOLAN IN BASAN. Eusebius, & S. Hieronymus: *Gaulon, sive Golan in tribu Manasse, civitas sacerdotalis, & fugitivorum in regione Basanitide. Sed & nunc Gaulon vocatur villa prægrandis in Batanea, ad cuius nomen & regio sortita est vocabulum*. Et superius: *Avoth Iair, quod interpretatur ἐπαυλις Iair, hæc est Basan, in qua sunt vici sexaginta in monte Galaad, qui ceciderunt in sortem dimidiæ tribus Manasse: qui locus nunc vocatur Golan in terra Batanea*. Hanc urbem *Gaulademan* in Bataneade regione vocat Iosephus IV. Antiquit. cap. VII. ab ea appellatam circum iacentem regionem Gaulanitidem, nedum Eusebius, & S. Hieronymus, sed alii omnes affirmant. Amplam & uberem regionem fuisse annotant, quam duplicem esse statuunt: superiorem inde a Libano monte ad lacum Genesaram deducunt; inferiorem autem a littore Genesaræ ad Gadaram usque urbem definiunt. Gaulanitidis regionis frequens mentio apud Iosephum, ut Lib. VIII. Originum cap. II. & Lib. XIII. cap. XXIII. & Lib. XVII. cap. X. & alibi sæpe; & apud Eusebium, & S. Hieronymum Libello de Locis Hebraicis, non semel. Ab Agrippa rege defecisse tempore belli Iudaici supremi, idem Iosephus in Vita sua auctor est. Describunt eam sacri Topographi in tribu Manasse supra Galaditidem, versus Orientem, a Septemtrione in Meridiem porrectam.

*V.* 45. ET HAEC TESTIMONIA. עדות *ghedoth*, notant dici verba ipsa Dei, quibus Deus per legem & verbum suum suam voluntatem nobis manifestat, ac testatur se adesse, & nos curare, quo conscientiam de eo habeamus, quem alias neque videmus, neque sentimus, neque intelligimus.

*V.* 48. MONTEM SION. Videtur syncope, vel apocope, *Sirion*; ut eum vocat supra cap. XXXII. vers. 9.

*V.* 49. USQUE AD MARE SOLITUDINIS. Possis vertere, *mare Arabiæ*, id est Mare mortuum, Mare salis, ut vocatur supra cap. III. vers. 17. nempe lacum Asphaltitem, seu Sodomiticum. USQUE AD RADICES MONTIS PHASGA. Istud expositum habes cap. III. vers. 17.

## MENOCHII.

*Vers.* I. UT FACIENS EA, VIVAS, vita præsenti diuturna, & prospera.

*V.* 2. NON ADDETIS ... NEC AUFERETIS: nec addatis aliquid ei repugnans, nec auferetis eam vitiando, & mutilando.

*V.* 3. QUAE FECIT DOMINUS CONTRA BEELPHEGOR, &c. occisis scilicet viginti quatuor millibus hominum, ut habetur Numer. XXV.

*V.* 6. HAEC EST ENIM VESTRA SAPIENTIA, ET INTELLECTUS CORAM POPULIS; quasi dicat: Hæc lex est, cuius observatione apud ceteras nationes nomen habebitis, quod in rebus agendis sitis sapientes, & intelligentes.

*V.* 7. APPROPINQUANTES SIBI, hoc est faventes, & intentos ad benefaciendum.

*V.* 9. CUSTODI IGITUR TEMETIPSUM, ET ANIMAM TUAM SOLICITE: ne scilicet aliquid facias, vel animo decernas facere, quod huic legi sit contrarium. VERBORUM, id est rerum, & portentorum.

*V.* 11. MONTIS, QUI ARDEBAT USQUE AD CAELUM. Montis Sina. Hebr. *usque ad cor cæli*, usque ad medium cælum.

*V.* 13. PACTUM SUUM, legem, quæ est conditio pacti inter Deum & vos initi.

*V.* 15. CUSTODITE SOLICITE ANIMAS VESTRAS. Hebræa cum Vatablo ita significantius vertas: *Cavete ergo accurate, quam vobis est cara anima vestra*, ne scilicet legem Dei violetis, sed eam custodiatis: qui enim eam custodit, custodit animam suam. NON VIDISTIS ALIQUAM SIMILITUDINEM.... IN HOREB; quasi dicat: In monte audistis Deum loquentem, sed nullam eius figuram vidistis: quare nec debetis conari sculptili aliquo, aut alia simili ratione imaginem eius imitari.

*V.* 19. IN MINISTERIUM, &c. cuiusmodi sunt sol, luna, &c.

*V.* 20. DE FORNACE FERREA AEGYPTI, de servitute durissima, quæ vos quasi fornax ferrea adussit, & conclusit, ut nullum pateret effugium. Similis metaphora Isa. XL. 10. *Elegi te in camino*

*pau-*

*paupertatis*. Est etiam allusio ad fornaces lateritias, quibus addicti fuerant Hebræi in AEgypto. Vide Exod. v. 7.

*V.* 24. DEUS TUUS IGNIS CONSUMENS EST; quasi dicat: Deus iniuriæ sibi illatæ vindex est, eamque acerrime punit instar ignis omnia vastantis.

*V.* 26. TESTES INVOCO CAELUM ET TERRAM. Species est iuramenti per creaturas, in quibus specialiter relucet Deus. Sic Isaias cap. I. num. I. cælum, terramque compellat, cum ait: *Audite cæli, & auribus percipe terra.*

*V.* 27. PAUCI. Hebr. *viri numeri*, id est pauci numero.

*V.* 28. LIGNO ET LAPIDI, idolis ex ligno, vel lapide. Dicuntur autem Israelitæ hisce idolis servituri, quia vel inviti ad id compellendi erant, quemadmodum re ipsa contigit Daniel. III. & futurum rursum prædicitur Ierem. cap. v. I.

*V.* 29. ET TOTA TRIBULATIONE, scilicet in vera contritione, & conversione: Deus enim peccatori peccatorum pœnitenti reconciliatur.

*V.* 30. TE INVENERINT, comprehenderint, est Hebraismus. REVERTERIS AD DOMINUM, &c. Hæc omnia prophetice dicta sunt, & re ipsa ita contigit in ipsa captivitate Babylonica, a qua Iudæos pœnitentia ductos in suam terram Deus reduxit, & sive ad litteram, sive allegorice implebitur in fine mundi, cum Iudæorum reliquiæ salvæ fient.

*V.* 31. IN QUO IURAVIT: quod iuravit.

*V.* 32. INTERROGA DE DIEBUS ANTIQUIS, scilicet de factis quæ contigerunt in diebus antiquis. A SUMMO CAELO USQUE AD SUMMUM EIUS. Hebr. *Ab extremo cæli usque ad extremum eius*, id est ab Oriente usque ad Occidentem; quasi dicat: Cognosce ea quæ toto orbe numquam apud homines alicubi contigerunt. Similis phrasis est Matth. XXIV. 31.

*V.* 33. AUDISTI ET VIXISTI; quasi dicat: Instar miraculi fuit quod tu vocem Dei tam terribilem ex Sina audires, & viveres: de quo rursum cap. v. num. 24.

*V.* 34. UT INGREDERETUR, ET TOLLERET; hoc est, ut procederet ad tollendum. PER TENTATIONES, signa & prodigia. HORRIBILES VISIONES, in tenebrarum triduo, de quibus Sap. XVII. & 18.

*V.* 36. ET IN TERRA OSTENDIT IGNEM MAXIMUM: quia ignis ex Sina prodire videbatur; mox vero supra eum ex cælo, id est ex aere, formari, & descendere videbatur.

*V.* 37. PRAECEDENS IN VIRTUTE, per Angelum in columna nubis.

*V.* 38. SICUT CERNIS IN PRAESENTI DIE: iam enim deletis Sehon, & Og regibus cum suis exercitibus, & populis, id impleri cœperat.

*V.* 41. SEPARAVIT TRES CIVITATES. Vide Num. cap. XXXV.

*V.* 48. USQUE AD MONTEM SION, QUI EST ET HERMON. Alius est hic Sion mons, a Sion monte Hierosolymæ, & templi: hic enim Sion erat ab alia Iordanis parte, & Hebraice scribitur per Schin; Sion vero templi scribitur per Tsade.

*V.* 49. MARE SOLITUDINIS, Mare mortuum, sive lacus Asphaltites.

## TIRINI.

*Vers.* 2. NON ADDETIS AD VERBUM QUOD VOBIS LOQUOR. Ergo, inferunt hæretici, non sunt admittendæ ullæ traditiones, aut leges humanæ, seu civiles, seu ecclesiasticæ. Respondeo: Deus hic non vetat omne additamentum: nam alioquin omnes etiam Prophetarum, & Apostolorum libri vetiti essent, cum in his omnibus multa addantur dogmata & præcepta dogmatibus & præceptis Moysis. Neque umquam putarunt Iudæi inhibitum sibi a Moyse, ne leges novas, si Reipublicæ utiles vel necessariæ essent, instituere aut admittere possent: quin plurimas pro ratione temporum instituerunt de novo, & religiose observarunt. Patet tempore Saulis *a*, Davidis *b*, Salomonis, & aliorum Regum, qui varias leges; item Mardochæi *c*, & Iudith *d*, & Machabæorum *e*, qui festum sortium, festum victoriæ, festum encæniorum, & alia festa Mosaicis festis addiderunt. Certum ergo, verba Moysis cum limitatione intelligenda esse de additamento contrario, repugnante, vel adulterante ea quæ hic proponuntur. Patet hoc ex scopo Moysis quem hic intendebat, & ex circumstantiis in quibus hæc loque-

loquebatur. Quia enim Hebræi proclives admodum erant in cultus idololatricos, & superstitiosos ritus, seu cæremonias Gentilium; verbi gratia, ut asinum Beelphegor seu Priapo immolarent, canem Hecatæ, porcam Cereri, proles vivas Moloch cremarent, & alia aliis diis: hinc vetatur hic *f* illis tale quid attentare, etiamsi id vellent facere in honorem veri Dei; iubenturque solas oves, capras, boves, & pauca altilia, statis temporibus & casibus, Deo offerre: nulla relicta ipsis potestate alia ab illis diversa animalia in sacrificium etiam vero Deo immolandi, aut alium aliquem novum numinis cultum publicum inducendi, qui præscriptis hic a Deo repugnet, aut noceat. Atqui tantum abest, his repugnent, aut noceant leges civiles, aut ecclesiasticæ, aut traditiones sinceræ, ut potius inclusæ, atque in his quæ Moyses hic proponit comprehensæ sint. Nam cap. v. huius libri vers. 16. & cap. XVII. vers. 10. diserte iubet Deus, etiam sub pœna mortis, ut sacerdotis imperio, & iudicum præceptis seu legibus omnes pareant, consequenter & traditionibus, quia hæ nihil aliud sunt quam instituta seu leges, non scripto, sed viva voce primo evulgatæ. Quas Moyses hic etiam comprehendit, cum dicit: *Non addetis ad verbum quod loquor*: & infra, *Quæ ego præcipio*: loquebatur autem viva voce, & viva voce quoque præcipiebat, non minus quam scripto. Ita Bellarminus, Vasquez *g*, & alii Doctores.

*V.* 48. MONTEM SION, QUI EST ET HERMON. Hic idem mons Hermon cap. præc. vers. 9. vocatur lingua Sidoniorum *Sarion*, Amorrhæorum *Sanir*. Ergo quadruplex illi nomen erat, forte secundum diversa iuga eiusdem montis: nam totus tractus illius montis vocabatur *Galaad*, cuius extrema pars trans Iordanem dicebatur *Hermon*, vel *Sarion*, vel *Sanir*, vel *Sion*: sed tunc Sion per Scin scribitur, non vero per Tsade, ut scribitur alter mons Sion, in quo arx & civitas David, seu Ierosolyma constructa erat. Sic Psalm. CXXXII. dicitur: *Ros Hermon, qui descendit in montem Sion*. Et ratione huius partis montis vocatur a Ieremia *b* *Galaad caput Libani*, quia videlicet hac parte Hermonis, mons Galaad cum Libano iungitur, & inchoat quasi tractum montium Libani. Ita S. Hieronymus, & Adrichomius *i*.

(*a*) I. Reg. XIV. vers. 24.
(*b*) I. Reg. XXX. vers. 24.
(*c*) Esther IX.
(*d*) Iudith ult.
(*e*) I. Mach. IV.
(*f*) Deut. XII. vers. 30. &c.
(*g*) Bellarm. de Verbo Dei non scripto, Vasquez I. II. quæst. XCV. a 1. disp. 152. cap. IV.
(*h*) Ierem. XXII. vers. 6.
(*i*) Hieron. in Locis Hebraicis. Adrich. de Terra sancta.

## GORDONI.

*Vers.* 2. NON ADDETIS, &c. Hinc colligere sibi videntur Novatores, nullas addendas esse verbo Dei traditiones, immo nec canones Pontificum, aut cæremonias. Sed inepti sunt. Cur illi tum cæremonias adhibent, tum leges male sentiendi, canones & constitutiones in suis synodis editas; ut taceam de novo modo administrandi sacramenta, concionandi, & pene quidlibet agendi; adeo ut Ecclesiæ facies Calviniana sit tota nova. Et cum sensum etiam Scripturarum per 16. sæcula receptum, ipsi mutent, & innovent; quid mirum, si tot res addendo, ipsi probroso nomine vocentur Novatores?

Deinde libenter peto ab istis, τὸ *Non addetis ad verbum*, &c. de qua lege sit intelligendum? Non quidem de Evangelica, quæ nondum erat condita. Et certe Moses restrinxit præceptum non addendi ad verba quæ ipse loquebatur, ἐγὼ ἐντέλλομαι ὑμῖν. Consentit etiam Hebr. quod ego præcipio vobis מצוה *metsave*, *præcipiens*. Si autem de hac lege Mosaica erat sermo, quis non videt legem Mosaicam transiisse cum suo præcepto? Postremo ignorat Novator, quid sit illud *Addere ad verbum*: non enim est, præter verbum non recipere traditiones, aut ritum aliquem; quin potius hæc alibi præcipiuntur recipi: sed sensus genuinus est, nihil addendum esse quod esset illi legi contrarium vel repugnans, & præsertim quod offerret nova numina. Et hunc eumdem sensum dat τὸ *Ad*, & Hebraice על *al*. Vide radicem עלה: aliquoties enim על est *contra*, ut Num. XIV. ver. 2. *Contra Mosen*, ubi est על. Item Psalm. II. vers. 2. על יהוה, *adversus Dominum*. Et si contextus ex-

expendatur, satis inde patet, præsertim ex ratione quam dat Moses vers. 7. hæc pertinere ad excludenda alia numina. Adde etiam vers. 16. ac demum vers. 19. Ne, inquit, *adores*, & *colas ea*. Et vers. 24. Deus zelotes est, nec patitur rivalem. En ex intentione sensum collectum. Quod est hic vers. 3. BEELPHEGOR, vide Num. cap. xxv. Heb. *Baal pegor*.

*V.* 15. & 16. NE .... FACIATIS .... SIMILITUDINEM, aut creatum aliquid, quod Deum esse putetis. Ceterum an omnis imago, vel similitudo fuerit prohibita Iudæis, vide Exod. cap. xx. vers. 5. Indicat hic locus libertatem conditionalem.

*V.* 20. DE FORNACE FERREA, a servitute durissima.

*V.* 23. SCULPTAM. Chald. *simulacrum*.

*V.* 26. TESTES INVOCO, &c. Relucet, & est Deus in creaturis suis: talium ergo testium invocatio, est Dei quædam invocatio, & forma iuramenti, ut notavi suo loco.

*V.* 30. Prophetice loquitur de reditu hoc ad Deum, quod docuit satis vel ipsa captivitas Babylonica.

*V.* 32. A SUMMO. Hebr. *a fine cæli usque ad finem cæli*; seu ab uno termino ad alterum.

*V.* 35. ET NON EST ALIUS PRAETER EUM. Locus theologicus est ad probandam unitatem Dei.

*V.* 46. & 48. De hoc fano Phegor, seu Beelphegor, vide Num. cap. xxv. Sion hic non est Sion mons Ierosolymitanus, sed est trans Iordanem mons ad septemtrionem, & scribitur per ש; at Sion civitas David est per צ: ex hoc, & præcedente cap. constat, HERMON vocari *Sirvon*, *Savir*, & *Sion*.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 3. Occisi ibi viginti quatuor millia. Vide Num. xxv.

*V.* 11. ARDEBAT, mons Sinai, AD CAELUM, medium.

*V.* 24. IGNIS CONSUMENS, ulciscens in peccatores.

*V.* 29. TRIBULATIONE, contritione cordis.

*V.* 36. Acta sunt in Sina.

*V.* 41. SEPARAVIT MOYSES TRES CIVITATES. Vide Num. cap. xxxv.



# CAPUT V.

*Præceptorum decalogi repetitio & explanatio: & de timore filiorum Israel, cum Dei vocem audissent, & montem ardere vidissent.*

1 VOcavitque Moyses omnem Israelem, & dixit ad eum: Au-
di Israel cæremonias atque iudicia, quæ ego loquor in au-
ribus vestris hodie: discite ea, & opere complete. 2. Do-
minus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. 3.
Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum qui
in præsentiarum sumus, & vivimus. 4. Facie ad faciem lo-
cutus est nobis in monte de medio ignis. 5. Ego sequester
& medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis
verba eius: timuistis enim ignem, & non ascendistis in montem, & ait: 6. (*a*)
Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra AEgypti, de domo servitu-
tis. 7. (*b*) Non habebis deos alienos in conspectu meo. 8. (*c*) Non facies ti-
bi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in cælo sunt desuper, & quæ in
terra deorsum, & quæ versantur in aquis sub terra. 9. (*d*) Non adorabis ea,
& non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator, reddens ini-
qui-

quitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me, 10. & faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea. 11. (*e*) Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra: quia non erit impunitus qui super re vana nomen eius assumpserit. 12. Observa diem sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. 13. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. 14. (*f*) Septimus dies sabbati est, id est requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, servus & ancilla, & bos, & asinus, & omne iumentum tuum, & peregrinus qui est intra portas tuas: ut requiescat servus tuus, & ancilla tua, sicut & tu. 15. Memento quod & ipse servieris in AEgypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi ut observares diem sabbati. 16. (*g*) Honora patrem tuum & matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, & bene sit tibi in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. 17. Non occides. 18. Neque mœchaberis. 19. Furtumque non facies. 20. Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. 21. (*h*) Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt. 22. Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis & nubis & caliginis, voce magna, nihil addens amplius: & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi. 23. Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, & montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum, & maiores natu, atque dixistis: 24. Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster maiestatem & magnitudinem suam. * Vocem eius audivimus de medio ignis, & probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine, vixerit homo. 25. Cur ergo moriemur, & devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur. 26. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus, & possit vivere? 27. Tu magis accede: & audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerisque ad nos, & nos audientes faciemus ea. 28. Quod cum audisset Dominus, ait ad me: Audivi vocem verborum populi huius quæ locuti sunt tibi: bene omnia sunt locuti. 29. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, & custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis & filiis eorum in sempiternum? 30. Vade & dic eis: Revertimini in tentoria vestra. 31. Tu vero hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias atque iudicia: quæ docebis eos, ut faciant ea in terra, quam dabo illis in possessionem. 32. Custodite igitur & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram: 33. sed per viam quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, & bene sit vobis, * protelentur dies in terra possessionis vestræ.

(*a*) Exod. xx. 2. Levit. xxvi. 1. Psalm. lxxx. 11. (*b*) Exod. xx. 3. Psalm. lxxx. 10. (*c*) Levit. xxvi. 1. Psalm. xcvi. 7. Exod. xx. 4. (*d*) Exod. xxxiv. 14. (*e*) Exod. xx. 7. Levit. xix. 12. Matth. v. 33. (*f*) Exod. xx. 10. Gen. ii. 2. Hebr. iv. 4. (*g*) Exod. xx. 12. Eccli. iii. 9. Matth. xv. 4. Marc. vii. 10. Ephes. vi. 2. (*h*) Matth. v. 28. Rom. vii. 7.

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 24. *Vocem eius audivimus*. Sic omittunt antiqui libri coniunctionem *enim*, quam alii addunt.

V. 33. *Et protelentur dies*. Non addas pronomen *vestri*.

# COMMENTARIA

## SA.

*Vers.* 1. IN AURIBUS VESTRIS, id est vobis audientibus.

*V.* 3. NON, pro non solum; sic Gen. XXXII. *Non vocabitur*, scilicet solum; vel quasi dicat, non cum illis qui in AEgypto mortui; vel INIIT, pro init; quasi dicat: Nunc vero iterum init, seu renovat nobiscum, &c.

*V.* 4. FACIE AD FACIEM. Chald. *verbum verbo*; quasi dicat, per manifesta verba. NOBIS. Hebr. Chald. & LXX. *nobiscum*.

*V.* 7. NON HABEBIS, &c. futura pro imperativis.

*V.* 9. TERTIAM, id est nepotes, vel pronepotes. Vide Num. cap. XIV.

*V.* 11. FRUSTRA. Hebr. & LXX. *in vanum*. SUPER RE VANA, id est vane, scilicet falso: vanum enim quod veritate vacuum. Hebr. eadem vox, quam supra vertit *frustra*, & infra vers. 20. vertit *falsum*.

*V.* 12. SANCTIFICES, id est sancte colas.

*V.* 14. SABBATI, pro sabbatum. ID EST REQUIES. Id additum ab Interprete. DOMINI, id est ad honorem Domini.

*V.* 15. OBSERVARES. Hebr. *faceres*, id est celebrares, scilicet in memoriam illius beneficii.

*V.* 22. MAGNA, id est clara, exaudibili. ADDENS; quasi dicat, semel tantum locutus.

*V.* 26. QUID EST OMNIS CARO, UT AUDIAT VOCEM DEI VIVENTIS ... ET POSSIT VIVERE? Potest etiam ex Hebr. sic verti: *Quis umquam audivit viventis Dei vocem..... & vixit?* in quem sensum videntur LXX. vertisse. At Chald. ut Noster. *Caro*, id est homo.

*V.* 29. QUIS DET, pro utinam; quasi dicat, vellem, seu opto.

*V.* 31. CAEREMONIAS. Hebr. *statuta*. Chald. *pacta*. LXX. *iustificationes*: & sic fere solent, ubicumque nos cæremonias legimus.

*V.* 33. PROTELENTUR, id est prorogentur.

## ESTII.

*Vers.* 3. NON CUM PATRIBUS NOSTRIS INIIT PACTUM, SED NOBISCUM, QUI IN PRAESENTIARUM SUMUS ET VIVIMUS. Cum constet Deum iniisse pactum cum Abraham, Isaac, & Iacob, ut frequentissime testatur Scriptura; & de Abraham quidem expresse dicitur Gen. XV. *In illo die pepigit Deus fœdus cum Abraham*: quæritur quomodo hic dicatur Deus non iniisse pactum cum patribus eorum? Aliqui respondent, intelligendum esse pactum integræ legis expresse servandæ. Quamvis enim Patriarchæ accepissent præceptum circumcisionis, reliqua tamen præcepta legis nondum erant illis tradita; sed ea servabant, quatenus in naturali lege continebantur. Sed melius respondendum videtur hunc esse sensum: *Non cum patribus nostris iniit pactum*; id est, non tantum cum patribus nostris iniit pactum Dominus, sed & nobiscum. Et similis locutio est Gen. XXXII. *Non vocabitur nomen tuum Iacob, sed Israel*. Sensus enim est: Non tantum Iacob vocaberis: postea enim nunc Iacob, nunc Israel vocatus est. Quod autem Moyses dicit, *Nobiscum, qui in præsentiarum sumus*; & nihilominus ad ea quæ in monte Sinai acta erant respiciat: intelligendum est, quod & si plurimi eorum qui in Sinai legem ferri audierant, iam mortui essent, tamen multi etiam adhuc vivebant. Nam mer-

mortui non sunt in deserto ex comminatione Domini, nisi illi qui tempore murmurationis excessissent annum ætatis vigesimum.

*V.* 4. FACIE AD FACIEM LOCUTUS EST NOBIS. Non dicit: Facie ad faciem vidimus eum; sed *locutus est nobis*: quia vocem quidem audiebant loquentis, speciem autem nullam viderant. Vide Num. XII.

*V.* 5. EGO SEQUESTER ET MEDIUS FUI INTER DOMINUM ET VOS. Locus notandus contra hæreticos nostri temporis, qui sanctos nolunt vocari nostros intercessores, eo quod scriptum sit: *Unus mediator Dei & hominum*. Nam etiam hic Moyses testatur se fuisse sequestrum & mediatorem inter Deum & populum: non quidem ut Christus, qui pro nobis satisfecit; sed pro populo, orando, iramque Dei mitigando. Ita scilicet & sancti suo modo sunt mediatores & intercessores.

*V.* 28. BENE OMNIA SUNT LOCUTI. Vide supra Annotationem Exod. XIX.

*V.* 29. QUIS DET TALEM EOS HABERE MENTEM, UT TIMEANT ME. Forma optandi est apud Hebræos, pro eo quod Latine dicimus, *Utinam haberent talem mentem*. Non est autem hoc ita intelligendum, quasi non sit in Dei potestate, mentem hominis ad se convertere, & suis præceptis obedientem facere; sed more humano loquitur Deus, significans quid sibi gratum & bene placitum sit, si videlicet talem habeant mentem ut Deum timeant, & mandata eius custodiant. Homines enim optando significare solent quid sibi gratum sit. Deinde & hoc significari potest hac forma loquendi, quod bonum opus non ita dependeat ex gratia operantis Dei, quin etiam necessaria sit cooperatio liberi arbitrii ex parte hominis; quamvis ea ipsa cooperatio gratiæ Deo ascribenda sit. Vide etiam Augustinum quæst. XI. in Deuter.

## MARIANAE.

*Vers.* 3. NON CUM PATRIBUS NOSTRIS INIIT PACTUM; id est, non tantum cum patribus; ut illud, *Non vocaberis Iacob*, id est non tantum. Aut non propter patres, quia in filiis est pactum impletum.

*V.* 5. NON ASCENDISTIS IN MONTEM, ET AIT. Hebr. *dicendo*, quod iungitur cum illis verbis *locutus est*, *dicendo*: aut, ut Hebræus dicit, supplendendum est, *cum descendit*, sic: *Non ascendistis in montem cum descendit dicendo*, vel potius *ad dicendum*, propter litteram ל.

*V.* 6. EDUXI TE... DE DOMO SERVITUTIS. Hebr. *servorum*, pro *servitutis*, ut Sept. etiam & Chaldæus posuerunt.

*V.* 9. DEUS AEMULATOR. Hebr. קנא *kana*, *zelotes*, ut idem Hieronymus vertit, Exod. XX. vers. 5. Zelus autem, amor est consortis impatiens. Sic hoc loco vertunt. Sept. ζηλωτής: *æmulator* idem est.

*V.* 10. IN MULTA MILLIA. Hebr. *in mille*, supple generationes. Sic exprimitur cap. VII. vers. 9. facit scilicet misericordiam.

*V.* 11. NOMEN DOMINI DEI TUI FRUSTRA. hoc est *in vanum*, ut posuere Sept. sed quoniam vers. 19. vocem שוא *sau* ponit in significatione mendacii, *Non dices contra fratrem tuum falsum testimonium*, hoc loco eamdem vim habet: sic Chald. לשקרא *lesikra*, *qui iuraverit per nomen eius mendacio*. Pagn. *in vanum* dixit.

*V.* 15. IDCIRCO PRAECEPIT TIBI. Vide novam rationem observationis sabbati, quia e servitute Deus eduxit Israelitas in requiem.

*V.* 16. HONORA PATREM. Hebr. כבד *cabbed*, *onera* etiam significat: nimirum beneficiis datis onera patrem.

In his mandatis futurum accipitur pro imperativo, *Non occides*, pro *ne occidas*, sed & vers. 12. OBSERVA DIEM SABBATI. Hebraice est, *Observare diem sabbati*; sed infinitivus ponitur pro imperativo: sic Hebræus notat. Vel supple *oportet*, *Observare oportet*: ut quidam alius ait.

*V.* 29. QUIS DET TALEM EOS HABERE MENTEM; id est, utinam talem mentem habeant, qualem scilicet modo, & qualia verba.

## MALVENDAE.

*Vers.* 3. NON CUM PATRIBUS NOSTRIS INIIT PACTUM, SED NOBISCUM. Quidam hic subaudiunt particulam *tantum*, vel *solum*: *Non* tan-

tantum *cum patribus nostris excidit fœdus*, *sed* etiam *nobiscum*. Similem loquendi phrasim esse volunt Genes. XXXII. 28. *Non vocabitur nomen tuum Iacob*, *sed Israel*; pro, non tantum vocabitur, &c. sed etiam &c. Hebræorum nonnulli exponunt: Non cum patribus nostris qui mortui sunt in in AEgypto, icit Deus fœdus istud in Choreb; sed cum nobis ipsis qui vivimus. Quidam in eamdem ferme sententiam explicant: Non cum patribus nostris pepigit Iehova fœdus istud: nimirum iis qui ante fœdus in Chorebo pactum mortui sunt: nam legis pactum tunc primum cœpit, cum in Chorebo lex promulgata est. Fuit quidem fœdus substantia idem initum cum Abrahamo, renovatum in deserto, & plane a Christo exhibitum; sed forma pro temporum, personarumque ratione diversum dicitur. Vide Hebræor. VIII. QUI IN PRAESENTIARUM SUMUS ET VIVIMUS. Nempe Moses, Iosue, Caleb, & omnes illi qui minores annis viginti vivebant cum lex in Chorebo promulgata fuit, qui nimirum in primo censu nomina non ediderant: nam reliqui iam hoc tempore mortui fuerant. Vide Num. XIV. vers. 29. De promulgatione legis in Sina seu in Choreb, vide Exodi XIX. Hebræa hic nos ex verbo expressimus (*Non ad patres nostros excidit IHUH fœdus istud: quia ad nos, nos ipsos hic, die omne nostrum viventes.*) Clarius alii: *Nobis, inquam, iis qui hic sumus hodie, omnibus nobis qui vivimus.*

*V.* 4. FACIE AD FACIEM. Quidam, *In os*, id est quam familiariter: humanitus dictum; ut Exod. XXXIII. vers. 11. & Numer. XII. 8.

*V.* 5. ET AIT. Hebr. *dicendo*. Istud non est referendum ad proxime antecedentia, sed annectendum post illud versus 4. *De medio ignis, dicendo*. Quod genus hyperbati est Scripturis frequentissimum.

*V.* 6. EGO DOMINUS DEUS TUUS, &c. Ab hoc versu usque ad 21. eadem omnino ponuntur quæ Exodi XX. a vers. 2. usque ad 17. & est repetitio, seu iterata promulgatio Decalogi.

*V.* 15. ET EDUXERIT TE INDE DOMINUS. Nimirum ipso die sabbati, quo cecinerunt epinicion Domino Exodi XV. Vide Exodi XII. vers. 15.

*V.* 22. NIHIL ADDENS AMPLIUS. Hebr. *Et non addidit*. Quidam exponunt: Et non addidit ultra loqui voce magna, sicut illa qua locutus fuerat. Alii: *Nec quidquam adiecit*, amplius dicere: non addidit dicere alia præter dicta; quasi dicas, idque semel dumtaxat. Nonnulli: *Et non addidit*; subaudi, alloqui ultra totam congregationem. Aliqui Hebræorum: *Et non addidit*; subaudi, apparere, sive conspici in illa pompa & maiestate. Plerique reddunt: *Et non cessavit, finivit, defecit*, scilicet vox illa fortis & valida, sed continenter invaluit: locutus est voce forti & sonora, quæ non elanguit, aut defecit. Aut non cessavit loqui totis illis quadraginta diebus, quibus Moses stetit in monte. Vide de eiusmodi significatione verbi יסף *iasaph* Numer. XI. vers. 25.

*V.* 26. QUID EST OMNIS CARO? &c. ac si dicant: Miraculum est quod iam vidimus; sed idem periculum subire metuimus.

*V.* 28. BENE OMNIA SUNT LOCUTI. Hebr. *Bonificarunt, benefecerunt omne quod locuti sunt*; id est, quæcumque locuti sunt, bene omnia locuti sunt. Vel recte senserunt in omnibus quæ sunt locuti. Recte & probe locuti sunt quæcumque dixerunt.

*V.* 29. QUIS DET? &c. Hebr. *Quis dabit?* Optantis Hebraica formula, quam exprimunt per *utinam, o si*. Quidam clarius hic reddunt: *O si esset hic eorum animus illis ad timendum me, & observandum omnia præcepta mea omnibus diebus; ut bene esset eis, & filiis eorum in sæculum.*

*V.* 30. VADE, ET DIC EIS. Vide Exodi XX. vers. 19.

*V.* 32. NON DECLINABITIS NEQUE AD DEXTERAM NEQUE AD SINISTRAM. Quidam: *Ne recedatis dextrorsum, aut sinistrorsum*, id est ullam in partem, ullove pacto. Metaphora, ut infra cap. XXVIII. 14. pro eo quod est, quam rectissime incedatis.

*V.* 33. UT VIVATIS, ET BENE SIT VOBIS; id est, ut fruamini vita, eaque beata ac felice.

ME-

## MENOCHII.

*Verſ.* 1. OMNEM ISRAELEM, univerſum populum : adfuerunt enim omnes, ut indicatur cap. XXIX. num. 10. Nec difficile fuit Deo vim Moſis voci addere, ut ab omnibus poſſet exaudiri.

*V.* 3. NON CUM PATRIBUS NOSTRIS INIIT PACTUM, SED NOBISCUM : non veteribus illis Patriarchis Abraham, Iſaac, & Iacob legem dedit, ſed nobis. Supererant enim adhuc ex iis qui vivebant tempore datæ legis in monte Sina : & ut nulli ſupereſſent, adhuc dici poterat, *Iniit pactum nobiſcum*, id eſt cum populo noſtro: populus enim durat, quamvis ſinguli cives moriantur.

*V.* 4. FACIE AD FACIEM. Non quaſi formam, aut ſpeciem eius videritis, hoc enim negavit cap. IV. 12. ſed *facie ad faciem*, id eſt coram, & ſine internuntio.

*V.* 5. EGO SEQUESTER ET MEDIUS FUI. Ergo Moſes mediator fuit inter Deum & populum, ut ait Apoſtolus ad Galat. III. 19.

*V.* 6. DE DOMO SERVITUTIS. Hebraice, *de domo ſervorum* : de ergaſtulo, de AEgypto, ubi duriſſimam ſerviebas ſervitutem.

*V.* 7. NON HABEBIS DEOS ALIENOS IN CONSPECTU MEO. LXX. & Chald. *præter me* : unus enim eſt Deus ; cetera falſa ſunt numina errore hominum inducta.

*V.* 8. NON FACIES TIBI SCULPTILE. Superiori verſiculo vetuit falſorum Deorum cultum; nunc vetat eorum ſimulacra. Itaque imagines, quod volunt hæretici, non prohibentur, ſed idola tantum falſorum numinum.

*V.* 9. NON ADORABIS EA, inclinando te, genuflectendo, &c. NON COLES, oblationibus, feſtis, ſacrificiis. DEUS AEMULATOR, ſive, ut vertunt LXX. *zelotes*, qui fornicationes haſce, & adulteria cum idolis ulciſcor. REDDENS INIQUITATEM, pœnam iniquitatis. PATRUM SUPER FILIOS, qui vitia parentum imitantur. Vel etiam ſermo eſt de filiis innocentibus, quos Deus propter parentum ſcelera temporali, & corporali pœna punit ad exemplum ceterorum. IN TERTIAM ET QUARTAM GENERATIONEM : quantum ſcilicet ſcelerum a parentibus commiſſorum memoria perſeverat : vel numerus definitus ponitur pro indefinito ; & ſenſus eſt, In multas generationes.

*V.* 10. IN MULTA MILLIA, id eſt in plurimas generationes

*V.* 11. NOMEN DEI TUI IN VANUM, vel peierando, vel quocumque alio modo ſancto Dei nomine abutendo irreverenter. NON ERIT IMPUNITUS; ſed graviter punietur. Sic eadem figura dicitur I. Reg. XII. 21. *Nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt*; id eſt, maxime oberunt.

*V.* 12. UT SANCTIFICES EUM, vacando ab opere ſervili, ut otium tibi ſit divinis rebus operam dandi.

*V.* 14. QUIDQUAM OPERIS ſervilis. ET PEREGRINUS, etiam incircumciſus, cum tecum eſt, publicum feſtum non violet.

*V.* 16. HONORA PATREM, &c. amando, reverentiam exhibendo, obediendo, iuvando, & ſubveniendo. UT LONGO VIVAS TEMPORE ; quaſi dicat : Si honores parentes, longævus vives in terra Chanaan, lacte & melle manante.

*V.* 17. NON OCCIDES. Vetat iniuſtam hominis occiſionem, item verbera, rixas, & iram, &c.

*V.* 18. NON MOECHABERIS. Vetat omnem concubitum extra matrimonium, omnemque membrorum illorum abuſum quæ generationi deſtinata ſunt. Ex parte enim notiori, famoſiori, id eſt mœchia, ſive adulterio, totum libidinis genus, omneſque eius ſpecies intelligi voluit. Ita S. Auguſtinus quæſt. LXXI.

*V.* 19. FURTUM NON FACIES. Vetatur omnis iniuſta rei alienæ uſurpatio.

*V.* 20. FALSUM TESTIMONIUM. Sub principaliori crimine falſi teſtimonii cetera quæque minora ei affinia intellige, verbi gratia detractionem, contumeliam, irriſionem, &c.

*V.* 21. NON CONCUPISCES UXOREM, &c. Peculiari præcepto vetatur concupiſcentia uxoris, & rei alienæ, quia duobus præceptis de non mœchando, nec furando, in eum errorem quis labi potuiſſet, ut crederet actus tantum externos prohiberi.

*V.* 26. QUIS EST OMNIS CARO UT AUDIAT VOCEM DOMINI, ET POSSIT VIVERE? Sic Daniel cap. x. ait ad Angelum: *Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil remansit in me virium.*

*V.* 31. HIC STA MECUM, in monte.

*V.* 32. NEQUE AD DEXTERAM, NEQUE AD SINISTRAM. Est proverbialis locutio, qua significatur nullo modo divinam legem transgrediendam esse.

## TIRINI.

*Vers.* 1. VOCAVIT MOYSES OMNEM ISRAELEM, puta sexcenta pugnatorum millia, insuperque senes, feminas, proselytos, adolescentes & pueros: nam omnes adfuisse patet Deuteron. xxix. vers. 10. Et vero expediebat omnes ex ipso Moysis ore instrui, & ad fœdus cum Deo denuo instaurandum præparari.

Sed quomodo unus Moyses a tanta turba potuit exaudiri? Respondeo: Deus voci illius vim quamdam sonoram addidit, qua fiebat ut ea ad omnes pervaderet. Quod Vincentio Ferrerio, Francisco Xaverio, & aliis quibusdam sanctis viris etiam nostro sæculo concessum legimus. Et alia certe magis miranda in Moyse, & a Moyse in gratiam istius populi facta constat.

*V.* 3. NON CUM PATRIBUS NOSTRIS INIIT DEUS PACTUM, hoc est, non cum Abrahamo, Isaaco, Iacobo, aliisve Patriarchis: SED NOBISCUM: quia multi adhuc eorum superstites erant qui fœderi icto in Horeb præsentes fuerant, ut patet ex dictis cap. xiv. Numerorum: saltem unus idemque erat populus cum quo & tunc, & modo fœdus inibatur.

Sed nonne Genesis xv. 18. dicitur: *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram?* Respondeo: Non illud, neque tale fœdus quale hic initum fuit. Ibi enim Abrahamo tantum promittit Deus terram Chananæam; hic vero acceptat posteros Abrahæ in populum suum, peculiaribus legibus ac cæremoniis sibi adstrictum; & illi vicissim ipsum acceptant in Deum suum, eiusque legibus ac cæremoniis sese adstringunt.

*V.* 15. IDCIRCO PRAECEPIT TIBI UT OBSERVARES DIEM SABBATI. Ut scilicet memor durissimæ servitutis AEgyptiacæ, qua nulla tibi quies umquam dabatur, tu vicissim iam servis tuis aliquid libenter indulgeas quietis, & post multorum dierum labores saltem septimo quoque respirare permittas.

Notat S. Thomas *a*, præceptum hoc, qua diem & tempus aliquod inde finitum cessationi a servilibus, & vacationi divino cultui, etiam publico & externo, dandum præcipit, esse morale, immo naturale, ac proinde merito ab Ecclesia Christiana diem dominicum ei rei destinatum esse; quatenus vero dies sabbati præcise ad hoc deputatus erat, fuisse tantum cæremoniale; ideoque potuisse aboleri a Christianis, & in alium diem transferri. Vide plura de Sabbato supra Exodi cap. xxxv.

(*a*) S. Thom. Opusculo hac de re.

## GORDONI.

*Vers.* 1. MIrabitur aliquis, quomodo potuerit Moses audiri a tanta multitudine. Miraculo factum videtur ut vox eius ad omnes perveniret: quamvis existiment aliqui, satis fuisse Mosen a solis ducibus intelligi.

*V.* 3. NON CUM PATRIBUS NOSTRIS INIIT PACTUM. Nempe fœdus illud interpositum in Horeb, de quo Exodi cap. xxiv. non fuit, inquit, cum antiquis patribus Abraham, Iacob, aut Iosepho, sed cum his qui iam aderant in campestribus Moab, quamvis tunc pueris infra annum vigesimum: nam qui percussi perierunt, erant supra annum vigesimum. Aliud hoc fœdus est quam illud Gen. xv.

*V.* 5. EGO SEQUESTER. Ergo & sancti esse tales possunt, & medii apud Deum.

*V.* 7. NON HABEBIS, &c. Sunt futura pro imperativis. De sculptili, & diis alienis, vide quæ dixi Exod. cap. xx. Hic quidem vers. 7. vetat deos alienos, & vers. 8. vetat speciatim simulacra deorum: nam ea etiam gentes colebant: quod negat quidem Calvinus; sed affirmat Isaias cap. xliv. vers. 17. & Ieremias cap. xvi. satis refutatur qui aperte Scripturis contradicit.

*V.* 8. NON FACIES TIBI SCULPTI-

PTILE. Hoc aliqui putant esse præceptum diversum ab illo vers. 7. de diis alienis; ut putantur sentire Ambrosius, & Hieronymus. Hoc arripit Calvinus, ut videatur sibi habere speciale præceptum contra imagines. At unicum esse præceptum, volunt idem Hieronymus in Psal. XXXII. August. quæst. LXXI. in Exodum, Clem. Alex. VI. Strom. quæ sententia verior est: nam quod utroque versu habetur, eodem spectat, nempe ad cultum unius Dei. Vide notata Exod. XX. vers. 4. Ceterum hallucinantur aliqui circa notionem idoli: non enim quodlibet simulacrum, seu cuiuslibet numinis imago, est idolum, sed tantum imago falsi numinis, ex Athan. Orat. contra idola, sub finem: ac falsum proinde est, omnes imagines vetari iure naturæ: & sculptile quod hic vetatur, est sculptile, vel imago alienorum deorum. Certe imago veri Dei, non est alius Deus a vero Deo: notumque est cultum ibi terminari ad prototypum. Denique falsum est, Deum prohibuisse omne sculptile, aut artem sculpendi. Vide Exod. XXXI. ubi probantur artifices, & Numer. XXI. vers. 8. Nec recte occurrit Calvinus si dicat, raro tantum talia permissa: si enim vel semel licet imaginem sculpere iure non violato, clarum est prohibitionem imaginis non esse a iure naturali, ut putant Novatores. Atque ita nulla nunc a vetere lege, valida est prohibitio imaginum.

*V.* 9. IN TERTIAM ET QUARTAM GENERATIONEM. Patres ut plurimum interpretantur hunc locum de filiis qui imitantur peccata parentum. Ita Augustinus contra Adimantum, cap. VII. & Hieronymus in XVIII. Ezech. Alii intelligunt de pœna temporali etiam in filios innocentes: quod tamen rarius contingit. Ita quidem S. Thom. I. II. quæst. XXVII. art. 8. Ceterum in utroque sensu non male potest hic intelligi positus numerus certus pro incerto, & indeterminato. De hoc supra Exod. cap. XX.

*V.* 10. IN MULTA MILLIA. Hebr. *in mille*, nempe generationes.

*V.* 11. NON USURPABIS NOMEN, &c. In opere Theol. Lib. IX. quæst. XI. data est Decalogi explicatio: nec proinde plura in præsentia.

*V.* 16. HONORA PATREM. Hebr. כבד *cabbed*, significat insuper onerare, scilicet beneficiis, & honore.

*V.* 29. QUIS DET? Utinam.

*V.* 31. CAEREMONIAS. *Statuta*, in Hebr. sed Sept. *iustificationes*.

*V.* 33. PROTELENTUR; hoc est; prorogentur.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 4. FACIE AD FACIEM, sine internuntio, & coram.

*V.* 12. UT SANCTIFICES, vacando ab opere servili.

*V.* 21. NON CONCUPICES. Hinc habes non tantum prohiberi pactus externos fornicationis, & furti.

# CAPUT VI.

*Dominus ex toto corde diligendus, eiusque mandata solicite servanda, & posteris inculcanda.*

1. HAEc sunt præcepta, & cæremoniæ, atque iudicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos, & faciatis ea in terra ad quam transgredimini possidendam: 2. ut timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, & filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui. 3. Audi Israel, & observa ut facias quæ præcepit tibi Dominus, & bene sit tibi, & multipliceris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte & melle manantem. 4. Audi

Israel, * Dominus Deus noster, Dominus unus est. 5. (*a*) Diliges Dominum
Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine
tua. 6. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: 7. &
narrabis ea filiis tuis, * & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans
in itinere, dormiens, atque consurgens. 8. Et ligabis ea quasi signum in manu
tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, 9. scribesque ea in limine &
ostiis domus tuæ. 10. Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram
pro qua iuravit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob; & dederit tibi civi-
tates magnas & optimas, quas non ædificasti, 11. domos plenas cunctarum
opum, quas non extruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta & oliveta, quæ
non plantasti, 12. & comederis, & saturatus fueris: 13 cave diligenter ne
obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra AEgypti, de domo servitutis. (*b*)
Dominum Deum tuum timebis, * & illi soli servies, ac per nomen illius iu-
rabis. 14. Non ibitis post deos alienos cunctarum Gentium, quæ in circuitu ve-
stro sunt: 15. quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus in medio tui: ne-
quando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de superficie
terræ. 16. Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentatio-
nis. 17. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, & cæremonias quas
præcepit tibi: 18. & fac quod placitum est & bonum in conspectu Domini,
ut bene sit tibi: & ingressus possideas terram optimam, de qua iuravit Domi-
nus patribus tuis, 19. ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus
est. 20. Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt te-
stimonia hæc, & cæremoniæ, atque iudicia, quæ præcepit Dominus Deus no-
ster nobis? 21, dices ei: Servi eramus Pharaonis in AEgypto, & eduxit nos Do-
minus de AEgypto in manu forti: 22. fecitque signa atque prodigia magna &
pessima in AEgypto contra Pharaonem, & omnem domum illius, in conspectu
nostro, 23. & eduxit nos inde, ut introductis daret terram super qua iuravit
patribus nostris. 24. Præcepitque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima
hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus
vitæ nostræ, sicut est hodie. 25. Eritque nostri misericors, si custodierimus &
fecerimus omnia præcepta eius coram Domino Deo nostro, sicut mandavit
nobis.

(*a*) Infra xi. 13. Matth. xxii. 36. Marc. xii. 30. Luc. x. 27. (*b*) Infra x. 20. Matth. iv. 7. Luc. iv. 12.

## BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Dominus Deus noster, Dominus unus est*. Posterius *Dominus* quidam mutant in *Deus*, immerito.

V. 7. *Et meditaberis in eis sedens in domo tua*. Non sunt omittendæ mediæ illæ voculæ *in eis*.

V. 13. *Et illi soli servies*. Interpres hic expressit vocem *soli*, quæ Hebraice relinquitur subaudienda.

COM-

# COMMENTARIA

## S A.

*Verſ.* 1. AMPLIUS. Hebr. Chald. & LXX. *valde*.

*V.* 3. NARRABIS. Hebr. *repetes*, id eſt inculcabis. DORMIENS; id eſt, accumbens ut dormias.

*V.* 8. MOVEBUNTUR. Hebr. *Erunt ut frontalia*. Vide cap. XI.

*V.* 9. ET OSTIIS; pro, id eſt oſtiis, ſcilicet poſtibus.

*V.* 11. EXTRUXISTI. Hebr. Chald. & LXX. *Implevisti*.

*V.* 13. IURABIS. Non iubet iurare, ſed prohibet per aliud nomen iurare. Aug. in Deuter. XII.

*V.* 15. AEMULATOR, id eſt qui conſortem in amore non patitur: ſcilicet vult ſe ſolum ut Deum coli, & ſumme amari, ut par eſt.

*V.* 16. TENTATIONIS. Vide Exod. XVII.

*V.* 18. PLACITUM. Hebr. & Chald. *rectum*.

*V.* 20. CRAS, id eſt poſteris temporibus.

*V.* 24. LEGITIMA. Hebr. *ſtatuta*. Chald. *præcepta*. LXX, *iuſtificationes*. VITAE NOSTRAE. Hebr. & Chald. *Ut vivificet nos*. LXX. *ut vivamus*. EST, id eſt apparet.

*V.* 25. NOSTRI MISERICORS. Hebr. *iuſtitia nobis*, id eſt miſericordia. LXX. *miſericordia nobis*. Chald. *præmium nobis*. CORAM DOMINO; id eſt, ſic ut ei placeamus.

## E S T I I.

*Verſ.* 5. DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO, ET EX TOTA ANIMA TUA, &c. Quæritur an hoc præceptum dilectionis in hac vita poſſit a nobis impleri: quod quidem negant hæretici, affirmat autem Catholica Eccleſia. Neque enim præciperetur tamquam ad vitam conſequendam neceſſarium (iuxta quod Chriſtus dicit Matth. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*) ſi a nemine obſervari poſſet, cum Deus nihil præceperit impoſſibile; immo & prudens quivis legislator nihil præcipit, niſi quod putat poſſe ſervari. Quin etiam Scriptura aperte de quibuſdam teſtatur, quod toto corde Deum dilexerint. Sic Ezechias IV. Reg. XX. in oratione qua a Deo prolongationem vitæ impetravit: *Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto*. Et de Ioſia Rege ſcribitur Libri eiuſdem cap. XXIII. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua, iuxta omnem legem Moyſi*. Impleverunt ergo præceptum hoc dilectionis hi quibus tale teſtimonium Scriptura perhibet.

Si inſtet hæreticus, quomodo ex tota fortitudine quis diligat Deum, cum Paulus dicat Rom. VII. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis*: reſpondeo, ipſe Apoſtolus ſatis declarat quid velit, cum eodem capite dicit: *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. Itaque talis etiam ex tota fortitudine diligit Deum, quia quidquid virium eius voluntati ſubiectum eſt, id ad imperium voluntatis ſervit Deo. Neque etiam præcipitur intenſiſſima dilectio, ſed talis quæ excludat dilectionem aliarum rerum quæ ad Deum non referuntur; hoc eſt, ut nulla pars ſit quæ hominis imperio ſubiacet, quæ non Deo, eiuſque dilectioni conſecretur. Vide noſtrum Commentarium in III. Sententiarum, diſt. XXVII. cap. VI. VII. VIII.

*V.* 13. DOMINUM DEUM TUUM TIMEBIS, ET PER NOMEN ILLIUS IURABIS. Præceptum hoc partim affirmativum eſt, partim negativum. Prohibetur enim ſimpliciter iurare per deos alienos. Si tamen occurrat neceſſitas iurandi, tum præcipitur ut iuretur per nomen Dei. Non ergo ſimpliciter præceptum eſt iurare, ſicut præceptum eſt diligere Deum,

& honorare parentes; sed si iurandum (quod sine evidenti utilitate, vel necessitate fieri non debet) modus præscribitur, ut videlicet non aliter quam per nomen Dei iuretur. Quo modo etiam accipiendum est illud Psalmi LXII. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*; id est, qui occurrente iurandi necessitate, non gentilium deorum nomina assumunt ad veritatis confirmationem, sed eius qui solus est summa & incommutabilis veritas. Vide etiam infr. cap. X.

## MARIANAE.

*Vers.* 3. QUAE PRAECEPIT TIBI DOMINUS. Hæc verba Hebraice non sunt, neque in Gotth. neque in multis aliis codicibus; Romani tamen retinuerunt: Sept. non habent. SICUT POLLICITUS EST. Hebr. *locutus est*; sed Hieronymus mutavit, ut ab illo verbo construeret quod sequitur, *Terram lacte*, &c. Sept. & Chald. supplent, cum *ut daret*: *Locutus est, ut daret*. Pagninus regit a verbo superiori, *Observa terra* (pro in terra) *lacte & melle mananti*. Post hunc versum sequitur in Gotthicis totum hoc: *Hæc autem sunt præcepta, & iustitiæ, & iudicia, quæ præcepit Moyses filiis Israel in eremo, cum exiissent de terra AEgypti*. Quæ sunt in Sept. & desunt in Hebraicis, nec sunt in Vulgata Romana.

*V.* 5. EX TOTA FORTITUDINE TUA. Hebr. *ex toto valde tuo*; hoc est, quantum omni conatu poteris. Chald. *ex tota substantia tua*.

*V.* 7. DORMIENS. Hebr. *Quando accubueris*, nimirum ad dormiendum, non quando dormis: qui enim legem tunc meditaretur?

*V.* 8. MOVEBUNTUR INTER OCULOS TUOS. Hebr. *Erunt in frontalia*. טטפות *totaphoth*, *ante oculos tuos*: gestabis quasi amuleta hæc præcepta.

*V.* 11. QUAS NON EXTRUXISTI. Hebr. *implevisti*; sed *construere* est etiam *coacervare*. Quas non extruxisti aut construxisti opes, eas dedit Deus tibi.

*V.* 13. PER NOMEN ILLIUS IURABIS, quando iurandum erit, non per alios. August. Deuter. XII.

*V.* 15. QUONIAM DEUS AEMULATOR. Sept. *zelotes*. NE QUANDO IRASCATUR FUROR DOMINI. Hebr. *nasus Domini*, pro ira, quoniam in naso apparet iracundia.

*V.* 19. UT DELERET INIMICOS TUOS. Sept. *Expelleret inimicos tuos*: atque ita est Hebraice.

*V.* 20. FILIUS TUUS CRAS. Non proximum diem, sed futurum tempus significat quodcumque.

*V.* 25. ERITQUE NOSTRI MISERICORS. Sept. *Misericordia erit nobis*. Chald. *Præmium erit nobis*. Hebr. *Et iustitia erit nobis*; sed vox Zedaca Hebraice significat etiam *misericordiam*, *eleemosynam*: sic Matth. VI. vers. I. *Attendite ne iustitiam*; Græce, *ne eleemosynam*: fortassis quia misericordia quodammodo ex iustitia debetur.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. UT PROLONGENTUR DIES TUI. Verbum יאריכן *iaarichun* est futurum Hiphil, proinde quidam active reddunt: *Ut prolongent*, vel *propterea prolongabunt*, vel *prolongare facient*: nempe timor Dei, & mandatorum observatio erunt tibi causa diuturnæ vitæ adiuvans atque administrans, quod sequens versus explicat: quapropter cum præcedentibus videtur coniungendum. Sed recte notant, tertiam personam pluralem activam plerumque poni pro verbo passivo, non expresso certo nominativo ante verbum *ut*, velut impersonaliter sumatur. Sic Lucæ XII. vers. 20. *Stulte, hac nocte tollent animam tuam*, id est tolletur anima tua. Ita hic accipi potest passive impersonaliter, *Prolongabunt dies tuos*, pro prolongabuntur dies tui. Alii intransitive exponunt: *Ut producantur, promoveant, dies tui*: sicut verba Hiphil sæpe absolute videas sumi, quod aliquid subaudiri videatur. Quod & in aliis linguis fieri videas, ut verba activa abeant in neutra, ut Latinis *promovere*, *mutare*, *vertere*; & id genus. Sic supra cap. V. vers. 16. Exodi XX. vers. 12. & alibi.

*V.* 4. AUDI ISRAEL. In שמע *schemagh*, littera Ghain est magna: & est nona littera grandior, quæ in Hebraica Scriptura Bibliorum occurrit. Vide Numeror. XIII. vers. 3. Hic facile olfecerim mysterium: nempe quia hoc sermone divinam Trinitatem personarum indicaturus erat, im-

immo etiam æterni Filii Dei incarnationem. Primus, IHUH, *Pater*: secundus, ELOHIM *noster*, *Filius*; *noster*, propter assumptam humanitatem: tertius, IHUH, *Spiritus sanctus*. Vide Galatinum Lib. II. cap. I. UNUS EST. אחד *echad*, scribitur cum Daleth magno: & hæc est decima magna littera Hebræorum Bibliorum: quæ fortasse posita est ad insinuandam perfectissimam & absolutissimam unitatem essentiæ Trinitatis, ut intelligeremus tres divinas personas non esse nisi unum Deum, nempe trinum in personis, & unum in natura divinitatis. Subtilius est quod quidam notant, *Echad* esse Dei nomen, *Unus*, e Iob XXXI. 15. Isaiæ LXVI. 17. Macrobius Lib. I. Saturnaliorum, cap. XXIII. *Assyrii Deo, quem summum maximumque venerantur, Adad* (forte Achad) *nomen dederunt: eius nominis interpretatio significat Unus. Hunc ergo ut potentissimum adorant Deum.*

*V.* 5. ET EX TOTA ANIMA TUA. Nomini נפש *nephesch*, *anima*, hæc omnia subiiciunt: *In tota*, seu *omni potentia animæ*, *affectu*, *voluntate*, *ingenio*, *animo*, *mente*, *desiderio*, *anhelatione*, *aspiratione*, *impetu*, *conatu*, *propensione*. ET EX TOTA FORTITUDINE TUA. מאד *meod*, hæc omnia complectitur: *Et in omni valde*, *valore*, *vehementia*, *facultate*. Quidam, *Pro omni virili tua*. Alii, *In omnibus viribus tuis*. Nec desunt qui ad bona externa referant; id est, ex omnibus tuis facultatibus & copiis. Plerique ad vires animi; id est, quantum a te diligi potest.

*V.* 7. ET NARRABIS EA. Hebr. *Et exacues ea*. Quidam notant esse metaphoram ductam a gladio, qui dum acuitur, sæpius impellitur ad cotem. Innui volunt studium & diligentiam, qua pueris præcepta Dei inculcari debent. Aliqui metaphoram esse putant a bellatoribus, qui arma acuunt ut facilius hostes penetrent: sic iubet proponere parentes liberis suis doctrinam Dei quam accuratissime, & quam accommodatissime: unde reddunt: *Et acute ingeres ea filiis tuis*. Possis reddere: *Et infiges*, *defiges ea*: quod acuta facile infigantur. Alii: *Et repetes*, *inculcabis*, *iterabis ea*. Nonnulli: *Et loqueris iugiter ea*, vel *confabulaberis de eis*. Nec aliene convertes: *Et dentabis ea filiis tuis*; id est, inter dentes versabis, assidue loquaris: vel dentibus mandes, præmansa in os ingeres filiis tuis. SEDENS IN DOMO TUA; id est, numquam intermittas meditari, & inculcare ea. Periphrasis a situ hominis, qui a natura est quadruplex; pro eo quod est, in omni quiete, motu, loco, tempore, modo, &c.

*V.* 8. ET LIGABIS EA. Notant esse typum seu symbolum accuratæ observationis, atque perpetuæ: ut Exodi XIII. vers. 16.

*V.* 13. DOMINUM DEUM TUUM TIMEBIS. Vide infra cap. X. vers. 20. & cap. XIII. vers. 4. AC PER NOMEN ILLIUS. Quidam exponunt: Subaudi, & non per nomen idoli, quod cum res nihili sit, de re ulla non potest testari, & fidem facere; ac si dicat: Quando voles aliquid affirmare, aut si voles cum aliquo inire fœdus, & si quando iubearis a magistratu iurare, aut in usum proximi; non advocabis alium in testimonium quam Deum tuum veracem, rerum omnium conscium, qui solus rerum omnium testis est verax; non muta idola, & sine sensu: non dabis alii honorem iuramenti quam Deo. Non tamen existimes pro quavis re levi iuramentum hic præcipi in nomine Domini: nam de solenni, aut necessario iuramento tantum intelligendus est locus; quasi dicat: Quoties necessitas, & ratio pietatis, vel caritatis publica, aut privata postulat, etiam religione iusiurandi exhibeto cultum Deo quem debes: & semper apud omnes nomen illius religiose profitetur, ut evidentius habetur infra cap. X. vers. 20.

*V.* 16. NON TENTABIS DOMINUM DEUM TUUM. Vide Exodi XVII. 7.

*V.* 19. CORAM TE. Hebr. *a facie tua*. Quidam exponunt: In adventu tuo, ut primum terram ingredieris.

*V.* 24. CUNCTIS DIEBUS VITAE NOSTRAE, SICUT EST HODIE. Heb. *Cunctis diebus, ad vivificandum nos secundum diem istam*. Quidam: *Ut nos conservaret in vita sicut hodie*: vel ut servaret nos incolumes, ut vides nos incolumes esse hodie, seu ut vere hodie incolumes sumus.

*V.* 25. ERITQUE NOSTRI MISERICORS, SI CUSTODIERIMUS, &c. Hebr. *Et iustitia erit nobis*, *quia*, vel *cum servabimus*, *&c.* Ex observatione decalogi

gi & legis divinæ, vera iustitia, & iustificatio inest nobis, dicente Christo: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Ex observantia aliorum legalium præceptorum quæ in morte Christi expiraverunt, obveniebat Iudæis legalis quædam & politica iustitia. Vide Paulum Roman. x. Quidam hic *iustitiam* pro mercede & præmio recte factorum accipiunt, seu pro beneficio & gratia facta, ut I. Samuelis xxvi. vers. 23. Isaiæ liv. vers. 17.

## MENOCHII.

*Vers.* 3. AMPLIUS, *valde*, ut habent Hebræus, Chaldæus, & LXX.

*V.* 4. DEUS NOSTER... UNUS EST. Hoc est primum principium unde conclusio deducitur de eo solo adorando, colendo, timendo, diligendo.

*V.* 5. EX TOTO CORDE TUO, &c. Quod dicitur, *Ex toto corde*, *anima*, *fortitudine*, &c. videtur idem significare; sed pluribus explicatur ad rem magis inculcandam.

*V.* 7. NARRABIS. Hebraice, *Et acues*; id est, ut Vatablus, & alii, iterabis, revolves, repetes hæc mea præcepta filiis tuis. Vel *acues* significat clare, distincte, aperte propones. MEDITABERIS. Hebr. *loqueris*, sicut famulus cum hero loquitur familiariter, ut eius mentem cognoscat, quam opere exequatur. DORMIENS: quando scilicet cubitum concedis, aut dum cubas. ATQUE CONSURGENS, iuxta piorum usum, qui cum evigilarunt, primitias actionum per orationem, aut meditationem Deo offerunt.

*V.* 8. LIGABIS EA QUASI SIGNUM IN MANU TUA. Iudæi olim hæc omnia ad litteram ut sonant acceperunt, ut patet Matth. xxiii. 5. Verum melius accipiuntur metaphorice, ut hac formula loquendi doceamur divinam legem præ oculis semper habere, nec illius umquam oblivisci.

*V.* 13. PER NOMEN ILLIUS IURABIS, si iurandum sit.

*V.* 16. NON TENTABIS DOMINUM, &c. non exacerbabis peccando, murmurando, &c. IN LOCO TENTATIONIS. Exod. xvii. 7.

*V.* 17. TESTIMONIA, leges, quæ testantur quid velit Deus a nobis fieri.

*V.* 20. CRAS, tempore futuro.

*V.* 21. PESSIMA, gravissima AEgyptiis, nocentissima.

*V.* 24. LEGITIMA, lege decreta.

*V.* 25. ERIT NOSTRI MISERICORS. Hebr. *Et iustitia erit nobis*; sed iustitia hic, & alibi capitur pro misericordia.

## TIRINI.

*Vers.* 5. DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO, ET EX TOTA ANIMA TUA, ET EX TOTA FORTITUDINE TUA. Potest per cor intelligi voluntas seu appetitus rationalis; per animam appetitus sensitivus; per fortitudinem, seu vires (ut citat Sanctus Lucas cap. x.) facultas executiva. Sed verisimilius est, simplici Hebraismo hæc omnia idem prorsus significare, & posteriora non alium ob finem addita fuisse, quam ut eamdem rem magis exprimerent, & inculcarent, nempe amorem nostrum erga Deum debere summum esse. Ubi nota contra hæreticos, præcipi hic amorem summum, non intensive, aut extensive, & multo minus continue; sed solum appretiative vel comparative, ut nempe Deum rebus omnibus creatis anteferamus, nec quidquam illius amicitiæ præponamus. Unde potest hoc præceptum in hac vita etiam facile impleri: & de Iosia *a* Rege, & aliis legimus, implevisse illud, uti & alia omnia præcepta. Simile est quod de Davide *b*, Asa *c*, Ezechia *d*, Zacharia, Elisabeth *e*, & aliis habemus, *cor eorum fuisse perfectum cum Deo, vel incessisse in omnibus mandatis Dei*.

Dices. S. Augustinus dicit, neminem in hac vita posse Deum ex toto corde diligere, sed hoc a solis sanctis in cælo præstari.

Respondeo. S. Augustinus non explicat ibi litteraliter illa verba, *Ex toto corde*, sed anagogico sensu, ut idem sint quod intensissimo, perfectissimo, ac continuo amoris actu, quod profecto non est huius viæ, sed solius patriæ. Alioquin posse, immo debere hominem ita ex toto corde diligere Deum, ut nihil aliud illo carius habeat (qui est sensus litteralis huius præcepti) ex pluribus Sancti Augustini locis

g certissimo constat. Tropologice vide S. Bernardum *h*.

*V.* 8. ERUNTQUE ET MOVEBUNTUR INTER OCULOS TUOS, &c. Loquitur non proprie, sed parabolice; quasi dicat: Curabis & efficies ne mandatorum meorum obliviscaris, sed sæpe & manu, & oculis, & animo illa pervolves; atque ita præsentem omnium memoriam habebis, ac si frontalibus, dextralibus, & liminaribus inscripta haberes. Pharisæi tamen, & crassiores aliqui Iudæi, hæc ad litteram usurpantes, dilatabant ea occasione phylacteria sua & fimbrias, ut iis legem inscriberent, Matthæi XXIII. vers. 5. Alii saltem omni studio connitebantur, ut legem Moysis, totumque Deuteronomium memoria tenerent. Traduntque Rabbini, hunc in finem vel in sola urbe Ierosolymitana fuisse supra quadringentas scholas & synagogas, in quibus lex Dei traderetur & explicaretur.

(a) IV. Reg. XXIII. vers. 25.
(b) III. Reg. XI. vers. 4.
(c) III. Reg. XV. vers. 11.
(d) IV. Reg. XVIII. vers. 6.
(e) Lucæ 1. vers. 6.
(f) August. Lib. de Perfect. Iustitiæ Tom. VII.
(g) Vide Vasq. 1. II. quæst. CIX. a. 3. & alios DD.
(h) S. Bern. Ser. de dilig. Deo, & de triplici dilectionis modo, & tract. de Diligendo Deo.

## GORDONI.

*Vers.* 4. AUDI ISRAEL, DOMINUS DEUS NOSTER, DOMINUS UNUS EST. Quamvis Eugubino valde displiceat, si quis ex hoc loco & nomine Dei ter posito colligat mysterium Trinitatis; non desunt tamen sancti Patres qui putent probabiliter sic colligi. Ita Augustinus, Alexander Papa, Anselmus, Greg. Nyssenus, & alii apud Sixtum Senensem Biblioth. Lib. V. annot. CXXX.

*V.* 5. DILIGES DOMINUM DEUM TUUM .... EX TOTA FORTITUDINE TUA. Septuaginta ἐξ ὅλης δυνάμεώς σου. Hebr. בכל מאדך *becol meodecha*, *ex omni valde tuo*, vel, ut alii vertunt, *ex tota vehementia tua*; ac si diceres, ex omni possibilitate tua. Quod qua ratione fiat, & non sit præceptum hoc impossibile, exposui in materia de Caritate. Si quæras quomodo hæc tria distinguantur, *Ex corde toto*, *tota anima*, & *tota fortitudine*. Existimandum certe est, hæc tria idem designare, nempe accuratam huius præcepti observationem, & singularem diligentiam ne aliquid contra fiat, ita ut nulla amoris pars detur creaturæ supra Deum. Perfectus tamen ille qualis est in beatis amor, nec hic præcipitur, cum sit finis præcepti, nec aliter est præceptus amor, nisi ut habet rationem medii. Negavit Augustinus de Spiritu & Littera cap. ult. posse impleri præceptum amoris in hac vita: sed loquitur in sensu ille anagogico; nos hic sensum tantum litteralem explicamus. Et simile est de concupiscentia, *Non concupisces*. Et hoc est quod communiter dici solet in scholis, obligationem huius præcepti intelligi appretiative, seu comparative ad alia, non intensive. Sed de his plura suo loco

*V.* 7. DORMIENS, iturus ad dormiendum.

*V.* 13. PER NOMEN ILLIUS IURABIS, quando iurandum est; non vero per deos alios.

*V.* 16. IN LOCO TENTATIONIS. Exod. cap. XVII. vers. 7.

*V.* 20. CRAS. Tempus futurum quodcumque significat.

*V.* 24. LEGITIMA. Sept. *iustificationes*: Hebr. *statuta*.

### EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 8. LIGABIS. Hæc ad litteram accipiebant Iudæi; sed sensus est de lege Dei semper mente retinenda, & servanda.

*V.* 16. NON TENTABIS: peccando non excites ut irascatur, ut fecisti Exod. XII. 7.

*V.* 17. TESTIMONIA, præcepta Dei, quod testentur quid velit Deus. Theologi vocant Voluntatem signi.

*V.* 20. CRAS, in sequentibus annis.

*V.* 22. PESSIMA, gravissima Ægyptiis.

CA-

## CAPUT VII.

*Nulla cum Gentibus ſocietas contrahenda, ſed earum aræ, luci, ac ſimulacra delenda: memoratis Dei beneficiis promittit in omnibus auxilium & ubertatem, modo eius præcepta obſervent.*

1. CUm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam poſ-
ſeſſurus ingrederis, & deleverit Gentes multas coram te,
(*a*) Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chana-
næum, & Pherezæum, & Hevæum, & Iebuſæum, ſeptem
Gentes multo maioris numeri quam tu es, & robuſtiores
te: 2. tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties
eas uſque ad internecionem. (*b*) Non inibis cum eis fœdus,
nec miſereberis earum, 3. neque ſociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non
dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: 4. quia ſeducet filium tuum
ne ſequatur me, & ut magis ſerviat diis alienis: iraſceturque furor Domini, &
delebit te cito. 5. Quin potius hæc facietis eis: (*c*) Aras eorum ſubvertite, &
confringite ſtatuas, lucoſque ſuccidite, & ſculptilia comburite. 6. (*d*) Quia po-
pulus ſanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei po-
pulus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram. 7. Non quia cunctas
gentes numero vincebatis, vobis iunctus eſt Dominus, & elegit vos, cum omni-
bus ſitis populis pauciores: 8. ſed quia dilexit vos Dominus, & cuſtodivit iura-
mentum quod iuravit patribus veſtris: eduxitque vos in manu forti, & redemit
de domo ſervitutis, de manu Pharaonis regis AEgypti. 9. Et ſcies, quia Do-
minus Deus tuus, ipſe eſt Deus fortis & fidelis, cuſtodiens pactum & miſericor-
diam diligentibus ſe, & his qui cuſtodiunt præcepta eius, in mille generationes:
10. & reddens odientibus ſe ſtatim, ita ut diſperdat eos, & ultra non differat,
protinus eis reſtituens quod merentur. 11. Cuſtodi ergo præcepta, & cæremo-
nias, atque iudicia, quæ ego mando tibi hodie ut facias. 12. Si poſtquam au-
dieris hæc iudicia, cuſtodieris ea & feceris, cuſtodiet & Dominus Deus tuus pa-
ctum tibi, & miſericordiam quam iuravit patribus tuis: 13. & diliget te ac mul-
tiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo,
atque vindemiæ, oleo, & armentis, gregibus ovium tuarum ſuper terram, pro
qua iuravit patribus tuis ut daret eam tibi. 14. Benedictus eris inter omnes po-
pulos. (*e*) Non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus, tam in hominibus quam
in gregibus tuis. 15. Auferet Dominus a te omnem languorem: & infirmitates
AEgypti peſſimas, quas noviſti, non inferet tibi, ſed cunctis hoſtibus tuis.
16. Devorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Non
parcet eis oculus tuus, nec ſervies diis eorum, ne ſint in ruinam tui. 17. Si
dixeris in corde tuo: Plures ſunt gentes iſtæ quam ego, quo modo potero de-
lere eas? 18. noli metuere, ſed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pha-
raoni, & cunctis AEgyptiis, 19. plagas maximas quas viderunt oculi tui, &
ſigna atque portenta, manumque robuſtam, & extentum brachium, ut educeret

te

te Dominus Deus tuus: ſic faciet cunctis populis, quos metuis. 20. (f) Inſu-
per & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque
diſperdat qui te fugerint, & latere potuerint. 21. Non timebis eos, quia Domi-
nus Deus tuus in medio tui eſt, Deus magnus & terribilis: 22. ipſe conſumet
nationes has in conſpectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas dele-
re pariter: ne forte multiplicentur contra te beſtiæ terræ. 23. Dabitque eos Do-
minus Deus tuus in conſpectu tuo: & interficiet illos donec penitus deleantur.
24. Tradetque reges eorum in manus tuas, & diſperdes nomina eorum ſub cæ-
lo: nullus poterit reſiſtere tibi, donec conteras eos. 25. (g) Sculptilia eorum
igne combures: non concupiſces argentum & aurum, de quibus facta ſunt, ne-
que aſſumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio eſt
Domini Dei tui. 26. Nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam, ne fias
anathema, ſicut & illud eſt. Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquina-
mentum ac ſordes abominationi habebis, quia anathema eſt.

(a) Exod. xxiii. 23. & xxxiii. 2. (b) Exod. xxiii. 32. & xxxiv. 15. 16. (c) Infr. xii. 3. xiv. 1. xvi. 21. Exod. xxiii. 24. (d) Inf. xiv. 2. & xxvi. 17. (e) Exod. xxiii. 26. (f) Exod. xxiii. 28. xxxiii. 2 Ioſ. xxiv. 12. (g) II. Mach. xii. 40.

# C O M M E N T A R I A

## S A.

*Verſ.* 6. DE CUNCTIS. Chald. & LXX. *præ cunctis*.

*V.* 7. VOBIS IUNCTUS EST; id eſt, vos eſt complexus, & valde dilexit. Chald. *Complacuit in vobis*. LXX. *Aſſumpſit vos*.

*V.* 8. CUSTODIVIT, id eſt ſervavit.

*V.* 9. MILLE, id eſt plurimos.

*V.* 10. REDDENS, ſcilicet pœnam.

*V.* 14. INTER OMNES. Hebr. Chald. & LXX. *ſuper omnes*.

*V.* 15. NOVISTI, id eſt vidiſti, ſcilicet quibus plagis AEgyptum percuſſerim.

*V.* 16. DEVORABIS. Chald. *conſumes*. OMNES POPULOS. LXX. *omnia ſpolia Gentium*.

*V.* 19. PLAGAS. Hebr. & LXX. *tentationes*. Chald. *mirabilia*.

*V.* 20. CRABRONES, ſcilicet muſcas venenatas. LATERE POTUERINT. Heb. Chald. & LXX. *latuerint*.

*V.* 22. PARITER. Hebr. Chald. & LXX. *cito*, id eſt ſubito. BESTIAE TERRAE, id eſt ferræ.

*V.* 25. OFFENDAS. Hebr. *illaqueeris*.

*V.* 26. NE FIAS ANATHEMA; quaſi dicat: Ne fias Deo abominationi, & ab eo deſtruaris. ANATHEMA .... EST; id eſt, debet prorſus deſtrui.

## E S T I I.

*Verſ.* 3. NEQUE SOCIABIS CUM EIS CONIUGIA. Hoc quomodo intelligendum ſit, vide ad I. Eſdræ cap. x. & Noſtra in diſt. xxxix. Lib. IV. Sent.

*V.* 14. NON ERIT APUD TE STERILIS UTRIUSQUE SEXUS. Vide ſupra Exodi xxiii.

*V.* 15. ET INFIRMITATES AEGYPTI PESSIMAS, QUAS NOVISTI, &c. Videtur ſignificare plagas quibus percuſſi fuerunt AEgyptii. Sic infra cap. xxviii. *Percutiat te Dominus ulcere AEgypti*: & poſtea, *Et convertet in te omnes afflictiones AEgypti, quas timuiſti, & adhærebunt tibi*. Caietanus dicit: *Quales fuerint infirmitates iſtæ malæ, neſcimus*. Sed Lyranus ſuper Deuter. xxviii. ulcera intelligit, de quibus Exod. ix. & quæ erat ſexta plaga AEgypti: & recte. Quin etiam huc pertinent aliæ plagæ, potiſſimum tertia, quarta, & octava. Unde & paulo poſt præcipit Moyſes, ut recordentur quæ fecerit Dominus Pharaoni, & cunctis AEgyptiis plagas maximas, &c.

*V.* 26. NEC INFERES QUIDPIAM EX IDOLO IN DOMUM TUAM, NE FIAS ANATHEMA, SICUT ET ILLUD EST. Ex hoc loco habetur, quod

Iudæis etiam lege positiva prohibitum erat vesci idolothytis. Et tamen casus extremæ necessitatis, secluso scandalo, intelligitur exceptus. De idolothytis plenius egimus in Commentario prioris Epistolæ ad Corinth. ad cap. x. vers. 19. & seqq.

## MARIANAE.

*Vers.* 1. DELEVERIT GENTES, scilicet Deus. Hebr. *evulserit*. Chald. *expulerit*: idem verbum Hebr. vers. 22. ubi Hieronymus, *consumet*.

*V.* 4. QUIA SEDUCET. Hebr. *avertet*. *Seducere* etiam est *secus ducere*. Sept. ἀποςήσει, *avertet*, avellet uxor, scilicet alienigena, filium tuum.

*V.* 6. DE CUNCTIS POPULIS. Præpositio Hebraica מן *min*, potest & hoc modo reddi, *Et præ cunctis populis te*, scilicet elegit, ut Chald. Sept. & Pagn. posuerunt, neque nos reiicimus.

*V.* 7. VOBIS IUNCTUS EST DOMINUS. Hebr. *Concupivit Dominus vos, & elegit*.

*V.* 9. IN MILLE GENERATIONES. Hoc iungitur cum illis verbis, *Custodiens pactum & misericordiam*, quæ sunt in eodem versu.

*V.* 10. ET REDDENS ODIENTIBUS SE STATIM. Pro *statim*, Hebraice est *ad faciem suam*, quod Hebræus explicat, *in vita sua*, dum vivunt: sic Chald. intelligit; sed supplet quædam hoc modo: *Retribuens inimicis sua bona, quæ ipsi faciunt coram eo in vita sua, ut perdat eos*. Idem mox repetitur Hebraice, pro quo Hieronymus, *Protinus eis restituens quod merentur*.

*V.* 12. SI POSTQUAM AUDIERIS HAEC IUDICIA. Hebr. *Et eris merces, audieris*, pro si audieris. *Merces* voce *calcanei* vocatur hic Hebraice עקב, quoniam est ultimum in opere.

*V.* 13. BENEDICETQUE... GREGIBUS OVIUM. Hebr. עשתרות *hastheroth*, sic dici *greges ovium* quidam ait, quod possessorem divitem reddant a multiplici proventu: עשר *basar* enim, est *divitem esse*.

*V.* 14. BENEDICTUS ERIS INTER OMNES POPULOS, id est præ omnibus populis. Rursus est præpositio מן *min*. NON ERIT APUD TE STERILIS UTRIUSQUE SEXUS. Hebr. *Non erit in te infecundus, & infecunda*. עקר *hakar*, hoc est *infecundus*, dicitur Hebr. ab evellendo, quod eorum semen radices non agat: sic Hebræus.

*V.* 16. DEVORABIS OMNES POPULOS. Chald. *consumes*.

*V.* 19. PLAGAS MAXIMAS QUAS VIDERUNT OCULI TUI. Hebr. *tentationes magnas*: sic Sept. sed plagis tentavit AEgyptios, an in iniquitate perstarent: & tentationes pro plagis sumuntur.

*V.* 22. DELERE PARITER; id est, cito non delebis Chananæos, ne terra in solitudinem redigatur.

*V.* 25. NON CONCUPISCES ARGENTUM ET AURUM, DE QUIBUS FACTA SUNT. Hebr. *super ea*; pro, quod est super ea. Aureis & argenteis laminis vestiebantur idola, quas cupere vetat.

*V.* 26. QUIA ANATHEMA EST. Heb. חרם *herem*, Græce ἀνάθεμα, quod Deo devotum in excidium erat: sic idola erant.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. NEC MISEREBERIS EARUM. Hebr. *Et non gratificabis eas*; id est, nullam eis gratiam, favorem, beneficium præstabis, aut facies. Hispanicus Interpres: *Ni los tomaras a merced*.

*V.* 3. NEQUE SOCIABIS CUM EIS CONIUGIA. חתן *chatan*, in Hithpahel, aiunt esse *connubio iungi*, *contrahere affinitatem*, *desponsari*. Hispanicus Interpres satis apto vocabulo dixit: *Y no consograras con ellos*; id est, *non consocerabis*, a חתן *chatan*, *socero*. Vide Genes. XXXIV. 9. Hunc versum, & præcedentem quidam intelligunt de his gentibus, si perstiterint in idololatria, ut ostendit sequens versus 4. Sic in conservatione Rachabæ, atque connubio, & aliis quoque exemplis contra hoc mandatum Israelitæ non venerunt. Vide infra cap. XX. vers. 16. & Iosue IX. vers. 19.

*V.* 5. LUCOSQUE SUCCIDITE. אשירה *ascherah*, aiunt esse *lucum ad cultum divinum plantatum & excultum*, *crectas & proceras habentem arbores ordine consitas*; quasi dicas, silvulam, seu benedictam: atque ex Scriptura sacra constare, tales lucos a gentibus principio consitos in honorem

rem deorum, ut in his suos cultus & idololatriam peragerent. Alii volunt esse lucum ad cultum Dei beatificatum seu consecratum. Quidam annotant sic dictum Hebræis, quod homines beatitatem in eo, utpote sacro & religioso loco, quærerent; aut per antiphrasim, quasi minime beatus sit, sed infamis ac detestabilis: ut Latine lucus, quasi luce carens, aut minime lucidus. Nec desunt qui lucos dictos putent, quod in iis lumina diis accenderentur. Mirum plane quam frequens horum lucorum diis sacratorum mentio in sacris, & profanis litteris habeatur. De sacris, notissimum; de profanis, Virgilius Ecloga VI.

*His tibi Grynæi nemoris dicatur origo:*
*Ne quis sit lucus quo se plus iactat Apollo.*

Lucanus Lib. III.

*Lucus erat longo numquam violatus ab ævo.*
*..... Sed Barbara ritu*
*Sacra Deum, structæ diris altaribus aræ,*
*Omnisque humanis lustrata cruoribus arbos.*

Claudianus Lib. I. de Laudibus Stiliconis:

*...... lucosque vetusta*
*Relligione truces, & robora numinis instar.*

Tacitus de Moribus Germanorum: *Lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant*. Vulgatissimum apud Gentiles, lucos circum templa deorum pangere. Virgilius I. AEneidos:

*Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbra,*
*Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido*
*Condebat, donis opulentum, & numine divæ.*

De quo ethnico more vide plura apud Petrum Fabrum Lib. III. Semestrium, cap. I. Lucianus in Dea Syria sub initium: *Primi itaque hominum quos nos scimus, AEgyptii dicuntur & deorum notitiam percepisse, & templa constituisse, lucosque, & conventus solemnes edidisse*. Adito quoque Iacobum Gutherium Lib. III. de Iure Pontificio, cap. IV. Nec dubium prava imitatione id fecisse Gentiles: nam de Abraham dicitur Genes. XXI. vers. 33. *Et plantavit nemus in Beersebah, & invocavit ibi nomen Iehovæ, Potentissimi æterni*. Vide infra cap. XII. vers. 2.

*V*. 6. UT SIS EI POPULUS PECULIARIS. Quidam: *Ut sis ei in populum proprietatis*. Existimant, Paulum hanc phrasim imitatum, Græca voce περιούσιον reddidisse, ad Titum II. vers. 14. *Et purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum*. Vide Exodi XIX. vers. 5.

*V*. 10. ET REDDENS ODIENTIBUS SE STATIM. Hebr. *Et retribuens odientibus ipsum ad facies eius*. Quidam exprimunt: *Et rependens odio habentibus se, cuique in faciem eius*. Aliqui exponunt, dum adhuc ipse impius vivit. Alii intelligunt, cito, celeriter, statim: ut Noster. Sed est elegantissimus Hebraismus simul & Hispanismus, quem Hispanicus Interpres apte ita expressit: *Que paga en su cara al que lo aborrece*. Ita statim in fine versus. Aliqui illud, *Ad facies eius*, ad Deum referunt, hoc sensu: Rependens iis qui eum palam & in facie, hoc est impudenter & audacter, odio habent.

*V*. 12. SI POSTQUAM AUDIERIS HAEC IUDICIA. Hebr. *Et erit, propterea quod audietis iudicia ista*. עקב *gekeb*, exponunt *propterea quod, eo quod*, vel *finaliter, ad extremum, tandem*. Quidam hic pro *emolumento operis, fructu, præmio, mercede* accipiunt, quia est finis operis. Unde reddunt: *Et erit merces*, seu *præmium, audietis iudicia ista*; id est, erit vobis merces cum audieritis iudicia ista, nempe cum obtemperaveritis legi Dei. Aliqui: *Et erit usque audietis iudicia hæc*; id est, tamdiu hæc bona habebitis, quamdiu divinis præceptis obedietis.

*V*. 13. GREGIBUS OVIUM TUARUM. De ratione vocis עשתרות *ghaschterot*, disseruimus Genes. XIV. vers. 5. Varie hic reddunt. 1. *& caulas* seu *greges, ovium tuarum*; 2. *& femellas ovium gregis*, seu *pecoris tui*; 3. *& proles ovium ovis tuæ*, seu *gregis tui*; 4. *& astra, sidera, stellas ovium tuarum*. Notant enim, cum hoc nomen *ghaschterot* præponitur in regimine nomini צאן *tzon, ovium*, significare *astra*, sive *sidera ovium*, hoc est multitudinem ovium congregatarum in ordinem, instar astrorum, vel siderum. Hebræi plerique affirmant esse femellas, vel proles ovium: sic dictas a עשר *ghascher*,

*ditavit*, quod illæ ſuos dominos caſeo, lana, & agnis ditent. Vel quod eo tempore apud illas gentes omnes facultates in pecudibus, & in re pecuaria ſitæ eſſent: quemadmodum & Latini ea de cauſa pecuniam, & peculium, & pecunioſos dixerunt. Sed forma nominis vix hoc etymon patitur.

*V.* 20. ET LATERE POTUERINT. Hebr. *Et abſconditos*, vel *abſcondentes ſe a facie tua*; id eſt, eos qui vane putaverint ſe a facie ſeu præſentia tua abſcondi & latere poſſe.

*V.* 21. NON TIMEBIS EOS. Verbum ערץ *gharatz* varie reddunt. I. *Ne paveas a facie eorum*. II. *Ne frangaris a facie eorum*. III. *Ne conſternaris metu illorum*. Hiſpanicus Interpres: *No deſmayes delante de ellos*. Notant id verbum ſingularem ſignificandi modum habere, quod quando ante ſe negativam particulam habet, & poſt ſe ablativum mediante præpoſitione *mem*, ablativi caſus, tum idem valere quod *terreri*, *abſtereri*, ſicut tam Græci, quam Latini interpretes etiam reddiderunt. Unde hic vertunt: *Ne prævalearis a conſpectu ipſorum*; id eſt, ne vincaris, ne terrearis a conſpectu ipſorum; conſpectus ipſorum non ſit prævalentior. Similem phraſim habes ſupra cap. I. verſ. 29. putantque Paulum eam imitatum, ſimulque hoc verbum Græce reddidiſſe ad Philipp. I. verſ. 27. 28. *Audiam quæ de vobis, quia ſtatis in uno ſpiritu, una anima, collaborantes fidei Evangelii* (vel *adiuvantes decertantem fidem Evangelii*) *& non territi in ullo ab adverſariis: quod illis quidem eſt indicium perditionis, vobis autem ſalutis: & hoc a Deo, &c.*

*V.* 23. ET INTERFICIET ILLOS. Hebr. diverſimode exprimunt. I. *Et conteret eas contritione magna*. II. *Et confringet eas fractione magna*. III. *Et reddet attonitos eos ſtupore magno*. IV. *Et tumultu magno perdet eas*. V. *Et divexabit eas vexatione magna*. VI. *Et concitabit, terrebit eas impetu, concitatione tumultuaria, terrore magno*. VII. *Et profligabit, quaſſabit, fundet eas ſtrepitu magno*. VIII. *Et turbabit eos turbatione magna*. Ponuntur hic verbum הים *him*, vel המם *hamam*, & nomen מהומה *mehumah*, eiuſdem radicis: quod reddunt *rumorem*, *divexationem*, *turbationem*, *concitationem*, *ſonitum*, *ſtrepitum*, *tumultuationem*. Noſter vertere ſolet *interfectionem*, *occiſionem*, *pavorem*, *tumultum*, *terrorem*, *interitum*: & Amos III. verſ. 9. *inſaniam*. Proverb. XV. verſ. 16. & Deuteronom. XXVIII. verſ. 20. *eſuriem*, vel *inſatiabilitatem* videtur exponere: nonnulli, *calamitatem*. Quæ omnia ſignificata recte huic loco quadrant. Vide infra cap. XXVIII. verſ. 20.

*V.* 26. NE FIAS ANATHEMA. Hebr. *devotum*, *exciſum*: cuius rei exemplum manifeſtiſſimum notant in Hachane, Ioſue VII. verſ. 12. & in illis qui res ſubduxerant conſecratas idolo Iamnenſium, II. Machabæor. XII. verſ. 40.

## MENOCHII.

*Verſ.* I. SEPTEM GENTES. Gen. XV. 19. numerantur decem gentes Chananæorum, quas expulerunt Hebræi: tres ergo reliquæ vel ante perierant, vel aliis ſeptem permixtæ fuerunt.

*V.* 2. NON INIBIS CUM EIS FOEDUS, ut ſcilicet tecum in eadem terra habitent: quod male ſervatum ab Hebræis, ut patet Ioſue XIII. 3. & Iudic. I.

*V.* 3. NEQUE SOCIABIS CUM EIS CONIUGIA, quamdiu ſcilicet manent idololatræ.

*V.* 6. POPULUS SANCTUS ES DOMINO. *Sanctus*, id eſt ſeparatus ab aliis gentibus, verique Dei religioni addictus. POPULUS PECULIARIS. Hebr. eſt, *populus* סגלה *ſegulla*, quæ vox cimelium ſignificat, ſive rem cariſſimam, & pretioſiſſimam.

*V.* 7. VOBIS IUNCTUS EST DOMINUS; hoc eſt, vobis adhæſit, vos peculiari amore complexus eſt, ut vox Hebr. ſonat. DEUS FORTIS, in redimendo, & ſalvando. ET FIDELIS, in ſervandis promiſſis.

*V.* 10. REDDENS ODIENTIBUS SE STATIM, pœnam non differens, ut patuit in pœna colentium vitulum aureum Exod. XXXII. & concupiſcentium carnes Num. II. & pœna Core, Dathan, & Abiron Num. XVI. & in pœna murmuris Mariæ Num. XII.

*V.* 13. BENEDICET FRUCTUI VENTRIS TUI: poſteritatem tuam multiplicabit.

*V.* 14. NON ERIT APUD TE STERI-

LIS

LIS UTRIUSQUE SEXUS. Non eſt hoc præceptum, ſed eſt benedictio qua coniugatis proles promittitur.

*V.* 15. LANGUOREM .... ET INFIRMITATES AEGYPTII PESSIMAS, &c. cuiuſmodi erant veſicæ illæ turgentes, Exod. IX. & aliæ plagæ, quibus Deus afflixit AEgyptum.

*V.* 16. DEVORABIS OMNES POPULOS, gladio eos conſumendo, & opes eorum diripiendo.

*V.* 20. CRABRONES. Vide dicta Exod. XXIII. 28.

*V.* 21. IN MEDIO TUI EST: tecum eſt, te adiuvat. Similis phraſis eſt Exod. XVII. 7.

*V.* 22. NON POTERIS EAS DELERE PARITER. Vide dicta Exod. XXIII. 29.

*V.* 24. DISPERDES NOMINA EORUM, ita ut ne memoria quidem eorum ſuperſit.

*V.* 25. DE QUIBUS FACTA SUNT. Hebr. *Quod eſt ſuper ea*, quo ſunt inducta, & operta.

*V.* 26. NE FIAS ANATHEMA; ideſt, res excidio addicta, quæ ſuccidenda, & ad nihilum redigenda eſt, ſicut eſt ipſum idolum.

## TIRINI.

*Verſ.* 3. NEQUE SOCIABIS CUM Chananæis CONIUGIA. Quouſque hæc illicita fuerint, dixi Exod. XXXIV.

*V.* 10. REDDENS ODIENTIBUS SE STATIM, ſcilicet debitam ſcelerum pœnam. Non loquitur de Ethnicis aut infidelibus, ſed de ſolo populo Dei, ut bene explicat Auctor Lib. II. Machabæorum cap. VI. verſ. 12. Neque enim ſolet Deus diu diſſimulare cum ſuis quos cariores habet, maxime quando punitio non eſt ad interitum, ſed ad correptionem, vel purgationem; vel certe ad interitum tantum paucorum, imprimiſque eorum qui gravius deliquerunt, ut ceteri a peccando deterreantur.

*V.* 14. NON ERIT APUD TE STERILIS UTRIUSQUE SEXUS. Ex toto contextu manifeſtum eſt, hæc verba non continere præceptum, ut voluit S. Hieronymus, ſed ad ſolam benedictionem pertinere. Et quod hic additur, aperte id indicat, nempe, TAM IN HOMINIBUS, QUAM IN GREGIBUS TUIS. Neque enim brutorum animantium greges præcepti capaces ſunt: neque etiam hominibus vetari poteſt ſterilitas, quia non eſt in hominum poteſtate fecunditas. Erat quidem nota aliqua & quaſi infamia apud Hebræos, ſi quis coniugatus liberis careret, quaſi in pœnam ſceleris alicuius admiſſi privaretur hac benedictione, & ſpe Meſſiæ ex ſe procreandi; tamen numquam præceptum legimus Hebræis matrimonium inire, aut inhibitum virginitatem ſervare. Ita Vaſquez, & alii Doctores *a*.

(*a*) Vaſqu. Tom. II. par. III. diſp. CXXIV. c. XXI.

## GORDONI.

*Verſ.* 1. VIde de his gentibus Gen. XV. verſ. 19. Decem ibi numerantur; hic tantum ſeptem: tres reliquæ partim ante ingreſſum perierε bello, de quo dictum eſt Num. cap. XXII. & XXIII. & XXV. partim ſe aliis adiunxerunt, ut eſſent tutiores. Ceterum verſ. 6. populus hic ſanctus vocatur, hoc eſt ſeparatus a gentibus.

*V.* 3. NEQUE SOCIABIS CUM EIS, &c. De hac, & coniugiorum prohibitione, vide Exod. cap. XXXIV. verſ. 16. & præſertim cum Chananæis.

*V.* 6. DE CUNCTIS. Hebr. מִן *min*, reddi etiam poteſt, *præ cunctis*.

*V.* 10. STATIM. Hebr. *ad faciem ſuam*. REDDENS ODIENTIBUS, ſcilicet pœnam.

*V.* 14. INTER OMNES, ſuper omnes. Hebr. מִן *min*. NON ERIT APUD TE STERILIS. Inepte hic fingitur præceptum contra virginitatem: totus enim contextus docet hic agi de benedictione; alioqui oporteret etiam hic fingere præceptum hoc impoſitum eſſe gregibus, ne ſint ſteriles: non eſt ergo præceptum.

*V.* 20. CRABRONES hic, & Exod. XXIII. 28. vel ſunt crabrones formidinis, vel veri crabrones ad hoſtes debilitandos.

*V.* 25. & 26. ARGENTUM ET AURUM, DE QUIBUS FACTA SUNT. Hebr. *Quæ ſuper ea ſunt*: tamen noſter Interpres intellexit ipſam etiam idoli materiam, & non tantum ornamenta; ac ſi diceres, quæ ſunt in illis, accipiendo τὸ
עַל

על *bhal*, pro in. Quod sequitur, ANATHEMA, est חרם *cherem*, de quo supra. Per crabrones, intelligo venenatas muscas.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 15. Ut erant vesicæ turgentes, & plagæ aliæ. Vide Exod. IX.

*V.* 16. DEVORABIS, consumes, superabis.

*V.* 22. DELERE PARITER. Exod. XXIII. 29.

*V.* 24. DISPERDES NOMINA: delebis memoriam.



## CAPUT VIII.

*Commemorantur beneficia & afflictiones quæ Dominus eis in deserto immiserat, ne illorum, & Dei sui fiant immemores.*

1. OMne mandatum quod ego præcipio tibi hodie, cave diligen-
ter ut facias: ut possitis vivere, & multiplicemini, ingressi-
que possideatis terram pro qua iuravit Dominus patribus
vestris. 2. Et recordaberis cuncti itineris per quod addu-
xit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum,
ut affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo
animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an
non. 3. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu &
patres tui: ut ostenderet tibi quod non (*a*) in solo pane vivat homo, sed in
omni verbo quod egreditur de ore Dei. 4. Vestimentum tuum, quo operieba-
ris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, en quadragesi-
mus annus est. 5. Ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum ho-
mo, sic Dominus Deus tuus erudivit te, 6. ut custodias mandata Domini Dei
tui, & ambules in viis eius, & timeas eum. 7. Dominus enim Deus tuus intro-
ducet te in terram bonam, terram rivorum aquarumque & fontium; in cuius
campis & montibus erumpunt fluviorum abyssi: 8. terram frumenti, hordei,
ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliveta nascuntur: terram olei
ac mellis. 9. Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium
abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius æris me-
talla fodiuntur: 10. ut cum comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino
Deo tuo pro terra optima quam dedit tibi. 11. Observa, & cave nequan-
do obliviscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atque iudicia & cæ-
remonias, quas ego præcipio tibi hodie: 12. ne postquam comederis & satiatus
fueris, domos pulchras ædificaveris, & habitaveris in eis, 13. habuerisque * ar-
menta boum, & ovium greges, argenti & auri cunctarumque rerum copiam,
14. elevetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de
terra AEgypti, de domo servitutis: 15. & ductor tuus fuit in solitudine magna
atque terribili, (*b*) in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio ac dipsas, &
nullæ omnino aquæ: qui eduxit rivos de petra durissima, 16. & cibavit te Man-
na in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probavit,
ad extremum misertus est tui, 17. ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, &
robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt. 18. Sed recorderis Domini

Dei

Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, super quo iuravit patribus tuis, sicut præsens indicat dies. 19. Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, coluerisque illos & adoraveris: ecce nunc prædico tibi quod omnino dispereas. 20. Sicut Gentes quas delevit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

(a) Matth. IV. 4. Luc. IV. 4. (b) Num. XX. 9. XXI. 6. Exod. XVI. 30. & XVII. 6.

# BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 13. *Armenta boum, & ovium greges.*

Non facile omittenda est vox *boum.*

# COMMENTARIA

## SA.

*Vers.* 1. CAVE, pro vide.
*Vers.* 2. NOTA FIERENT: *non ut ipse cognosceret*, inquit August. quæst. XIII. in Deuter. Hebr. *ut sciret*; id est, scire faceret. Chald. *ut sciretur*: & sic etiam potest verti ex Hebr. LXX. verterunt ut Noster.

*V.* 3. PENURIA. Hebr. Chald. & LXX. *fame*. VERBO, id est re; quasi dicat, In eo quod Deus voluerit. ORE, id est voluntate, seu imperio: scilicet quod voluerit, seu iusserit.

*V.* 4. SUBTRITUS, scilicet deficientibus calceis; quasi dicat, Nec calcei vetustate consumpti. Vide inf. cap. XXIX. Chald. *Calceamenta tua non sunt contrita*. LXX. *Pedes tui non occalluerunt*. Hebr. *Pes tuus non tumuit*, seu *non fuit discalceatus*.

*V.* 5. UT RECOGITES. Hebr. *Et recogitabis*, seu *recogita*. Chald. & LXX. *Et scies*, seu *cognosces*.

*V.* 9. LAPIDES FERRUM; quasi dicat, Ubi fodinæ ferreæ.

*V.* 15. DIPSAS serpens est qui morsu inducit sitim maximam, unde & nomen accepit. Hebr. & Chald. *locus siticulosus*; quasi dicat, aridus, seu sine aqua, ut statim explicatur. LXX. δίψα, id est *sitis*.

*V.* 20. DELEVIT, pro delebit; vel loquitur de iam deletis.

## ESTII.

*Vers.* 2. UT AFFLIGERET TE, ATQUE TENTARET, ET NOTA FIERENT QUAE IN TUO ANIMO VERSABANTUR, UTRUM CUSTODIRES ILLIUS MANDATA, AN NON? Quæritur: Cui nota fierent? Pagninus ex Hebræo sic vertit: *Ut affligeret te, ut tentaret te, ut sciret quæ sunt in corde tuo, &c.* Similis est locus Iudicum III. ubi dicitur Dominus dimisisse gentium reliquias, ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audirent mandata Domini. Igitur illud in nostra versione, *Nota fierent*, supple, ipsi Deo. Verum sententia figurata est, qua per scientiam seu notitiam intelligitur rei notæ, sed latentis, manifestatio. Et sicut homines per experientiam discunt quod antea latuerat, cum oblatis occasionibus, illud per facta externa proditur; sic & Deus scire & experiri dicitur, quando latens animi malitia, per facta proditur, ut pote, quasi si Deus antea non cognovisset, iam ex factis caperet experientiam. Ad hunc sensum respicientes Hieron. & Septuaginta recte verterunt indefinite: *Ut nota*, hoc est manifesta, *fierent*. Sic & Vatablus: *Ut experimento quodam innotesceret*. Eodem quoque sensu dictum est Gen. XXII. ad Abraham: *Nunc cognovi quod timeas Dominum*: & prius Gen. XVIII. *Ut sciam*: & hic infra cap. XIII. ubi Hieronymus vertit, *Ut palam fiat.*

*V.* 3. DEDIT TIBI CIBUM MANNA .... UT OSTENDERET TIBI QUOD NON IN SOLO PANE VIVIT HOMO, SED IN OMNI VERBO, &c. Hunc Scripturæ locum obiecit Christus diabolo tentanti ipsum, & dicenti, *Si filius Dei es, &c.* Panis in Scriptura sacra aliquando proprie sumitur, aliquando generaliter pro omni eo quod in alimentum sumitur per modum panis. De quo vide annotata Exod. XVI. Sed hoc loco panis generaliter accipi non potest, quia manna, ut patet, panis nomine hic non comprehenditur cum dicitur. *Non in solo pane.* Porro in eo quod subiungitur, *Sed in omni verbo*, verbum more Scripturæ accipitur pro re quæ verbo profertur: ut Lucæ II. *Videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit nobis Dominus.* Sensus igitur est: Per hoc quod manna dedit tibi in cibum, ostendit Dominus non ex solo pane vivere hominem, sed etiam sine pane posse eum vivere, ex omni eo per quod Deo placuerit eum vivere, ex omni eo per quod Deo placuerit eum sustentare. Nam filios Israel per annos quadraginta sine pane sustentavit ex manna; Moysen autem, & Heliam, & ipsum Christum per dies quadraginta sine omni alimento corporali. Hinc etiam constat, manna non fuisse proprie panem.

*V.* 4. VESTIMENTUM TUUM, QUO OPERIEBARIS, NEQUAQUAM VETUSTATE DEFECIT, ET PES TUUS NON EST SUBTRITUS. Quod dicitur, *Pes tuus non est subtritus*, quidam ita intelligunt: Pes tuus ex tam longinquo itinere non doluit, neque sensit fatigationem. Sed hanc expositionem destruit Scriptura, quæ pluribus locis & fatigatos eos fuisse testatur, & dolore, ac tædio affectos, ut Num. XI. & XXI. & Deut. XXV. Rectius proinde per metonymiam explicatur, qua contentum pro continente, pes pro calceo accipitur, ut sensus sit conformis cum præcedenti sententia: Sicut vestimentum quo totum corpus tegitur, non defecit vetustate; ita nec calceus ex tam multo itinere fuit detritus. Dicunt autem Hebræorum quidam, quod vestimenta puerorum simul paulatim succrescebant cum ipsis pueris. Quod an ita se habeat, incertum. Potuit enim & aliter crescentibus provideri, si videlicet pueri grandiores acciperent vestimentum adultorum, qui passim moriebantur per desertum; horum autem vestimenta vicissim pueri acciperent, qui statura minores erant, atque ita deinceps usque ad infantes. Adde quod infra cap. XX. etiam expresse dicitur: *Calceamenta non esse vetustate consumpta.*

## MARIANAE.

*Vers.* 3. NON IN SOLO PANE VIVAT HOMO. *Panis* nomine sæpe omnis esca intelligitur, quod panis sit fundamentum in omni comestione. Hoc tamen loco pro pane proprie sumitur, quando ab aliis cibis distinguitur.

*V.* 4. PES TUUS NON EST SUBTRITUS. Alii, *Intumuit ad modum massæ*: id enim est בצק *bazak*. Alii, *Non est infectus*, nempe a luto, calceis detritis, detractisve.

*V.* 5. UT RECOGITES IN CORDE TUO. Hebr. *Et cognosces cum corde tuo*; sed *cum* sumitur pro *in*.

*V.* 8. TERRAM FRUMENTI. Dicerem *tritici*, ut Sept. nam hordeum, quod mox ponit, inter frumenta est. OLIVETA NASCUNTUR: TERRAM OLEI. In Hebræo *oleum* cum *oliva* iungitur: *Terram olivæ* (pro olivarum) *olei*: ad excludendum oleastros. AC MELLIS. Quidam Hebræus per *mel* intelligit palmas, ob dulcedinem: nam de arboribus hic mentio tantum erat, & palma, quæ præcipua est, prætermitti non debuit, & mel omnes terræ ferunt: verum alii omnes ea voce mel intelligunt.

*V.* 9. CUIUS LAPIDES FERRUM SUNT. Secturis ferri, & æris abundat.

*V.* 10. BENEDICAS DOMINO. Ecce morem cibos & prandia benedicendi.

*V.* 15. IN QUA ERAT SERPENS FLATU ADURENS. *Flatu* non est in Hebræo, sed additum: quoniam quidam serpentes flatu adurunt, alii morsu putant ad sitim concitare, quas *Dipsadas* ex eo Græci vocant. Hebr. *ubi serpens adurens & scorpius, & zimaón*, id est *siccitas*, ut Hebræi exponunt. Sept. & Hieronymus *dipsadem*, quibus potius credam. Porro de dipsadis natura multa & mira Lucianus disputatione propria. AC DIPSAS. Vox Hebraica *Zimaon* a Sept. redditur *dipsas*, unde Hieronymus accepit: nam Hebræi

locum

locum aridum intelligunt fine aqua, & dipsadem potius esse serpentem urentem, de qua ante.

*V.* 16. ET POSTQUAM AFFLIXIT AC PROBAVIT, scilicet dato manna. Hebr. *Ut affligeret te*, *& ut tentaret te*, *ut benefaceret tibi in novissimo tuo*. Vides, manna non fuisse cibum delicatum.

*V.* 17. HAEC MIHI OMNIA PRAESTITERUNT. Hebr. *Fecerunt mibi virtutem hanc*; sed חיל *baiil*, id est *virtus*, solet significare *divitias*, quod possessori præsidii instar sint. Ecclesiastes VII. vers. 13. *Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia*. Sic vers. 18. *Quod ipse vires tibi præbuerit*, Hebr. est eadem vox *baiil*, & eodem modo exponi potest.

*V.* 20. SI INOBEDIENTES FUERITIS. Hebr. *Pro eo quod non obedistis*, vel *merces non obedistis* (pro, quod non obedistis) *voci Domini Dei vestri*, *peribitis*.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. ATQUE TENTARET. Heb. *ad tentandum te*. Sic Genes. XXII. vers. 1. & infra cap. XIII. vers. 3. ET NOTA FIERENT. Hebr. *Ad cognoscere*: quidam, *ut sciret*: alii, *ut experimento quodam innotesceret*: nonnulli, *ad cognoscendum*; id est, ut tu cognoscas, & recognoscant alii. Notant, Mosen hic verum legis usum explicasse, de quo Paulus Galat. III. Nam *per legem cognitio peccati*: Romanor. III. vers. 20.

*V.* 3. SED IN OMNI VERBO QUOD EGREDITUR DE ORE DEI. Hebr. *sed in omni exitu*, *egressu oris Iebovæ*; id est, in omni verbo, seu eloquio, quod egreditur de ore Domini, ut Evangelistæ rectissime interpretantur, Matth. IV. vers. 4. Lucæ IV. vers. 4. Quidam istud ad spiritualem victum detorquent, ac si dictum esset, animas non ali visibili pane, sed Dei verbo. Est id quidem in se verum, sed alia est mens Mosis hic, & Christi cum hanc auctoritatem in diabolum contorsit. Moses enim illo respexit, cum in deserto non esset panis Israelitis, pavisse illos Deum manna cælesti, ut hoc exemplo testatum in omne tempus foret, Deum ad alendum hominem non indigere pane, nec hominum vitam in solo pane inclusam; sed pendere a nutu & beneplacito Dei. Itaque hic *Verbum* non pro doctrina capitur, sed pro decreto & beneplacito Dei, quo Deus creaturas alit & fovet eo modo quo vult. Sic Hebræor. I. vers. 3. inquit Paulus, omnia sustineri potenti eius verbo; hoc est, vegetari totum mundum nutu ac decreto Dei. Alii hic *Verbum* pro quavis re accipiunt quam Deus iusserit ac voluerit; ac si dicat: In omni re cui Deus verbo suo alendi nos facultatem indit, quasi imperans ei ut hoc faciat, & verbo suo præstans.

*V.* 4. VESTIMENTUM TUUM QUO OPERIEBARIS, NEQUAQUAM VETUSTATE DEFECIT. Hebr. *Vestimentum tuum non inveteravit desuper te*. Quidam reddunt: *Vestimentum tuum non veteravit ne sit super te*, vel *quin tegumento sit tibi*; quasi dicat: Divinitus factum est, ut tamdiu vestimentis tuis commode uteeris. Insigne miraculum! NON EST SUBTRITUS. Verbum בצקה *batzekah*, ita quoque vertit Noster Nehem. IX. vers. 21. Alii: *Non intumuit*, *inflatus fuit*. Quidam: *Non fermentatus fuit*, id est intumuit, ut massa fermentata solet. Nonnulli: *Non fuit infectus luto*, *non fuit impastatus*, instar scilicet digitorum mulierum, quæ pastam subigunt. Aliqui: *Non pinsuit*, id est pressit terram nudus, ut solet pes pistoris massam subigere: nam is mos AEgyptiis. Herodotus Lib. II. cap. XXXVI. *Farinam aqua maceratam subigunt pedibus*, *lutum autem manibus*. Strabo Lib. XVII. *Verumque illud Herodoti est*, *AEgyptiorum esse lutum manibus tractare*, *massam vero ex quo panis fit*, *pedibus*. Hebræorum quidam: *Non fuit discalceatus*, *denudatus*. Nec desunt qui: *Non fuit conspersus*, scilicet pulvere: quoniam calcei non fuerunt rupti, aut scissi, ut pulvis posse intrare: vel *non fuit compressus*, id est læsus. Plerique: *Non fuit maceratus*, seu *emollitus*, nempe labore itineris: ut argilla humore maceratur & emollescit, & massa farinæ aqua maceratur & subigitur. Vide de notione vocabuli Exod. XII. vers. 34.

*V.* 8. TERRAM ..... IN QUA ...... OLIVETA NASCUNTUR: TERRAM OLEI, &c. Hebr. *terram olivæ olei*. Aiunt esse Hebraismum, id est olivæ fructiferæ, pinguissimæ. Quidam, *terram oleæ pinguedinis*. Alii, *terram feracem oleæ oleosæ*.

*V.* 9. ET RERUM OMNIUM ABUNDANTIA PERFRUERIS. Hebr. *Non deficies omni in ea*. Quidam: *Neque deficies in quacumque re in ea*; id eſt, in nulla re defectum patieris. Alii: *Nec indigebis ulla in ea*, vel *neque quoquam in ea*: aut, *Nec carebis ullo in ea*: ſive, *Nec penuriam ullius rei patiens*, *laborabis in ea*. CUIUS LAPIDES FERRUM SUNT, ET DE MONTIBUS EIUS AERIS METALLA FODIUNTUR, id eſt metallis abundantem. Vide infra cap. XXXII. verſ. 25.

*V.* 13. ARMENTA BOUM, ET OVIUM GREGES. Hebr. *Et bos tuus*, *& ovis tua multiplicabuntur*. In futuro ירבין *iirbeiun*, ponitur Iod punctatum cum Kibutz præter morem, loco He tertiæ radicalis, pro ירבון *iirbun*, fortaſſe ad indicandam fecundam & uberem, atque extraordinariam multiplicationem.

*V.* 15. IN SOLITUDINE MAGNA: de qua vide ſupra cap. I. verſ. 19. DIPSAS. צמאון *tzimmaon*, omnes exponunt *ſitim*, *ſiccitatem*, *locum ſiccum*, ac *ſitibundum*. Noſter *dipſadem* dixit aptiſſime, ſerpentis genus a ſiti dictum, quod morſu eam ardentiſſimam inducat. Solinus cap. XXX. *Dipſas ſiti interficit*. Lucanus Lib. IX.

*......Pro Cæſare pugnant*
*Dipſades: & peragunt civilia bella ceraſtæ*.

Rurſum:

*...... in mediis ſitiebant dipſades undis*.

Sed id nomen proprie *ſitim*, *ariditatem*, *ſiccitatem* ſignificare, apparet e Pſal. CVI. 33. Iſaiæ XXXV. 7. DE PETRA DURISSIMA. Hebr. *de petra* חלמיש *challamiſch*. Quidam *challamiſch* interpretatur *ſilicem*, *cautem*; deducuntque a חלש *chalaſch*, *domuit*, inſerta littera Mem, contraria verbo ſignificatione, nimirum ab indomita & inconcuſſa duritia. Alii, *lapidem concretum*, *& fortiſſimum ſilicem* reddunt, a חלם *chalam*, *concrevit*, *condenſavit*, & אש *eſch*, *ignis*: nam *ſilicem* dici, quod ex eo ſaliat, ſeu obiiciatur ignis. Marinus *magnetem*, ſeu *calamitam* eſſe vult, voce nonnihil conſentiente. Forerius ex ſono etiam vocis, *chalybem*, genus duriſſimi & purgatiſſimi ferri, nempe medullam ipſam, ſeu nucleum ferri, uti Plinius Lib. XXXIV. cap. XIV. vocat: ſic a domardo dictum, quod eo ferro omnia domentur. Futilis coniectatio, cum *challamiſch*, de petra hic, & aliis Scripturæ locis dicatur. Aliqui reddunt, *E rupe ipſa adamantina*. Notantque, in geminatione nominis alludere videri Moſen ad duo eius generis beneficia in deſerto præſtita, Exodi XVII. & Numer. XX. vel potius Moſen rem exaggeraſſe a natura ſaxi duriſſimi, & inexſuperabilis, quod contra naturam ſuam aridiſſimam manaverit ad ſolam voluntatem Dei, & in exundantes aquas viſum ſit quaſi liqueſcere: hoc autem ſaxi genus adamantinum Latinis appellari. Quinquies ea vox in Bibliis ſcribitur. Noſter hic *duriſſima*; infra cap. XXXII. 13. *ſaxo*, vel *duriſſimo*; Pſalm. CXIII. 7. *rupem*; Iſaiæ L. 7. *petram duriſſimam*; Iob XXVIII. 8. *ſilicem*: quam ſignificationem aliis præferimus.

*V.* 16. AD EXTREMUM MISERTUS EST TUI. Quidam Hebr. reddunt: *Ad benefaciendum tibi in extremitate tua*: ſeu *ad extremum*, id eſt tandem.

*V.* 18. SICUT PRAESENS INDICAT DIES. Hebr. *Sicut hodie*: quidam, *Sicut eſt hodie*: alii, *Ut hodie apparet*: nonnulli, *Ut teſtatur dies hæc*. Vide ſupra cap. II. verſ. 30. & cap. VI. verſ. 24.

*V.* 19. ECCE NUNC PRAEDICO TIBI QUOD OMNINO DISPEREAS. Hebr. *Obteſtor hac die*, *quod omnino*, *certiſſime diſperibitis*. Quidam: *Conteſtor contra vos diem hunc*, *fore ut omnino pereatis*. Sic ſupra cap. IV. verſ. 24.

## MENOCHII.

*Verſ.* 1. CAVE, id eſt vide, cura: eſt catachreſis.

*V.* 2. UT AFFLIGERET TE: duris exerceret.

*V.* 3. AFFLIXIT TE PENURIA. Nam in deſerto Hebræi non invenerunt carnes, nec ſegetes, immo frequenter nec olera; itaque murmurarunt, & Deus miſit illis manna, ut patet Exodi XVI. 3. SED IN OMNI VERBO, quacumque re, quocumque cibo. QUOD EGREDITUR DE ORE DEI: quod Deus voluerit, aut iuſſerit.

*V.* 4. NEQUAQUAM VETUSTATE DEFECIT, divina virtute miraculum hoc operante, & mortuorum veſtimenta erant uſui ſuperſtitibus. PES TUUS NON EST SUB-

SUBTRITUS. Hebr. *non intumuit*. Nec pedes intumuerunt, neque læſi, aut attriti ſunt.

*V.* 5. SICUT ERUDIT FILIUM SUUM HOMO, &c. paterno ſcilicet more te caſtigando ad emendationem morum, non ad exitium, ut inimici puniri ſolent.

*V.* 9. CUIUS LAPIDES FERRUM SUNT: e cuius terræ viſceribus, ac fodinis ferrum eruitur lapidis duritie.

*V.* 10. BENEDICAS DOMINO, gratias agendo, & precationem aliquam præmittendo antequam ad menſam accedas: nam, ut ait D. Paulus I. ad Timoth. IV. 5. cibus *ſanctificatur per verbum Dei, & orationem*.

*V.* 15. DIPSAS. Vide Num. XXI. 6. *Dipſas* nomen ſerpentis, cuius morſus magnam ſitim excitat in eo qui ictus eſt: διψα Græcis ſitim ſignificat.

*V.* 16. QUOD NESCIERUNT PATRES TUI: quod ſcilicet patres tui non viderant, nec eo ad cibum umquam uſi fuerant. MISERTUS EST TUI, dando tibi terram bonis omnibus affluentem.

*V.* 20. GENTES QUAS DELEVIT. Hebr. *quas delet, perdit*. Utrumque verum: partim enim deleverat, partim delebat.

## TIRINI.

*Verſ.* 3. IN OMNI VERBO QUOD EGREDITUR DE ORE DEI. Hebraiſmus eſt, pro quacumque re qua Deus nos voluerit & iuſſerit veſci. Nulla igitur res eſt, inquit Abulenſis, tam venenata, tam inepta ad nutritionem, quam ſi Deus nos iuſſerit in cibum ſumere, non ſit nobis magis profutura, quam quivis alius ad delicias paratus cibus, Deo occulta ratione & noxias qualitates præpediente, & facultates nutritivas adiuvante & corroborante: adeoque, ſi vellet, ſine omni cibo viveremus, ut vixit Moyſes, Elias, ipſeque Chriſtus totis quadraginta diebus in deſerto nihil vel manducans, vel bibens.

*V.* 4. VESTIMENTUM TUUM NEQUAQUAM VETUSTATE DEFECIT. Illuſtre miraculum, quo divina potentia factum, ut annorum quadraginta ſpatio veſtes omnium, & calcei, non modo non corrumperentur, ſed neque veteraſcerent aut deteriores efficerentur. Acceſſit & aliud miraculum, inquit Abulenſis, quod veſtes & calcei puerorum una cum incremento corporum, etiam ipſa incrementum caperent: alias enim non fuiſſet de veſtibus aut calceis ſat cautum creſcentibus.

Sed unde veſtes pueris in deſerto per quadraginta annos de novo natis? Reſpondeo. Deſumi poterant & conſui ex demortuorum exuviis: maxime cum conſtet, quadrageſimo anno non plures extitiſſe Iſraelitas pugnatores, quam primo anno.

Nota, hoc privilegium veſtium non detritarum omnibus commune fuiſſe, tam malis quam bonis, uti & manna, & aqua de petra, &c. Ita Abulenſis.

*V.* 15. SERPENS FLATU ADURENS. Hebraice שרף *saraph*, unde *ſeraphim* a, id eſt *igniti, urentes*. Veroſimile eſt deſignari *baſiliſcum* ſeu *regulum*: ſic enim eamdem Hebræam vocem vertit Noſter Iſaiæ XXX. verſ. 6. Et huic ſerpenti omnium venenatiſſimo maxime competit quod afflatu ſuo & herbas, & homines, & ſerpentes alios adurat, & venenum adſpiret, teſte Plinio, & AEliano *b*. Addit Galenus *c*, regulum ſolo ſibilo ſive ſerpentes, ſive homines, ſive alios animantes occidere: quin & a multis creditum, ſolo viſu enecare. DIPSAS. Et hic ſerpens eſt a διψᾶν, id eſt *ſitire*, ſic dictus: & ab eadem ſiti, Latine *Situla* vocatur, teſte Iſidoro, qui dicit aſpidis ſpeciem eſſe, & quotquot admorſi ſunt ab hoc ſerpente, tanto ſitis ardore cruciari, ut vel eodem moriantur, vel eouſque bibant donec mediis diſrumpantur: ut exemplo ſigniferi Catonis demonſtrat Lucanus, & aliis AElianus, Aetius, Dioſcorides, Pierius, & Galenus *d*, qui addunt theriacam huic malo præſens remedium eſſe.

(*a*) Iſaia VI. verſ. 2.
(*b*) Plin. Lib. VIII. cap. XXI. & Lib. XXIX. cap. IV. Aelian. Lib. II. cap. V.
(*c*) Galen. Lib. de Theriaca ad Piſonem.
(*d*) Lucan. Lib. IX. Aelian. Lib. VIII. cap. I. Aetius Lib. III. Dioſc. Lib. ult. Pierius in Hieroglyph. de Dipſade. Galenus ſupra.

## GORDONI.

*Verſ.* 3. & 4. NON IN SOLO PANE; ſed vel ex manna, inquit Moſes, vel ex quacumque re quam iuſſerit Dominus eſſe ad vitæ ſuſtentationem: illa enim quam imperat Deus, ſalubris erit. Quod vero veſtimenta vetuſtate non defecerint, miraculum fuit: quin etiam creſcentibus parvulis putant aliqui, Deo iubente, excreviſſe veſtes. Sed de naſcentium parvulorum veſtibus, vide cap. XXIX. verſ. 5. Ceterum ubi Noſter habet, pedem non eſſe attritum, ſeu ſubtritum; Græce eſt in Regiis, *οὐκ ἐτυλώθησαν*, *non occalluerunt*. Nec male vulgatum textum interpretantur qui volunt per pedem deſignari calceum, ut ſenſus totus ſit, nec attrita eſſe veſtimenta, nec ſubtritos calceos. Et quidni etiam parvulis (quod aliqui dicunt) excreſcerent calcei, æque ac veſtimenta. Accedit paraphraſis Chaldaica, quæ ſic habet: *Et calceamenta tua detrita non ſunt*. De voce Hebraica, quæ obſcura eſt, & neſcio an mutata, ſudatum ſatis video ab Interpretibus modico emolumento.

*V.* 9. CUIUS LAPIDES FERRUM SUNT: fodinas accipe ferri, & metallorum.

*V.* 10. BENEDICAS. Hinc mos benedicendi cibos.

*V.* 15. SERPENS FLATU ADURENS. Aliqui ſerpentes adurunt flatu, alii morſu. Vide Exod. XXI. 6. ubi de ignitis ſerpentibus. שרפים *seraphim* vocantur. De natura, & ſpecie huius ſerpentis, ſatis etiam digladiantur Interpretes: cui bono? DIPSAS eſt ſerpens morſu ſitim maximam inducens: unde *Dipſas*, a ſiti quam excitat, nominatur; Latine *Situla*: צמאון *tſimmaon*, radix צמא *tſame*, *ſitivit*.

# CAPUT IX.

*Reprimitur elatio, ne futuras victorias ſibi, ſed ſoli Domino adſcribant, cum ſemper Deo adverſati ſint.*

1. AUdi Iſrael: Tu tranſgredieris hodie Iordanem, ut poſſideas
nationes maximas & fortiores te, civitates ingentes & ad
cælum uſque muratas, 2. populum magnum atque ſublimem,
filios Enacim, quos ipſe vidiſti, & audiſti, quibus nullus
poteſt ex adverſo reſiſtere. 3. Scies ergo hodie quod Dominus
Deus tuus ipſe tranſibit ante te, ignis devorans atque
conſumens, qui conterat eos & deleat atque diſperdat ante
faciem tuam velociter, ſicut locutus eſt tibi. 4. Ne dicas in corde tuo, cum
deleverit eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo: Propter iuſtitiam meam introduxit
me Dominus ut terram hanc poſſiderem, cum propter impietates ſuas
iſtæ deletæ ſint nationes. 5. Neque enim propter iuſtitias tuas, & æquitatem
cordis tui, * ingredieris ut poſſideas terras earum: ſed quia illæ egerunt impie,
introeunte te deletæ ſunt: & ut compleret verbum ſuum Dominus, quod ſub
iuramento pollicitus eſt patribus tuis, Abraham, Iſaac, & Iacob. 6. Scito ergo
quod non propter iuſtitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc
optimam in poſſeſſionem, cum duriſſimæ cervicis ſis populus. 7. Memento, &
ne obliviſcaris, quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum
in ſolitudine. Ex eo die quo egreſſus es ex AEgypto uſque ad locum iſtum,
ſemper adverſum Dominum contendiſti. 8. (*a*) Nam & in Horeb provocaſti
eum,

eum, & iratus delere te voluit, 9. quando aſcendi in montem, * ut acciperem
tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiſcum Dominus: & perſeveravi
in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, & aquam non
bibens. 10. Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei,
& continentes omnia verba quæ vobis locutus eſt in monte de medio ignis,
quando concio populi congregata eſt. 11. Cumque tranſiſſent quadraginta dies,
& totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis,
12. dixitque mihi: (b) Surge, & deſcende hinc cito: quia populus tuus, quem
eduxiſti de AEgypto, deſeruerunt velociter viam quam demonſtraſti eis, fece-
runtque ſibi conflatile. 13. Rurſumque ait Dominus ad me: Cerno quod popu-
lus iſte duræ cervicis ſit: 14. dimitte me ut conteram eum, & deleam nomen
eius de ſub cælo, & conſtituam te ſuper gentem, quæ hac maior & fortior ſit.
15. Cumque de monte ardente deſcenderem, & duas tabulas fœderis utraque te-
nerem manu, 16. vidiſſemque vos peccaſſe Domino Deo veſtro, & feciſſe vobis
vitulum conflatilem, ac deſeruiſſe velociter viam eius, quam vobis oſtenderat:
17. proieci tabulas de manibus meis, confregique eas in conſpectu veſtro. 18. Et
procidi ante Dominum ſicut prius, quadraginta diebus & noctibus panem non
comedens, & aquam non bibens, propter omnia peccata veſtra quæ geſſiſtis con-
tra Dominum, & eum ad iracundiam provocaſtis: 19. timui enim indignationem
& iram illius, qua adverſum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudivit me
Dominus etiam hac vice. 20. Adverſum Aaron quoque vehementer iratus, vo-
luit eum conterere, & pro illo ſimiliter deprecatus ſum. 21. Peccatum autem
veſtrum quod feceratis, id eſt vitulum, arripiens, igne combuſſi, & in fruſta
comminuens, omninoque in pulverem redigens, proieci in torrentem qui de mon-
te deſcendit. 22. (c) In incendio quoque & in tentatione, & in Sepulcris con-
cupiſcentiæ provocaſtis Dominum: 23. & quando miſit vos de Cadesbarne, di-
cens: Aſcendite, & poſſidete terram quam dedi vobis, & contempſiſtis imperium
Domini Dei veſtri, & non credidiſtis ei, neque vocem eius audire voluiſtis:
24. ſed ſemper fuiſtis rebelles a die qua noſſe vos cœpi. 25. Et iacui coram Do-
mino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum ſuppliciter deprecabar, ne de-
leret vos ut fuerat comminatus; 26. & orans dixi: Domine Deus, ne diſperdas
populum tuum, & hereditatem tuam, quam redemiſti in magnitudine tua, quos
eduxiſti de AEgypto in manu forti. 27. Recordare ſervorum tuorum, Abra-
ham, Iſaac, & Iacob: ne aſpicias duritiam populi huius, & impietatem atque
peccatum: 28. ne forte dicant habitatores terræ de qua eduxiſti nos: Non pot-
erat Dominus introducere eos in terram quam pollicitus eſt eis, & oderat il-
los: idcirco eduxit, ut interficeret eos in ſolitudine. 29. Qui ſunt populus tuus &
hereditas tua, quos eduxiſti in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento.

(a) Exod. XVII. 6. XIX. 3. XXXI. 18. & XXXII. 15. (b) Exod. XXXII. 7. (c) Num. XI. 1. XVI. 1. XXI. 25.

## BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 5. *Ingredieris ut poſſideas*. In aliis, pro futuro *ingredieris*, eſt preſens *ingrederis*.

V. 9. *Ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiſcum Dominus*. Ita repetenda eſt vox *tabulas* (quam multi codices poſteriori loco omittunt) & ſcribendum *Dominus* pro *Deus*, tam iuxta Latinos codices antiquos, quam iuxta Hebræa.

COM-

# COMMENTARIA

## S A.

*Verſ.* 1. HODIE, id eſt hoc tempore, ſeu paulo poſt.

*V.* 2. ENACIM, id eſt gigantum. Vide ſup. cap. I. VIDISTI. Hebr. *noſti*; quaſi dicat: De quibus per auditum noſti quod nemo eis poſſit reſiſtere: in quam etiam ſententiam vertunt Chald. & LXX.

*V.* 4. DELETAE SINT, ſcilicet illo tempore; vel pro delendæ.

*V.* 5. AEQUITATEM. Hebr. & Chald. *rectitudinem*. DELETAE, pro delendæ.

*V.* 12. DEMONSTRASTI. Hebr. *præcepi*, Chald. & LXX. *præcepiſti*.

*V.* 17. PROIECI. Vide Exod. XXXII.

*V.* 21. TORRENTEM, id eſt aquam torrentis, quam ſcilicet eis dedit potandam.

*V.* 22. INCENDIO. Vide Num. XI. TENTATIONE. Vide Exod. XVII. CONCUPISCENTIAE. Vide Num. XI.

*V.* 25. IACUI, &c. Redit ad id quod ſupra dixerat: niſi forte bis id factum fuerit, terque fuerit in monte per 40. dies & 40. noctes.

## E S T I I.

*Verſ.* 1. UT POSSIDEAS NATIONES... FORTIORES TE, CIVITATES INGENTES, ET AD CAELUM USQUE MURATAS, &c. Ex his conſtat exploratores non omnino falſa retuliſſe de illo populo: nam eadem fere hic Moyſes affirmat, cum illis quæ ipſi retulerunt, ut patet Numer. XIII. Sed exploratores in eo peccarunt, quod narrationem ſuam componebant ad frangendum cor populi, cum e contra debuiſſent populum animare, & excitare in ſpem bonam iuxta Dei promiſſa: dicebant enim: *Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere*. Detrahebant quoque terræ, quod devoraret habitatores ſuos; & de proceritate hominum hyperbolice loquebantur, dicentes ſe vidiſſe homines ſtirpis giganteæ, quibus ipſi comparati quaſi locuſtæ viderentur.

*V.* 6. SCITO ERGO QUOD NON PROPTER IUSTITIAS TUAS DOMINUS DEUS TUUS DEDERIT TIBI TERRAM HANC, &c. Moyſes duas cauſas adfert, quare gentes illæ deletæ fuerint ad ingreſſum filiorum Iſrael, & unam cauſam removet. Prima cauſa ex duabus eſt, quia gentes illæ impietate ſua hoc commeruerunt, ut delerentur. Secunda cauſa huic populo propria fuit: nempe ut Dominus compleret verbum ſuum quod ſub iuramento pollicitus erat patribus eorum. Interim removet ſimul cauſam quam alioqui ſibi perſuadere potuiſſent, cum dicit, *Non propter iuſtitias tuas*. Ex quo intelligimus promiſſionem patribus illorum Abraham, Iſaac, & Iacob factam de terra illa ſemini illorum danda, fuiſſe abſolutam, & non, ut multæ aliæ, cum hac conditione: Si poſteri ambularent in mandatis Dei. Nam ſi ea conditio fuiſſet intellecta, & requiſita, tum non nude promiſſionem patribus factam, ſed etiam propter ſuas iuſtitias introducti fuiſſent in terram promiſſionis.

*V.* 8. ET IRATUS DELERE TE VOLUIT: & mox quoque verſ. 20. de Aarone, *Voluit eum conterere*. Hæc omnia de voluntate præparationis ſunt accipienda. Vide noſtra in I. diſt. XLV.

*V.* 11. CUMQUE TRANSISSENT QUADRAGINTA DIES, &c. *Et* rurſum verſ. 18. & 25. tertio repetit Moyſes hoc capite, ſe fuiſſe in monte quadraginta diebus & noctibus: primo quando primas tabulas accepit; ſecundo, ut apparet, quando pro populo deprecatus eſt; tertio quando ſecundas tabulas accepit, quod clarius narratur initio ſequentis capitis. Et quidem ex his colligunt Hebræi Moyſen tribus diverſis vicibus fuiſſe in monte quadraginta diebus, ſine cibo, & potu. Sed Chriſtiani Interpretes fere duas tantum quadragenas Moyſi tribuunt; maxime cum in Exodo, ubi plenius hæc tota hiſtoria deſcribitur, tantum duarum fiat mentio. Itaque ad id quod Moyſes hic ter mentionem faciat temporis quadraginta dierum quo fuit in monte, reſpondetur, id quod ab eo ſecundo, & tertio dicitur, ad idem tempus eſſe referendum.

dum. Nam & cap. sequenti rursum repetit se stetisse in monte 40. diebus & noctibus. Unde tamen non est consequens eum quater in monte tot diebus fuisse.

*V.* 20. ADVERSUM AARON QUOQUE VEHEMENTER IRATUS, VOLUIT EUM CONTERERE. Hoc in Exod. non habetur: neque enim omnia suis locis dicuntur in historia. Tale est etiam quod in Epist. ad Hebr. XII. vers. 21. dicit Apostolus, Moysem, Domino legem terribiliter ferente, dixisse: *Exterritus sum, & tremebundus*. Quod neque in Exodo, neque in tota Scriptura veteris Testamenti legitur. Vide nostrum Commentarium dicto loco Hebr. XII.

## MARIANAE.

*Vers.* 1. TRANSGREDIERIS HODIE; id est, brevi, intra paucos dies Iordanem transmittes.

*V.* 2. QUIBUS NULLUS POTEST EX ADVERSO RESISTERE. Heb. *Quis stabit coram filiis Enach?* & videtur proverbium inter eas gentes vulgatum. Chald. pro *filiis Enacim* ponit *filios gigantum*: sed de *Enacim* plura cap. II.

*V.* 4. CUM DELEVERIT. Hebr. *Cum expulerit eas gentes*: scilicet ne putes tuo merito id factum.

*V.* 5. TERRAS EARUM. Hebr. *terram*: sic Sept. Chald. tum Gotthica.

*V.* 14. CONSTITUAM TE SUPER GENTEM, QUAE HAC MAIOR ET FORTIOR SIT. *Numerosior & fortior sit*, est in Hebr. & Sept. sed vox *maior* id significat.

*V.* 18. QUADRAGINTA DIEBUS ET NOCTIBUS. Ecce secundo ieiunat Moyses illis diebus in monte Horeb, quando vitulum conflarunt.

*V.* 21. IN FRUSTA COMMINUENS, OMNINOQUE IN PULVEREM REDIGENS. Hebr. *Et comminui eum molendo bene, quousque redactus est in pulverem*. *Tahan* significat *molere*, unde Hispanis *tahona*. Sed Onkelos vocem *tahon*, pro lima accepit, ut invenio in quodam Hebræo hac sententia, *Comminui cum tahon*, id est lima, *quousque*, &c.

*V.* 22. IN INCENDIO: quando propter populi murmur pars castrorum arsit, Numer. XI. IN TENTATIONE: quando petierunt aquam, Exod. XVII. IN SEPULCRIS CONCUPISCENTIAE: quando carnes illis dedit, Num. XI. PROVOCASTIS Deum.

*V.* 25. QUADRAGINTA DIEBUS AC NOCTIBUS. Videtur hoc tertio contigisse quando in Cadesbarne noluerunt obedire: nisi forte repetitio est secundi ieiunii, de quo cap. X. rursus fit mentio.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. UT POSSIDEAS NATIONES MAXIMAS ET FORTIORES TE. Quidam Hebr. reddunt: *Ut ingressus heredites*, sive *hereditario iure possideas gentes maiores & robustiores te*, id est regionem gentium: metonymia: nam gentes delendæ erant. Possis quoque convertere: *Ut venias, & exheredites, hereditate depellas*, seu *exterminio funditus perdas gentes*. Nam verbum ירש *iarasch* contrariam quoque admittit significationem; nisi quod in Kal, ut hic ponitur, nolint nisi pro *hereditare, possidere*, accipi. ET AD CAELUM USQUE MURATAS. Ex verbis, *Et munitas in cælis*, seu *in cælos*: quidam, *munitas, assurgentes in cælum usque*. Sic Genes. XI. & supra cap. I. vers. 28.

*V.* 2. FILIOS ENACIM. De his vide cap. I. vers. 28. & Numer. XIII. vers. 34.

*V.* 7. SEMPER ADVERSUM DOMINUM CONTENDISTI. Hebr. alii reddunt: *Rebelles maximopere fuistis contra Iehovam*. Participio ממרים *mamrim* hæc omnia subsunt, *rebelles, contumaces, inobedientes, refractarii, protervi, immorigeri, defectores*. Sic infra vers. 24.

*V.* 8. NAM ET IN HOREB PROVOCASTI EUM. Annotant esse emphasim cum indignatione; quasi dicat: Ubi liberationis recentis recordatio, præsentis Dei respectus, & fœdus recens initum, vos ut cum maxime debuerat continere. Vide Exodi XXXII.

*V.* 10. DUAS TABULAS LAPIDEAS. Vide Exodi XXXI. vers. 18. & Exodi XXXII. vers. 16. CONTINENTES OMNIA VERBA QUAE VOBIS LOCUTUS EST, &c. nimirum Exodi XX. & seqq.

*V.* 14. DIMITTE ME. Hebr. *Remitte me*; id est, remitte vim precum tuarum,

rum, ne adeo instanter & improbe mecum agas. Alii, *Desiste a me*. Nonnulli, *Sine me*.

*V.*17. CONFREGIQUE EAS IN CONSPECTU VESTRO. Quidam exponunt: Id est, palam per spiritum Dei hoc signo testificatus sum, nihil tum vobis commune esse potuisse cum Deo, aut fœdere eius, neque hoc ad vos, ut qui perfidi & fœdifragi essetis, pertinere.

*V.* 18. ET PROCIDI ANTE DOMINUM. Hebr. *Et proruere, prostrare me feci*. Elegans Hebraismus qui Latinisquoque suum utcumque saporem & elegantiam habet. Sic etiam vers. 25. Sane formula Hitpahel hic vim habet, nam satis indicat ingentem animi corporisque affectum, quo Moses deprecaturus Dominum pro populo sese in terram abiecit. QUADRAGINTA DIEBUS ET NOCTIBUS PANEM NON COMEDENS, &c. Observant nonnulli, Mosen tres integras quadragesimas ieiuniorum peregisse. Primam, qua expleta tabulas legis acceperit supra vers. 11. Secundam post abiectas, & confractas tabulas, pro populo deprecans, hoc vers. 18. quem conferas Exodi XXXII. vers. 31. Hanc tamen Hebræi notant non in monte factam, sed in tentorio suo, quod tetenderat sibi extra castra, ubi precatus sit Dominum. Tertiam, quando rursus ascendit in montem secundas tabulas accepturus a Deo, Exodi XXXIV. vers. 1. & seqq. præsertim vers. 28. & Deuteronom. X. vers. 1. & seqq. præsertim vers. 10.

*V.*23. ET QUANDO MISIT VOS DE CADESBARNE. Vide totam hanc historiam late descriptam Numeror. XIII. ET CONTEMPSISTIS IMPERIUM DOMINI DEI VESTRI. Hebr. *Et mutavistis os Iehovæ, Dei vestri*. Quidam: *Rursum maximopere rebellastis in præstitutum Iehovæ*. Vide de hac phrasi Deuter. 1. vers. 26.

*V.* 28. NE FORTE DICANT HABITATORES TERRAE. Hebr. non est *Habitatores*; sed tantum, *Ne forte dicant terræ*: metonymia, id est incolæ terræ.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. HODIE, non multo post: est idiotismus Hebræus. AD CAELUM USQUE MURATAS: hyperbole, altissimis muris septas. FILIOS ENACIM. Vide supra cap. 1. num. 28.

*V.* 3. TRANSIBIT ANTE TE, scilicet devorans & delens, ut sequitur, hostes tuos, tam efficaciter, & velociter, quam ignis ligna, aut stipulam absumit.

*V.* 5. AEQUITATEM. Hebr. *rectitudinem*. CORDIS TUI, mentis, & voluntatis tuæ.

*V.* 6. DURISSIMAE CERVICIS, maxime cervicosus, rebellis, & inobediens.

*V.* 8. IN HOREB PROVOCASTI, per vituli adorationem, Exodi XXXII.

*V.* 10. CONCIO, cœtus populi.

*V.* 18. PROCIDI ANTE DOMINUM, non statim a confractione tabularum legis: nam prius occidit Moses 23. millia adorantium vitulum, populum increpuit, vitulum contrivit, &c. Vide Exod. XXXIV.

*V.* 22. IN INCENDIO QUOQUE: cum Deus immisit ignem in eos qui ob laborem itineris murmuraverunt, Num. XI. 1. IN TENTATIONE: cum Hebræi tentaverunt Deum postulantes aquam, Exod. XVII. 8. IN SEPULCRIS CONCUPISCENTIAE. Vide Num. XI. 14.

*V.* 23. IACUI, &c. Redit ad id quod supra dixerat. Aliqui putarunt Mosen ter fuisse in monte per quadraginta dies, & quadraginta noctes.

*V.* 26. DOMINE DEUS, &c. Similem per omnia fere habes Mosis orationem ante descensum primum de monte cum primis tabulis lapideis Exod. XXXII. num. 11. seqq. IN MAGNITUDINE TUA; hoc est, cum magnis, & admirandis prodigiis.

## TIRINI.

*Vers.* 23. CONTEMPSISTIS IMPERIUM DOMINI DEI VESTRI. Dices. Nusquam legimus, Deo iubente noluisse Iudæos ascendere adversus Chananæos. Respondeo, noluisse ex Cadesbarne eo ascendere nisi præmissis exploratoribus, Deut. 1. vers. 22. cui illorum consilio licet Deus tandem assensus sit Num. XIII. vers. 3. postea tamen multiplici ultione sat manifestum fecit quam periculosum sit divinis imperiis reluctari.

*V.* 25. ET IACUI CORAM DOMINO QUADRAGINTA DIEBUS AC NOCTIBUS. Id iam tertio repetit hoc eo-

eodem cap. Unde Rabbini, & ex iis Lyranus, & Oleaster, cum Caietano, Saliano, & quibusdam aliis, colligunt, Moysen tres omnino quadragenas in monte Horeb seu Sinai exegisse. Verum tertiæ quadragenæ tempus quo exigi potuisset, nullum reperiri, cap. ult. Exodi fuse demonstravi. Porro non aliam hoc cap. vers. 25. quadragenam designari, quam cuius antea vers. 18. per hysteron proteron meminerat, clarius est quam ut probatione egeat: nam utrobique se pro eodem populi peccato prostratum iacuisse, Deumque exorasse narrat. Quid vero opus fuisset, Deo semel exorato, placatoque, rursus eumdem in finem aliam quadragenam ordiri?

GORDONI.

*Vers.* 1. HODIE, id est hoc tempore, & brevi, nempe post duos menses: nam hæc locutus est Moses die prima mensis undecimi, ex cap. I. vers. 3. itum est autem trans Iordanem, anni sequentis, die decimo mensis primi, Iosue IV. vers. 19. AD CAELUM USQUE MURATAS. Hyperbole.

*V.* 2. De his Enacim filiis, vide cap. III. vers. 10. & 11. Illud etiam, AUDISTI, refer ad verba exploratorum, Num. XIII.

*V.* 9. & 10. PANEM NON COMEDENS. Mos loquendi Hebræorum est, qui per panem, cibum omnem intelligunt: & sic aqua pro quovis potu est. De digito Dei, vide Exod. cap. VIII. vers. 19.

*V.* 22. IN INCENDIO, &c. Vide de hoc incendio, & sepulcris his, Num. cap. XI. de tentatione vero, Exod. cap. XVII.

*V.* 25. IACUI CORAM DOMINO QUADRAGINTA DIEBUS AC NOCTIBUS. Oleaster, Caietanus, & Lyranus hinc colligunt, Mosen tertiam peregisse dierum quadragenam. Verum eadem est hæc quadragena cum illa de qua cœpit agere vers. 18. & interruptum sermonem propter aliqua interiecta hic continuat. Lyranus, subducta ratione temporis a donatione legis, dat rebus tunc gestis dies 123. sed perangustum est hoc tempus ad ea gerenda quæ Scriptura narrat illo intervallo peracta. Et certe hoc (quod pro magno incommodo est) eveniet ut, subductis ab illo numero tribus quadragenis, tantum supersint tres dies, quibus toto illo tempore Moses, & non diutius fuerit cum populo. Quis hoc ferret, legens initium capitis insequentis?

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 8. IN HOREB, in adoratione vituli.

*V.* 10. CONCIO, cœtus populi.

*V.* 22. Deus hunc ignem emisit, Num. XI. IN TENTATIONE, cum petebant aquam, Exod. XVII. 7.

# CAPUT X.

*Tabularum secundarum instauratio, levitarum officia: timor & dilectio Dei ad servanda præcepta movere debent: præputium cordis circumcidendum, peregrini amandi, & per Dei nomen iurandum.*

1. IN (*a*) tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas
tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me
in montem: faciesque arcam ligneam, 2. & scribam in ta-
bulis verba quæ fuerunt in his quas ante confregisti, po-
nesque eas in arca. 3. Feci igitur arcam * de lignis settim.
Cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, a-
scendi in montem, habens eas in manibus. 4. Scripsitque
in tabulis, iuxta id quod prius scripserat, verba decem, quæ locutus est Domi-
nus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est: & dedit

eas mihi. 5. Reversusque de monte, descendi, & posui tabulas in arcam quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus. 6. (*b*) Filii autem Israel moverunt castra ex Beroth filiorum Iacan in Mosera, ubi (*c*) Aaron mortuus ac sepultus est, pro quo, sacerdotio functus est Eleazar filius eius. 7. Inde venerunt in Gadgad: de quo loco profecti, castrametati sunt in Ietebatha, in terra aquarum atque torrentium. 8. Eo tempore separavit tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius usque in præsentem diem. 9. Quam ob rem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis: quia ipse Dominus possessio eius est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus. 10. Ego autem steti in monte, sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus: exaudivitque me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit. 11. Dixitque mihi: Vade, & præcede populum, ut ingrediatur, & possideat terram quam iuravi patribus eorum ut traderem eis. 12. Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua: 13. custodiasque mandata Domini, & cæremonias eius, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi? 14. En Domini Dei tui cælum est, & cælum cæli, terra, & omnia quæ in ea sunt: 15. & tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amavit eos, elegitque semen eorum post eos, id est vos, de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur. 16. Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius: 17. quia Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus & potens, & terribilis, qui (*d*) personam non accipit, nec munera. 18. Facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum: 19. & vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis advenæ in terra AEgypti. 20. (*e*) Dominum Deum tuum timebis, & ei soli servies: ipsi adhærebis, iurabisque in nomine illius. 21. Ipse est laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia & terribilia, quæ viderunt oculi tui. 22. (*f*) In septuaginta animabus descenderunt patres tui in AEgyptum: & ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra cæli.

(*a*) Exod. xxxiv. 1. (*b*) Num. xxxiii. 31. (*c*) Num. xx. 28. 29. (*d*) II. Paralip. xix. 7. Iob xxxiv. 19. Sap. vi. 9. Eccli. xxxv. 15. Act. x. 34. Rom. ii. 11. Galat. ii. 6. (*e*) Sup. vi. 13. Matth. iv. 10. Luc. iv. 8. (*f*) Gen. xlvi. 27. Exod. i. 5.

## BRUGENSIS

### ROMANA CORRECTIO.

V. 3. *De lignis Settim*. Sic scribunt Hebræi *Settim* duplici *t*; alii simplici *Setim*.

### NOTATIO.

V. 20. *Dominum Deum tuum timebis, & ei servies*. D. Hentenio huius loci germana esse lectio visa est: *Et ei servies*. Nec sine ratione: nam ut multorum insignium exemplarium est, ita Hebræo, Chaldæo, & Græco consonat: quamquam Regiorum Bibliorum editio Græca cum aliis Latinis libris legat: *Et ei soli servies*. Deuter. vi. vers. 13. eadem est eiusdem sententiæ diversa lectio: nonnulla enim exemplaria demunt *Soli*, consimiliter Rabano, codici Græco Vaticano, atque Hebræis, ac Chaldæis libris: pleraque addunt consentanee Græcis textibus Regiorum, Aldinorum, & Germanicorum Bibliorum. Epanorthotes sexto capite legendum docet *Soli*; decimo tollendum: neque alia ex causa de locis his diversimode censere videtur, quam ex probatiorum Latinorum exemplarium auctoritate. Nam & nos in-

invenimus exemplaribus nostris correctioribus, atque etiam Tostato, sexto capite addi, decimo tolli τὸ *Soli*; ut Interpres hic verba transtulisse, ibi sensum videri possit. Sensum autem quem Dominus reddidit, cum tentatori obiecit: (*a*) *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Significatur enim, ita serviendum Deo, ut non alteri; hoc est, soli ipsi divinos honores, qui λάτρεια nuncupatur, exhibendos.

(*a*) Matth. IV. vers. 10. Luc. IV. vers. 8.

# COMMENTARIA

## S A.

*Vers.* 6. BEROTH dicitur etiam *Cades*: vide Num. XX. MOSERA, dicitur etiam *Hor*: vide Num. XX. MORTUUS, scilicet 40. anno postquam peccavit, Exod. XXXII.

*V.* 7. GADGAD dicitur etiam *Oboth*, Num. XX.

*V.* 8. SEPARAVIT. Hebr. Chald. & LXX. *Separavit Dominus*. BENEDICERET; id est, bene precaretur populo. Vide Num. VI.

*V.* 10. STETI. Videtur redire ad id quod dixit in fine cap. IX.

*V.* 14. CAELUM CAELI. Hebr. *caeli caelorum*, id est caeli altissimi; vel quasi dicat: Et caeli qui apparent, & qui supra illos sunt.

*V.* 16. CIRCUMCIDITE IGITUR PRAEPUTIUM; id est, auferte impedimenta.

*V.* 17. MUNERA: scilicet ut iudicet iniuste, vel propter illa.

*V.* 20. IN NOMINE ILLIUS, scilicet & non per idola.

*V.* 21. LAUS TUA; id est, de quo gloriari debes, vel quem semper laudare.

## ESTII.

*Vers.* 12. ET NUNC ISRAEL, QUID DOMINUS DEUS TUUS PETIT A TE, NISI UT TIMEAS DOMINUM DEUM TUUM? Hoc simile est illis optationibus Dei, quæ non sine tropo dicuntur, de quibus sup. cap. V. & infra cap. XXXII. & Isaiæ XLVIII.

*V.* 15. ET TAMEN PATRIBUS TUIS CONGLUTINATUS EST DOMINUS, ET AMAVIT EOS, ELEGITQUE SEMEN EORUM POST EOS, ID EST VOS, DE CUNCTIS GENTIBUS. Quærunt aliqui: Quare Deus Filium suum nasci voluit ex semine Abrahæ, & quare legem, suique agnitionem dedit illi populo? Respondeo: Ex hoc capite, & superiori intelligimus hæc Dei beneficia in illum populum fuisse prorsus gratuita: nam populus ipse rebellis erat, & duræ cervicis. Natus quidem est ex sanctis Patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob, quibus propter ipsorum fidem, obedientiam, & pietatem dignatus fuit promittere Messiam ex ipsis nasciturum; sed quos ipse, ut hoc qualitercumque mererentur, suis benedictionibus prævenerat, erantque ipsorum merita, Dei dona.

*V.* 17. DOMINUS DEUS VESTER, IPSE EST DEUS DEORUM, ET DOMINUS DOMINANTIUM. Quo sensu dicatur *Deus deorum*, & inanium deorum, vide Annot. Psalm. XLIX. nam ad deos Gentium id referendum esse, satis ex aliis locis patet. Eorum autem Deus dicitur, quia omnibus illis maior est, & melior, & potentior. Unde supra cap. IV. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*. Quomodo autem non repugnet illud Christi in Evangelio Matth. XXII. *Non est mortuorum Deus, sed vivorum*, vide ibi explicatum.

## MARIANAE.

*Vers.* 5. QUAE HUCUSQUE IBI SUNT, scilicet tabulæ legis in arca. Hebr. *Et erunt ibi*. Sept. *Et fuerunt ibi*, ut futurum sit pro præterito, propter Vau conversivum.

*V.* 6. IN MOSERA, UBI AARON MORTUUS AC SEPULTUS EST. *Hor*, & *Mosera* idem mons. Et fortassis *Cades*, de qua Num. XX. vers. 22. est *Beroth* hic.

*V.* 14. CAELUM CAELI. Hebr. *Cæli cælorum*; id est, omnes cæli, aut cæli præcipui tui sunt, Deus.

*V.* 18. DAT EI VICTUM, scilicet peregrino. *Panem* in Hebr. sic Septuag. sed panis promiscue pro cibo sumitur.

*V.* 20. ET EI SOLI SERVIES. *Soli* non est in Hebr. sed ex Sept. sumpsit Hieronymus.

*V.* 21. IPSE EST LAUS TUA. Propter eum laudaris, vel eum solum laudare debes hymnis, canticis, psalmis. תהלתך *thehilatheca*, id est *psalmus tuus*: Ipse est psalmus tuus, id est psalmi materia. Psalmi *Thehilim* Hebr. vocantur.

*V.* 22. IN SEPTUAGINTA ANIMABUS. Sept. ponunt *septuaginta quinque* animas, uti & aliis locis, quos iam notavimus.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. IN TEMPORE ILLO: nimirum cum meis precibus ira Dei in populum conquievisset; & iam secundo apud ipsum in monte dies quadraginta futurus essem, Exodi XXXIV. 28. Huius autem reconciliationis per hyperbaton documenta duo Mosen interserere notant, traditionem tabularum, & sacerdotii continuationem, usque ad vers. 9. postea demum in vers. 10. ad cœptum sermonem regredi. FACIESQUE ARCAM LIGNEAM. Temporariam quidam intelligunt, ubi hæ tabulæ tantisper conservarentur, dum sacra arca illa fœderis fabricaretur, in qua deinde erant collocandæ. Sed melius alii accipiunt de illa ordinaria quæ imperata est Exodi XXV. vers. 10.

*V.* 6. EX BEROTH FILIORUM IACAN. Quidam reddunt. *A puteis filiorum Iahakanis:* putantque huius loci fieri mentionem I. Machabæor. V. vers. 4. & II. Machabæor. XII. vers. 13. & 16. atque illum ipsum esse qui Numer. XXXIII. 31. dicitur *Bene*, id est *Filii*, *Iahakan*: vigesima octava Israelitarum statio. Alii diversum statuunt: res plane incerta. IN MOSERA. Plerique diversum hunc locum faciunt a Moseroth vigesima septima Hebræorum mansione, Numer. XXXIII. 30. duabus rationibus. I. quod ibi dicantur Israelitæ profecti e Moseroth in Bene Iahakanis; hic vero, e puteis Bene Iahakanis in Moseroth. II. quod Moserah hic dicatur fuisse ubi mortuus fuit Aaron, nimirum in monte Hor; at Moseroth septem profectionibus distabat a monte Hor: ut Numeror. XXXIII. a versu 30. usque ad 37. perspicue describitur. Alii vero unum & eumdem locum faciunt: notantque hic esse hysterosim per synathrœsmum, seu congeriem verborum; ordinemque Numeror. XXXIII. vers. 30. & 31. explicari: inde hic vertunt: *Progredientes a puteis filiorum Iahakanis & Moserah*; ut rectus ordo sit, progredientes a Moserah in puteos filiorum Iahakanis, ut eo loco Numerorum exponitur. UBI AARON MORTUUS AC SEPULTUS EST. Post illud, *In Moserah*, subaudiunt quidam, in Hor montem: ut sit periphrasis; conferuntque cum Numeror. XX. vers. 22. & Numer. XXXIII. vers. 37. 38. & statim annectunt: *Ibi mortuus est Aaron, & sepultus fuit.*

*V.* 7. GADGAD. Hebr. *Ghudghodah*. Hic locus Numer. XXXIII. 32. vocatur *Chor Ghidghad*: rationem appellationis ibi vide. Ridicule quidam putant esse Oboth, trigesimam septimam Israelitarum stationem, Numer. XXI. 10. & cap. XXXIII. 43. IETEBATHA. Hebr. *Iotebathah*, vel *Iotbathah*. De hac trigesima Hebræorum mansione vide Numer. XXXIII. vers. 33. Quidam adducti nominis similitudine, *Iotapatam* esse existimant, claram Iosephi captivitate. Sed delirant: nam Iotapata respectu Ierosolymæ erat cis Iordanem, & lacum Tiberiadis, in Galilææ Decapolitana regione, non longe a Tiberiade, uti Iosephus in Vita sua, & Lib. III. Belli cap. VII. aliisque locis frequenter describit; cum plane Ietebatha ultra Iordanem, in deserto, versus Mare rubrum, longe a Iotapatha abfuerit. Et quia his duobus versibus 6. & 7. obscure & perturbate poni quibusdam visum est loca profectionum Israelitarum, quæ hic nominantur; clarius ita eos reddere conantur.

V. 6. *Filii autem Israelis, cum eo progredientes a puteis filiorum Iahakanis, & Moserah, ubi mortuus est, & ubi sepultus Aharon; functusque sacerdotio Elhazar filius eius in loco eius.*

V. 7. *Inde Gudgodum, & Gudgodo Iotbatham, regionem fluminibus irriguam progressi fuissent Horem usque.*

V. 8. *Tempore illo separavit Iehova tribuum, &c.*

IN

In terra aquarum atque torrentium. Hebr. *Terram fluviorum aquarum*; id est, quæ copiosis fluminibus seu torrentibus abundat. Id autem consulto a Mose adiectum notant, ut ostenderet Deum prospexisse Israelitarum infirmitati, ne porro ex locorum importunitate murmurarent, ut ante ferme ubique fecerant.

*V.* 8. Eo tempore. Intelligunt nempe quo Israelitæ hac via progrediebantur reconciliati Domino, Numeror. xxvi. & xxviii. & xxix. Separavit tribum Levi. Exponunt: Id est, tribum Levi iam ante separatam ad officia sacra, in functione eadem confirmavit, Eleazaro suffecto in Aaronis locum, Numer. xx. Phineaso confirmato, Numer. xxv. &c. neque tot. & tantis offensis vestris adductus est, ut vobis fœdus suum, aut administros fœderis illius adimeret. Sic autem fuisse factum ostendit recensio Num. xxvi. & repetita officiorum descriptio, Numer. xxviii. & xxix.

*V.* 9. Non habuit Levi partem. Vide Num. xviii. vers. 20. 23. 24.

*V.* 14. Caelum est, et caelum caeli. Hebr. *Cæli, & cæli cælorum*, id est summi ac præcipui cæli: ut I. Regum viii. vers. 27. Alii, *Cæli, & cælum cæli*. Distinguunt tres cælos: primum aerium, tres regiones aeris continens; secundum sidereum, in quo sunt stellæ; tertium supremum & empireum, sedem Dei & beatorum, quod tertium cælum, & se in illud raptum affirmat Paulus.

*V.* 16. Circumcidite igitur praeputium cordis vestri. Explicant: Id est, tollite ex animo vestro quod divinæ voluntati repugnat, nempe malitiam, cæcitatem, prava desideria, quæ animum quasi contegunt & operiunt, ac veluti præputiant. Vide Ieremiæ iv. vers. 4. & Colossens. ii. vers. ii. Et cervicem vestram ne induretis; id est, libenter induite iugum legis divinæ. Metaphora sumpta ex iumentorum iugalium similitudine; quasi dicat: Ne sitis refractarii & indomabiles, iugo legis colla subiicite.

*V.* 17. Deus deorum; id est, supremus omnium qui munus aliquod divinum gerunt, ut sunt angeli, & homines; & verissimus Deus.

*V.* 20. Dominum Deum tuum timebis. Vide hunc versum supra cap. vi. vers. 13.

*V.* 21. Ipse est laus tua; id est, de quo gloriari debes, celebrando eius beneficia erga te, quem continuo laudare & glorificare te oportet: materia & argumentum laudis tuæ: metonymia, ut Exodi xv. 2.

*V.* 22. In Septuaginta animabus, &c. Vide Genes. xlvi. vers. 27.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. Dola tibi duas tabulas, &c. Vide Exod. xxxiv. 1. & deinceps. Faciesque arcam ligneam. &c. Arca constructa est a Mose post acceptas a Deo secundas tabulas legis, ut patet Exod. xxxiv. 28. conferendo cum Exod. xxxvii. 1. sed ante eas iussit Deus arcam fabricari, Exod. xxv. 10.

*V.* 6. Filii Israel moverunt castra. Quia inciderat mentio de tabulis legis, & arca, hic per parenthesim usque ad num. 17. quædam interseruntur de Levitis, & Eleazaro successore Aaronis in Pontificatu: opportune autem hæc narrantur, quia hi custodes erant sacrorum, & præsertim arcæ, & tabularum, quæ in Sancto sanctorum, utpote res sanctissima, asservabantur. Ex Beroth .... in Mosera. At Num. xxxiii. 31. contra potius indicatur eos ex Moseroth castrametatos esse in Bene-iaacan. Cum longissima fuerit filiorum Israel peregrinatio per desertum totis 40. annis, videtur non improbabile utrumque accidisse, ut scilicet semel ex Moseroth iverint in Bene-iaacan, & rursus semel hinc in Moseroth. Ita Bonfrerius. Alii putant Mosera, & Moseroth non esse idem, sicut nec Beroth Bene-iaacan, & Bene-iaacan, quamvis nomina sint similia. Ita Cornelius a Lapide. Vide Bonfrerium late de hoc disputantem. Ubi Aaron mortuus ac sepultus est. Bonfrerius putat, montem Hor, & Mosera, & Moseroth eumdem locum fuisse, ad quem secundo redierunt Israelitæ: ita tamen ut mons solus Hor dictus fuerit, in quo Aaron obiit; adiacens vero locus, in quo castra metata, dictus fuerit Mosera, seu Moseroth.

*V.* 7. Inde venerunt in Gad-

GAD. Ut quæ hic dicuntur, cohæreant cum iis quæ habemus Num. XXXIII. 30. ita viderentur disponendæ mansiones ut de Hesmona itum sit in Moseroth, inde in Bene-iaacan, inde rursus in Moseroth, de Moseroth vero in Gadgad, ut habetur hic. Cum autem dicitur cap. illo XXXIII. de Bene-iaacan, & non de Moseroth itum in Gadgad, intelligendum mediate, transeundo scilicet rursus per Moseroth. Quod si hoc itu, & reditu ad eumdem locum crescat numerus mansionum, dici fortasse poterit non censeri diversas mansiones eas in quibus plusquam semel non multo temporis intervallo populus castra fixerit. IN TERRA AQUARUM ATQUE TORRENTIUM, in qua multæ aquæ, & multi torrentes.

*V.* 8. EO TEMPORE SEPARAVIT, Dominus scilicet. Particula *Eo tempore*, designat id quod gestum est Aarone Pontifice Num. III. 6. licet hic obiter ista narratio interseratur. UT PORTARET ARCAM. Quod communium Levitarum erat, & a sacerdotibus fieri poterat si libuisset, & fortasse fiebat, cum solemnior aliqua pompa duceretur. Vide dicta Iosue III. 3. STARET CORAM EO IN MINISTERIO. Quod erat sacerdotum, qui stabant coram Domino ministrantes in tabernaculo, & sacrificantes. BENEDICERE IN NOMINE ILLIUS. *Si benedicere in nomine* sit idem quod benedicere nomen, hoc conveniebat etiam levitis, inter quos aliqui cantores erant concinendis divinis laudibus destinati. Si *benedicere* sit bene precari populo, videtur tantum ad sacerdotes pertinuisse.

*V.* 9. DOMINUS POSSESSIO EIUS: quia Dei intuitu primitiæ, decimæ, & alia iura illis debentur, ad alimenta, aliasque necessitates.

*V.* 10. EGO AUTEM STETI IN MONTE SICUT PRIUS QUADRAGINTA DIEBUS. Aliqui putant Mosen per quadraginta dies fuisse in monte Sina, & hanc tertiam esse vicem: hæc non tertia, sed secunda est, atque eadem cum illa de qua cap. præcedenti num. 18. Quare hic est hysteron proteron. Hic enim versus recto ordine ponendus esset ante initium capitis.

*V.* 14. CAELUM EST, ET CAELUM CAELI. Per *cælum* intellige cælos mobiles; per *cælum cæli*, empireum cælum.

*V.* 15. CONGLUTINATUS EST. Quæ metaphora vehementiam amoris significat.

*V.* 16. CIRCUMCIDITE PRAEPUTIUM CORDIS VESTRI. LXX. *duritiam cordis*. Præputium metaphorice cordi tribuitur, & significat voluntatem pravitate, luxuria, vanitate, & cæcitate obtectam, & obduratam.

*V.* 21. IPSE EST LAUS TUA, obiectum, & materia laudis tuæ.

*V.* 22. IN SEPTUAGINTA ANIMABUS. Hoc explicatum est Gen. cap. XLVI. num. 27.

## TIRINI.

*Vers.* 6. MOVERUNT CASTRA EX BEROTH FILIORUM IACAN IN MOSERA, nempe cum secunda vice in Mosera reditum fuit (nam subinde, per spatium quadraginta annorum redibatur ad eadem loca:) quando etiam contigit, Aaronem eodem in loco mori ac sepeliri: mons enim Hor, ubi sepultus dicitur Num. XX. & XXXIII. & Deut. XXXI. erat pars una regionis Mosera, seu *Moseroth*, ut vocatur Num. XXXIII. Nam hæc nomina unum eumdemque locum significant: sicut & *Beroth filiorum Iacan*, idem est locus qui Bene-iaacan Numer. XXXIII. vocatur. Unde quod hic sequitur, Ex *Mosera* VENERUNT IN GADGAD, inde CASTRAMETATI SUNT IN IETEBATHA, intelligendum, id factum cum prima vice in Mosera, seu Moseroth appullissent, & inde excederent: tunc enim inde profecti sunt in Gadgad, & ulterius in Ietebatha. Ergo præteritum *Venerunt*, & *castrametati sunt*, ponitur hic pro plusquam perfecto Venerant, & castrametati fuerant. Quod persamiliare est Hebræis, qui cum unicum habeant præteritum, coguntur uno illo iam pro perfecto, iam pro imperfecto, vel plusquam perfecto subinde uti; unde necessum est, similes sententiarum ambiguitates non raro subnasci.

*V.* 8. EO TEMPORE, non quo mortuus est Aaron, cuius immediate hic ante facta mentio, sed quo Moyses de monte Sinai cum secundis tabulis descendit, ut dixerat vers. 5. *Separavit Dominus tribum Levi*, a reliquis tribubus, sibi eam suo-

suoque divino servitio appropriando, nempe triplici, ut sequitur: primo, *ut portaret arcam fœderis Domini*, cum reliquis omnibus quæ arcæ, & tabernaculo annexa erant; secundo, *ut staret coram eo in ministerio*, omni scilicet quod ad Deum, & ad tabernaculum spectat, maxime vero in sacrificio, quod nobilissimum erat illorum ministerium, & nobilissimæ partis Leviticæ tribus, puta sacerdotum, de familia Aaron; tertio, *ut benediceret in nomine Domini*, scilicet populum, eidemque bene precaretur invocato Dei nomine, &, ut LXX. vertunt, *pro eodem deprecaretur per nomen Dei*. Quæ omnia solis sacerdotibus propria erant; uti & publice, seu cum solemni cæremonia benedicere nomini Domini, quod I. Paral. XXIII. vers. 13. Aaroni eiusque filiis adscribitur. Quamquam benedicere simpliciter nomini Domini in quotidiano templi officio dum sacrificia peragerentur, quod fiebat hymnis, psalmis, & aliis canticis, atque instrumentis musicis, conveniret etiam Levitis inferioribus, e quorum numero cantores, & lusores desumebantur.

*V.* 16. CIRCUMCIDITE PRAEPUTIUM CORDIS VESTRI. LXX. vertunt, *duritiam*; Chaldæus, *insipientiam*. Potest & luxuria, & idolomania, & quævis alia malitia designari; & in genere, noxia quæque & impia desideria: nam sicut carnale præputium in humano corpore, sic illa in corde superfluunt, & illud dehonestant.

## GORDONI.

*Vers.* 1. REponit hic præterita; non tamen semper servato rerum gestarum ordine: sic per hysteronproteron vers. 6. interrumpitur narratio usque ad vers. 10.

*V.* 3. De hac re vide Exod. XXXIV. Ceterum de arca hic facta, quod dicitur, intellige actum post descensum a monte, acceptis posterioribus tabulis, Exod. cap. XXXVII.

*V.* 5. SUNT. Hebr. *Et erunt ibi*: futurum pro præterito, ubi Vau versivum est.

*V.* 6. IN MOSERA. Est idem mons ac Hor: sic Cades hic est BEROTH, de quo Num. XX. vers. 22.

*V.* 8. EO TEMPORE, &c. Obscurum est, quid sit hic *Eo tempore*: non enim facta est separatio Levitarum eo tempore quo mortuus est Aaron, scilicet anno quadragesimo, sed anno secundo, Num. III. Manet ergo, hoc quod est *eo tempore*, referri debere ad id quod hic dicitur vers. 5. quando descendit Moses de monte. At quomodo hic dicitur benedicere esse inferiorum Levitarum, cum sit officium sacerdotum? Erat quidem sacerdotum benedicere; hoc est, invocato Dei nomine, bene precari, modo aliquo solemni: hoc, inquam, sacerdotum erat; at benedicere in nomine Dei, ac Deum laudare voce & hymnis, levitarum etiam erat.

*V.* 10. Hic etiam versiculus recto ordine ponendus esset ante primum. Cetera subsequuntur ordine.

*V.* 14. CAELUM CAELI, idest omnes cæli, vel præcipui.

*V.* 16. PRAEPUTIUM CORDIS, nempe duritiam: hinc Septuag. habent σκληροκαρδίαν; Chald. *insipientiam cordis*.

*V.* 20. EI SOLI: quamvis non sit in Hebr. tamen recte ex Sept. substituitur.

*V.* 21. IPSE EST LAUS TUA, materia laudis tuæ, Hebr. תהלתך *thehilatecha*, *psalmus tuus*; radix vero est הלל *laudavit*: hinc Psalmi in Hebr. vocantur *Thehilim*.

*V.* 22. IN SEPTUAGINTA ANIMABUS DESCENDERUNT PATRES TUI IN AEGYPTUM. Habemus quidem Genes. cap. XLVI. vers. 27. & hoc etiam loco tantum septuaginta animas, in Vulgata editione, & Hebraica. Quomodo Septuaginta Interpretes ponant 75. dixi satis ad citatum locum Geneseos.

## EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 1. DOLA TIBI. Exod. XXXIV. 1.

*V.* 6. EX BEROTH. Locus hic, in quo mortuus est Aaron, varia habet nomina; ac proinde nihil hic contra id quod dicitur Num. XXXIII. 31. Mons Hor est in quo ille obiit, & locus vicinus ubi castra posita sunt, dictus est Mosera, vel Moseroth. Quod vero est hic de recensitis mansionibus, & an ad eumdem locum bis venerint, certatur: satis est ex his explicari contextum.

## CAPUT XI.

*Recenſentur varia Dei beneficia, multaque bona promittuntur ſervantibus eius præcepta, mala autem non ſervantibus, hoc eſt benedictio, & maledictio.*

1. AMa itaque Dominum Deum tuum, & obſerva præcepta eius
& cæremonias, iudicia atque mandata, omni tempore.
2. Cognoſcite hodie quæ ignorant filii veſtri, qui non vi-
derunt diſciplinam Domini Dei veſtri, magnalia eius & ro-
buſtam manum, extentumque brachium, 3. ſigna & opera
quæ fecit in medio AEgypti Pharaoni regi, & univerſæ ter-
ræ eius, 4. omnique exercitui AEgyptiorum, & equis ac
curribus: quomodo operuerint eos aquæ Maris rubri, cum vos perſequerentur,
& deleverit eos Dominus uſque in præſentem diem: 5. vobiſque quæ fecerit in
ſolitudine, donec veniretis ad hunc locum: 6. & (a) Dathan atque Abiron fi-
liis Eliab, qui fuit filius Ruben: quos (b) aperto ore ſuo terra abſorbuit, cum
domibus & tabernaculis, & univerſa ſubſtantia eorum, quam habebant in me-
dio Iſrael. 7. Oculi veſtri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit, 8. ut
cuſtodiatis univerſa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis, & poſſitis in-
troire, & poſſidere terram, ad quam ingredimini, 9. multoque in ea vivatis tem-
pore: quam ſub iuramento pollicitus eſt Dominus patribus veſtris, & ſemini eo-
rum, lacte & melle manantem. 10. Terra enim * ad quam ingrederis poſſi-
dendam, non eſt ſicut terra AEgypti, de qua exiſti, ubi iacto ſemine in hor-
torum morem aquæ ducuntur irriguæ; 11. ſed montuoſa eſt & campeſtris, de
cælo expectans pluvias: 12. quam Dominus Deus tuus ſemper inviſit, & oculi
illius in ea ſunt a principio anni uſque ad finem eius. 13. (c) Si ergo obedie-
ritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum
veſtrum, & ſerviatis ei in toto corde veſtro, & in tota anima veſtra; 14. dabit
pluviam terræ veſtræ temporaneam, & oleum, 15. ſenumque ex agris ad paſcen-
da iumenta, & ut ipſi comedatis ac ſaturemini. 16. Cavete ne forte decipiatur
cor veſtrum, & recedatis a Domino, ſerviatiſque diis alienis, & adoretis eos:
17. iratuſque Dominus claudat cælum, & pluviæ non deſcendant, nec terra det
germen ſuum, pereatiſque velociter de terra optima, quam Dominus daturus eſt
vobis. 18. (d) Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis veſtris, & ſuſ-
pendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate. 19. Docete
filios veſtros ut illa meditentur, quando ſederis in domo tua, & ambulaveris in
via, & accubueris atque ſurrexeris. 20. Scribes ea ſuper poſtes & ianuas domus
tuæ: 21. ut multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum, in terra quam iuravit
Dominus patribus tuis, ut daret eis quamdiu cælum imminet terræ. 22. Si enim
cuſtodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, ut diligatis Do-
minum Deum veſttum, & ambuletis in omnibus viis eius, adhærentes ei, 23. diſ-
perdet Dominus omnes gentes iſtas ante faciem veſtram, & poſſidebitis eas

quæ

quæ maiores & fortiores vobis sunt. 24. (e) Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, & a Libano, a flumine magno Eufrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri. 25. Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum & formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis. 26. En propono in conspectu vestro hodie benedictionem, & maledictionem: 27. benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis: 28. maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via quam ego nunc ostendo vobis, & ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis. 29. Cum vero introduxerit te Dominus Deus tuus in terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal: 30. qui sunt trans Iordanem, post viam quæ vergit ad solis occubitum, in terra Chananæi, qui habitat in campestribus contra Galgalam, quæ est iuxta vallem tendentem & intrantem procul. 31. Vos enim transibitis Iordanem, ut possideatis terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut habeatis & possideatis illam. 32. Videte ergo ut impleatis cæremonias atque iudicia, quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

(a) Num. xvi. 1. (b) Num. xvi. 32. (c) Sup. x. 12. (d) Sup. vi. 6. (e) Iof. i. 3.

# BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 10. *Ad quam ingrederis possidendam*. Non mutes præsens *ingrederis* cum futuro *ingredieris*.

# COMMENTARIA

## SA.

*Vers.* 1. PRAECEPTA. Hebr. *observationem*; id est, quæ observari vult, scilicet quæ sequuntur, cæremonias, &c.

*V.* 2. COGNOSCITE, id est cogitate, recordamini. DISCIPLINAM, scilicet qua vos Dominus erudivit.

*V.* 10. DUCUNTUR, scilicet per sulcos.

*V.* 12. INVISIT. LXX. *visitat*. Hebr. *quærit*. Chald. *requirit*; quasi dicat, curat.

*V.* 14. DABIT: sic LXX. at Hebr. & Chald. *dabo*. TEMPORANEAM, scilicet Autumno, iacta semente. SEROTINAM, scilicet Vere, quando seges grandior.

*V.* 18. COLLOCATE. Hebr. *Sint in frontalia*.

*V.* 19. ILLA MEDITENTUR. Hebr. *De illis loquantur*. ACCUBUERIS, scilicet ut dormias.

*V.* 20. SUPER POSTES. Hyperbolica commendatio. August. quæst. XVII. in Deuter.

*V.* 21. QUAMDIU CAELUM IMMINET TERRAE. Hebr. Chald. & LXX. *sicut dies cæli super terram*.

*V.* 23. EAS, id est earum bona.

*V.* 24. A DESERTO, scilicet Meridie. LIBANO, scilicet Septemtrione. EUFRATE, scilicet Oriente, ex parte. Nota, id accidisse tempore Salomonis.

*V.* 26. BENEDICTIONEM, ET MALEDICTIONEM, id est felicitatem, & infelicitatem.

*V.* 28. OSTENDO. Hebr. Chald. & LXX. *præcipio*. IGNORATIS, scilicet esse deos: solum enim verum Deum nostis esse Deum; vel quasi dicat, antea vobis ignotos.

*V.* 29. GARIZIM. Vide infra XXVII. cap. & Iof. VIII.

*V.* 30. CONTRA, id est e regione. QUAE EST IUXTA, &c. pro iis omnibus,

bus, Hebr. est solum, *Iuxta Elone*, id est *querceta Moreh* ( qui locus secundum quosdam est iuxta Sichem. At Hieronymus in Locis Hebr. ait, Garizim, & Hebal esse prope Iericho, & non prope Sichem. At Iudic. IX. apparet Garizim esse prope Sichem. Sed dicerem esse alium eodem nomine. Chald. *in latere planitiei Moreh*. LXX. *prope excelsam quercum*.

*V.* 32. PONAM. Hebr. & LXX. *do*, id est propono. Chald. *pono*.

## ESTII.

*Vers.* 10. TERRA ENIM AD QUAM INGREDIERIS ... NON EST SICUT TERRA AEGYPTI, &c. Non hic fit comparatio terræ AEgypti cum terra Chanaan in fertilitate ( Id enim huic loco est impertinens. Et sunt qui putent terram AEgypti fertilitate, potissimum frumenti, superasse terram promissionis, propter Nili irrigationem.) Sed fit comparatio in modo irrigationis terræ. Nam in AEgypto, ut hic dicitur, in hortorum morem ex Nilo aquæ ducebantur irriguæ; in terra vero Chanaan de cælo dabatur pluvia ad irrigationem agrorum. Est autem utilius, & commodius populo de cælo expectare pluviam, quam per sulcos ducere aquas irriguas. Nam istud est operationis humanæ, illud autem peculiariter divini ac cælestis beneficii; & proinde etiam admonetur homo, de cælo semper expectare subsidium opportunum: cuius rei facile oblivisceretur, si propria arte & industria terram irrigaret, & auxilium Dei de cælo sentiret sibi non esse necessarium.

*V.* 18. SUSPENDITE EA PRO SIGNO IN MANIBUS, ET INTER OCULOS COLLOCATE, &c. Similia verba habentur supra cap. VI. Hæc autem secundum proprietatem litteræ nemo Israelitarum eo tempore fecisse commemoratur, vel legitur. Unde putant multi hyperbolicam esse commendationem mandatorum Dei: quia videlicet non aliud significetur, quam semper, & ubique præ oculis habenda esse præcepta Dei. Potest etiam dici sermo esse allegoricus sive parabolicus, ut ex rebus corporeis res spirituales intelligantur. Iuxta hunc sensum suspendit, seu ligat mandata Dei pro signo in manibus qui in omni opere studet implere mandata Dei; collocat inter oculos qui numquam obliviscitur, sed mentis oculos semper in ea intentos habet; scribit in limine, & super postes & ianuas domus suæ qui sive intret domum suam, sive egrediatur, semper mandata Dei memoria, & cogitatione revolvit. Atque hæ, & similes exhortationes non minus ad Christianos pertinent quam ad Iudæos.

*V.* 21. QUAMDIU CAELUM IMMINET TERRAE. Significatur vel huius mundi secundum præsentem statum duratio ( nempe quia, secundum promissiones Dei, si filii Israel non peccassent, numquam ex ea terra eiecti fuissent; ) vel tempus valde longum, videlicet durationis saltem veteris testamenti. Sed prior sensus melior videtur, utpote quod promissio hæc, quod semper essent eam terram possessuri, & numquam inde eiicerentur, fuit tantum conditionalis: sic enim immediate post ista verba subiicitur: *Si enim custodieritis mandata .... disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, & possidebitis eas*.

*V.* 24. A DESERTO, ET A LIBANO, A FLUMINE MAGNO EUPHRATE USQUE AD MARE OCCIDENTALE ERUNT TERMINI VESTRI. Termini terræ promissionis designantur: videlicet a monte Libano, qui est in Septemtrione, usque ad desertum Zin, quod spectat Meridiem, & a flumine Euphrate, quod est in Oriente, usque ad Magnum mare, quod respicit Occasum. Et notandum quod hic populus totam hanc terram his limitibus comprehensam tenuit tempore Salomonis; sed postea propter transgressiones suas in angustias redactus fuit, limitibus eius coarctatis.

## MARIANAE.

*Vers.* 1. OBSERVA PRAECEPTA EIUS. Hebr. *Custodi custodias eius*: sic Sept. sed *custodiæ*, *præcepta* sunt.

*V.* 2. COGNOSCITE HODIE QUAE IGNORANT FILII VESTRI. Oratio in Hebræo defectiva: sic enim ait: *Cognoscite hodie, quia non ad filios vestros, qui non cognoverunt, & qui non viderunt*, &c. supplet

plet Pagn. *Non ad filios vestros ( loquor.)* Suppleri etiam potest, *Locutus est Dominus.*

*V.6.* ET UNIVERSA SUBSTANTIA EORUM. Vox Hebraica יקום *iekum* ab omnibus hoc loco per *substantiam* redditur. In uno Hebræo invenio significare כל חיעל האדמה, *omne quod vivit in terra:* sic Gen. VII. *Et delebo omnem substantiam quam feci, de superficie terræ*, ubi est ea vox, & videtur loqui de viventibus, quoniam rursus ait: *Delevit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus.* Quod vero in Hebræo hic additur, *Omnem substantiam quæ in pedibus eorum*, Hieron. Sept. & Chald. omittunt; sed significat, quæ illis subdita erat: *in pedibus*, pro sub pedibus: vel significat, in medio eorum, inter eos.

*V.10.* UBI IACTO SEMINE IN HORTORUM MOREM AQUAE DUCUNTUR IRRIGUAE. Hebr. *In qua seminas semen tuum, & irrigas in pede tuo, ut hortum oleris. In pede tuo*, fortassis quod Hispanice dicimus, *Agua de pie:* sic dicitur aqua per rivos deducta in areas secus quam pluvia. Loquitur de AEgypto.

*V.* 12. SEMPER INVISIT. Hebr. *inquirit eam*, scilicet in terram: in ea versatur Deus.

*V.14.* DABIT PLUVIAM. Hebr. *Dabo pluviam terræ vestræ:* sic Gotth.

*V.15.* ET UT IPSI COMEDATIS AC SATUREMINI. עשב *beseb* Hebraica vox significat omnem herbam, etiam olera, & segetes, & legumina: sic Psalm. CXLVI. vers. 8. *Et herbam servituti hominum*, pro *herba* est illa vox, quam Hieronymus hic, & aliis locis *fenum* reddit. Ex hoc verba illa Luc. XII. vers. 28. *Fenum quod hodie est, & cras in clibanum mittitur*, de frumento quidam accipiunt: alioqui feni veri quis usus in clibano? Sic hoc loco fenum se dixit daturum in esum iumentorum, & ut homo comedat & saturetur.

*V.* 18. ET INTER OCULOS VESTROS COLLOCATE. Hebr. *Et erunt in laminas ( seu frontalia ) inter oculos vestros verba mea.*

*V.20.* SUPER POSTES ET IANUAS, id est super aliquo e postibus, aliqua e ianuis: ut illud: *Sepultus est in urbibus Israel:* Iudic. XII. vers. 7.

*V.* 21. QUAMDIU CAELUM IMMINET TERRAE. Hebr. *sicut dies cæli*, id est secundum eorum durationem; id est, perpetuo multiplicentur dies tui, o Israel, & filiorum tuorum.

*V.24.* A FLUMINE MAGNO EUFRATE. *Magno* non est in Hebræo. USQUE AD MARE OCCIDENTALE. Hebr. *mare postremum:* nam venientibus a deserto, postremo loco occurrebat, post Mare mortuum, & mare Cinereth; vel quoniam a tergo est versis ad Orientem oculis. Sept. & Chald. vertunt ut Hieronymus, *Mare occidentale*, scilicet Mediterraneum.

*V.* 26. EN PROPONO. Hebr. *Vide, ego do;* sed *vide* frequenter sumitur pro *ecce.*

*V.* 27. BENEDICTIONEM, SI OBEDIERITIS. Hebr. *Quando audieritis;* sed omnes Interpretes vocem *quando* accipiunt pro *si.*

*V.29.* SUPER MONTEM GARIZIM. Hieronymus in Locis Hebraicis ait esse prope Iericho, alii prope Sichem, ex Iudic. Lib. cap. IX. vers. 7.

*V.* IUXTA VALLEM TENDENTEM ET INTRANTEM PROCUL. Hebræo אצל אלוני מרה. Hieronymus pro *elone* semper vertit *vallem*, alii *quercum* seu *quercetum:* & *more*, pro qua voce Hieronymus posuit *tendentem & intrantem*, a ירה *iarab*, quod est *iacere*. Alii putant esse nomen proprium; ut sit, *Iuxta quercus More:* & fortassis qui Genes. XIII. vocatur *Mambre*, idem hoc loco est *More.*

*V.* 32. UT IMPLEATIS CAEREMONIAS. Hebr. *statuta, præcepta.*

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. ET OBSERVA PRAECEPTA EIUS. Hebr. *Et observabis observationem*, seu *observantiam eius:* vel *& custodies custodiam eius*, id est quæ tibi custodienda, & observanda præcepit. CAEREMONIAS, IUDICIA, ATQUE MANDATA. Sæpe hæc tria in lege coniunguntur. Plerique ita distinguunt, ut חקות *chukkoth*, *statuta*, sint ritus & cæremoniæ ad divinum, & ecclesiasticum cultum pertinentes; משפטים *mischpatim*, *iudicia*, iura & leges civiles ad forum spectantes; מצוות *mitzuoth*, præcepta, mandata, quæ ad mores referuntur. Theologi appellant, *Cæremonialia, Iudicialia, Mora-*

*ralia*. Sed puto his tribus universe totam legem circumscribi.

*V.* 2. COGNOSCITE HODIE. Quidam exponunt: Id est, opere & re ipsa ostendite vos scire, & tenere memoria *quæ ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam Domini, &c.* Quia Hebr. *filiis vestris*, præfigitur את & nota plerumque accusativi. Quidam reddunt: *Et scitote hodie* ( *non enim filios vestros alloquor* ; vel *cum filiis vestris loquor qui non cognoverunt, neque viderunt*) *disciplinam*, seu *castigationem Iehovæ*, &c. ut illud *Et scitote*, vel *scietis hodie*, iungatur accusativis sequentibus, *castigationem, &c.* interiecta parenthesi, cuius parenthesis redditur ratio infra vers. 7. quare eos alloquatur, non filios, dicens: *Quia oculi vestri vident opus Domini magnum, &c.* ac si dicat: Non enim loquor de rebus futuris, sed de præteritis, quas filii vestri non viderunt. Alii magnum hyperbaton faciunt usque ad vers. 7. Et agnoscetis hodie, non filios vestros, qui non noverunt, neque sunt experti eruditionem Iehovæ, &c. sed oculos vestros fuisse qui viderunt quodcumque opus Iehovæ maximum, &c. Sed את & possit quoque esse nominativi articulus: *Et cognoscetis hodie, quia non filii vestri*; subaudi, id cognoscere poterunt, *qui non cognoverunt, & qui non viderunt disciplinam IHUH Dei nostri*, id est qui non fuerunt de his coram edocti, & eruditi, *magnitudinem eius, &c.* Nos ex verbo expressimus: *Et cognoscetis hodie, quia non ad filios vestros* (subaudi, hæc spectant) *qui non cognoverunt, & qui non viderunt castigationem*, seu *eruditionem Iehovæ, &c.* DISCIPLINAM. מוסר *musar*, aiunt esse *disciplinam, castigationem, correptionem, eruditionem, correctionem, increpationem*, qua homines coercentur seu verbo, seu re; idest, quibus modis vos erudierit, corripuerit, instituerit post egressum ex AEgypto.

*V.* 6. CUM DOMIBUS ET TABERNACULIS. Hebr. *& domos eorum, & tentoria eorum*. Quidam secundum & pro *id est* accipiunt: *& domos eorum, id est tentoria eorum*. Nam Israelitæ in deserto non domos, sed tentoria seu thrichilas vel casas habebant more Arabum Scenitarum, quæ illis erant loco domorum. Alii, *domos eorum*, id est domesticos & familiares: quod Numer. XVI. vers. 32. *Et omnem hominem, qui ipsi Korach*. ET UNIVERSA SUBSTANTIA EORUM, QUAM HABEBANT, &c. De voce יקום *iekum*, quam Noster *substantiam* est interpretatus, diximus Genes. VII. vers. 4. Sed varie hunc locum reddunt. I. *Et omnem substantiam, quæ erat in pedibus eorum*; id est, quam habebant præsentem, vel quæ erat in potestate & in dominio eorum. Substantia enim eorum consistebat in armentis & gregibus. Pecunias hic & opes quidam Hebræorum intelligunt: nam pro *iekum* quod hic ponitur, Numer. XVI. vers. 32. scribitur רכוש *recusch*, Hispanice, *riqueza, divitiæ*. II. *Et omnia corpora viventia, quæ erant in pedibus eorum*; seu *quæ sequebantur eos*. Notant similem phrasim esse Exodi XI. vers. 8.

*V.* 7. OCULI VESTRI VIDERUNT; ac si dicat: Id plane singulare in vos beneficium est, quod hæc omnia tam ingentia opera, ætate vestra, vobis spectantibus, fruentibusque, edita sunt. Sic supra cap. IV. vers. 3.

*V.* 10. UBI IACTO SEMINE IN HORTORUM MOREM AQUAE DUCUNTUR IRRIGUAE. Hebr. *In qua seminabis semen tuum, & irrigabis in pede tuo, sicut hortum oleris*, vel *leguminis*. Quidam, *Irrigabis in pede tuo*, exponunt, humana opera & industria deducere aquas per fossas, rivos, aut sulcos, quo quis vult; quasi eam sensim & pedetentim deducere. Alii exponunt: *Ut irriges labore pedis tui*, id est deferendo aquam, aut rivos deducendo. Hispanice aquam continuam & perennem ex nativis fontibus, vel rivulis, aut fossis iugiter defluentem, vocamus *aqua de pie*, id est firmiter manantem. Notissimum ex auctoribus est AEgyptum imbribus carere, atque ex fossis, & rivis e Nilo ductis irrigari: unde Seneca Lib. IV. Naturalium Quæstionum cap. II. *Aut nulli imbres sunt, aut rari, & qui insuetam aquis cælestibus terram non adiuvent: quare*

.... *nec pluvio supplicat herba Iovi.*

Nec sine causa Moses adiecisse illud videtur, *Sicut hortum oleris*, vel *leguminis*, aut *viroris*: quod in AEgypto olera & legumina mire provenirent. Plinius Lib. XVIII. cap. VII. *Erumpunt a primo satu legumina quarto, vel cum tardissime septimo die; legumina in AEgypto tertio die.*

*V.* II.

*V.* 11. DE CAELO EXPECTANS PLUVIAS. Ac si dicat: Eo melior est Chanaan terra AEgypti, quod in AEgypto oporteat irrigari agros more hortorum; cum illic non pluat, sed Nilus certo anni tempore loco pluviæ totam terram sua inundatione irriget & fecundet; & extra illud tempus, arens terra, multo labore & opera, fossis & rivis e Nilo deductis humectetur. At terra Israel nullo labore bibit aquam ex pluviis cælestibus, quas Dominus tempore opportuno immittit.

*V.* 14. TEMPORANEAM. יורה *ioreh* aiunt esse *pluviam, quæ iacta semente decidit*, quam germinare facit, excitat, fecundat, & provehit: nempe pluviam autumnalem, quæ in principio anni, hoc est octobri, qui est Hebræis fere principium anni civilis, & sæcularis, post iactam sementem cadit, quæ sequitur culturam, & quæ antecedit collectionem proventuum. Quidam sic dictam volunt a proiiciendo, quod eo tempore cadat quo semina iniiciuntur & committuntur humo; vel quod impetu iaciatur e nubibus. Alii ab erudiendo & docendo, quod quasi doceat, erudiat, ac informet terram ad producendam sementem acceptam. Nec desunt qui a רוה *ravah* deducant, quod terras inebriet. Nonnulli *matutinam*; alii *primitivam*; plerique *temporaneam*, *tempestivam*, *præproperam* vertunt. Hispanicus Interpres, *temprana*. ET SEROTINAM. מלקוש *malkosch*, notant esse *pluviam, quæ serius cadit*, cum iam grandior est seges, & eam ingrossat: nempe quæ illo tempore decidit quo ea segetes ante maturitatem maxime opus habent: scilicet ubi sata iam in culmos & spicas succreverunt, ut grana turgescant & maturescant. Plerique *serotinam* interpretantur. Hispanicus Interpres, *tardia*. Alii, *collectionis frugum*: nempe quæ ante collectionem proventuum cadit. Nonnulli, *ficilimenti*; id est, quæ cadit post primam defalcationem, seu demessionem feni cordi, seu graminis luxuriantis. Quidam a לקש *lakasch* derivant, quod est *tardare* præsertim Chaldaice. Notant esse pluviam quæ mense martio, vel aprili, vel maio effunditur, pluviam verni temporis. Hebræi duas has pluvias ita distinguunt: יורה *ioreh*, *est pluvia mensis octobris descendens lente, non turbulenter, sensim erudiens terram ad acceptum semen producendum, sicut homo imbuit discipulum suum, doctrinam ipsi instillando*; מלקוש *malkosch est pluvia mensis mali, sic dicta quod fit* מלקשין *malkaschin, quasi circumcidens, & exscindens segetes, eas scilicet maturando, ut demetantur: aut* ממלא בקשה התבואה *memalle, hattebuah, bekaschcheah, implens fruges, seu proventus, existentes adhuc in stipulis sive calamis suis: quod spicas scilicet impleat, ac perficiat, granaque turgida reddat*. Aliqui observarunt, S. Iacobum allusisse ad utramque istam pluviam cap. v. vers. 7. & ita reddidisse: *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens in eum donec accipiat* ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον, id est *pluviam præproperam & seram*, seu *serotinam*.

*V.* 16. CAVETE. Hebr. *observati eritis, attendetis vobis*. Quidam putant huc allusisse Matthæum cap. VII. vers. 15. & Interpretem eius reddidisse, Προσέχετε, *Attendite a pseudo prophetis*. DECIPIATUR. Futuro פתה *iphteh* omnia ista subsunt, *persuadebitur, lactabitur, blandis verbis allicietur, inducetur, infatuabitur*, consentiente voce, *seducetur, blandescet, parvulescet, puerascet*. Vide Genes. IX. vers. 27.

*V.* 18. PONITE HAEC VERBA MEA, &c. Hunc versum habes supra cap. VI. vers. 6. & 8.

*V.* 19. DOCETE FILIOS VESTROS, &c. Hunc versum etiam habes cap. VI. vers. 7.

*V.* 20. SCRIBES EA SUPER POSTES, &c. Et hic quoque versus ponitur supra cap. VI. vers. 9.

*V.* 21. QUAMDIU CAELUM IMMINET TERRAE. Hebr. *sicut dies cæli super terram*; id est, quamdiu cælum erit, nempe in sæculum, seu in perpetuum: vel quam multi sunt dies cæli super terram: aut quamdiu cælum circum terram volvitur.

*V.* 24. A DESERTO, nempe magno illo Tzin, nimirum ab australi plaga versus Mare rubrum: de quo Numer. XIII. vers. 22. & Numer. XXXIII. vers. 36. ET A LIBANO. Septentrionalis limes. A FLUMINE MAGNO EUPHRATE. Hebr. *a fluvio fluvio Euphratis*. Euphrates antonomasice in Scriptura flumen, seu fluvius absolute vocatur: unde cum dixisset simpliciter *a fluvio*, adiecit exegesim, idest *a fluvio Euphratis*. Alii geminationem

istam

istam positam volunt ad indicandum maximum, & nobilissimum, ac celeberrimum fluvium esse Euphratem, terminum orientalem promissæ terræ. Vide Genes. xv. vers. 18. USQUE AD MARE OCCIDENTALE. Hebr. *usque ad mare posterius*, vel *posterum*, id est occidentale, seu Mediterraneum: nam ut Oriens pars anterior, sic Occidens posterior pars dicitur. Sic infra cap. XXXIV. vers. 2. Nam sic esse intelligendum arguit interpretatio Iosue I. vers. 4. & cap. XIII. vers. 4. Vide de his terminis terræ promissæ supra cap. I. vers. 7. Numer. XXXIV. vers. 2. & seqq.

*V.* 25. TERROREM VESTRUM ET FORMIDINEM, &c. Vide supra cap. II. vers. 25.

*V.* 29. PONES BENEDICTIONEM. Hebr. *Et dabis*, seu *edes benedictionem*, scilicet publice, audiente populo. Describitur autem benedictio, & maledictio infra cap. XXVII. & XXVIII. quæ a Iosue executioni mandatur, Iosue VIII. vers. 33. & seqq. SUPER MONTEM GARIZIM .... SUPER MONTEM HEBAL. Situm duorum istorum montium accurate describit Moses vers. seq. 30. nempe esse trans, seu ultra Iordanem, videlicet respectu situs locorum ubi tunc Israelitæ manebant, & ubi ipse hæc scribebat, post viam regiam; tendentem ad solis occasum, nempe versus mare Mediterraneum; in terra Chananæi, qui habitabat in campestribus prope Galgalam, & prope Elone Moreh. Atqui utrumque montem non longe abesse a Sichem, ex situ horum locorum quæ hic describit Moses, manifestissime liquet: nam & Chananæus habitabat in terra Sichem, & Elone Moreh non procul distabat a Sichem. Genes. XII. vers. 6. *Et transivit Abram in terra usque ad locum Sechem usque ad Elon Moreh: & Chananæus tunc erat in terra.* Iosephus Lib. IV. Antiquit. cap. VIII. *Non procul a Sicinis urbe, inter duos montes, dextrum Garizæum, sinistrum Gibalem.* Et Lib. V. cap. IX. *Conscenso monte Garizæo, qui Sicimis imminet.* Itinerarium Burdegalense: *Civitas Neapolis, ibi est mons Agazeren.* Damascius in Bibliotheca Photii, column. 1055. *Neapolis in Palæstina iuxta montem, cui nomen Hargarizus.* Iunxit duas voces Hebræas, הר *har*, id est mons, & גרזים *Gerizim*. Auctor Locorum Hebraicorum Novi Testamenti: *Sichem civitas Iacob, nunc Neapolis dicta, iuxta sepulcrum Ioseph: quæ a filio Emor sui regis vocabulum sumpsit: iuxta quam Dominus Samaritanæ mulieri loquitur ad fontem: ubi nunc Ecclesia fabricata est, ex latere montis Garizim.* Beniamin Tudelensis in Itinerario, pag. 39. *A Sebaste, seu Samaria duabus leucis Nebilas* (forte Neapolis) *distat, Sichem olim dicta, in monte Epraim, ubi nulli Iudæi sunt: iacetque urbs in profunda valle inter Gerizim, & Hebal montes: in qua Cuthæi circiter centum sunt, solius Mosaicæ legis tantum observatores* (*hos, uti dixi, Samaritanos appellant.*) *Faciunt autem sacrificia & incendunt holocausta in synagoga, quam habent in monte Garizim, citantes illud quod scriptum est in lege: Et dabis benedictionem super montem Garizim. Est autem Garizim mons fontibus, & hortis amœnus; contra vero Ghebal aridus, saxis & lapidibus plenus: atque inter utrumque, uti diximus, urbs ipsa Sichem sita est.* Brocardus: *Sichem, quæ hodie Neapolis vocatur, amœnitate, & deliciis nullo loco inferior. Haud longe a porta eius australi est fons Iacob, in via quæ ducit Ierusalem, ubi Dominus sedens super puteum potum postulavit a muliere Samaritana. Supra fontem istum ad dexteram est mons Excelsus, habens duo capita, quorum unum est mons Garizim, aliud mons Ebal: de quibus in Deuteronomio legimus.* Eadem habet alter Brocardus de Monte Sion. Et vero Garizim tam prope abfuisse a Sichem, ut in ea urbe posset recte exaudiri vox loquentis ex eo monte, diserte scribitur Iudic. IX. vers. 7. Nec dubium est, quin Samaritana loquens cum Christo ad fontem Sichem, proximum montem digito demonstrarit, ipsum scilicet Garizim, dicens: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*, Ioan. IV. vers. 20. Atqui Hebræorum, Samaritanorum, & nostrorum omnium sacrorum topographorum consensio est, montes Garizim, & Hebal prope Sichem esse: & Scriptura mire consentit. Quæ cum ita sint, mirum, Eusebium, & S. Hieronymum in locis Hebraicis ista perscripsisse: *Ghebal mons in terra repromissionis, ubi ad imperium Moysi altare constructum est. Sunt autem iuxta Hierichum duo montes vicini contra se invicem respicientes: e quibus unus Garizim, alter Ghebal dicitur. Porro Samaritani arbitrantur*

*tur hos duos montes iuxta Neapolim esse; sed vehementer errant: plurimum enim inter se distant, nec possunt invicem benedicentium, sive maledicentium inter se audiri voces, quod Scriptura commemorat. Garizim mons, super quem steterunt qui maledicta resonabant, iuxta supradictum montem Ghebal. Golgol, quæ & Galgal, iuxta quam montes esse scribuntur Garizim, & Ghebal. Galgal autem locus est iuxta Hiericho. Errant igitur Samaritani qui iuxta Neapolim Garizim, & Ghebal montes ostendere volunt; cum ipsos iuxta Galgal esse Scriptura testetur.* In eamdem sententiam S. Epiphanius Heresi IX. *Nam si quis exacte de monte Garizim perscrutari velit, huic sciendum est, quod ad Ierichuntem siti sunt duo montes, cum Garizim, tum Hebal, trans Iordanem ad orientem Hierichuntis.* Sed multo verius est quod antea diximus. Vide ea de re Diatribam apud Masium in Iosue VIII. ex quo alii. De Galgala dicemus Iosue IV. vers. 19. & cap. V. vers. 9. Quidam Garizim plurale faciunt, ad montem Garizimorum: & ab excidendo dictum volunt, quod in eo fortasse multa & pulchra ligna exciderentur; aut essent in eo lapicidinæ insignes.

*V.* 30. CONTRA GALGALAM. Galgal quidem non procul aberat a Iordane; sed מול *mul*, *e regione*, *contra*, *ante*, *versus*, etiam de regionibus dissitis procul inter se, dici annotant. Sic campestria Moab dicuntur esse מול *mul*, e *regione* Maris rubri, supra cap. I. vers. I. cum procul abessent. Vide ibi. IUXTA VALLEM TENDENTEM ET INTRANTEM PROCUL. Heb. *iuxta*, *prope*, *penes*, *apud Elone Moreh*. Diximus de Elone Moreh accurate Genes. XII. vers. 6. satis constat vel fuisse Sichem, vel non procul, ut ibidem dicitur. Hic varie convertunt. 1. *arbores Moreh*; 2. *campestria Moreh*; 3. *planitiem Moreh*; 4. *quercus*, *querceta Moreh*; 5. *ilices*, *iliceta Moreh*; 6. *alnos Moreh*. Noster מורה *moreh*, ut nomen appellativum a ראה *raah* deduxit, intellexitque *planitiem*, *seu vallem longo tractu protensam & conspicuam*.

## MENOCHII.

*Vers.* 2. COGNOSCITE, id est considerate. DISCIPLINAM, castigationem qua vos Deus erudivit.

*V.* 4. DELEVERIT EOS: AEgyptios. USQUE IN PRAESENTEM DIEM, omnino, ita ut nunc nemo superstes sit qui vobis noceat.

*V.* 6. FILIUS RUBEN, de tribu Ruben. CUM DOMIBUS, cum filiis, & familia.

*V.* 8. UT CUSTODIATIS UNIVERSA MANDATA EIUS; hoc est, quæ res vobis stimulo esse debet ad Dei mandata custodienda.

*V.* 10. UBI .... AQUAE DUCUNTUR IRRIGUAE. Hebr. *Quam rigabas pede sicut hortum*, labore pedum, dum aqua portatur; vel dum huc illuc pedibus discurrendum, ut aqua areolas omnes hortorum infundat. Vidi in hortis olitores, dum per sulcos ad sua olera derivant, pedis opposita vel aquam sistentes, vel alio deflectentes.

*V.* 11. DE CAELO EXPECTANS PLUVIAM, quæ si suis adsit temporibus, utilior satis est, & arboribus. Hebr. *De pluvia cæli bibit aquam*. DEUS SEMPER INVISIT, quasi intentus ad bene faciendum illi temporibus opportunis.

*V.* 14. TEMPORANEAM, ET SEROTINAM. Pluvia temporanea est quæ mature, & tempestive mense octobri, iactis in terram seminibus, in Iudæa depluit, & semina germinare facit. Serotina est quæ sero mense aprili, aut maio depluit, frugesque, & fructus ad maturitatem perducit. Significat ergo hæc phrasis omnem pluviam tempestivam opportunam frugibus.

*V.* 18. SUSPENDITE EA PRO SIGNO: assidue ea vobis proponite. Vide dicta cap. VI. num. 8.

*V.* 19. QUANDO SEDERIS IN DOMO TUA, &c. ubique, omni tempore, & loco.

*V.* 21. QUAMDIU CAELUM IMMINET TERRAE. Proverbialis forma dicendi: significat *in æternum*. In Hebr. est, *Iuxta dies cæli super terram*.

*V.* 22. VIIS EIUS, mandatis eius.

*V.* 24. OMNIS LOCUS QUEM CALCAVERIT PES VESTER, VESTER ERIT. Intellige intra terminos illis a Deo assignatos: neque enim totam terram, vel quidquid ubivis terrarum vestigio premerent, voluit Deus illorum possessioni adscribi, ut suo more Rabbini somniant.

*V.* 26. PROPONO: optionem do.

*V.* 29. PONES BENEDICTIONEM SU-

SUPER MONTEM GARIZIM, MALEDICTIONEM SUPER MONTEM HEBAL. Cum Iſraelitæ perveniſſent in montem Hebal, ſex tribus in eo conſtiterunt, aliæ ſex in proximo iugo montis Garizim. Interim ſacerdotes inter utrumque iugum conſiſtentes, modo benedictiones in obſervatores legis, modo maledictiones, & diras in eam violantes iaciebant, populus vero ad ſingulas ſive maledictiones, ſive benedictiones reſpondebat, Amen. Cum ergo benedictio pronuntiata fuerat, munus reſpondendi pertinebat ad eos qui erant in monte Garizim; cum maledictio, ad eos qui erant in iugo Hebal. Itaque, *Pones benedictionem, & maledictionem*, idem eſt ac benedicentes, aut maledicentes, ut explicatum eſt. Vide infra cap. XXVII. & Ioſue cap. VIII. a num. 30. uſque ad finem.

*V.* 30. IUXTA VALLEM TENDENTEM, ET INTRANTEM PROCUL; hoc eſt, iuxta Aulon vallem in ingentem quamdam longitudinem protenſam. Hæc vallis illa eſt quæ Geneſ. XIII. 6. vocatur *Convallis illuſtris*.

## TIRINI.

*Verſ.* 10. UBI IACTO SEMINE, quod in AEgypto fit poſt Nili inundationem, IN HORTORUM MOREM AQUAE DUCUNTUR IRRIGUAE. Ergo præter inundationem Nili ſpontaneam, quæ incipit a ſolſtitio æſtivo collecta iam meſſe, duratque fere centum diebus, nempe uſque ad æquinoctium autumnale, teſte Plinio, Diodoro Siculo, & Herodoto *a*; alia opus eſt AEgyptiis irrigatione, ſat moleſta & laborioſa, qua delapſis iam Nili aquis, & novo ſemine terræ limoſæ commiſſo, neceſſum eſt agros ſubinde arte irrigari. Hunc in finem foſſæ ubique ductæ, quibus varias in partes per totam AEgyptum Nilus derivatur, teſtibus iam citatis, itemque Iuſtino, & nuperrime Duce Radzivilio inſpectore oculato: qui addit, traditionem eſſe, foſſas illas ab Hebræis cum in AEgypto ſervirent, effoſſas eſſe; & quidem aggeribus, & cataractis ita munitas, ut aquas Nili præpropere, ut ſubinde fit, defluentes retinere poſſint quamdiu libuerit; quin & inſigni artificio ad altiora etiam remotioraque AEgypti loca, quo exundatio fluminis alioqui non pertingeret, aquas tranſmittunt, quæ abſque illis exſucca & prorſus ſterilia permanerent. Porro has foſſas in quas Nilus ita exæſtuat, longa vetuſtate oblimatas Auguſtus Cæſar militari opere detерſit, inquit Suetonius *b*. Ex his ergo foſſis hauſta aqua ſæpius irrigandi ſunt agri ſemine iam conſiti, hauriunt autem variis inſtrumentis ſeu machinis, quas Diodorus Siculus *c* dicit ab Archimede Syracuſio adinventas fuiſſe, & a figura *Cochlcas* vocari. Sed poſteris hæ cochleæ deſervire potuerunt. Hebræorum tempore, & quod ad Archimedem uſque excurrit, videntur AEgyptii alio uſi inſtrumento ſeu truſatili, ſeu rotatili, quod manibus, pedibuſve impellerent ad irrigationem illam perficiendam: nam in Hebræo, Chaldæo, & LXX. hic additur, irrigationem illam *pede* fieri, hoc eſt, inſtrumentis pede adactis.

Sed quid opus hac artificioſa, laborioſaque irrigatione, ſaltem iis AEgypti locis quæ Nilus antea ſponte ſua inundarat, & oblimarat? Reſpondeo. Quia limus ille quem recedens Nilus relinquit, etſi ſat humidus ſit ut ſemen iniectum excipere, fovere, & aliquanto tempore nutrire poſſit; poſt paulo tamen per ardorem ſolis humore exſucto, cum raræ admodum, &, ſi Platoni, Plinio, Straboni, Herodoto, Philoni, Claudiano, Philoſtrato, & Pierio *d* credimus, nullæ ſint pluviæ, ſaltem in illa AEgypti regione; limus nimis indureſceret, neque ſemina excludere poſſet, niſi eiuſmodi irrigatione ſubinde humectaretur.

Petes: Quando uvas colligunt AEgyptii, & vindemiam faciunt, cum a ſolſtitio æſtivo uſque ad æquinoctium, ſaltem tempore vindemiæ, teſte Eccleſiaſtico cap. XXIV. verſ. 37. aquæ omnem terram obtineant? Herodotus *e* dicit, AEgyptum vitibus vinoque carere. Sed veriſimilius eſt, vina aliqua, ſed minus generoſa, iſtic colligi, & ſaltem lintribus ac cymbis vites adiri poſſe. Vide Macrobium, & Alexandrum Aphrodiſæum *f*.

*V.* 24. OMNIS LOCUS QUEM CALCAVERIT PES VESTER, VESTER ERIT. Ex hoc, & ſimili loco Ioſue I. verſ. 3. Thalmudici Rabbini ſomniarunt, voluiſſe Deum poſſeſſioni Iudæorum adſcribi quidquid ubivis terrarum veſtigio ſuo

ſuo premerent. Sed certum eſt ex iis quæ mox ſubduntur, id reſtringi intra terminos illis in terra promiſſa aſſignatos, & quidem non niſi ſub conditione, ſi divinis mandatis eſſent obſequentes, ut dixi cap. I. verſ. 7.

*V.* 29. PONES BENEDICTIONEM SUPER MONTEM GARIZIM, &c. Hoc eſt, eos qui benedictionem proclamabunt, pones a dextris in monte Garizim; qui vero maledictionem, a ſiniſtris in monte Hebal. Qua ratione id factum, vide infra cap. XXVII.

*V.* 30. IN CAMPESTRIBUS CONTRA GALGALAM, ſeu e regione & iuxta Galgalam, ubi Ioſue ſecundam fecit Hebræorum circumciſionem, & Paſcha celebravit tertium ab egreſſu ex AEgypto, Ioſue IV. & V. Erat hæc iuxta Iericho, & IUXTA VALLEM TENDENTEM, ET INTRANTEM PROCUL: Hebraice eſt, *iuxta Elon More*, id eſt iuxta Aulon vallem in ingentem quamdam longitudinem protenſam. Hæc vallis Gen. XII. verſ. 6. vocatur *Convallis illuſtris*.

(*a*) Plin. Lib. V. cap. IX. & Lib. XVIII. cap. XVIII. Diod. Lib. I. Herodot. in Euterpe.
(*b*) Sueton. in Auguſt. cap. XVIII.
(*c*) Diod. ſupra de AEgypto.
(*d*) Plato in Eponomide Plin. in Panegyr. ad Traianum, & ſupra. Strabo Lib. III. Herod. ſupra. Philo Lib. I. & III. de Moyſe. Claud. Carmine de Nilo. Philoſtrat. apud Pierium in Hieroglyph. Lib. XLVI. de Nilo.
(*e*) Herod. ſupra.
(*f*) Macrob. Lib. VII. Saturnal. cap. VIII. Aphrodiſ. Problem. Lib. I.

## GORDONI.

*Verſ.* 3. COGNOSCITE HODIE QUAE IGNORANT FILII VESTRI, &c. Alloquitur eos qui infra vigeſimum annum egreſſi ſunt AEgyptum, & nunc ſunt ſeniores, & quorum filii non viderunt illa Dei magnalia.

*V.* 6. DATHAN ATQUE ABIRON.... ELIAB.... FILIUS RUBEN; certe mediatus, ſeu nepos, ex Num. XXVI. De hac vero hiſtoria Dathan, vide Num. cap. XVI. Septuaginta in melioribus codicibus, pro *ſubſtantia* habent ὑπόςασιν; qui tamen, ut dixi Geneſ. VII. verſ. 4., pro ſubſtantia poſuerunt ἀνάςημα, quamvis tam ibi, quam hoc loco ſit in Hebr. יקום *iekum*, ut ibidem obſervavi.

*V.* 10. TERRA ENIM, &c. Non aſſerit Moſes, nuſquam eſſe pluvias in AEgypto, ſed fertilitatis maximam partem eſſe ab inundatione Nili: non ſic in terra promiſſa. Ceterum docent Recentiores, in AEgypto eſſe quidem aliquando pluvias, ſed rariſſimas. Adricomius, & Torniellus, ad annum 2320. Vide Hieron. Ezech. XXIV. his conſentientem. Hinc Moſes verſ. 13. & 14. hortatur ad timorem Dei, a quo eſt pluvia, & neceſſaria terræ promiſſæ.

*V.* 14. Pluviam hic promittit opportunam ad fertilitatem. Et verſ. 21. multiplicatio promittitur quamdiu cælum terræ imminebit, utique ſi non peccabit populus, uti indicant ſubſequentia. Illud vero de pluvia temporanea, & ſerotina, non male aliqui interpretantur de menſibus octobris, & aprilis, quando iaciuntur ſemina, & fruges matureſcunt.

*V.* 21. QUAMDIU CAELUM. Hebr. *ſicut dies cæli*; hoc eſt, ſecundum eorum durationem.

*V.* 24. OMNIS TERRA, ſcilicet intra hos quatuor terminos. Nec ſtatim hoc factum, peccante ſæpius populo. Quando autem ad hos terminos ventum ſit, vide Exod. cap. XXIII.

*V.* 26. BENEDICTIONEM, ET MALEDICTIONEM: felicitatem, & miſeriam.

*V.* 29. GARIZIM, & HEBAL ſunt duo vicini montes in tribu Ephraim, iuxta Sichimam. In uno ponenda benedictio, in altero maledictio: illa in ſervantes legem, iſta in tranſgeſſores. Quomodo autem hoc totum fieri debeat, docet Moſes cap. XXVII. Et mandatum eſt hoc executioni Ioſue cap. VIII. verſ. 30. Vide Ioſephum Lib. IV. Antiq. cap. ult. & Lib. V. cap. I. Locus deſcribitur hic verſ. 30.

*V.* 30. Notat vallem magnam, & pulchram: & Gen. XII. verſ. 6. vocatur *Illuſtris*. Eſt iuxta Sichem: ſecundum alios, iuxta Iericho. Vide Hierem. cap. XXVII. & Ioſue VIII.



## CAPUT XII.

*Præcipit exterminari idololatriam, decimas ac primitias reddi, ſacrificia certo loco exolvi, & comedi, ſanguinemque vitari.*

1. HAEc ſunt præcepta atque iudicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus eſt tibi,
ut poſſideas eam cunctis diebus quibus ſuper humum gradieris.
2. Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas poſſeſſuri eſtis, deos ſuos ſuper montes excelſos,
& colles, & ſubter omne lignum frondoſum. 3. (a) * Diſſipate aras eorum, & confringite ſtatuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: diſperdite nomina eorum de locis illis. 4. Non facietis ita Domino Deo veſtro: 5. ſed ad locum quem elegerit Dominus Deus
veſter de cunctis tribubus veſtris, ut ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo,
venietis: 6. & offeretis in loco illo holocauſta & victimas veſtras, decimas &
primitias manuum veſtrarum, & vota atque donaria, primogenita boum &
ovium. 7. Et comedetis ibi in conſpectu Domini Dei veſtri: ac lætabimini in
cunctis ad quæ miſeritis manum vos & domus veſtræ, in quibus benedixerit
vobis Dominus Deus veſter. 8. Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie,
ſinguli quod ſibi rectum videtur. 9. Neque enim uſque in præſens tempus veniſtis ad requiem, & poſſeſſionem, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis.
10. Tranſibitis Iordanem, & habitabitis in terra, quam Dominus Deus veſter
daturus eſt vobis, ut requieſcatis a cunctis hoſtibus per circuitum: & abſque
ullo timore habitetis 11. in loco quem elegerit Dominus Deus veſter, ut ſit nomen eius in eo: illuc omnia quæ præcipio, conferetis, holocauſta, & hoſtias,
ac decimas, & primitias manuum veſtrarum: & quidquid præcipuum eſt in muneribus, * quæ vovebitis Domino. 12. Ibi epulabimini coram Domino Deo veſtro, vos & filii ac filiæ veſtræ, famuli & famulæ, atque Levites * qui in urbibus veſtris commoratur: neque enim habet aliam partem, & poſſeſſionem inter
vos. 13. Cave ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris; 14. ſed
in eo, quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum offeres hoſtias, & facies quæcumque præcipio tibi. 15. Sin autem comedere volueris, & te eſus carnium delectaverit, occide, & comede iuxta benedictionem Domini Dei tui, quam
dedit tibi in urbibus tuis: ſive immundum fuerit, * hoc eſt maculatum & debile; ſive mundum, hoc eſt integrum & ſine macula, quod offerri licet, ſicut
capream & cervum, comedes, 16. abſque eſu dumtaxat ſanguinis, quem ſuper
terram quaſi aquam effundes. 17. Non poteris comedere in oppidis tuis decimam
frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorum & pecorum, & omnia
quæ voveris, & ſponte offerre volueris, & primitias manuum tuarum: 18. ſed
coram Domino Deo tuo comedes ea, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus,
tu & filius tuus & filia tua, & ſervus & famula, atque Levites qui manet in
urbibus tuis: & lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo, in cunctis ad

quæ

quæ extenderis manum tuam. 19. Cave ne derelinquas Levitem in omni tempore quo versaris in terra. 20. (*b*) Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, (*c*) sicut locutus est tibi, & volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua. 21. † locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus ut sit nomen eius ibi, si procul fuerit, occides de armentis & pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, ut tibi placet. 22. Sicut comeditur caprea & cervus, ita vesceris eis: & mundus & immundus in commune vescentur. 23. Hoc solum cave, ne sanguinem comedas: sanguis enim eorum pro anima est: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus; 24. sed super terram fundes quasi aquam, 25. ut bene sit tibi & filiis tuis post te, cum feceris quod placet in conspectu Domini. 26. Quæ autem sanctificaveris, & voveris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus: 27. & offeres oblationes tuas carnem & sanguinem super altare Domini Dei tui: sanguinem hostiarum fundes in altari; carnibus autem ipse vesceris. 28. Observa & audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi & filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris quod bonum est & placitum in conspectu Domini Dei tui. 29. (*d*) Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, * ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaveris in terra earum: 30. cave ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversæ, & requiras cæremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam. 31. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni. 32. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.

(*a*) Sup. VII. 25. II. Mach. XII. 40. (*b*) Gen. XXVIII. 14. (*c*) Exod. XXXIV. 24. Inf. XIX. 8. (*d*) Inf. XIX. 1.

## BRUGENSIS

### Romanae Correctiones.

V. 3. *Dissipate aras eorum*. Interpres vertit masculinum *eorum*, non femininum *earum*. Similiter ubi sequitur, *Disperdite nomina eorum de locis illis*, Hebræa ambigua permittunt utrumque, ut vel ad *gentes* referas, vel ad *deos*.

V. 11. *Quæ vovebitis Domino*. Non est mutandum futurum *vovebitis* in præteritum *vovistis*.

V. 12. *Qui in urbibus vestris commoratur*. Nequaquam scribendum est plurale *commorantur* pro singulari *commoratur*.

V. 15. *Hoc est maculatum, & debile*. Non est hoc omittendum quod Interpres explicationis causa addidit.

V. 29. *Ad quas ingredieris possidendas*. Correctores hic futurum prætulerunt præsenti *ingrederis*.

### Lectionum Varietas.

V. 21. *Locus autem... si procul fuerit*. Clarior est oratio, omissa coniunctione *si*.

## COMMENTARIA

### S A.

*Vers.* 4. Ita, scilicet ut gentes quovis loco sacrificantes, &c.

*V.* 6. Manum, id est manibus oblatas, vel manuum labore provenientes.

*V.* 7. Laetabimini, id est prosperabimini.

*V.* 11. Quidquid praecipuum, &c. Hebr. *omnem electionem votorum vestrorum;*

*rum*; id eft, quidquid ex animi electione voveritis. Chald. *omnia optima votorum veftrorum*. LXX. *omne electum donorum veftrorum*, &c.

*V.* 12. EPULABIMINI. Hebr. Chald. & LXX. *lætabimini*.

*V.* 15. BENEDICTIONEM, id eft opes. SIVE IMMUNDUM, &c. Chald. & LXX. *Tam immundus quam mundus comedet eam, ficut capream*, &c. & fic Nofter vertit infra locum fimilem. CAPREAM ET CERVUM, quæ fcilicet animalia munda, quibus vefci licet, etfi non offerre.

*V.* 16. QUASI AQUAM, id eft totum, ut nec gutta remaneat.

*V.* 17. DECIMAM. Vide inf. cap. XIV. quam liceret comedi.

*V.* 19. DERELINQUAS, id eft deferas.

*V.* 23. PRO ANIMA EST; quafi dicat: Eo vita alitur, & confervatur.

*V.* 30. CAEREMONIAS. Hebr. Chald. & LXX. *deos*.

*V.* 32. TANTUM FACITO; id eft, ne quid aliter facias, addendo, aut minuendo, ut ftatim dicitur: alioqui non effet locus Chrifti præceptis legi additis, quæ tamen non funt contraria iis quæ hic præcipiuntur.

## ESTII.

*Verf.* 2. SUBVERTITE OMNIA LOCA IN QUIBUS COLUERUNT GENTES...DEOS SUOS. Huius præcepti triplex eft ratio. Prima ob deteftationem idolomaniæ, & dæmonolatriæ. Secunda, ne populus Ifraeliticus retinens ea loca incitaretur ad fimilem cultum: unde dicitur: *Non facietis ita Domino Deo veftro*. Tertia, quia populo illi non licebat ubilibet templa Deo extruere; fed unicum futurum erat templum, & unicus locus in quo Deus erat oblatione facrificiorum colendus: ideoque cetera omnia templa, delubra, & luci deftruendi erant. Unde dicitur: *Sed ad locum quem elegerit Dominus Deus vefter... venietis*.

*V.* 8. & 9. NON FACIETIS IBI QUAE NOS HIC FACIMUS HODIE, SINGULI QUOD SIBI RECTUM VIDETUR. Non fignificatur quod populus tunc ad libitum excogitabat cæremonias colendi Dei; fed fenfus eft, non certo loco facrificantes, fed nunc hoc, nunc illo loco, quia adhuc fumus in deferto: mox enim fubiungitur: NEQUE ENIM USQUE IN PRAESENS TEMPUS VENISTIS AD REQUIEM. Hoc ergo fignificatur quod tunc nondum poterant omnia quæ præfcripta erant, exacte fervari, maxime quo ad locum; fed quod cuncta exacte fervanda effent, poftquam perveniffent ad terram promiffam.

*V.* 30. 31. SICUT COLUERUNT GENTES ISTAE DEOS SUOS, ITA ET EGO COLAM. NON FACIES SIMILITER DOMINO DEO TUO. Duo prohibentur, cultus idolorum, & ufus cæremoniarum ethnicarum, etiamfi adhiberentur ad cultum unius Dei; quafi dicat: Cave ne talibus cæremoniis Deum tuum colas, qualibus gentes iftæ coluerunt Deos fuos. Hunc enim fenfum declarat, quod dicitur: *Non facies fimiliter Domino Deo tuo*; id eft, non talibus cæremoniis eum coles: quia, ut fequitur, fuerunt cæremoniæ abominabiles. Unde & noluit Deus fibi lucos fieri, aut facrificia exhiberi fub omni ligno frondofo, fed in uno loco tantum. Hinc ergo manifeftum eft, cæremonias Iudaicas non effe petitas ex gentilitate, fed ab ipfo Deo inftitutas, ut patet Deuter. IV. ubi fic legitur: *Quæ eft enim alia gens fic inclyta, ut habeat cæremonias iuftaque iudicia*, &c. Ex quibus verbis manifeftum eft, populum Ifraeliticum etiam cæremoniis ab aliis nationibus fuiffe diftinctum.

*V.* 32. QUOD PRAECIPIO TIBI, HOC TANTUM FACITO DOMINO: NEC ADDAS QUICQUAM, NEC MINUAS. Hoc de cultu Dei dicitur. Non enim ait abfolute, aut generatim, *Hoc tantum facito*; fed, *Hoc tantum facito Domino*, id eft in cultu Dei, feu in colendo Deo. Vide etiam fupra cap. IV. verf. 2.

## MARIANAE.

*Verf.* 2. DEOS SUOS. Regitur hæc vox a verbo *coluerunt*: ordo inverfus Hebr. fed Hieronymus bene reddidit. FRONDOSUM. Pagn. *viride*: utrumque vox Hebr. *rahanam* fignificat.

*V.* 4. NON FACIETIS ITA: ut fcilicet in variis locis, & fub omni arbore Deum colatis.

*V.* 6. PRIMITIAS MANUUM VESTRARUM offeretis in loco quem elegerit

rit Deus. Pro voce *terumah* semper Hieronymus vertit *primitias*, alii *oblationem manuum vestrarum*.

*V.* 7. MISERITIS MANUM, id est extenderitis. Omnia vobis prospere cedent: sic vertit vers. 18. idem Hieronymus, *In cunctis ad quæ extenderis manum tuam*.

*V.* 8. SINGULI QUOD SIBI RECTUM VIDETUR. Hebr. *singuli* tantum; & loquitur de sacrificiis quæ in multis locis offerebant, ubi quisque volebat: quod fieri deinceps vetat.

*V.* 11. DECIMAS. Hebr. *decimas vestras*. Sed qui poterant ex omni agro Ierosolymam conferre omnes decimas? Quidam Hebræus explicat de secunda decima, quæ certe dabatur summo sacerdoti decima decimæ.

*V.* 12. IBI EPULABIMINI. Hebr. *Et lætabimini coram Domino*; sic Sept. Itaque non loquitur de epulis tantum.

*V.* 15. OCCIDE, ET COMEDE. Hebr. תזבח *thisbah*: quæ vox proprie significat *sacrificare*: atque ita Sept. *Sacrificabis*, & *comedes*. Sed melius Hieronymus accepit in significatione occidendi & mactandi: neque enim in aliis locis sacrificare poterant, nisi Ierosolymæ. Ergo hic agit de esu carnium quæ Deo non offerebantur.

*V.* 20. ET VOLUERIS VESCI CARNIBUS, QUAS DESIDERAT ANIMA TUA. Oratio defectiva. Hebraice clarius: *In omni desiderio animæ tuæ comedes carnes*.

*V.* 23. SANGUIS ENIM PRO ANIMA EST. Hebr. *Quoniam sanguis est anima*, hoc est sedes animæ; quod Noster dixit *Pro anima est*. NON DEBES ANIMAM COMEDERE CUM CARNIBUS. Hoc referunt ad ipsum sanguinem, quem dixit animam esse. Hebr. Schol. *Ne membrum a vivente animali ad esum præscindatur*.

*V.* 29. QUANDO DISPERDIDERIT DOMINUS DEUS TUUS ANTE FACIEM TUAM GENTES. Non idem ordo Hebraice: *Quando disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quas tu ingredieris eo, ad possidendum eas a conspectu tuo*. Quem ordinem secuti sunt Sept. sed melius Hieronymus posuit. Verum cum vox ירש *iaras* significet tum *possidere hereditareque*, tum *expellere*; Chald. propter ordinem litteræ posteriorem significationem secutus, dixit: *Cum disperdiderit Dominus populos, ad quos tu ingredieris, ut eiicias eos a facie tua*.

*V.* 30. CAVE NE IMITERIS EAS: Hebr. *ne illaqueeris post eas*: ne decipiaris.

*V.* 31. NON FACIES SIMILITER DOMINO. Non solum non coles Deos alienos, sed nec cultum eorum Deo exhibeas.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. CUNCTIS DIEBUS. Istud quidam per hyperbaton iungunt priori membro, *Quæ facere debetis cunctis diebus, quibus super terram illam vivitis*, non cum proximo, *Ut possideas eam cunctis diebus*, &c.

*V.* 2. OMNIA LOCA, id est templa, ædes, fana, delubra, sacella, aras, &c. ET SUBTER OMNE LIGNUM FRONDOSUM. Gentiles solebant impia sua sacra sub arboribus peragere: immo arbores ipsas diis consecrabant, instarque numinum colebant. Plinius Lib. XII. cap. 1. de arboribus: *Hæc fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura, etiam nunc deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos, & in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata perpetuo servantur: ut Iovi esculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus*. Claudianus Lib. de laudibus Stilichonis:

*..... & robora numinis instar.*

Maximus Tyrius: *Celtæ excelsam quercum coluere, & Iovis nomine solemniter appellarunt*. Sulpitius Severus in Vita S. Martini cap. x. auctor est, S. Martinum succidisse arborem fano gentilium proximam, diis dicatam. Et in Legibus Longobardorum hæc est Luitprandi regis: *Qui ad arborem, quam rustici sanctivum vocant, adoraverit*, vel *incantationes fecerit, componat medietatem sui pretii in sacro palatio*. Vide quæ de lucis notavimus supra cap. VII. vers. 5.

*V.* 4. NON FACIETIS ITA DOMINO DEO VESTRO, id est talia qualia faciunt Gentes, colentes deos suos variis locis, prout eis libitum fuerit; quasi dicat: Non ubicumque libuerit coletis eum; sed conferetis vos ad locum, &c. Quidam exponunt, *Non facietis*; id est, non sacrificabitis. Recte.

*V.* 5.

*V.* 5. AD LOCUM QUEM ELEGERIT DOMINUS. Hunc tandem fuiſſe Ieroſolymis, conſtructo templo, conſtitutum, liquet e II. Samuel. VII. & cap. XXIV. & I. Paralipom. XXII. UT PONAT NOMEN SUUM IBI. Notant, ſæpius repeti hanc phraſim a Moſe in hoc libro, ut infra verſ. 11. 21. cap. XIV. verſ. 23. & cap. XVI. verſ. 2. 6. 11. voluntque hic nomen Dei ſignificare arcam fœderis, ubi Deus ipſe reſponſa dabat populo ſuo, & invocantem exaudiebat, præſentiæ & maieſtatis eius ſignum. Sic arcam aiunt vocari *faciem Dei*, immo ipsum IHUH, *regem gloriæ*, Pſalm. XXIII. verſ. 6. 7. & ſeqq. & Pſalm. XCIV. verſ. 6. Pſalm. CIV. verſ. 4. item *fortitudinem*, *gloriam*, Pſal. lxxvii. verſ. 61. quaſi dicat: Ad locum quem elegerit IHUH Deus tuus, ut ponat, ſeu habitare faciat nomen ſuum ibi; id eſt, ut ibi arca fœderis eius collocetur, coram qua offeratis omnia quæ iubet. Sic Ieremiæ VII. verſ. 12. *Ite quæſo, ad locum meum, qui erat in Silo, ubi habitare feci nomen meum*, id eſt arcam meam, *in principio*. Alii *nomen ſuum* hic accipiunt pro fama, gloria, maieſtate; quaſi dicat: Ad locum ubi potiſſimum Deus nominetur, famamque ac gloriam ſuæ maieſtatis ac præſentiæ oſtendat, ubi celebretur. Sed rectius, ut hic metonymice *nomen ſuum* ſignificet veram invocationem & cultum nominis Dei; ac ſi dicat: Ad locum ubi nomen ſuum rite ac ſolemniter invocetur, in quo conſtituat ſacrum cultum ſuum. ET HABITET IN EO, VENIETIS. Quidam reddunt: *In habitatione eius exquiritote eum, cum veneris illuc*: puta in eam terram de qua verſ. 1. Sed melius, in locum electum a Domino.

*V.* 7. ET COMEDETIS, ſcilicet de his quibus offerentes iure veſci poterant. AC LAETABIMINI IN CUNCTIS AD QUAE MISERITIS MANUM. Hebr. *Et lætabimini in omni emiſſione, extenſione manus veſtræ*; id eſt, ad quæcumque miſeritis manum veſtram; ſive in omni re quam tractaveritis. Quidam reddunt: *Et lætemini vos, & familiæ veſtræ, comedentes ex omni re ad quam admoveritis manum*. Sed prior ſenſus eſt planior. Sic verſu 18.

*V.* 8. NON FACIETIS IBI QUAE NOS HIC FACIMUS HODIE. Quidam exponunt; ut ſcilicet offeratis ſacrificia & oblationes variis locis, ſicut nos facimus iſto tempore in deſerto, ubi non habemus certam manſionem: ſed quocumque nos columna ignis duxerit, illic erecto tabernaculo paſſim ſacrificia offerimus. Hebræorum quidam intelligunt, quod quamdiu filii Iſrael in deſerto fuerunt, etiam poſt conſtructum tabernaculum, licuerit illis ſacrificia & oblationes voluntarias alibi quam in tabernaculo offerre; non autem ſacrificia & oblationes quæ lege obſtringebantur in tabernaculo offerre. Et hoc fuiſſe illis licitum quouſque quietem nacti fuerunt in terra promiſſa: ad quod uſque tempus a die iſto dicunt quatuordecim adhuc annos interceſſiſſe. Sed quando quietem adepti ſunt, non potuiſſe rite offerre prædicta niſi in uno loco, ubi nimirum poſitum eſſet tabernaculum: & iſtum locum primo fuiſſe in Silo, ubi quartodecimo anno ducatus Ioſue tabernaculum & arca repoſita, manſerunt uſque ad mortem Eli ſacerdotis, quando arca capta fuit a Philiſthæis, I. Samuel. IV. verſ. 11. a quibus translata fuit in Kariathiarim, & inde in Matzphah, & inde in Galgal, & inde in Nobe, & inde in Gabaon, & inde in domum Obed-Edom, & inde in civitatem David II. Samuel. VI. 17. & inde in templum Salomonis. Ex his colligunt Hebræi tempore deſerti libertatem habuiſſe Iſraelitas ubique ſacrificandi; quæ ceſſavit arca quieſcente in Silo uſque ad tempora Eli: ſub quo poſtquam capta fuit arca, rurſum in variis locis offerre licuiſſe, donec extrueretur templum Salomonis, extra quod ſacrificare numquam licuerit. Vide hic Lyranum, & Druſium. Alii illud quod dicitur, *Singuli*, vel *quiſque quidquid rectum videtur in oculis eius*, explicant, quod ad oblationes attinet: nam licet oblationum lex una ſemper fuit ab initio præſcripta a Deo; non potuit tamen uſque adeo in ambulatoriis Iſraelitarum caſtris obſervari, aut ſummo iure ab illis exigi, prout oſtendit antitheſis verſus 11. Vide Numer. XXVIII. verſ. 6.

*V.* 11. UT SIT NOMEN EIUS IN EO; ILLUC OMNIA QUAE PRAECIPIO, CONFERETIS. Hebr. *Ad habitare facere nomen eius, inibi venire facietis omnia quæ ego præcipio vobis*. Illud *Inibi* poteſt iungi antecedentibus, & conſequentibus; ſed clarior eſt ſenſus ſi ſequentibus anne-

ctatur, quod fecit Noster. Vide I. Regum VIII. vers. 20. & Psalm. CXXXI. vers. 13. ubi exponitur locus habitationi nominis Dei delectus. ET QUICQUID PRAECIPUUM EST IN MUNERIBUS, QUAE VOVEBITIS DOMINO. Hebr. *Et omnem electionem votorum vestrorum, quam vovebitis Iehovæ*, id est vota, vestra, quæ ex selectissimis in unoquoque genere numcupanda sunt Domino. Quidam reddunt: *Et selectum quodque votum vestrum, quod voveritis Iehovæ*.

*V.* 13. IN OMNI LOCO, QUEM VIDERIS. Notant esse Hebraismum, pro quo Latini dicunt *in omni loco, qui tibi videbitur*.

*V.* 15. SIN AUTEM COMEDERE VOLUERIS, ET TE ESUS CARNIUM DELECTAVERIT, OCCIDE, &c. Hebr. *Tantummodo, verumtamen in omni desiderio animæ tuæ mactabis, &c.* Exponunt: Id est, prorsus ut desiderabis, & quantumcumque libuerit; quasi dicat: Si quando libuerit comedere carnes, macta, & manduca. Quidam reddunt, *Verumtamen secundum omne desiderium animi tui*, aut *pro omni animi tui desiderio*, sive *omnino prout desiderat animus tuus, mactare poteris, & comedere carnem, &c.* Sic infra vers. 20. & 21. SIVE IMMUNDUM FUERIT, &c. Hebr. *Contaminatus & mundus comedet eam*: vel *contaminatum & mundum comedet illud*. Sermo est de contaminatione & munditia ad sacrificia, non ad usus privatos: quod Noster paraphrasi explicavit. Sic vers. 22. SICUT CAPREAM ET CERVUM COMEDES; quæ animalia ad sacrificia quidem sunt inepta, sed in privatos usus munda. Vide infra vers. 22. Quasi dicat: Vesci poteris quibuscumque carnibus permissis ad esum, etiamsi non sint aptæ ad sacrificia Domini, eodem prorsus pacto, quo vesci potestis capreis & cervis, quæ sunt prohibita ad sacrificia, non ad privatum esum.

*V.* 17. DECIMAM FRUMENTI, ET VINI, ET OLEI TUI. Exponunt, nullas decimas plane: nam ordinarias levitæ, anniversarias domestici omnes coram Iehovah comedebant, vers. 18. trietericas in portis quidem, sed alii tamen comedebant, inf. cap. XIV. XXVIII. XXIX. & c. XXVI. vers. 12. PRIMOGENITA ARMENTORUM ET PECORUM, &c. Explicant: Carnes quidem quaslibet ex non prohibitis permitto tibi ut sacrifices, seu mactes, & comedas domi ubicumque habitaveris, sive mundus sis, sive immundus; verum quæcumque Deo offerre debueris, aut volueris, prorsus nolo ut illa alio in loco quam a Deo constituto offeras, & comedas; etiamsi fuerit is locus procul ab habitatione & domo tua. Concedo quidem ut carnes quasvis ex non vetitis sacrifices, seu mactes in usum tuum, & eas comedas; verum quæ Deo offerre volueris, ad locum a Deo constitutum deferas. Vide infra vers. 21. & cap. XIV. vers. 23. & seqq.

*V.* 21. SICUT PRAECEPI TIBI: nimirum effundens sanguinem eius, e vers. 6.

*V.* 23. HOC SOLUM CAVE. Hebr. *Tantum robustus, fortis esto*. Alii: *Prorsus præsta*. Proprie: *Tantum obtine, apprehende*; id est, firmiter apprehende, persiste in hoc proposito. Quidam: *Modo in hoc sis firmus*. IDCIRCO NON DEBES ANIMAM COMEDERE CUM CARNIBUS, id est rem vivam: nam sanguis reputatur carni ut anima, & comedere carnem cum sanguine est veluti comedere carnem animatam & vivam, quod horror est.

*V.* 26. QUAE AUTEM SANCTIFICAVERIS. Hebr. *Verumtamen sanctitates tuas*. Quidam, *sanctificationes tuas*. Alii, *sacras res tuas*, id est sacrificia tua. Nonnulli, *sanctificata tua*; id est, quæ consecraveris Deo.

*V.* 27. ET OFFERES OBLATIONES TUAS, &c. Hunc versum verbatim ex Hebræo expressimus (*Et facies ascensiones tuas carnem & sanguinem super altare IHUH Elohim tui: & sanguis sacrificiorum tuorum effundetur super altare IHUH Elohim tui: & carnem comedes.*) Sed & in Hebræo, & in Nostro paulo obscurius conceptum, alii dilucidius ita reddunt: *Et facietis*, idest sacrificabis, vel parabis, aptabis, conficies *holocausta tua, carnem & sanguinem*, id est ex carne & sanguine: vel *carnem & sanguinem eorum*, seu *carnem cum sanguine eorum adoleto, & sacrificato in altari Iehovæ Dei tui: sacrificiorum vero tuorum aliorum sanguis effunditor in altari Iehovæ Dei tui*. Ut hoc intersit inter holocausta, & alia sacrificia, quod in holocaustis caro cum sanguine adoletur & crematur; in aliis vero sanguis non cre-

crematur cum carne, aut adoletur, sed effunditur super altare. CARNIBUS AUTEM IPSE VESCERIS: ipse scilicet sacerdos, aut offerens, aut uterque, prout ferunt sacrificiorum leges.

*V.* 29. QUAS INGREDIERIS POSSIDENDAS. Heb. quidam vertunt: *Quas tu veniens illuc ad eiicere, expellere, exhereditare, hereditate depellere eas a facie tua*. Moventurque propter illud, *A facie tua*. Nam non apte dicitur, *Ad possidendum eas iure hereditario a facie tua*. Verum quia verbum ירש *iarasch* in Kal, ut hic ponitur, in significatione *eiiciendi*, aut *expellendi*, seu *exhereditandi* vix est ut inveniri possit; plerique reddunt, *Ad possidendum eas iure hereditario* (vide supra cap. II. vers. 12. 21. 22.) illudque, *A facie tua*, iungunt cum initio versus; *Cum exscindet IHVH a facie tua gentes, quas tu veniens ad hereditare eas*. Sed verbum ירש *iarasch*, in Kal, Noster per *expellere* vertit supra cap. II. vers. 12.

*V.* 30. NE IMITERIS EAS. Verbum נקש *nakasch* diverse interpretantur. I. *ne illaquees te post eas*; id est, ne in laqueum coniicias te ipsum sequendo eas, hoc est imitando cultus earum. II. *ne offendas*, aut *offendaris*, seu *scandalizeris post eas* (Hispanica translatio: *No tropieces en pos de ellas.*) III. *Ne in tendiculas incidas post eas*. IV. *Ne capiaris, irretiaris, intercipiaris post eas*; id est, ne cursu post eas irretiaris; V. *Ne impingas, corruas, ruas post eas*. Hebræorum nonnulli: *Ne sinas rapi te post eas*; vel *ne rapiaris post eas*; id est, ne involvas te cultibus, & operibus earum.

## MENOCHII.

*Vers.* 3. GENTES QUAS POSSESSURI ESTIS; id est, quarum terram, & opes possessuri estis. SUBTER OMNE LIGNUM FRONDOSUM. In montibus, collibus, lucis, idololatræ suos colebant deos: horum ritus imitati sunt Iudæi cum in idololatriam lapsi.

*V.* 3. DISPERDITE NOMINA EORUM; ut ne memoria quidem idolorum relinquatur, sed penitus aboleatur.

*V.* 4. NON FACIETIS ITA DOMINO DEO VESTRO: non imitabimini hos idololatras. Legimus tamen sanctos viros nonnullos, ut Samuelem, in excelsis immolasse, haud dubie peculiari Dei dispensatione.

*V.* 5. UT PONAT NOMEN SUUM IBI. Tabernaculi, vel templi locum intelligit.

*V.* 6. PRIMITIAS MANUUM VESTRARUM, primitias frugum, quas manibus, & labore vestro messuistis. VOTA, oblationes ex voto. BOUM ET OVIUM. Sub ovibus, ut alias frequenter, capras intellige: vox enim Hebræa ad utramque speciem communis est.

*V.* 7. COMEDETIS, de hostiis pacificis, sive de oblationibus, quibus licitum est vesci laicis: nam hostiis pro peccato, votivis, & holocaustis vesci non poterant laici, ut patet Num. XVIII. 9. & 15. Vel etiam hic sermo est de Israelitarum more, qui solebant in iis solemnitatibus quibus Ierosolymam, vel ad locum tabernaculi conveniebant, ter scilicet in anno, agitare convivia, & epulas in ea urbe in qua erat templum, vel tabernaculum, & hoc erat comedere, lætari, aut epulari coram Domino. IN CUNCTIS AD QUAE MISERITIS MANUM, quæ scilicet labore vestro vobis paraveritis: in his lætabimini, epulando ex iis coram Domino.

*V.* 8. SINGULI QUOD SIBI RECTUM VIDETUR. Non enim servabant Hebræi cæremonialia hæc præcepta in deserto.

*V.* 11. IN LOCO QUEM ELEGERIT DOMINUS DEUS VESTER, &c. Vel hæc coniungenda cum versiculo præcedenti, hoc modo: *Habitabitis in loco*, &c. & sensus erit: Habitabitis secure in loco ubi erit tabernaculum, quando ter in anno ad illud omnis Israel, iuxta præceptum meum confluet, non metuentes ne hostes fines vestros invadant. Vel *in loco*, &c. initium est periodi, & sensus erit, quem exhibet textus Hebr. Chald. & Septuaginta, apud quos hæc sententia ita effertur: *Et erit locus quem elegerit Dominus Deus vester, ut habitare faciat nomen suum ibi, illuc afferetis omnia, &c.* PRIMITIAS MANUUM VESTRARUM. Aquila, Symmachus, Theodotion, *spontaneas oblationes* interpretantur.

*V.* 12. CORAM DOMINO: vel coram tabernaculo, aut templo; vel in urbe

be in qua erit tabernaculum, aut templum. ATQUE LEVITES, invitans ad epulas tuas levitas, ut etiam pupillos, viduas, advenas, ut dicitur infra cap. XVI. num. 11. & 14. NEQUE ENIM ALIAM HABET PARTEM, &c. quia scilicet agros, & vineas non sunt sortiti in partitione terræ.

V. 13. HOLOCAUSTA TUA. Sub holocaustis intelligit etiam cetera genera hostiarum. IN OMNI LOCO, QUEM VIDERIS; hoc est, ubicumque visum fuerit, nullo habito loci delectu, sit ne is in quo Deus offerri sacrificia vult, an non.

V. 15. SIN AUTEM COMEDERE VOLUERIS, &c. non immolando Deo, sed comestione communi, & profana. COMEDE IUXTA BENEDICTIONEM DEI TUI; id est, comede de illis quæ benefice, & largiter dederit tibi Deus. vel iuxta opes, & facultates tuas. SIVE IMMUNDUM FUERIT, HOC EST MACULATUM, id est mancum, opponitur enim integro; verbi gratia, si fuerit cæcum, claudum, mutilum: hæ enim sunt maculæ victimarum, ut patet Lev. XXII. 22. SICUT CAPREAM ET CERVUM, COMEDES. Sensus est: Comedes quæ Domino immolari possunt, verbi gratia oves, & boves, quamvis sint mancæ, quæ propter hunc defectum non sunt apta sacrificio; sicut capream, & cervum potes comedere, quæ tamen animalia sacrificare non licet.

V. 16. SUPER TERRAM QUASI AQUAM EFFUNDES, hoc est quasi rem profanam, cuiusmodi est aqua, & nullo ritu sacro.

V. 17. NON POTERIS COMEDERE IN OPPIDIS TUIS DECIMAM FRUMENTI, &c. D. Hieronymus in Ezech. cap. XLV. cum verba fecisset de decimis, quas δευτεροκάτας appellari dicit, de decimis de quibus hic est sermo, ita scribit: *Erant quoque & aliæ decimæ, quas unusquisque de populo Israel in suis horreis separabat, ut comederet eas cum iret ad templum in urbe Ierusalem, & in vestibulo templi, & sacerdotes, ac levitas invitarent ad convivia.* PRIMOGENITA ARMENTORUM, ET PECORUM. Non mascula, quæ integra sacerdotibus cedebant, ut patet Numer. XVIII. 17. sed generis feminei, quæ licet Deo peculiari consecratione non dedicarentur, absumebantur tamen more pacificorum, illa immolando, & in sacris illis epulis Ierosolymis consumendo, ut colligi potest cap. XIV. infra num. 23. ex quo fiebat ut etiam horum primogenitorum portio aliqua ad sacerdotes perveniret. ET OMNIA QUAE VOVERIS: ut, verbi gratia, si quis vovisset vitulum in harum epularum usum: nam si absolute Deo vovisset, sacerdotibus cedebant, ut patet ex Num. XVIII. 14. & ibi notavi. ET PRIMITIAS MANUUM TUARUM. Fortasse accipi potest de primitiis fructuum qui ex nova arbore quarto a plantatione anno colligebantur, qua de re mentio fit Levit. XIX. 24. quos fructus Deo fuisse consecrandos, & in his solemnibus epulis consumendos tradit Iosephus Lib. IV. Antiq. cap. VIII. Dicuntur *primitiæ manuum*, id est primitiæ laboris manuum, qui labor impenditur in serendis arboribus, &c.

V. 18. IN CUNCTIS AD QUAE EXTENDERIS MANUM; id est, in omnibus bonis, & facultatibus tuis.

V. 20. DILATAVERIT TERMINOS TUOS, &c. Sermo est de dilatatione Abrahæ promissa Gen. XV. 18. usque ad flumen Euphratem, quæ vitio Israelitarum facta non est, nisi imperfecte sub Davide, & Salomone.

V. 21. LOCUS AUTEM QUEM ELEGERIT DOMINUS, &c. Non quod ii, qui Ierosolymis verbi gratia habitabant, solerent, ut aliqui putant, oves, boves, & capreas, quas domi erant comesturi, ad sacerdotes iugulandas adducere, etiamsi ad hoc non tenerentur, ideoque absentibus indulgeatur ut propter distantiam locorum hoc non servent. Sed quod in publico festo, & epulo ea animalia, quæ vel profana mactatione poterant occidere, vel sacra, per sacerdotes illa immolando, frequenter sacra occiderent; ideo monet, ne religioni ducerent, qui longe a templo dissiti erant, si secus facerent, & communi, profanaque iugulatione conficerent.

V. 22. SICUT COMEDITUR, &c. poterat enim esse maior ratio dubitandi, an carnibus animalium quæ Deo immolari poterant, licitum esset vesci, quam an caprea, & cervo. MUNDUS ET IMMUNDUS IN COMMUNE VESCENTUR.

TUR. Intellige de immundo legali immunditia minore (hæc enim contagione non communicabatur;) non autem de maiore immunditia, cuiusmodi immundi erant qui cadaver tetigissent, feminiflui, menstruatæ, leprosi, puerperæ: quamvis enim hi has carnes comedere possent; non tamen in communi, ne alios inficerent, nisi omnes pari immunditia immundi essent, ut fiebat cum tota una familia erat ob cadaver hominis polluta.

*V.* 23. SANGUIS ENIM ILLORUM PRO ANIMA EST. Vide dicta Gen IX. 4.

*V.* 26. QUAE AUTEM SANCTIFICAVERIS ET VOVERIS DOMINO; hoc est, quæ semel Deo ex præcepto, vel obligatione voti consecraveris, ac sepofueris in sacras epulas consumenda: cuiusmodi erant ea de quibus dictum est num. 17.

*V.* 31. OFFERENTES FILIOS, ET FILIAS. Vide Lev. cap. XVIII. num. 21.

*V.* 32. NON ADDAS QUIDQUAM NEC MINUAS. Vide dicta cap. IV. num. 1.

## TIRINI.

*Verf.* 5. &6. PRIMITIAS MANUUM VESTRARUM, hoc est laborum vestrorum, OFFERETIS IN LOCO QUEM ELEGIT DOMINUS .... UT PONAT NOMEN SUUM IBI; hoc est, ubi fuerit tabernaculum vel templum: quia illud vocabatur Domus Dei, & ibi continua erat memoria nominis divini, & cultus, & invocatio Dei.

*V.* 7. COMEDETIS IBI IN CONSPECTU DEI; hoc est, in ea urbe in qua erit tabernaculum vel templum, agitabitis solemnes epulas vestras & convivia, scilicet ter in anno, tribus primariis festis, quibus eo vobis conveniendum. COMEDETIS, inquam, AC LAETABIMINI IN CUNCTIS, seu ex cunctis, AD QUAE MISERITIS MANUM; hoc est, ex decimis proventuum annuorum qui de manuum vestrarum labore provenerunt. Nam his præcipue secundariis decimis constabant istæ epulæ, & aliis insuper quibusdam de quibus hic verf. 17. Ad has epulas præter domesticos, & amicos invitabantur etiam levitæ, viduæ, pupilli & advenæ, ut dixi Levit. XIX. & Num. XVIII. Non tamen debebant in specie Ierosolymam omnia deferri *a*; sat erat pecuniam inde redactam transferre, qua deinde victimæ pacificæ, & cetera ad epulas necessaria Ierosolymæ compararentur.

*V.* 15. SIVE IMMUNDUM FUERIT, &c. Hinc patet, animal aliquod solitum dici *mundum* & *immundum*, vel absolute, vel tantum secundum quid. Mundum absolute, erat illud quod & comedi passim licebat, & etiam in sacrificiis offerri: cuiusmodi sola erant bos, ovis, capra, turtur, & columba; si modo tamen maculam non haberent; id est, si non essent mutila, neque manca, neque ægra, neque alio corporis vitio affecta, ut explicatur Lev. XXII. verf. 21. Mundum secundum quid, itemque immundum secundum quid, erat illud quod comedi quidem poterat, non tamen in sacrificiis offerri: cuiusmodi erant bubalus, cervus, tragelaphus, oryx, pygargus, camelopardalus, & alia de quibus infra cap. XIV. Item munda alioquin, capra, ovis, bos, &c. sed quæ vitio aliquo laborabant. Immundum absolute erat quod nec immolari liceret, nec comedi, immo comedentem polluebat, uti & tangentem, si morticinum esset. Talia erant lepores, sues, chœrogrylli, & alia eiusmodi quæ describuntur Lev. XI. & Deut. XIV.

*V.* 17. Per PRIMOGENITA ARMENTORUM ET PECORUM. Quæ hic iubentur ab Israelitis comedi non in urbibus propriis, sed in loco tabernaculi vel templi, non intelliguntur primogenita mascula: quia hæc integra Deo sanctificanda *b* erant, & integre sacerdotibus cedebant, si tamen sine macula, & immolatitia essent, ut patet Exod. XIII. & XXXIV. Num. III. & XVIII. Sed intelliguntur vel feminei sexus primogenita, vel masculini, sed maculata vitio aliquo corporis; quæ, cum nulla maculata Deo offerri possent, debebant saltem vel ipsa, vel pretia ipsorum in sacras illas Ierosolymis epulas converti: uti etiam præcipitur cap. XIV. verf. 23.

Nota, solitos Iudæos hanc legem religiose observare non tantum quando intra terminos terræ promissæ sedes suas habebant, sed etiam cum in remotissimas regiones deduxissent colonias. Neque nisi unum sub cælo locum, ad hunc finem a Deo delectum, verb. grat. Ierosolymis, agnoscebant: ut patet ex votivis quæ etiam captivi e Babylonia *c* mittebant statis tempo-

po-

poribus Ierosolymam, etiam cum destructum esset templum Domini. Et licet temporibus Machabæorum Onias Pontifex Oniæ filius Ierosolymis fugatus in Aegypto templum *d* aliud, annuente Ptolemæo Philometore, æmulum Ierosolymitano, & quidem in honorem veri Dei construxerit; numquam tamen a religiosioribus Iudæis extorquere potuit, teste Iosepho, ut eo vel ipsi sacrificiorum causa concederent, vel decimas; primitiasque suas destinarent.

(*a*) Deut. xiv. vers. 24.
(*b*) Deut. xv. vers. 19. & Exod. xiii. vers. 12. & cap. xxxiv. vers. 19. & Num. iii. vers. 10.
(*c*) Baruch 1. vers. 6.
(*d*) Chron. cap. xxxix. in Philometore. Ioseph. Lib. XIII. Antiq. cap. vi. & Lib. VII. Belli cap. xxx.

## G O R D O N I.

*Vers.* 2. Constat ex libris Regum, & alibi, Deum prohibuisse ritus idololatrarum, ac præsertim lucos, excelsa, & similia. Quod si Samuel, aut alius vir sanctus legatur in excelsis Deo immolasse, hoc peculiare, & permissum a Deo putandum est.

*V.* 4. Ita, hoc est instar gentium, in quocumque loco sacrificantes.

*V.* 5. Locus quem elegit Dominus, censetur esse locus tabernaculi, vel templi: ante templum extructum, fuit tabernaculum in Silo, Nobe, & Gabaon.

*V.* 6. Primitias. Hebr. תרומה *terumah*, aliqui vertunt *oblationes*: Pagninus hic *elevationes*: רום, *altus fuit*, *erexit*.

*V.* 7. Comedere poterat populus de hostiis pacificis; non tamen licebat laicis vesci de hostiis pro peccato, votivis, & sacrificiis: Num. xviii. vers. 9. & 15. Solebant, quando ter in anno veniebant ad locum tabernaculi, aut templi, instruere epulum Israelitæ.

*V.* 8. Non facietis. Nempe quia Hebræi in deserto non servabant cæremonialia præcepta.

*V.* 11. Quidquid praecipuum, &c. Sept. *omne electum donorum vestrorum*.

*V.* 15. Sin autem comedere volueris, &c. Erant apud hunc populum aliqua prorsus immunda, quæ nec offerri Deo, nec comedi poterant, ut vides Levit. cap. xi. & infra hic cap. xiv. Alia munda prorsus, quæ scilicet immolari poterant, & comedi, ut turtur, columba, bos, ovis, capra. Aliqua partim munda, partim immunda: hæc comedi quidem poterant, non tamen offerri; quæ designantur hic cap. xiv. vers. 5.

*V.* 16. Quasi aquam, certe totam, ut nec gutta remaneat.

*V.* 17. Non poteris comedere, &c. Decima hæc non comedenda in oppidis, non est decima levitica, sed est decima secundaria, quæ epulis his sacris consignatur: de qua decima est cap. xiv. vers. 22. Lege Hieronymum Ezech. cap. xlv. Primogenita hic intellige feminea: nam masculina debebantur Deo, Numer. cap. iii. Denique nomine primitiarum non intelliguntur primitiæ sacerdotibus debitæ, sed aliæ spontaneæ.

*V.* 22. Ex primogenitis, utpote Deo immolatis, immundi non poterant vesci; qui tamen quibusdam carnibus vesci poterant. Hinc dicitur, immundos vesci posse carnibus his sine discrimine, seu in commune. In Hebr. *Mundus, & immundus pariter comedet eam*.

*V.* 23. De prohibito sanguine dixi Gen. ix. vers. 4. Sanguis etiam pro vita, quia sanguine vita alitur.

*V.* 32. Quae praecipio tibi, &c. Inepte Novator hoc transfert ad prohibitas traditiones: prohibet enim Deus quidquam addi, vel detrahi cæremoniis legalibus. Quid hoc ad traditiones sub Novo Testamento? sub quo si vult Novator stare obligationem huius legis, iudaizat.

### Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 11. Primitias. Symmachus, & Aquila interpretantur *spontaneas oblationes*.

*V.* 12. Coram Domino, coram tabernaculo aut templo, aut in urbe in qua fuerit tabernaculum. Levitas. Hi ad epulum invitandi, immo & pupilli, & viduæ: infra cap. xvi. & Num. xi. xiv. Neque enim habet aliquam partem. Levitæ in divisione terræ non sunt sortiti partem.

*V.* 13. Holocausta. Idem intelligendum de hostiis quibuscumque.

*V.* 20. Dilataverit. Plena, & promissa dilatatio ad Euphratem facta tantum sub Davide, & Salomone.

*V.* 21. Duplex erat occisio: una profana ad epulum domesticum; alia sacra, ad immolandum: hæc fieri debebat per sacerdotem. Hic iam longe absentibus a templo, vel tabernaculo, indulgetur ut, quæ in publico festo, & epulo occidebantur animalia, occidi possint alterutra occisione.

*V.* 26. QUAE AUTEM SANCTIFICAVERIS. Talia erant de quibus Num. XVII. ex voto, vel præcepto Domino consecratas.

*V.* 31. Vide Levit. XVIII.

# CAPUT XIII.

*Pseudopropheta a Deo avertens occidi debet, quantumvis propinquus sit vel amicus; immo & urbs vastari funditus, cuius habitatores id facere conati fuerint.*

1. SI surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vi-
disse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, 2. &
evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & se-
quamur deos alienos quos ignoras, & serviamus eis: 3. non
audies verba prophetæ illius, aut somniatoris: quia tentat vos
Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum
an non, in toto corde, & in tota anima vestra. 4. Domi-
num Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & man-
data illius custodite, & audite vocem eius: ipsi servietis, & ipsi adhærebitis.
5. Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est ut
vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra AEgypti, & rede-
mit vos de domo servitutis: ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit
Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui. 6. Si tibi voluerit persua-
dere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, sive uxor quæ est in
sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus, &
serviamus diis alienis, quos ignoras tu, & patres tui, 7. cunctarum in circuitu
gentium, quæ iuxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ, 8. non
acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis & occultes
eum, 9. sed statim interficies. (*a*) Sit primum manus tua super eum, * & post-
ea omnis populus mittat manum. 10. Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit
te abstrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra AEgypti, de domo
servitutis: 11. ut omnis Israel audiens timeat, & nequaquam ultra faciat quip-
piam huius rei simile. 12. Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus
Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: 13. Egressi sunt filii Bel-
ial de medio tui, & averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt: Eamus,
& serviamus diis alienis quos ignoratis: 14. quære solicite & diligenter, rei veri-
tate perspecta, si inveneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc
opere perpetratam, 15. statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, &
delebis eam, ac omnia quæ in illa sunt, usque ad pecora: 16. quidquid etiam
supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa civitate
succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiter-
nus: non ædificabitur amplius, 17. & non adhærebit de illo anathemate quid-

quam

quam in manu tua: ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tui: multiplicetque te sicut iuravit patribus tuis, 18. quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

(a) Infr. XVII. 7.

## B R U G E N S I S

Romana Correctio.

V. 9. *Et postea omnis populus mittat manum*. Unicam voculam *postea* ne distrahas in duas *post te*, ut quidam faciunt.

## C O M M E N T A R I A

### S A.

*Vers.* 1. Prophetes; id est, qui se Prophetam dicat.

*V.* 3. Palam fiat. Chald. *sciatur*.

*V.* 9. Interficies, scilicet per sententiam iudicis prius condemnatum: illi enim prius denuntiandus, ut LXX. indicant.

*V.* 13. Belial, id est *sine iugo*; quasi dicat, impii, perversi. Hieronymus IV. Ephes. ait diabolum etiam dictum Belial, quod a se Dei iugum abiecerit.

*V.* 16. Domino, id est in Domini honorem. Tumulus, id est acervus lapidum.

*V.* 17. Anathemate, id est rebus illis quæ debent prorsus destrui.

*V.* 18. Audieris, id est obedieris.

### E S T I I.

*Vers.* 1. Si surrexerit in medio tui prophetes: & deinceps, vers. 2. Et dixerit tibi: Eamus, et sequamur deos alienos: non audies. Et tandem vers. 9. Sed statim interficies. Nota. Primum est, & non audiamus falsos prophetas: deinde etiam capitale supplicium adversus falsum prophetam constituitur; cuius supplicii iusta causa additur: *quia locutus est, ut vos averteret*. Idem ergo supplicium merito constitutum quoque est in Hæreticos, utpote Reipublicæ perturbatores, & qui fideles avertere conantur ad serviendum diis alienis; id est, ad amplectenda falsa dogmata de Deo & de rebus divinis. Tales enim non verum Deum colunt, sed falsum & alienum. Velut qui dicit Deum esse peccati auctorem, & voluntatem impellere ad malum: is non verum Deum colit, quia verus Deus talis non est; sed eum colit quem sibi falsa opinione confinxit, Calvinum intellige, eiusque sectatores. Vide Vincentium Lirinensem hunc locum pulchre tractantem, & de hæreticis interpretantem, & per deos alienos nova dogmata intelligentem. Interim quod dicitur, *Sed statim interficies*, non sic accipiendum est, quasi id liceat privata auctoritate; sed sensus est: Statim interficies, sed publice accusatum, & convictum. Nam mox additur: *Sit primum manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum*.

*V.* 3. Quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non. Hebr. *Ut sciat*. Vide plura supra cap. VIII. vers. 2.

MA-

## MARIANAE.

*Verſ.* 5. LOCUTUS EST UT VOS AVERTERET. Hebr. *Averſionem*, ſeu *mutationem*, id eſt verba mutationis, *locutus eſt falſus propheta*.

*V.* 13. EGRESSI SUNT FILII BELIAL. Hebræi *filios Belial* interpretantur *filios iniquitatis*, ſeu *iniquos*, אנשי רשע: hoc ſequuntur Sept. hoc loco reddentes ἄνδρες παράνομοι, aliis locis *filios peſtilentiæ*. At Hieronymus Iſaiæ XXVII. initio, & ad II. Corinth. cap. VI. putat ea voce *diabolum* ſignificari, quod utrumque & cum verbis divinis Scripturæ ſacræ convenit ubi ea vox ponitur, & cum vocis interpretatione, quæ ſignificat *abſque iugo*; ut Iudic. XIX. verſ. 22. Quod & in iniquos quadrat legi Dei non obtemperantes, & in diabolum, qui Deo ſubiici noluit.

*V.* 15. IN ORE GLADII. Aciem gladii vocat os eius.

*V.* 17. DE ILLO ANATHEMATE QUIDQUAM. Hebr. חרם *herem*: quæ vox exciſionem omnimodam ſignificat Deo auctore, aut in eius laudem.

*V.* 18. QUOD PLACITUM EST. Heb. *Rectum coram Domino tuo facias*.

## MALVENDAE.

*Verſ.* 1. PROPHETES, AUT QUI SOMNIUM VIDISSE SE DICAT. Quidam exponunt: Id eſt, qui unam, aut alteram ex illis ordinariis notis & rationibus, quibus veri Prophetæ prædici ſunt, Numer. XII. 6. falſo ſibi arrogaverit. Alii, *ſomniatorem ſomnii*. Intelligunt fictorem ſomniorum; quaſi dicas: Si quis inter vos dicat ſe præditum eſſe ſpiritu prophetico, aut finxerit aliquid ſibi per ſomnium a Deo revelatum eſſe. ET PRAEDIXERIT SIGNUM ATQUE PORTENTUM. Hebr. *Et dabit tibi ſignum*, aut *prodigium*; vel *& ediderit tibi ſignum*, *&c.* id eſt, verbo prænuntiaverit, ut explicatur verſ. 2. Sic accipitur verbum *dandi* ſupra cap. XI. verſ. 29. & I. Regum XIII. verſ. 5.

*V.* 4. ET IPSUM TIMETE. Vide ſupra cap. VI. verſ. 13. & cap. X. verſ. 20.

*V.* 5. QUIA LOCUTUS EST UT VOS AVERTERET A DOMINO. Hebr. *Quia locutus eſt averſionem contra IHUH*. סרה *ſarah*, aiunt eſſe *apoſtaſiam*, *averſionem*, *averſationem*, *diſceſſionem*, ſcilicet inconceſſam, ſeu illicitam, *inobedientiam*, *rebellionem*, *contumaciam*. Ad hanc proculdubio vocem, ut etiam ad מרד *mered*, alluſit Paulus II. Theſſalonic. II. cum ait verſ. 3. *Niſi venerit diſceſſio primum*, *&c.* Quidam exponunt: *Voluit perſuadere rebellionem contra IHUH*: vel, *Verbis conatus eſt avertere a cultu IHUH veri Dei*. Obſervant hanc eſſe primam notam eamque omnium certiſſimam dignoſcendi pſeudoprophetas, nimirum a doctrina. Poſteriorem, a vera prædictione, & ſignis atque miraculis, per conceſſionem oſtendi ſupra verſ. 2. explicari infra cap. XVIII. verſ. 21, & 22. Veræ prædictiones, & ſigna atque prodigia, quæ pugnant cum vera fide, & verbo Dei, non poſſunt eſſe vera miracula. ET AUFERES MALUM. Notant, verbum בער *baghar* proprie eſſe *urere*, *amburere*, *comburere*, *accendere*: & quando intranſitive capitur, *ardere*, *perflagrare*, *accendi*; ſed in formula Pihel, ut hic ponitur, per translationem ſæpe aliis rebus attribui quam igni, aut furori: aut ſignificare *depaſcere*, aut *tollere*, quaſi ignis qui abſumit, ac tollit, devoratque: unde hic vertunt: *Ut tollas malum de medio tui*. Quod Paulus I. Corinth. V. verſ. 2. & 13. *Tollite ſceleratum iſtum ex vobis*, verbo Græco ἐξαρεῖτε reddidit. Nos propriam verbi ſignificationem *comburendi* retinuimus, quæ hic emphaſim habet, & dictum ſupplicium ignis hæreticis & defectoribus a fide & verbo Dei infligendum præſcribit. Sic Iudicum XX. verſ. 13. Vide de ratione huius verbi Numer. XXIV. verſ. 22.

*V.* 6. SI TIBI VOLUERIT PERSUADERE. Verbo סית, *ſit* in Hiphil omnia iſta ſubiiciunt: *Cum elevabit*, *evehet*, *extimulabit*, *intitabit*, *concitabit*, *perſuadebit*, *ſeducet*, *avertet*, *hortabitur*, *conſulet*, *propellet*, *extrudet te frater tuus*.

*V.* 9. SIT PRIMUM MANUS TUA SUPER EUM, ET POSTEA, &c. Hebr. *Manus tua erit in eo in prima ad interficere eum*: *& manus omnis populi in poſtrema*. Quidam: *Manus tua primum eſto contra illum ut morte afficias illum*: *poſtea vero manus totius populi*. Exponuntque, Manus.

nus tua nempe, qui detuleris eum, aut testis in eum fueris, ex lege quæ habetur infra cap. XVII. vers. 7. quam rationem servarunt Pharisæi in falso iudicio contra Stephanum, Actor. VII. vers. 58. ac si dicat: Tu testis, aut accusator primus in eum iacies lapidem ut punias eum, deinde reliquus populus.

*V.* 11. TIMEAT. Patagoge Nun in futuro יראון *iiraun*, *timebunt*, magnum timorem & reverentiam indicat.

*V.* 13. FILII BELIAL. De hac voce בליעל *Beliiaghal*, fuse disseruimus Lib. I. de Antichristo, cap. VII. ubi aliorum etymologias abunde recensuimus: nostra erat, dictum a בלי *beli*, *non*, *nequaquam*, *neutiquam*, *absque*: על *ghal*, *super*, *supra*; quasi dicas, Hominem *absque supra*, qui nullum super se ferat, superbum, indomitum, contemptorem, qui nec Deum nec homines vereatur; nulli legi, aut rationi subiectum. Vel a בלי & עלה *beli* & *ghalah*, hominem *cui nihil ascendit*, nihil est sublime, nihil altum, omnia sub pedibus suis sus deque habet. Nec dubitaverim cognationem habere cum בעל *Baghal*, idolo detestando, ut indicet hominem idololatram veluti atheum, impiæ ac nefarię superstitionis. Consentiunt omnes, eo nomine significari homines malignissimos, impiissimos, nequissimos, profligatissimos, pessimos, improbissimos, sceleratissimos, perditissimos, deploratissimos, nefarios, nefandos, sacrilegos, apostatas, defectores, quibus tamquam suorum scelerum ministris utitur diabolus; quasi dicas, Hispanice, *Hiios del diablo*. Adiective pro *nequissimis*, & substantive pro ipsa *nequitia*, & *extrema improbitate* capi potest. ET AVERTERUNT. Hebr. *Et depulerunt*, *detruserunt*, *deturbarunt*; scilicet a recta fidei via, ut vers. 5. vel a IHUH Deo tuo, ut vers. 10. id est, quod vulgo dicitur, *seduxerunt*.

*V.* 16. ITA UT UNIVERSA CONSUMAS. Hebr. & *omne spolium eius universum*. כליל *calil*, quidam hic reddunt. & *omne spolium eius combustione totali*, vel *incendio*, seu *incenso pleno & absoluto*, quo nimirum omnia simul concrementur. Vide quæ de hac voce notavimus Levit. VI. vers. 23.

*V.* 17. ET NON ADHAEREBIT, &c. Hispanicus Interpres: *Y no se pagara algo a tu mano*. Hebr. *Et non agglutinabitur in manu tua aliquid*; id est, reservabis tibi quidquam de spoliis illis, quæ prorsus cremari debent. DE ILLO ANATHEMATE. Heb. *ex devotione*, *devotorio*, *devotato*. Tertullianus in Scorpiaco cap. II. vertit, *ex devotamento*. Vide Levit. XXVII. vers. 21. Numer. XXI. vers. 2. UT AVERTATUR DOMINUS AB IRA FURORIS SUI. Quidam Hebr. reddunt: *ut convertat se Iehovah*, *ne accendatur ira eius*; prout altera in causa Deum exarsisse contra Hacanem, legimus Iosue VII.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. PROPHETES, falsus propheta, qui se pro vero venditat. Vel propheta verus, qui subversus ipse, alios subvertere conaretur.

*V.* 2. QUOS IGNORAS: quos hactenus non coluisti, nec pro diis habuisti.

*V.* 3. TENTAT: tentari permittit. UT PALAM FIAT. Hebr. *ad sciendum*: quod verti potest. *ut sciat*, vel *ut sciatur*. *Ut sciat*, quia Deus ad modum tentantis, & explorantis, seu scire volentis se gerit.

*V.* 5. DE VIA, de ritu vivendi, & serviendi Deo.

*V.* 6. FRATER TUUS FILIUS MATRIS TUAE. Additur hoc ad distinctionem cuiuslibet Iudæi, qui fratres vocabantur, quia ex eodem populo, & communi Patriarcharum stirpe oriundi.

*V.* 9. STATIM INTERFICIES, non privata auctoritate, sed crimen ad iudices deferendo. SIT PRIMUM MANUS TUA SUPER EUM, lapidationem exordiens, ut præcipitur infra cap. XVII. 7.

*V.* 13. FILII BELIAL: homines impii, facinorosi, diabolici, quasi viri absque iugo, a בלי *beli*, & עול *hor*, *absque iugo*; vel, quod idem est, *ex leges*, *prævaricatores*, *summe impii*. Sumitur nomen Belial aliquando in Scriptura pro diabolo. Sic III. Reg. XXI. 13. vertit D. Hieronymus, ubi pro Filiis Belial, dixit *Filiis diaboli*.

*V.* 14. ABOMINATIONEM HANC, criminis idololatriæ.

*V.* 15. STATIM PERCUTIES: senioribus scilicet, & in primis supremo Pontifice sententiam anathematis ferente: ad hunc enim pertinet præcedens illa veritatis inquisitio.

*V.* 16.

*V.* 16. SIT TUMULUS SEMPITERNUS; id est, numquam ea civitas reædificetur.

*V.* 17. NON ADHAEREBIT... QUIDQUAM IN MANU TUA. Nihil tibi reservabis.

TIRINI.

*Vers.* 1. PROPHETES. Sive a Deo is sit, sive a dæmone afflatus; sive falsa edat prodigia & ficta ad suæ impiæ doctrinæ confirmationem, sive vera olim ediderit ad veritatem confirmandam, atque his nomen, & auctoritatem veri Prophetæ sibi compararit. Si tamen post contingat, idololatriam suadere; qualiscumque tandem ille Propheta sit, quantacumque signa ediderit, & quantumcumque portenta quæ prædixerat eveniant, nullo modo audiendus, sed mox interficiendus est.

*V.* 9. STATIM INTERFICIES, non privata auctoritate, sed accusatione & denuntiatione apud iudicem. Unde mox additur: SIT PRIMUM MANUS TUA SUPER EUM; hoc est, tu delator, vel testis incipies primus lapidationem. Sic enim expresse decreverat Deus, ut infra cap. XVII. vers. 7. dicetur. Et hoc intellige, si solicitatio ad idololatriam occulta esset: nam si publica, licuit verisimilius solicitatorem illum extemplo occidere, non exspectata iudicis auctoritate, ut de idololatra publico licuisse, docet Philo *a*, & probat exemplo Phinees, & Mathathiæ, & aliorum.

*V.* 13. FILII BELIAL; hoc est, valde impii, facinorosi, diabolici. *Belial* enim significat *sine iugo b*, quod κατ' ἐξοχὴν diabolo convenit, qui primus sua rebellione iugum Dei excussit: hinc nomen *Belial* proprium diabolo facit sanctus Hieronymus, & alii, sicut & nomen *Satan*: unde & *Belial* sæpe *diabolum* vertit *c* secutus Apostolum II. Corinth. VI. 15. Chaldæus tamen, & Septuaginta, & plerique Rabbini fere appellative eam vocem accipiunt pro quovis rebelli, facinoroso, seu diabolico homine.

*V.* 17. NON ADHAERERIT DE ILLO ANATHEMATE QUIDQUAM IN MANU TUA; hoc est, nihil ex eo tibi vel in usus tuos reservabis. Debebant enim eiusmodi urbes idololatricæ, instar victimæ immolari divinæ iustitiæ quasi in holocaustum, nec poterat quidquam exitio subtrahi, nisi si quid peculiari indulto Deus subtractum voluisset, ut indulsit Rahab meretrici, eiusque familiæ in anathemate Iericho: etiam aurum, argentum, æs, & ferrum omne, si non flammis semper absumi, saltem usibus profanis subtrahi, & Deo consecrari iussa. Hinc Iosue VII. graviter castra turbata sunt ob sacrilegium Achan. Et Saul etiam regno exutus a Deo I. Regum XV. quod, iussus anathemate disperdere Amalecitas, Regem, & optima quæque spolia exitio subtraxisset.

(*a*) Philo Lib. de Monarchia.
(*b*) Iudic. XIX. vers. 22. & S. Hier. in Tradit. Hebr. & in Idit. Lib. I. Reg. & in Isai. XXVII. & in Ephes. IV.
(*c*) Ibid. & III. Reg. XXI. vers. 13. Psal. XVII. vers. 5. Psal. XLI. vers. 9.

GORDONI.

*Vers.* 1. SI SURREXERIT IN MEDIO TUI PROPHETES. Nihil vetat hic quemcumque intelligere prophetam, si impellat ad impietatem, etiamsi prodigiis utatur.

*V.* 3. TENTAT VOS DOMINUS; hoc est, tentari permittit. UT PALAM FIAT, ut appareat. Heb. & Septuag. *Ut sciat per experientiam:* noster Interpres, *Ut palam fiat*.

*V.* 9. STATIM INTERFICIES, &c. non tamen privata auctoritate. At quid quando flagitium ex facti evidentia est manifestum, ut quidam interpretantur factum Phinees? Sed Phinees aliter excusari potest a Deo forte speciatim, vel a Mose destinatus ad executionem legis pœnalis. Certe universe loquendo, & nisi aliud ferant novæ circumstantiæ, puto monendum esse iudicem.

*V.* 13. FILII BELIAL sunt viri rebelles, & qui iugum Dei excutiunt. Sept. παράνομοι. Vide Iudic. cap. XIX. & Proverb. cap. VI

*V.* 15. ORE GLADII: aciem designat.

*V.* 17. ANATHEMATE. חרם *cherem* plenam occidionem denotat.

CA-

## CAPUT XIV.

*Gentium ritus super mortuo fugiendus: animalium mundorum & immundorum discretio: & decimas esse solvendas.*

1 Filii estote Domini Dei vestri: non vos incidetis, nec facie-
tis calvitium super mortuo. 2. (*a*) Quoniam populus san-
ctus es Domino Deo tuo: & te elegit ut sis ei in popu-
lum peculiarem, de cunctis gentibus quæ sunt super ter-
ram. 3. (*b*) Ne comedatis quæ immunda sunt. 4. Hoc
est animal quod comedere debetis, Bovem, & ovem, &
capram, 5. cervum & capream, bubalum, tragelaphum,
pygargum, orygem, camelopardalum. 6. Omne animal, quod in duas partes
findit ungulam, & ruminat, comedetis. 7. De his autem quæ ruminant, & un-
gulam non findunt, * comedere non debetis, ut camelum, leporem, chœrogryl-
lum: hæc quia ruminant, & non dividunt ungulam, immunda erunt vobis. 8.
Sus quoque quoniam dividit ungulam, & non ruminat, immunda erit: carnibus
eorum non vescemini, & cadavera non tangetis. 9. Hæc comedetis ex omnibus
quæ morantur in aquis: Quæ habent pinnulas & squamas, comedite: 10. quæ
absque pinnulis & squamis sunt, ne comedatis quia immunda sunt. 11. Omnes
aves mundas comedite. 12. Immundas ne comedatis: aquilam scilicet, & gry-
phem, * & haliæetum, 13. *ixion, & vulturem ac milvum iuxta genus suum:
14. & omne corvini generis, 15. struthionem, ac noctuam, & larum, atque
accipitrem iuxta genus suum: 16. herodium ac cygnum, & ibin, 17. ac mer-
gulum, porphyrionem, & nycticoracem, 18. onocrotalum, & charadrium, sin-
gula in genere suo, upupam quoque & vespertilionem. 19. Et omne quod reptat
& pennulas habet, immundum erit, & non comedetur. 20. Omne quod mun-
dum est, comedite. 21. Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo.
Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei: quia tu po-
pulus sanctus Domini Dei tui es. (*c*) Non coques hædum in lacte matris suæ.
22. Decimam partem separabis * de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra
per annos singulos, 23. & comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem
elegerit ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti tui, & vini, & o-
lei, & primogenita * de armentis & ovibus tuis: ut discas timere Dominum
Deum tuum omni tempore. 24. Cum autem longior fuerit via, & locus quem
elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cun-
cta portare. 25. vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque manu tua,
& proficisceris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus: 26. & emes ex ea-
dem pecunia quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum
quoque & siceram, & omne quod desiderat anima tua: & comedes coram Do-
mino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua; 27. & levites qui intra portas
tuas est: cave ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione
tua. 28. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi

eo tempore; & repones intra ianuas tuas. 29. Venietque Levites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

(a) Sup. VII. 6. Infr. XXVI. 18. (b) Levit. XI. 4. (c) Exod. XXIII. 19. XXXIV. 26.

## BRUGENSIS

### Romanae Correctiones.

V. 7. *Comedere non debetis, ut camelum*. Correctores, ut omiserunt pronomen *hæc*, quod alii libri præponunt verbo *comedere*, ita addiderunt adverbium *ut* ante vocem *camelum*, sensu clarissimo. Porro *Hæc* pronomen præposuerunt ei quod mox sequitur: *Hæc quia ruminant*,

V. 12. *Et haliæetum*. Non est omittenda vocalis secunda *e* sequens diphthongum *æ*; sicut non omittitur Levit. XI. vers. 13.

V. 13. *Ixion, & vulturem*. Alii codices legunt dissyllabum *Ixon*.

V. 22. *De cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra*. Alii minus recte legunt genere feminino *frugibus tuis quæ*.

V. 23. *De armentis & ovibus tuis*. Neutiquam addendum est verbum *offeres*.

### Notatio.

Vers. 23. *Decimam frumenti tui ..... & primogenita de armentis, & ovibus tuis offeres*. Ita nonnulli Latinorum codicum: ac simile quid adiiciunt Græci: *Eo feres decimam frumenti tui ..... & primogenitorum boum & ovium tuarum*. Verum Latini codices emendatiores vocem *offeres* confodiunt, neque ullum verbum addunt conformiter Rabano, & Hebræo textui, atque Chaldæo. Subaudiendum autem ex præcedentibus relinquunt *separabis & comedes in conspectu Domini*: qui enim prius generatim dixerat, decimam partem cunctorum quæ ex terra nascuntur, separandam, & in loco quem elegerit Dominus, comedendam; iam illa enumerat, decimam frumenti, & vini, & olei, atque adiicit, armentorum & gregum primogenita.

## COMMENTARIA

### S A.

*Vers.* 1, ESTOTE: sic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *estis*. INCIDETIS, scilicet cultris, aut unguibus, more Gentilium. CALVITIUM, scilicet tonsa capitis parte anteriori. Hebr. *Calvitium inter oculos vestros*. SUPER MORTUO, id est ob aliquem defunctum.

*V.* 2. DE CUNCTIS. Chald. *præ cunctis*.

*V.* 5. BUBALUM, id est bovem silvestrem. TRAGELAPHUM, id est hircocervum, alii hircum silvestrem. PYGARGUM, species est aquilæ: alii damam; alii unicornum: scilicet incerta significatio est nominum Hebræorum, præsertim propriorum animalium, herbarum, lapidum, &c. eoque tanta varietas Interpretum.

*V.* 7. CHAEROGRYLLUM. Chald. *cuniculum*.

*V.* 10. ET SQUAMIS, pro aut squamis.

*V.* 12. HALIAEETUM, id est marinam aquilam.

*V.* 13. IXION vulturis genus est.

*V.* 18. ONOCROTALUM: alii, ciconiam.

*V.* 19. REPTAT, scilicet quatuor pedibus, ut dicitur Levit. XI.

*V.* 21. HAEDUM. Vide Exod. XXIII.

*V.* 23. COMEDES, scilicet de parte eius decimæ quæ dabatur levitis Ierosolymitanis. Vide Num. XVIII. Quidam tamen aiunt significari hic secundam quamdam decimam, & paulo inferius tertiam. PRIMOGENITA. Hæc dabantur sacerdotibus, ut dicitur Num. XVIII. sed, ut hic indicatur, etiam ex ipsis edebant offerentes. Vide cap. seq. & Ioan. II.

*V.* 28. TERTIO, scilicet in fine, ut indicant Hebr. Chald. & LXX. ALIAM, scilicet præter eam quæ quotannis debebatur.

## ESTII.

*Verſ.* I. FILII ESTOTE DOMINI DEI VESTRI. Non præcipit de ipſa gratia adoptionis filiorum Dei; ſed ut obedientia, & obſervatione mandatorum Dei patris ſui cæleſtis, oſtendant ſe eſſe eius filios. Nempe de actibus eſt præceptum.

*V.* II. OMNES AVES MUNDAS COMEDITE. Et infr. verſ. 20. OMNE QUOD MUNDUM EST COMEDITE. Verba ſunt non præcepti, ſed conceſſionis rei licitæ, ſicut & illud Geneſ. II. *Ex omni ligno paradiſi comede.*

*V.* 22. & 23. DECIMAM PARTEM SEPARABIS DE CUNCTIS FRUCTIBUS TUIS PER SINGULOS ANNOS, ET COMEDES IN CONSPECTU DOMINI DEI TUI. Quæritur, quomodo præcipiat Moyſes, ut decimam partem fructuum ſuorum comedant coram Domino, cum decimæ debeantur levitis. Reſpondent quidam, Iſraelitas ſolitos ſeparare ſingulis annis binas decimas. Priores erant de omnibus fructibus; poſteriores autem de novem partibus reliquis. Quarum priores cum integræ cederent in uſum levitarum, poſteriores ab ipſis offerentibus conſumerentur coram Domino. Ac de his decimis intelligendum eſſe præſentem locum. Et eodem modo diſtinguunt duplicia primitiva. Sed hæc reſponſio neque in Scriptura, neque in Iudæorum conſuetudine fundamentum habet. Proinde rectius videtur hoc modo reſpondendum, quod Iudæi, quotieſcumque decimas vel primitiva adferebant Ieroſolymam, non debebant venire vacui, ſicut præcipitur Exodi XXIV. & XXXII. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*: ideoque munus aliquod ſpontaneum ſimul offerre debebant, præter ea quæ erant præcepti. Illud autem erat hoſtia pacifica; cuius pectuſculum, & armus dexter erant ſacerdotis, reliquæ partes ipſius offerentis. Ac de his intelligendum videtur, quod dicitur: *Comedes in conſpectu Domini Dei tui*: utpote quod hæc adferebantur ſimul cum decimis.

*V.* 28. ANNO TERTIO SEPARABIS ALIAM DECIMAM. Nota. Eſt hic quidem tertia quædam decima, ſed non illa cuius eſt mentio verſ. 22. Nempe ibi agitur de decima ſeparanda per ſingulos annos, hic autem de ea quæ tantum tertio quoque anno ſeparabatur.

## MARIANAE.

*Verſ.* I. FILII ESTOTE. Hebr. *Filii eſtis Dei*. Non ergo ſumatis alieni cultus inſignia, inciſiones, & calvitium in morte veſtrorum. Coma ſignum nobilitatis erat; calvitium, luctus, quaſi habitum ignobilium ſumerent.

*V.* 3. QUAE IMMUNDA SUNT. Heb. *Abominationem ne comedatis*: ſic Sep. ſed bene pro *abominationem* Noſter *immunda* poſuit.

*V.* 4. OVEM, ET CAPRAM. Hebr. *agnum ex ovibus, & hædum e capris*, ut vertunt Sept. & Pagn. Sed quid? oves ipſas & capras comedere nefas erat? Eo melior eſt interpretatio Hieronymi, & שה *ſeh* hoc loco non *agnum*, aut *hædum* ſignificat, ſed *pecudem*, hoc ſenſu: Pecudem ex ovibus, & pecudem e capris comedetis; id eſt ovem, & capram.

*V.* 5. PYGARGUM. Chald. *unicornem*. ORYGEM: ſic Sept. Animal eſt, piloſin caput vertens, non in caudam, ut alii. Plin. Lib. XI. cap. LXVI. *Unicorne & biſulcum oryx*.

*V.* 7. DE HIS AUTEM QUAE RUMINANT, ET UNGULAM NON FINDUNT. Hebr. *Verumtamen hoc non comedetis ex ruminantibus, & dividentibus ungulam fiſſam*. Atque ita affirmative ponunt Sept. & Chald. ſed tu utroque loco ſupple *tantum*. Quam ſententiam Hieronymus aliis verbis expreſſit: & alioqui non poſſent poſtrema verba cum primis cohærere, quia ruminant, & non dividunt ungulam. Sed nova difficultas, quomodo lepus ungulam non dividit, & cuniculus, quod pro *ſaphan* Hebraico ponit Chald. ſed ego puto pleraſque voces Hebraicas eſſe ignotas, & potius illis alia animalia ſignificari quam quæ Interpretes pro illis ſubſtituunt: quare neque de his, neque de conſequentibus magnopere laborandum putabam.

*V.* 19. OMNE QUOD REPTAT ET PENNULAS HABET. Hebræi in hoc genere ponunt muſcas, apes, veſpas. Quid de locuſta?

*V.* 20. OMNE QUOD MUNDUM

EST, COMEDITE. Hebr. *omne volucre*: sic Sept. & Chald. sed quid de avibus immundis?

*V.* 21. NON COQUES HAEDUM. Ut sonat, accipito: crudele id videbatur. Chald. hic, & Exod. XXIX. vers. 19. & cap. XXXIV. vers. 26. ubi hoc præceptum repetitur, semper vertit: *Non comedes carnem cum lacte*: idque tantum prohiberi putant Hebræi.

*V.* 22. DECIMAM PARTEM. Duæ decimæ erant: prima dabatur levitis; secunda de reliquis fructibus sumebatur, ut a dominis, qui ter ascendebant in templum, in eo itinere consumeretur, & in sacrificiis; tertia erat decima pauperum singulis tribus annis, de qua vers. 28. Verum hæc nova non erat, sed quæ Ierosolymæ consumenda erat, alioqui eo anno cedebat pauperibus, & levitis: sic in quodam Hebræo invenio.

*V.* 24. NEC POTUERIS AD EUM HAEC CUNCTA PORTARE. Hoc non est Hebr. sed additum a Hieronymo.

*V.* 25. PORTABISQUE MANU TUA. Hebr. *Et ligabis argentum in manu tua*. Hebr. *In crumena pones manu tua*.

*V.* 26. DOMUS TUA. Homines domus tuæ comedent tecum.

*V.* 27. QUIA NON HABET ALIAM PARTEM IN POSSESSIONE TUA. Heb. *Quia non ei pars, & hereditas tecum*, scilicet levitæ, quem epulis adhiberi vult.

*V.* 28. ANNO TERTIO SEPARABIS ALIAM DECIMAM. Hebr. *fine trium annorum*. Sept. *post annos tres*. Designat finem anni, quoniam tunc fructus sunt collecti, & decima poterat tunc separari.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. FILII ESTOTE DOMINI DEI VESTRI. Hebr. maiori emphasi: *Filii vos IHUH Deo vestro:* toti vos illi addicti & consecrati, promissionem habentes hereditatis æternæ per sanguinem Christi: ideo non est vobis lugendum, ut ceteris illis qui spem non habent, I. Thessalonicens. IV. vers. 12. NON VOS INCIDETIS. Verbum גדד *gadad*, proprie est *turmatim excursionem*, seu *incursionem*, vel *irruptionem facere*, quemadmodum milites levis armaturæ excurrunt ad depopulandum agros, & ad exercenda latrocinia: *excurrere*, *incurrere*, *irrumpere*, *latrocinari*; & inde translate interdum dicitur *de irruptione seu incursione*, quæ fit cultris, gladiolis, & lanceolis in cutem, quasi dicas grassari & latrocinari in carnem, vel carnem lancinari, seu lacerare: præsertim in Hithpahel, ut hic ponitur. Quidam vertunt, *cæsionem*, *cæsuram sib inducere*, *incidere se*. Sic sumitur I. Regum XVIII. vers. 28. Ieremiæ XVI. vers. 6. & alibi. Vide de hoc loco Levit. XIX. vers. 28. & XXI. vers. 5. Ergo hic dicit, in mortibus vestrorum ne incidatis vobis carnes, aut capillum radatis: hoc enim aut desperantium est, aut cum infidelibus communicantium, a quibus segregavit vos Deus. De ritu radendi capita & barbas in luctu, vide Kirchmanum Lib. II. de Funeribus, cap. XIV. & Iunium de Coma, cap. V. NE FACIETIS CALVITIUM. Hebr. *Et non ponetis calvitium inter oculos vestros*. Fortasse interdicit ritum aliquem gentilium, quo sibi in luctu supercilia radebant. Artemidorus Lib. I. Oneirocriticon, cap. XXVII. *Vetus mos est in luctu supercilia nudari*. S. Ambrosius Lib. VI. epist. XXXVI. de AEgyptiis: *Et cum ipsi capita & supercilia radant si quando Isidis suscipiunt sacra, &c.*

*V.* 3. QUAE IMMUNDA SUNT. Hebr. *abominationem*, *aversationem*; id est, animalia ad esum lege prohibita.

*V.* 5. BUBALUM. יחמור *iachmur*. Bis tantum hæc vox reperitur, hic, & I. Regum IV. vers. 23. Noster utrobique *bubalum*, id est *bovem silvestrem*, est interpretatus, secutus nimirum LXX. Interpretes. Id quoque amplexi sunt Reuclinus, Zamorensis, Caietanus, Sanctes, Vatablus, Avenarius, Schindlerus, Hispanicus Interpres. Rabbi Scelomoh, Rabbi David, Kimchi, Pomarius, Drusius, aiunt esse animal simile *magnæ capræ*, *iachmur* quoque Arabice dictum. Reuclinus notat, Germanicos Iudæos exponere *gempsen*. Marinus, *hircum silvestrem*. Leo Iudas, *ibicem*. Tremellius, & Iunius, *damam*. Forsterus, *asinum ferum*. Qui inquit: *Iachmur, asinus ferus & silvester, fera qua vesci lex permittebat: & forte tale est animal, qualia sunt in Lappia, & lingua vulgari raingi ab incolis dicitur, magnitudine, forma, & colore asini, ungulas habens bifidas, miræ velocitatis, cornua lanugine ob-*

*ducta, sed tamen humiliora cervis, & ramis rarioribus*. Eadem Mercerus. Hos e cervorum genere rangiferos vocat, & mire describit e Iacobo Zieglero Sebastianus Mercerus Lib. IV. Cosmographiæ pag. 849. item Olaus Magnus Lib. XVII. Gentium Septemtrionalium, cap. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. atque, Lapponibus horum carnes adhiberi ad victum delicatiorem. Vide de ranigiferis Scaligerum exercit. CVI. in Cardanum. Sanctes scribit, quibusdam *iachmur* genus esse *cervorum*; aliis, *capram rupicolam*. Hischuni Hebræus ineptissime putat esse *viverram*. Forstero astipulatur ratio nominis, nam חמור *chamor* Hebr. est asinus: nisi quod animal Lappiæ proprium parum videtur ad Iudæos pertinuisse: tutius fuerit *bubalum* amplecti. Nisi *bisontem*, aut *urum* Plinii Lib. VIII. cap. XV. potius quis suscipitur. TRAGELAPHUM. אקו *akko*, hic tantum invenitur. Hebræi fere *hircum silvestrem* exponunt, quod sequuntur Reuchlinus, Zamorensis, Sanctes, Vatablus. Hispanicus Interpres, *cabron salvaie*. Forsterus hæc annotat: *Akko nomen animalis feri, quo vesci Iudæis licebat, Hieronymus vertit tragelaphus: alii hircum silvestrem vocant: aliqui tamen ibicem esse putant. Ego non levibus argumentis adducor ut credam esse alcen, primo quod vocem Latinos ab Hebræo mutuatos credo, interposita tantum littera L: deinde si etymologiam nominis, & naturam animalis consideres: nam Hebræis a* קוא *ko, conturbato & tristi animo dicitur: sicut & Germanis, qui vocant elend, a morbo comitiali, quo quotidie laborare creditur*. Eadem Mercerus. Forstero subscribit Avenarius, qui vult cognationem habere cum verbis אנק *anak* & נאק *naak*, *vociferatus est vehementer*, & *crassiorem edidit sonum*: nam animal illud nomen habere a clamore. *Et hinc forte*, inquit, *Actæon Aristæi filius, qui fingitur mutatus in cervum, & a canibus suis laceratus*. Alcen descripsere Cæsar Lib. VI. Belli Gallici, Plinius Lib. VIII. cap. XV. Vide Iulium Scaligerum exercit. CVI. in Cardanum: qui alcen putat esse rangiferum; sed puto eum falli. Tremellius, Iunius, Buxtorfius, Schindlerus *akko*, *rupicapram*. LXX. Noster, & e recentioribus Marinus, Leo Iudas, *tragelaphum*, id est *hircocervum*, reddiderunt. Plinius Lib. VIII. cap. XXXIII. *Eadem, qua cervus, est specie, barba tantum & armorum villo distans, quem tragelaphon vocant, non alibi quam iuxta Phasin amnem nascens*. Eadem Solinus cap. XXII. Diodorus Siculus Lib. II. Numer. XCIV. in Arabia quoque eos ponit: *Quin etiam tragelaphi & bubali illic procreantur*. Scaliger exercitat. CCVII. in Cardanum: *Nec tragelaphus fabula est: quippe hircus facie & cornibus; cervus magnitudine, pilo, cauda, clunibus; pectus villorum frequentia tectum*. PYGARGUM. Ita quoque LXX. Interpretes. Est pygargus genus aquilæ, de quo Plinius Lib. X. cap. III. *Secundi generis pygargus in oppidis mansitat, & in campis, albicante cauda*. Est etiam pygargus genus capræ silvestris, & semiferæ, de quo Plinius Lib. VIII. cap. LIII. *Sunt & damæ, & pygargi, & strepsicerotes, multaque alia haud dissimilia*. Meminit Iuvenalis satyra XI. Non est dubium quin de hoc intellexerint LXX. & Noster. Ceterum Hebraicum *dischon*, quod alibi non legitur, varie interpretantur. Chaldæus Paraphrastes, Leo Iudas, Montanus, Pomarius, Hispanicus Interpres, *unicornem*: frigide: Vatablus, *damam*: Reuchlinus, Zamorensis, Sanctes, Bertramus, Drusius, Buxtorfius cum Nostro, *pygargum*. Forsterus hæc observat: דישון *dischon nomen cervi seu bovis silvestris unum in fronte cornu gerentis, ideo Onkelos transtulit Rema unicornem. Credo autem Græcis nomine non multum dissonante* βισῶν *dictum, Latinis bison: quamquam quidam scriptores ei duo cornua tribuant, ad dorsum recurva. Habet autem appellationem a conculcatione, quia cornibus ventilare ac triturare dicitur adversa*. Bisonem quoque, seu bisontem reddunt Marinus, & Avenarius. Plinius Lib. VIII. cap. XV. *Pauca animalia gignit Germania, insignia tamen boum ferorum genera, iubatos, bisontes*. Agit de istorum venatione Pausanias in Phocicis, numer. 328. Scaliger exercitat. CCVI. bisontem accurate descripsit. Tremellius, & Iunius, *dischon strepsicerotem* reddunt; adduntque: *Sic enim Afri vocant aldassen, teste Plinio Lib. XI. Naturalis Historiæ cap. XXXVII. etsi corrupte legimus addacem, appellatione ex nomine Hebræo, & articulo eorum depravata*. Verba Plinii sunt: *Erecta autem cornua, rugarumque ambitu contorta, & in leve fastigium exacuta, ut*

lyras

*lyras diceres*, *strepsiceroti*, *quem addacem Africa appellat*. Strepsicerotem inter capras silvestres & semiferas recenset idem Plinius Lib. VIII. cap. LIII. Scaliger exercit. CCVII. *Toto genere diversi* ( a capreolis) *strepsicerotes ovilli generis*, *surrectis cornibus*, *claviculatim torosis*. Drusio coniectura Tremellii, & Iunii infirma videtur. Nec prorsus alienum esset, addassem Plinii esse hadischon Hebraicum cum articulo. ORYGEM. תאו *teo*. Non alibi hæc vox reperitur. Hebræi constanter *bovem silvestrem* accipiunt, quod sequuntur Reuchlinus, Vatablus, Forsterus, Sanctes, Marinus, Pomarius in Lexicis. Hispanicus Interpres, *buey salvaie*. Leo Iudas, Forsterus, Avenarius, *urum*. Plinius Lib. VIII. cap. XV. *Excellentique & vi, & velocitate uros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit*. Eum describit Cæsar Lib. VI. Belli Gallici, a quo Plinius mutuatus. Vide Scaligerum exercit. CCVI. Tremellius, Iunius, Schindlerus, Buxtorfius, *bubalum*: alii, *tarandum*, e cervotaurorum genere, de quo Plinius Lib. VIII. cap. XXXIV. Solinus cap. XXXIII. At LXX. Noster, Alfonsus Zamorensis, Sanctes, *Orygem*. Plinius Lib. XI. cap. XLVI. *Unicorne & bisulcum oryx*. Et Lib. II. cap. XL. *Orygem appellat AEgyptus feram, quam in exortu caniculæ contra stare, & contueri tradit, ac veluti adorare, cum sternuerit*. Posset quis existimare תאו *teo*, vel תוא *to* transpositis litteris, ut scribitur Isaiæ LI. vers. 20. esse *thoem* Plinii Lib. VIII. cap. XXXIV. nisi is esset e luporum genere. Sed nihil lupinæ formæ habere scribit Scaliger exercit. CCX. Sed ea de re dicemus ad eum Isaiæ locum. Annotant *teo* dictum a תאה *taah*, *circumscribere*, per antiphrasim, quod sit animal quod se circumscribi præ feritate non patiatur: vel a stupiditate. CAMELOPARDALUM. זמר *zamer*, de quo Sanctes: *Zamer nomen animalis, quod Hieronymus camelopardalum vertit; nos capram rupicolam. Scripsit Rabbi Ionah Arabice appellari zoraphah, forte est, quod vulgo appellatur giraffa, genus animalis magnæ altitudinis, & colli oblongi, quod nostris temporibus a Turcarum Rege missum fuit ad magnificum Laurentium Mi... in Florentinum*. Forsterus: *Zamer nomen animalis, quod Chaldæus דיצא ditza, alii camelopardalum imitati LXX. alii capram rupicolam, alii alcem interpretantur. Arbitror autem nomen id habere ab incisione palmitum seu ramorum, quos in cornibus habet: & barbaris dictum rangiferum, Latinis ramiferum, seu ramigerum*. Eadem Mercerus. Sed ramiferum iidem dixerunt esse *iachmur*, supra hoc versu. Avenarius *Zamir ramigerus, capra rupicola, a cornibus sarmentosis*. Schindlerus, *Zamer, animal ramiferum, capra rupicula, dama*. Ergo hic *capram rupiculam*, seu *rupicapram*, exponunt Sanctes & Vatablus. Editiones, Germanica, & Hispanica, quæ habet *cabra montes*. De *rupicapris* Plinius Lib. VIII. cap. LIII. & accurate Scaliger exercit. CCVII. *Tarandum*, Leo Iudas. *Camelopardalum*, seu *camelopardalim*, LXX. Noster, Reuchlinus, Zamorensis, Tremellius, & Iunius, Pomarius, Buxtorfius, Drusius. Camelopardalim plurimi descripsere, M. Varro Lib. IV. de Lingua Latina cap. XX. Plinius Lib. VIII. cap. XVIII. Solinus cap. XXXIII. Dio Cassius Lib. XXXXIII. Heliodorus Lib. X. AEthiopicorum, cap. XXIX. Angelus Politianus Lib. I. Miscellaneorum, cap. III. Antonius Nebrissensis in Quinquagena cap. VIII. Scaliger exercit. CCXIX. in Cardanum. *Ovem feram*, non *avem feram*, dictam, ex Plinio disces: consentiunt omnes esse quam Persæ, & vulgus *girapham* vocant.

*V*. 6. OMNE ANIMAL, &c. De hoc versu & seqq. vide Levitici XI. vers. 3. & seqq.

*V*. 7. CAMELUM. Lampridius in Heliogabalo: *Struthiones, & camelos* ( quidam *strutiocamelos*) *exhibuit in cœnis aliquoties, dicens præceptum Iudæis ut ederent*. Sed mentiebatur Heliogabalus, cum camelus, & struthio interdicta fuerint Iudæis hoc versu, & infra vers. 15. & Numer. XI. vers. 16. aut in Lampridio pro *ut* legendum *ne*, quasi in odium moris Iudæorum vellet Heliogabalus ut iis vescerentur. LEPOREM. ארנבת *arnebet*. Vide Levit. XI. vers. 6. CHOEROGRILLUM. שפן *schaphan*. Vide Levit. XI. vers. 5.

*V*. 12. AQUILAM. נשר *nescher*, Vide Levit. XI. vers. 13. GRYPHEM. פרס *peres*. Vide Levit. XI. vers. 13. HALIAEETUM. עזניה *ghazeniiah*. Vide Levit. XI. vers. 13.

*V*. 13. IXION. ראה *raah*, pro hac Levit. XI. vers. 14. scribitur *daah*. Plerique

pu-

putant unam & eamdem speciem avis esse, ut facile Daleth, & Resch in hac linsgua commutantur, & invicem substituuntur, ut in *Dodanim* pro *Rodanim*, *Dumah* pro *Rumah*. Quid sit *daah*, eo loco Levitici explicuimus; at *raah* certum est a videndo nomen habere, nimirum vel ab acumine visus quo prædita est, vel quod visum celeritate volatus æquet. LXX. Interpretes, Hebræorum plerique, & Reuchlinus, Sanctes, Vatablus, Leo Iudas, Avenarius, Drusius, Schindlerus, Marinus, *vulturem* exponunt. Montanus, *volaticam*, nempe *aquilam volaticam*. Pomarius, *milvum*. Tremellius, & Iunius, *cornicem*: quod non male quadrat, nam cornix videtur esse acutissimi visus: unde proverbium, *Cornicum oculos configere*, pro, perspicacissimis, occulatissimisque visum adimere, & plus quam illos videre. Consule Erasmum Chiliadis I. Centuria III. adagio 74. Noster & plerique illum secuti *Ixion* interpretantur. Lyranus: *Ixion avis est de genere vulturis alba, & minor quam sit vultur*. Hoc ipsum habent Abulensis, Sanctes, Vatablus, & alii ecclesiastici Lexicographi. Sed nullus expedit apud quem Græcum, aut Latinum antiquum Scriptorem *Ixion* id genus avis reperiatur: nam nec Aristoteles, nec Plinius, nec Solinus, nec AElianus meminere. Henricus Stephanus peculiarem diatribam condidit de voce *Ixos*, sed nihil de animali aut de ave. Est Hesychio *Ix* animalculum vites adedens: sed nihil ad institutum. Ergo de Ixio adhuc apud Græcos, & Latinos quæro. Si coniecturis locus, forsan pro *Ixion* legendum *Gypion*, parvam vulturem; vel *Gnision*, præcipuum genus aquilarum, de quo Aristoteles Lib. IX. Historiæ Animalium cap. XXXII. alias XLI. Plinius Lib. X. cap. III. ET VULTUREM. איה *aiah*. Vide Levitici XI. vers. 24. AC MILVUM. דיה *daiah*, plerique idem esse volunt quod דאה *daah*, de quo diximus Levit. XI. vers. 14. Nonnulli reddunt, *vulturem*: voluntque genus esse ad omnes species vulturum. Sed Hebræi, & alii fere, *milvum*. Dictum volunt a דיו *deio*, *atramento*, quod sit avis nigra ut atramentum: alii a דאה *daah*, a celeritate volatus: alii a די *dai*, *sufficientia*, a potenti & indefesso volatu, quod sufficienter volet; vel per antiphrasim, cui nihil satis sit ob voracitatem.

*V.* 15. STRUTHIONEM. Hebr. *filiam* יענה *iaghanah*. Vide Levit. XI. vers. 16. NOCTUAM. תחמס *tachmas*. Vide Levit. XI. vers. 16. LARUM. שחף *schachaph*. Vide Levit. XI. vers. 16. ACCIPITREM. נץ *netz*. Vide Levitici XI. vers. 16.

*V.* 16. HERODIUM. כוס *cos*. Vide Levit. XI. vers. 17. ubi Noster *bubonem* vertit. CYGNUM. תנשמת *tinschemeth*. Vide Levit. XI. vers. 18. IBIN. ינשוף *ianschuph*. Vide Levit. XI. vers. 17.

*V.* 17. MERGULUM. קאת *kaath*. Vide Levit. XI. vers. 17. PORPHYRIONEM. רחמה *rachamah*. Vide Levit. XI. vers. 18. NYCTICORACEM. שלל *schalal*. Vide Levit. XI. vers. 17. ubi Noster *mergulum* exposuit.

*V.* 18. ONOCROTALUM חסידה *chasidah*. Vide Levit. XI. vers. 19. ubi Noster *herodionem* transtulit. CHARADRIUM. אנפה *anaphah*. Vide Levit. XI. vers. 19. UPUPAM. דוכיפת *duciphat*. Vide Levit. XI. vers. 19. VESPERTILIONEM. עטלף *ghatalleph*. Vide Levit. XI. vers. 19.

*V.* 19. ET OMNE QUOD REPTAT, &c. Argumentum huius versus & sequentis fusius explicatur Levit. XI. vers. 20. & deinceps.

*V.* 21. NON COQUES HAEDUM, &c. Hanc pericopem expositam habes Exod. XXIII. vers. 19. quæ etiam repetitur Exod. XXXIV. vers. 26. Notant גדי *gedi* proprie esse *hædum*, *hædulum*, *hædiculum*, tam caprini quam ovilli generis, atque tamdiu obtinere hoc nomen quamdiu fronte incurrit in ubera matris, id est quamdiu est lactens, a גדד *gadad*, *incurrere*. Germani parum deflexa voce vocant *gitz*, vel *gitzlin*: nec est dubium quin Latina *hædus*, accepta sit ab Hebraica *gedi*. Nonnulli Hebræorum observant eamdem esse rationem carnis cuiuscumque animalis ad esum concessi: nisi quod de re præsenti more suo Scriptura loquitur, quod usu recepto hominum hædi potius quam agni comedi soleant; ut & passim in Scriptura videre licet. Loquitur autem de parvulis, quia bestiæ magnæ caro in lacte non coquitur. Lac enim facile coquitur, non item caro nisi parvulorum, &c.

*V.* 22. DECIMAM PARTEM SEPARABIS. Hebr. *Decimando decimabis*; id est, omnino, diligenter, studiose decimabis. Alii: *Fideliter decimabis*. Aliqui: *Exacte*

ncte decimabis. QUI NASCUNTUR IN TERRA. Hebr. *egredientem agri*, vel *agro*, aut *ex agro*. Quidam, *exeuntem agrum*. Aliqui: *Qui provenit in agro*. Nonnulli transitive: *Quem ager profert, profundit*.

*V*. 23. ET COMEDES IN CONSPECTU, &c. Notant, his secundis decimis prospectum fuisse de commeatu iis qui ex lege statis feriis in locum electum a Deo conveniebant. DECIMAM FRUMENTI, &c. Observant hanc non fuisse proprie & exacte decimam partem fructuum quæ levitis debebatur, Numer. XVIII. sed arbitrariam quamdam portionem proventuum agri, appellatam decimam, quemadmodum & Iacob vovit offerre decimas. ET PRIMOGENITA DE ARMENTIS, &c. Pariter hic quoque primogenita non intelligunt primonata, & aperientia vulvam: nam hæc Domini erant, Exod. XIII. vers. 2. & 12. Exod. XXII. vers. 29. Exod. XXXIV. vers. 19. Deuter. XV. vers. 19. sed præcipua, eximia, optima animalia, præter primonata. Atqui hæ decimæ dicebantur secundæ, præter illas primas levitis debitas. De tertiis decimis vide infra vers. 28.

*V*. 24. TIBIQUE BENEDIXERIT. Hebr. *Quia benedicet te*. Quidam: *Eo quod benedixit tibi*, seu *fortunavit te*: vel *copiosas opes tibi dedit*; id est, quia opibus & decimis auctus per benedictionem Dei, & locupletatus es, adeo ut difficile sit eas exportare tanto itinere. NEC POTUERIS AD EUM HAEC CUNCTA PORTARE. Hebr. *Cum non poteris ferre eam*, nempe decimam. Seipsum declarat in sequentibus. Quidam reddunt: *Ut non possis ferre illas decimas*, vel *quam tu sis ferendo eam decimam*.

*V*. 25. VENDES OMNIA, &c. Hebr. *Et dabis in pecunia*. Exponunt: Id est, vendes, aut commutabis decimas illas pro pecunia. Est Hebraismus, & Hispanicus, *daraslas en dinero, haraslas dinero*. ET IN PRETIUM REDIGES, PORTABISQUE MANU TUA. Hebr. *Et coarctabis, constringes, colligabis argentum in manu tua*. Quidam: *Et colligatam pecuniam habens in manu tua, ibis ad locum, &c.* Alii: *Et colligata pecunia in fasciculum in manum tuam, ibis, &c.* Nonnulli: *Et colligatam pecuniam in fasciculum, pones in manu tua*.

*V*. 26. ET EMES EX EADEM PECUNIA QUIDQUID TIBI PLACUERIT. Hebr. *Et dabis pecuniam in omni quod avebit anima tua*; id est, comparabis ea pecunia quidquid voles. Quidam: *Expensaque pecunia illa in omnia quæ desideraverit animus tuus, in boves, aut in pecudes, &c.* Hispanicus Interpres: *Y daras el dinero por todo lo, que tu anima dessa, por vacas, y por oveyas, &c.* hoc est, *comparas lo que quisieris*.

*V*. 28. ANNO TERTIO SEPARABIS ALIAM DECIMAM, &c. Hebr. *De extremitate, fine trium annorum exire facies omnem decimam proventus tui in anno illo*. Quidam: *Tertio quoque anno proferes omnes decimas proventus tui illo anno*. Alii: *A fine tertii anni selige omnes decimas annonæ tuæ illius anni*. Nonnulli: *A fine trium annorum depromito omnes decimas proventus tui provenientis illo anno*. Notant, hoc illud tertium esse decimarum genus quod trietericum appellari possit, id est recurrens tertio quoque anno. De primo autem decimarum genere, quod levitis adiudicavit Deus, vide Numer. XVIII. De secundo, supra vers. 23. De tertio isto, vide etiam infra cap. XXVI. vers. 12. Iosephus Scaliger diatribam peculiarem condidit de decimis in lege Dei; sed hanc tertiam decimam omisit, & multa futiliter & inaniter disseruit.

## MENOCHII.

*Vers*. 1. FILII ESTOTE DOMINI DEI VESTRI. Idem his verbis significatur quod alibi cum dicitur: *Sancti estote, quia ego sanctus sum*: Levit. XI. 14. & alibi. NON VOS INCIDETIS. Vide dicta de hoc Levit. XIX. 28. CALVITIUM SUPER MORTUO. Vide dicta Levit. XIX. 27. hic in Heb. est: *Non ponetis calvitium inter oculos vestros ad mortuum*: quod significat, anteriorem capitis partem pilis nudare tondendo, aut radendo.

*V*. 5. BUBALUM. Hebr. יחמור *iachmur* LXX. βούβαλον. Lib. III. Reg. cap. IV. 23. inter cibos regios Salomonis, & venatione apprehensos bubali numerantur, quod non videtur convenire bubalis Italicis, quos vernacula lingua appellamus *Bufali*. Plin. Lib. VIII. cap. XIII. docet, bubalos gignere Africam, vituli, cervive quadam similitudine. Aristoteles bubalum

cer-

cervo coniungit, quorum sanguinem negat spissari, & concrescere. His consentit Hesychius, cui *βούβαλος* est *δορκάδιον*, *parva caprea*. TRAGELAPHUM: Hircocervum. Animal corporis forma cervum, cornibus, & barba hircum referens, de quo videri potest Plinius Lib. VIII. cap. XXXIII. PYGARGUM: capreæ genus, damis simile, de quo Plinius Lib. VIII. cap. LIII. ORYGEM, *bovem silvestrem*, sive *urum* verterunt. Orygem in caprarum silvestrium genere reponit Plinius Libr. VIII. cap. LIII. Aristot. Lib. II. de Historia Animalium cap. I. & Plinius Lib. XI. cap. XLVI. bisulcum, & unicornu hoc animal faciunt. CAMELOPARDALUM: animal camelum, & pardalim referens: camelum capite, & oblongo aliquantulum collo; pardalim, seu pantheram macularum toto corpore varietate. Vide Plinium Lib. VIII. cap. XVIII.

*V.* 6. OMNE AMIMAL QUOD IN DUAS PARTES FINDIT UNGULAM, ET RUMINAT, COMEDETIS: cuiusmodi sunt decem species duobus versibus præcedentibus commemoratæ; sed non dubium, id etiam pluribus aliis competere.

*V.* 7. CAMELUM, LEPOREM, CHOEROGRYLLUM, &c. Vide Levit. cap. XI. num. 4. & deinceps.

*V.* 13. IXION est avis ex vulturum genere.

*V.* 21. QUIDQUID AUTEM MORTICINUM EST, de mundis scilicet animalibus, nam de immundis nihil erat opus præcipere. Vide Levit. XI. 39. & seq. Porro sub morticinis intellige etiam ea quæ casu aliquo, vel lapsu, vel suffocatione in aquis, aut aliter necabantur. PEREGRINO DA UT COMEDAT, Gentili in Gentilismo manenti, qui legibus Iudaicis de cibis mundis, aut immundis non tenetur. QUIA TU POPULUS SANCTUS, &c. quem nihil indecens facere convenit; hoc autem ex legis præscripto indecens, & illicitum est. NON COQUES HAEDUM IN LACTE, &c. Vide de hoc Exod. XXXIII. 19.

*V.* 22. DECIMAM PARTEM, &c. Vide dicta supra cap. XII. num. 17.

*V.* 23. PRIMOGENITA. Vide dicta eodem cap. XII. num. 17.

*V.* 24. TIBIQUE BENEDIXERIT; hoc est, annuis proventibus locupletaverit, ut proinde cumulus bonorum in sanctam civitatem deferendus excrescat.

*V.* 26. SIVE EX ARMENTIS, hoc est e bobus: ex his enim solis armenta conflabantur eorum quæ immolari, & edi possent: & in Hebræo diserte bos exprimitur. SIVE EX OVIBUS: sub quibus & capras intellige. SICERAM. De sicera dictum Levit. X. 9.

*V.* 27. LEVITES QUI INTRA PORTAS TUAS EST; hoc est, qui in urbe tua habitat.

*V.* 28. ANNO TERTIO. LXX. *μετὰ τρία ἔτη post tres annos*, ultimo anno e tribus. ALIAM DECIMAM, &c. Hæc decima ad templi locum deferenda non erat, sed in levitas, & pauperes loci distribuenda.

*V.* 29. ET COMEDENT, ET SATURABUNTUR. Huius decimæ nullo modo erat particeps is qui eas e bonis suis dabat, sicut erat particeps earum quæ deferebantur ad epulas, quibus intererat etiam deferens.

## TIRINI.

*Vers.* 1. DE incisione super mortuo; itemque de calvitio ex superstitione non inducendo, vide Lev. XIX. vers. 27.

*V.* 5. TRAGELAPHUS, id est hircocervus, ab Aristotele *a* vocatur hippelaphus, hoc est equocervus: quia iuba refert equum, cornibus & barba hircum, reliqua corporis forma cervum. Vide Plinium, & Diodorum Siculum *b*. BUBALUS non est bos ille Italiæ quem vulgus Bufalum appellat, sed neque bos silvester, ut Vatablus, & Sa putant: neque enim hi inter delicias reponi solent, aut cibos regios; ut bubali III. Regum IV. vers. 23. inter cibos Salomonis regios, & venatione captos reponuntur. Quales bubalos agnoscunt Plinius, & Aristoteles dum eos aiunt esse de genere cervorum; Gesnerus item, & Hesychius, qui eos referunt ad genus caprearum. Et forte melius ex mente Scripturæ, quæ tam hic, quam III. Regum IV. bubalum capreæ coniungit. PYGARGUM quoque capreis adnumerat Plinius *c*, & damæ similem facit. Quamquam & aquilæ genus sit, eodem Plinio *d*, & Aristotele *e* testibus, quod

quod ab albicante cauda *Pygargus* quoque vocatur. Denique & ORYGEM in caprarum silvestrium genere reponunt iidem Plinius, & Aristoteles *f*, eamque unicornem ac bisulcam faciunt, & contrario pilo, nempe ad caput verso, vestiri dicunt. CAMELOPARDALUS camelum, & pardalim aliquo modo refert: camelum capite, & oblongo aliquantum collo; pardalim seu pantheram macularum toto corpore varietate. Vide Plinium *g*. Oppianus, Heliodorus, & Angelus Politianus *h* dicunt, camelopardalim habere crura anteriora multo altiora quam sint posteriora crura; item duo parva in capite cornua; neque tamen animali illi quidquam inesse feritatis.

*V.* 15. STRUTHIO avium maxima, non tamen per aera volat, sed alis se ad cursum, quem pernicissimum habet, iuvat. In nonnullis naturam quadrupedum refert, puta ungula pedum, quam bisulcam habet ut cervus. Stolidissimum est animal, solitudinis amans, voce lugubri, &c. teste Iob, Isaia, Ieremia, Michaea *i*. LARUS e milvorum est genere, pisciculis quos prædatur victitans. Ex eodem genere videtur esse & mergulus, de quo vers. 17. quem alii ardeam esse volunt, dicique mergulum, quod se in aquas ad pisciculos capiendos immergat.

*V.* 16. IBIN, AEgypti avis est, serpentibus infesta: estque duplicis generis, una candida, altera nigra.

*V.* 17. PORPHYRIO venustissima avium a purpura nomen accepit: *rostrum illi, & prælonga crura rubent*, inquit Plinius *k*: *cæruleus toto corpore color, media extremæ caudæ pars in cinereo albicat*, inquit Gesnerus *l*. In Bætica patria sua frequentem hanc avem esse ait Antonius Nebrissensis *m*. Addit AElianus *n*, amicissime cum aliis domesticis animalibus convivere: & cum gallum forte herus epuli causa iugulasset, porphyrionem præ dolore sibi ipsi inedia mortem attulisse.

*V.* 18. ONOCROTALUS, id est asini crepitaculum, ob inconditam & absonam vocem quam emittit. Hæc avis in Helvetia, & ad lacum Lemanum frequens, rostro admodum longo, magnitudine corporis, & pennarum candore cygno fere similis, teste Plinio *o*. Gesnerus *p* narrat eum qui Mechliniæ totis 50. annis nutritus nostro sæculo fuit, alarum extrema habuisse nigra. In faucibus ingluviem habet amphoræ capacem, quam aqua implet, sicque in eam pisciculos recipit: quos ubi sat multos receperit, aquam evomit retentis pisciculis quos vorat. Charadrionis, seu Charadrii, meminere Aristoteles, Plutarchus, AElianus & Suidas *q*: sic dictus, *quod circa fluminum alveos, & rivorum* χαράδρας, *seu hiatus riparum versari soleat*. Unde & Latine *Hiaticola* dici posset, inquit Gaza *r*. Tribuunt ei hanc virtutem, quod ictericis seu regio morbo affectis solo suo aspectu medeatur. Licet alii velint non tam sanitatem adferre, quam futuram sanitatem prænuntiare, si ægrum defixis oculis intueatur; mortem vero, si oculos avertat. De Chœrogryllo, Gryphe, & Haliæeto, vide quæ dixi Levit. 11. De hædo vero non coquendo in lacte matris, vide Exodi XXIII. De triplici genere decimarum quæ ab Israelitis pendi debebant, dixi Levit. XIX. vers. 23.

(*a*) Arist. Lib. II. Hist. Anim cap. I.
(*b*) Plin. Lib. VIII. cap. XV. & XXIII. Diod. supra.
(*c*) Plin, supra cap. IIII.
(*d*) Plin. Lib. X. cap. III.
(*e*) Arist. Lib. VI. supra.
(*f*) Plin. Lib. VIII. cap. IIII. & Lib. XI. cap. XLVI. Arist. Lib. II. cap. I.
(*g*) Plin. supra cap. XVIII.
(*h*) Oppian. Lib. III. de Venatione. Heliod. Lib. X. AEthiopicæ hist. Ang. Polit. apud Gesnerum & Anton. Nebrissensem in Quinquagena cap. VIII. Plin. Lib. X. cap. XLIX. Albertus Magnus.
(*i*) Iob XXX. Isaiæ XIII. 34. 43. Ierem. I. Michææ I.
(*k*) Plin. Lib. X. cap. LXVI.
(*l*) Gesnerus in Paralipom.
(*m*) Nebrissen. cap. XXXVI. Quinquagenæ.
(*n*) AElian. Lib. V. cap. XXVIII.
(*o*) Plin. Lib. X. cap. XLVII.
(*p*) Gesnerus supra.
(*q*) Arist. Lib. VIII. de Histor. Animal cap. III & Lib. IX. cap. XI. Plutarch. in Sympos. Lib. V. quæst. VII. AElianus Lib. cap. XIII. Suidas in Hipponact.
(*r*) Gaza Interpres Aristot. supra.

## GORDONI.

*Vers.* I. NEC FACIETIS CALVITIUM SUPER MORTUO. Iudæi etiam hodie credunt animæ immortalitatem, & hunc ritum non tondendi partem anteriorem capitis servant in mortuis. Hoc quod hic prohibetur, putantur fecisse Gentes, quæ resurrectionem, & vitam futuram non credebant. Prohibetur porro incisio super mortuo: de qua supra Levit. XIX. vers. 28.

*V.* 5.

*V.* 5. Mundis eis animalibus, notis apud Hebræos, vesci licebat. Orix capra silvestris est Plinio, Lib. VIII. cap. LIII. Tragelapus hic est hircocervus, seu ex hirco, & cerva progenitum animal, non autem imaginarium & fictum, quale sibi formant Dialectici. Pygarcus aquilæ species est, ex Arist. Lib. VI. histor. Animal.

*V.* 7. De his autem, &c. Vide Levit. cap. XI. ubi de his animalibus actum est. Choerogryllus quibusdam est cuniculus.

*V.* 12. Haliaeetus marina Aquila.

*V.* 13. Ixion genus vulturis.

*V.* 18. Onocratulus forte ciconia.

*V.* 21. Quicquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Hoc de mundorum animalium morticiniis præcipitur similiter Levit. XI. vers. 39. Quod vero est hic de peregrino, Hebraice est גר *ger*: quæ vox licet non raro accipiatur pro proselyto, hic tamen alienigenam significat: nam proselyti tenebantur servare legem Mosaicam, & proinde hanc de morticinio; a quo tamen non abstinebit peregrinus. Hinc Septuag. hic non habent προσήλυτον, sed πάροικον. Demum de hædo non coquendo, vide Exod. cap. XII. vers. 45. de voce גר *ger*.

*V.* 22. Tres decimæ decernuntur in lege. Duplices, nempe quotannis; & tertiæ quolibet triennio. De primis agitur Numeror. cap. XVIII. & totæ dabantur levitis. Ex his levitæ dabant decimam Pontifici. Secundæ pendebantur ex residuis novem partibus: aliqui secundarias vocant. De his iam agitur a vers. 22. usque ad 28. Tertia decima quolibet tantum triennio pendebatur semel; quæ hic describitur vers. 28. & dabatur pupillis, & viduis pauperibus, atque etiam levitis per modum eleemosynæ. Vide Deut. cap. XII. vers. 17. Hanc decimam esse spontaneam putat Caietanus; alii præceptam. De valore harum decimarum dixi Numer. XXVIII.

*V.* 13. & 26. De his primogenitis dixi hic cap. XII. vers. 17. & de sicera Levit. cap. X. vers. 9.

*V.* 28. & 29. Anno tertio, &c. Probabilius est hunc tertium annum accipi non post unum tantum, sed post duos interiectos, ita ut terminus incipiat post annum solutæ decimæ. Hinc Sept. μετὰ τρία ἔτη. Hæc decima alia non est illa de qua vers. 22. quæ erat sacris epulis destinata; sed diversa est, & designata ad levandam indigentiam pauperum: nec deferri debebat ad locum templi, vel tabernaculi. Vide Hieronymum Ezech. LXV. & Ioseph. IV. Antiq. cap. VIII.

## Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 6. Findit ungulam. Talia sunt animalia quæ 4. & 5. versiculis continentur. Nec tamen sola illa.

*V.* 24. Benedixerit, locupletaverit.

*V.* 27. Qui intra portas tuas est. Qui habitat in urbe tua.

# CAPUT XV.

*Lex remissionis septimi anni in quos exerceatur: de servo Hebræo qui noluerit manumitti: de primogenitis Domino sanctificandis & comedendis.*

SEptimo anno facies remissionem, 2. quæ hoc ordine cele-
brabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo ac fra-
tre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Do-
mini. 3. A peregrino & advena exiges: civem & propin-
quum repetendi non habebis potestatem. 4. Et omnino in-
digens & mendicus non erit inter vos: ut benedicat tibi Do-
minus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in posses-
sionem. 5. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris universa
quæ iussit, & quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est.
6. Fenerabis gentibus multis, & ipse a nullo accipies mutuum. Dominaberis
nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur. 7. Si unus de fratribus tuis,
qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus
daturus est tibi, * ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec con-
trahes manum, 8. sed aperies eam pauperi, (a) & dabis mutuum, quo eum in-
digere perspexeris. 9. Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in
corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis, & avertas oculos tuos a
paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare: ne clamet
contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum. 10. Sed dabis ei: nec ages
quippiam callide in eius necessitatibus sublevandis: ut benedicat tibi Dominus
Deus tuus * in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris. 11. (b)
Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut
aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra. 12.
(c) Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis
servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum: 13. & quem libertate do-
naveris, nequaquam vacuum abire patieris: 14. sed dabis viaticum de gregibus,
& de area, & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi. 15.
Memento quod & ipse servieris in terra AEgypti, & liberaverit te Dominus
Deus tuus, & idcirco ego nunc præcipio tibi. 16. Sin autem dixerit: Nolo e-
gredi: eo quod diligat te, & domum tuam, & bene sibi apud te esse sentiat:
17. assumes subulam, & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & serviet
tibi usque in æternum: ancillæ quoque similiter facies. 18. Non avertas ab
eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos: quoniam iuxta mercedem mer-
cenarii per sex annos servivit tibi: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cun-
ctis operibus quæ agis. 19. De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, &
in ovibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo.
Non operaberis in primogenito bovis, & non tondebis primogenita ovium. 20.
In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos, in loco quem e-
legerit Dominus, tu & domus tua. 21. (d) Sin autem habuerit maculam, *

vel

vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo. 22. sed intra portas urbis tuæ comedes illud: tam mundus quam immundus similiter vescentur eis, quasi caprea & cervo. 23. Hoc solum observabis, ut sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.

(a) Matth. v. 43. Luc. vi. 32. (b) Matt. xxvi. 10. (c) Exod. xxi. Ierem. xxxiv. 14. (d) Levit. xxii. 20. & 21. Eccli. xxxv. 14.

# BRUGENSIS

## ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 7. *Ad paupertatem venerit*. Pro simplici *venerit*, non substituas compositum *devenerit*.

V. 10. *In omni tempore*. Quidam ex Hebræo correxerunt *opere* pro tempore.

V. 21. *Vel claudum fuerit*. Alii præponunt coniunctionem *&*: *Et vel claudum fuerit*.

# COMMENTARIA

## SA.

*Vers.* 1. SEPTIMO, scilicet in fine, ut indicant Hebr. & LXX.

*V.* 3. PEREGRINO, id est non Iudæo. A Iudæo, qui non erat solvendo, repeti non poterat.

*V.* 4. MENDICUS; quasi dicat: Ne patiare Iudæum mendicare, sed subveni. Vide paulo inferius, ubi ait, non defuturos pauperes. Vel significat tantam fore bonorum abundantiam si Dei legem servent, ut nemo cogatur mendicare; alioqui non defuturos pauperes.

*V.* 6. FENERABIS; id est, mutuum dabis.

*V.* 9. FIAT TIBI IN PECCATUM; id est, fias reus peccati, vel pro peccato puniaris.

*V.* 11. PAUPERES, scilicet privati: nam publici mendici non erant, ut quidam volunt. At videtur contradicere Luc. cap. xvi. Vide supra.

*V.* 12. VENDITUS; scilicet seipse vendiderit. Nota, quod tales non dimittebantur, nisi post septem annos, etiamsi interveniret annus remissionis.

*V.* 14. VIATICUM. Hebr. *Quod portet onustus*; quasi dicat, abundanter.

*V.* 17. SIMILITER FACIES, scilicet donando libertate, non autem perforando aurem.

*V.* 18. NON AVERTAS, &c. Hebr. Chald. & LXX. *Ne tibi durum videatur, quod liberum eum dimiseris*. IUXTA MERCEDEM; quasi dicat: Illud servitium est meritum libertatis, tamquam mercenarius. Hic enim apud Hebræos per tres annos solum operas locabat.

*V.* 19. SANCTIFICABIS; id est, offeres ut rem sanctam, seu dedicatam Deo.

*V.* 20. COMEDES, scilicet partem datam a sacerdotibus.

*V.* 23. QUASI AQUAM, scilicet ita ut nihil remaneat.

## ESTII.

*Vers.* 1. SEPTIMO ANNO FACIES REMISSIONEM. De anno septimo, & quinquagesimo, vide etiam Levitic. xxv. Quidam opinantur remissionem hanc sic intelligi, ut ipso dumtaxat septimo anno non liceret exigere debita, liceret autem post eum annum expletum. Sed revera nihil durum habet lex ista de absoluta remissione intellecta, modo cum Lyrano eam restringas ad impotentes solvere. Deinde quod argumentantur alii, & inter eos Caietanus, vocabulo Hebræo non significari remissionem, sed subtractionem, nihil est. Nam tantumdem valet. Et non solum Hieronymus, sed & alii Hebrææ linguæ peritissimi vertunt, *remissionem*: Interpres Vatabli, & ipse Vatablus, Pagninus, Arias.

V. 4.

*V.* 4. ET OMNINO INDIGENS ET MENDICUS NON ERIT INTER VOS. Quæritur quomodo hoc non pugnet cum eo quod dicitur hoc ipso capite vers. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ*: quin & hoc ipsum mox explicatur de paupere fratre, & fratre Hebræo, qui ob paupertatem venditur. Respondetur, nullam hic esse pugnantiam. Nam primo loco præceptum est, ac si dicat Dominus per Moysen: Non sit indigens & mendicus inter vos; sitis vero in eos mites & liberales, ideo & septimum hunc annum remissionis constituo. In posterioribus autem illis verbis est nuda assertio, qua ostenditur numquam defuturos eos in quos possint, & debeant esse liberales. Nequaquam autem urgendum est, quod Interpres noster primo loco vocet indigentem & mendicum, posteriori vero loco simpliciter pauperem, quasi permittantur homines pauperes, sed non mendici: quia apud Hebræos utrobique est idem vocabulum, sicut & apud Septuaginta ἐνδεής; id est, talis pauper qui caret rebus ad vitam necessariis. Ceterum istud præceptum non pertinet ad magistratum, quasi scilicet magistratus non debeat tolerare mendicos in civitate, sicut quidam male intelligunt; sed pertinet ad divites, qui admonentur ut ita sint liberales in pauperes, ne cogantur mendicare. Si qui autem præ inopia cogantur, illi non publico edicto sunt prohibendi, sed subsidiis vel publicis, vel privatis sublevanda est eorum paupertas.

*V.* 6. FENERABIS GENTIBUS MULTIS, ET IPSE A NULLO ACCIPIES MUTUUM. Promissio est temporalis felicitatis, sicut & id quod sequitur: DOMINABERIS NATIONIBUS PLURIMIS. Sed perperam illud intelligunt nunc Iudæi, quasi liceat illis ab alienigenis usuras accipere: nam fenerare nihil est aliud hoc loco quam mutuum dare, sicut patet ex antithesi illa, dum subiicitur: *Et ipse a nullo accipies mutuum*.

*V.* 9. CAVE NE FORTE SUBREPAT TIBI IMPIA COGITATIO. Vide Hebræa; & nota, impietatem vocari id quod spiritus avarorum vocaret prudentiam: videlicet, instante anno remissionis, nolle mutuare, ne paulo post cogatur remittere.

MARIANAE.

*Vers.* 1. SEPTIMO ANNO FACIES REMISSIONEM. Hebr. *a fine septem annorum*: sed quoniam remissio fiebat post sex annos, Hebræus finem sumit pro principio: nam quodvis extremum comparatione alterius est initium & finis: tum vox קץ *kes* proprie significat *extremum*. Sept. dixerunt *per septem annos*.

*V.* 3. A PEREGRINO ET ADVENA EXIGES, scilicet debita; certe qui alterius religionis esset: nam conversi, privilegio gaudebant: illis debita remittebantur.

*V.* 4. ET OMNINO INDIGENS ET MENDICUS. Vox Hebraica אפס *æphes*, id est *nihil*, significat *denique*; quasi dicat: Hic est finis huius instituti, ut nullus extenuetur, & ad mendicitatem redigatur: quod in bene constituta Republica curari debet.

*V.* 6. FENERABIS GENTIBUS MULTIS: sic etiam Sept. alii *Mutuabis* ponunt *gentibus multis*. Verum Hebræi vebum עבט *babat* in significatione fenerandi etiam accipiunt, quando ex hoc loco colligunt, licere illis pecuniam externis fenori dare; sed vers. 8. accipitur pro *mutuare*, illis verbis: *Et dabis mutuum, quo eum* (nempe fratrem) *indigere perspexeris*.

*V.* 9. CAVE NE FORTE SUBREPAT TIBI IMPIA COGITATIO. Hebr. *Sit verbum cum corde* (pro in corde) *tuo Belial*, hoc est *impium*, ut hoc loco ponit Hieronymus. Sept. & Chald. *aut verbum diaboli*.

*V.* 10. UT BENEDICAT TIBI. Hebr. *Quoniam propter verbum hoc benedicet tibi Dominus*: nimirum quod pauperi subveneris. Hactenus de remissione debitorum: quo Isaias respexit cap. LVIII. *Omnes debitores vestros repetitis*, nimirum hac lege contempta.

*V.* 14. SED DABIS VIATICUM. Heb. *Torquem dando torquem dabis*. Onera torquem vocat, quia circum collum gestabantur. Dabis servo quem liberabis, quod portet.

*V.* 15. PRAECIPIO TIBI. Hoc nempe verbum, ut est in Hebr. Sept. posuerunt.

*V.* 17. USQUE IN AETERNUM. Plerique exponunt, usque ad annum Iubi-

bilæi: quod multis etiam aliis locis fit. Ancillae quoque similiter facies. Hebræus Schol. ordinem inversum ait: & quod de ancilla dicitur, non ad *Perforabis* referendum, sed ad superius verbum, *Dabis viaticum*. Ita hoc, *Ancillæ quoque similiter facies*, ponit post vers. 14.

*V.* 18. Quoniam iuxta mercedem mercenarii; id est, magno labore ut mercenarius servivit. Hebr. *Quia duplici mercede mercenarii servivit tibi sex annis:* sic Chald. Plerique explicant duplicem mercedem de tempore quo servivit, scilicet sex annis: quod esset solemne, ut mercenarii ad tres annos suas operas locarent. Et fortassis sit responsio tacitæ obiectionis. Si enim quereretur herus, multo carius sic servitutem servi provenire, quam aliorum operariorum: respondet, non amplius quam duplicem mercedem esse; neque magnum esse, si fratris servitium duplo maioris sit quam aliorum qui sponte serviunt.

*V.* 23. Effundes in terram quasi aquam: ut sanguinis nihil remaneat, scilicet pecudis ad esum occisæ.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. Septimo anno. Hebr. *Ab extremo*, *fine*, *septem annorum*. Quidam exponunt: Id est, post finem septem annorum, vel post septem annos. Falsissime: cum initio septimi anni facienda esset remissio, & totus ille annus septimus ab initio usque ad finem plene esset intermissionis. Hebræi observant, קץ *ketz*, *præcisionem*, *extremitatem*, *finem*, includere utramque extremitatem, primam, & ultimam, & tam de exitu rei, quam de initio intelligi posse: atque hic intelligi de prima, *In extremitate* priore, id est initio, in principio septimi anni. Septimo tandem anno, cum septimus annus adveniet: unde hic vertunt *A principio septem annorum.* Et notant, quod quamvis מקץ *mikketz* significet finem remissionis nummorum; esse tamen initium remissionis fundi. Sic quoque sumi Ieremiæ xxxiv. vers. 14. Vide Thesaurum Sanctis column. 2509. Aliqui putant, initio quidem ultimi anni faciendam esse remissionem; sed Mosen ita loqui *a fine septem annorum*, ad significandum totum & integrum annum septimum a principio usque ad finem debere esse remissionis. Quidam reddunt: *A fine septem annorum perficies remissionem:* quoniam remissio incipiebat fieri in principio septimi anni, & in fine eius perficiebatur, seu consummabatur. Ego puto esse Hebraismum, & Hispanismum, quem Interpres Hispanicus apte reddidit *Al cabo de los siete annos:* sic enim loqui solemus etiam de initio septimi anni; id est, cum septimus adveniet annus. Facies remissionem. שמטה *schemittah*, hoc tantum capite quinquies, & infra cap. xxxi. vers. 10. in Scriptura legitur. Aiunt esse *intermissionem*, *remissionem*, *dimissionem liberam*, scilicet mutui, vel a debito mutui. Statuuntque discrimen inter *schemittah*, & inter דרור *deror*: nam *schemittah* proprie significat dimissionem libere mutui tantum; item remissionem terræ, quæ septimo quoque anno fiebat ex mandato Exodi xxiii. vers. 11. & isto loco Deuteronomii. Sed *deror* significat libertatem non solum mutui, & terræ; verum etiam debitorum & aliorum bonorum, adeoque etiam corporis, quæ septies septimo quoque anno, hoc est quinquagesimo, fieri iubebatur, Levitici xxv. vers. 2. Servus Hebræus emptus, anno septimo dimittebatur, Exodi xxi. vers. 2. sed si egestate compulsus sese alteri addixisset, nonnisi in iubilæo: Levitici xxvi. vers. 41. Hic autem quidam exponunt: *Facies remissionem*; id est, remittentur debita debitoribus, quæ non fuerint solvendo.

*V.* 2. Quae hoc ordine celebrabitur. Hebr. *Et istud verbum remissionis*. Quidam: *Et hæc est res*, id est regula, norma, modus *remissionis*; quasi dicas: Hoc pacto remittentur debita. Alii: *Hæc vero sit ratio intermissionis*. Nonnulli: *Hoc esto ius intermissionis*. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit. Sensum optime expressit: nos in Nostra translatione Hebraica verba numeravimus, & ordine expressimus: *Ut dimittat omnis potiens* בעל *baghal*, *possessor*, *dominus*, *patronus*, *creditor*. *Obruitionem* משה *maschscheh*, quidam participium Hiphil verbi נשה *naschah* faciunt, proprie *irruens*, *obruens*, *opprimens*, *gravans:* inde translate, *exigens*, *mutuans*, fe-

*fenerans*, *vindicans*; sed pro nomine omnes fere accipiunt: aiunt significare proprie *irrutionem*, *obruitionem*, *impositionem*, *onus*, *gravamen*, *oppressionem*; inde translate, *exactionem*, *mutuum*, *accommodatum*, *fenus*, *creditum*, *debitum*, *non angariabit*, vel *adiget*, *exiget*, *arctabit*, *affliget*, *premet*. Diximus de significatione verbi נגש *nagasch*, Exod. III. vers. 7. Iam locum varie alii convertunt. I. *Ut remittat omnis vir, qui mutuat manu sua. Qui mutuaverit proximo suo, non exiget a proximo suo, & a fratre suo*. II. *Remittere omnem mutuantem manum suam*; id est, hoc est verbum remissionis, videlicet omnem hominem qui mutui est creditor, remittere manum suam ab exigendo mutuum. Unde & hoc clarius manifestando subiungitur: *Qui mutuabit socio suo, non exiget a socio suo, & fratre suo*. Intelliguntque: ut septimo quoque anno non exigitur a terra fructus; ita non vexetur exactione mutui illo anno debitor mutui. *Socium* hic accipiunt proselytum, *fratrem* vero Israelitem. III. *Ut remittat omnis, qui mutuum dederit manu sua*; vel *omnis patronus mutui manus suæ, id quod mutuum dederit amico suo: non reposcet ab amico suo aut a fratre suo*. IV. *Ut remittat omnis dominus accomodati manum suam*: vel *ut remittat libere omnis dominus mutui manum suam, qui irrogavit in proximum suum: non adiget sodalem suum, & fratrem suum*, scilicet ad solutionem. V. *Omnis creditor remittere debet manum suam, is scilicet qui mutuo dedit proximo suo: neque urgeat proximum suum, aut fratrem suum*. VI. *Intermittito omnis dominus* debiti, seu *creditor*, *vindicans manu sua*; id est, qui posset rem suam manus iniectione recipere: vel *ius habens vindicandi manu sua id quod vindicaturus esset*: scilicet nisi lex intermissionis obstaret: nam iustus est rei creditæ dominus, eamque iustis vindiciis potest repetere: *a proximo suo: ne exigito a proximo suo, & a fratre suo*. VI. Hispanicus Interpres: *Dexarà a su deudor todo aquel que emprestò de su mano, conque adeudò a su proximo: ne lo tornarà a domandar a su proximo, o a su hermano*. QUIA ANNUS REMISSIONIS EST DOMINO. Hebr. *Quia vocavit*, seu *clamavit remissionem Domino*. Exponunt: *Vocavit*, scilicet præco, vel proximus. Alii usitatissimo more Scripturæ, tertiam personam præteriti activam pro impersonali passiva capiunt, *quia vocavit*, seu *clamavit*, pro vocata, proclamata fuit remissio Domino. Quidam: *Cum indixit intermissionem Iehovæ*; vel *cum indicta fuerit intermissio Iehovæ*. Dativus est *Iehovæ*, id est in honorem Iehovæ, qui diem septimum, & annum septimum sibi consecravit, quod die septimo opus creationis perfecisset.

*V*. 3. A PEREGRINO ET ADVENA EXIGES, &c. Hunc versum quidam ex Hebr. ita transferunt: *Alienigenam arctabis*; vel *ab alienigena reposces: at id quod fuerit tibi apud fratrem tuum, remittet manus tua*. Aliqui: *Ab alienigena exiges; sed ab eo quod erit tibi apud fratrem tuum, intermittito manum tuam*. Alii: *Ab alienigena poteris exigere; qui vero frater tuus est, hunc requiescere sinat manus tua*. Nonnulli: *Alienum adiges; at qui frater tuus est, hunc libere dimittet manus tua*. Hispanicus: *Del estrangero tornaras a demandar; maslo que tuviere tugo tu y hermano, soltarlo a tu mano*. Verbum שמט *schamat*, quod hic in Hiphil ponitur, significatum intendit; quasi dicas: Statim, prompte, omnino libere dimittes. Caietanus vertit: *Ab alienigena exiges: & quod erit tuum, fratri tuo remittes manum tuam*.

*V*. 4. ET OMNINO INDIGENS ET MENDICUS NON ERIT INTER VOS. אפס *ephes* varie hic exponunt. I. *In tantum ut non in te mendicus*. Volunt, significare Dominum, fore ut nemo inter eos egeat, si istam legem remissionis servent: nec esse quod timeant se minus divitiarum habituros, si hoc beneficium septimo anno in debitores suos conferant. II. *Verumtamen non erit in te pauper*; quasi dicas: Non timebis hanc meam legem tibi fraudi futuram: siquidem si boni æmulatores fueritis præceptorum meorum, adeo benedicam vobis, & multiplicabo ea quibus opus habetis, ut nullus inter vos futurus sit pauper, cui mutuo quidquam sit dandum. Sensus plane ineptus: nam alioqui lex ista remissionis penitus supervacanea esset. III. *Præterquam si non sit pauper in te*, id est in urbe tua: vel *præterquam cum non erit pauper in te*: aut *nisi cum non erit pauper in te*; id est, nisi frater tuus sit dives; quasi dicas: Hæc regula remissionis non intelligitur nisi illi fuerint pauperes: nam pauperibus

ribus fratribus remittes pecuniam creditam: verum divites fratres excipio, quibus non remittes quod mutuum dederis, cum habeant unde reddere possint. IV. *Profecto quod non erit in te pauper, quia benedicendo benedicet te Iehovah*. Notant esse verba Mosis non præcipientis, sed promittentis & prænuntiantis hunc inter alios futurum fructum observantiæ legis divinæ, quod non esset ex eis quisquam valde pauper: id enim vocem אביון *ebion* proprie significare volunt, nempe *valde, plusquam pauperem*. Putantque hunc versum adiectum a Mose, ne gravis videretur lex ista creditoribus: nam si nullus eorum erit valde pauper, ex eo quod servant divinam legem; consequens erit quod nullus beneficio remissionis anni septimi utetur; sed absque exactione reddet quod debet, tempore suo. V. *Et omnino non erit in te inops*; id est, dabitis operam ut nulli in vobis sint indigentes, mutuando scilicet pauperibus ea quibus indigent, illisque remittendo mutua septimo, si antea non sint solvendo. Quidam in eamdem fere sententiam exponunt: *Finis, denique non erit in te egenus*; quasi dicas: Hic est finis huius legis, ut nullus extenuetur prorsus, & ad egestatem reducatur: quod maxime curandum est in Republica bene instituta. In hunc sensum Hispanicus Interpres: *Solamente porque no haya en ti mendigo*. VI. *Eo quod non erit in te mendicus*; id est, si hoc feceris, faciam & ego ut nullus in te sit mendicus. VII. *Nisi quod non erit in te egenus*. VIII. *Tantum quod non erit in te pauper*. IX. *Omnino in te non esto egenus*; id est, debes operam dare quantum in te est, ne sit in te egenus. Duæ *causæ* legis istius, prior caritatis, posterior benedictionis divinæ ex promissione, quæ obedientiæ conditione coniuncta est. Alioqui inter Israelitas non defuere egeni, infra vers. 11. Quidam legem remissionis ita intelligunt, ut ipso tantum anno nulla possent exigi debita. Ratio erat, quod eo anno nullos fructus e terra perciperent, unde pecunia confici solet ad debita dissolvenda; transacto tamen anno potuisse repeti: alioqui credita non omnino perire debebant. At Hebræi passim intelligunt eo anno penitus remissa fuisse debita, si eo usque solvendo non essent, ut numquam deinceps exigi possent: quod est rectius. Vide Explanatores. UT BENEDICAT TIBI DOMINUS. Hebr. *quia benedicendo benedicet tibi IHUH*; id est, omnino, ubertim, large locupletabit, fortunis & opibus augebit IHUH.

*V.* 6. FENERABIS GENTIBUS MULTIS, &c. Quidam reddunt: *Adeo ut poteris mutuare gentibus multis, & tu non habebis opus mutuari*; quasi dicas: Tantam nactus eius benedictionem & felicitatem, adeo ut possis mutuare, &c. Plerique cum Nostro verbum עבט *ghabat* per *fenerari* reddunt: unde Hebræi hinc colligunt licere ipsis pecuniam sub fenore, seu usura exteris gentibus dare. Sed verbum proprie significat *pignerare*, & *pignerari*, active, & passive; vel *mutuum dare*, vel *accipere*.

*V.* 9. ET AVERTAS OCULOS TUOS A PAUPERE FRATRE TUO. Hebr. *Et malus, malignus oculus tuus in fratre tuo egeno*. Notant esse Hebraicam phrasim, *oculum malum*, seu *malignum*, id est invidum, sordidum, parcum, illiberalem, immisericordem, improbum, qui non libenter aspicit ut misereatur, & succurrat pauperi. Sic Proverb. XXIII. vers. 6. & Matthæi XX. vers. 5. Vide infra cap. XXVIII. vers. 54. Sicut e contra *oculus bonus* pro animo misericordi, liberali, benefico, Proverb. XXII. vers. 9.

*V.* 11. FRATRI TUO EGENO ET PAUPERI. Hebr. *Fratri tuo, pauperi tuo, & egeno tuo*. Quidam exponunt: Id est, quem tibi Deus offert ut ei succurras, vel tui generis Israelitici, vel tuæ religionis, vel qui in terris tuis versabitur.

*V.* 12. CUM TIBI VENDITUS FUERIT FRATER TUUS HEBRAEUS, &c. Vide Exod. XXI. vers. 2. AUT HEBRAEA. Notant esse elipsim analogicam ex præcedenti membro, nimirum aut soror Hebræa. SEX ANNIS. Explicant, nempe ad annum intermissionis usque, sive iusto sex annorum spatio serviat, sive minore: puta adæquata ratione pretii cum servitutis tempore, ut docet anologia Levitici XXV. vers. 50. Alioqui lex foret durior ad personarum emptionem pertinens, quam quæ de exigendo ære alieno lata est. Etenim si intermissionis anno æs non potest exigi; quanto minus personas in servitutem cogi æquitas perpessura est?

*V.* 14. SED DABIS VIATICUM. Verbum

bum עָנַק *ghanak*, a *torque* dicitur: ex verbo: *Et torquizando torquizabis ei*. Aiunt significare *cingere*, *circumdare*, *circumponere*, *intexere*, *implicare*, tamquam torquem collo ornatus gratia: unde varie vertunt. I. *Et onerando onerabis eum*; subaudi *muneribus*. II. *Et circumstipando circumstipabis*: vel *& suffarcinando suffarcinabis ei*; id est, explebis eum. Alii, *Et implicando implicabis eum*; scilicet muneribus: vel *& intexendo intexes ei*. III. *Et ornando ornabis eum*. IV. *Et circumcingendo circumcinges eum*; id est, munifice & liberaliter onerabis. V. *Et imponendo collo impones collo ei*; scilicet, liberaliter & magnifice munera collo eius impones.

*V.* 16. ET BENE SIBI APUD TE ESSE SENTIAT. Hebr. *Quia bonum ei tecum*; id est, quod gratum sit illi habitare tecum. Quidam: *Quia bene est ei apud te*. Vide infra cap. XIII. 16.

*V.* 17. ASSUMES SUBULAM, ET PERFORABIS AUREM EIUS IN IANUA DOMUS TUAE. Hebræa: *Et capies subulam*, *& dabis in aure eius*, *& in porta*; id est, per aurem eius adiges subulam in fores, sive ianuam: quo significabatur perpetuo affixum fore ei domui. Quidam vertunt: *Ut acceptam subulam indas auri eius*, *& ipsi ianuæ*: nimirum ut subula aurem ianuæ defigas. Alii: *Sumes subulam*, *& transfiges ea aurem ad ostium*, *servietque tibi usque in æternum*; id est, usque ad iubilæum, Levitici XXVI. 10. Vide Exod. XXI. 6. ANCILLAE QUOQUE SIMILITER FACIES. Quidam exponunt: Id est, ancillam donabis libertate quemadmodum & servum. De libertate donanda ancillæ loqui Mosen existimant, non autem de perforanda illi aure: non enim perforabantur aures ancillarum. Sed unde hoc eruunt? Rectius alii: Quando ancilla non ducebatur, Exod. XXI. vers. 7. & seqq. nec abire libera volebat, perforandam ei aurem ut servo. Immo quidam notant, propter ancillam hoc de servo hic repeti a Mose.

*V.* 18. NON AVERTAS AB EIS OCULOS TUOS, QUANDO DIMISERIS EOS LIBEROS. Hebr. *Non durescet in oculis tuis in dimittere te eum liberum de tecum*; id est, ne durum aut asperum tibi videatur: ne graveris aut molestum sit tibi dimittere eum, &c. QUONIAM IUXTA MERCEDEM MERCENARII PER SEX ANNOS SERVIVIT TIBI. Hebr. *Quia fecunditatem*, *duplicem*, vel *secundarium*, *duplum mercedis mercenarii servivit tibi sex annis*. Quidam exponunt: Id est, bis tanto tempore servivit tibi, quam servire solet mercenarius. Mercenarii enim servi apud Hebræos operas suas locabant ad tres annos tantum. Id colligunt Hebræorum nonnulli cum ex hoc loco, tum ex Isaiæ XVI. vers. 14. *In tribus annis*, *sicut anni mercenarii*. At non magis colligas ex hoc loco Isaiæ tres annos fuisse mercenarii, quam ex alio eiusdem Isaiæ XXI. 16. *In uno anno*, *sicut in anno mercenarii*: unum annum fuisse mercenarii. Tanta est Iudæorum stupiditas in intelligendis Scripturis. Anni enim mercenarii, sive unus, sive plures, dicuntur pleni, integri, quibus nihil deest, aut superest. Alii hic explicant: *Nam duplum est mercedis mercenarii*, *quo servivit tibi sex annis*; id est, ut servus addictus necessaria servitute servivit, quæ multo gravior est quam mercenaria, ac proinde dupla mercede digna.

*V.* 19. DE PRIMOGENITIS, QUAE NASCUNTUR, &c. Vide de hoc versu Exod. XIII. vers. 2. 12.

*V.* 20. IN CONSPECTU DOMINI DEI TUI COMEDES EA, &c. Notant esse apostrophem ad sacerdotes: nam illis primogenita cedebant ex lege Num. XVIII. vers. 17. & 18.

*V.* 21. AUT IN ALIQUA PARTE DEFORME, VEL DEBILE. Hebr. *omnis macula mala*, seu *vitium malum*: quod sit ex illis vitiis quæ recensentur Levit. XXII. vers. 21. 22. 23. 24. 25. Sic infra cap. XVII. vers. 1.

*V.* 23. UT SANGUINEM EORUM NON COMEDAS. Vide supra cap. XII. vers. 16.

## MENOCHII.

*Vers.* 2. AMICO, VEL PROXIMO, VEL FRATRE SUO. Sermo est de Iudæo, qui genere frater est, ideoque amicus, & proximus: proselyti enim anno septimo non liberabantur suis debitis, sed tantum Iudæi. Porro debitum intellige ex mutuo, aut vendito, non autem ex commodato: quia hoc proprie non est debitum, sed alienum, sive res ad alium spectans.

*V.* 3.

*V.* 3. A PEREGRINO ET ADVENA EXIGES. Etiamsi proselytus sit, poteris exigere. CIVEM ET PROPINQUUM: gente Iudæum.

*V.* 4. MENDICUS NON ERIT INTER VOS. Non est promissio, aut benedictio, sed præceptum, ne quem patiantur mendicum, sed illi aut liberaliter largiendo, aut saltem mutuo dando, ferant opem. Erant quidem aliqui pauperes, qui privatim egebant, ut patet hoc cap. num. 11. mendici qui publice stipem colligerent, nulli, ut etiamnum fit in bene ordinatis Rebuspublicis.

*V.* 5. EGO PRAECIPIO TIBI, de mutuo dando, & obligatione remittenda anno septimo.

*V.* 6. FENERABIS: mutuum dabis, quia abundabis.

*V.* 9. APPROPINQUAT SEPTIMUS ANNUS, cum remissio debiti facienda est. COMMODARE, mutuare. FIAT TIBI IN PECCATUM: irascatur tibi Dominus, & puniat te: peccatum ponitur pro pœna peccati.

*V.* 10. NON AGES QUIDPIAM CALLIDE, non dando mutuum metu adventantis septimi anni.

*V.* 12. IN SEPTIMO ANNO DIMITTES LIBERUM. Vide dicta Exod. XII. 2.

*V.* 16. SIN AUTEM DIXERIT: NOLO EGREDI, &c. Vide dicta eodem cap. XXI. num. 6.

*V.* 17. ANCILLAE SIMILITER FACIES. Refer hoc ad viaticum, non ad auris perforationem, quæ in ancillis locum non habuit: vide Exodi XXI. 7.

*V.* 18. NON AVERTAS AB EIS OCULOS TUOS: non ages dure, aut inhumaniter. QUONIAM IUXTA MERCEDEM MERCENARII SERVIVIT TIBI. Servivit tibi sex annos, non minus quam mercenarius, cuius operam si conduxisses, mercedem numerare debuisses. AEquum ergo est, ut mercedis loco anno septimo eum manumittas cum aliquo viatico.

*V.* 19. NON OPERABERIS IN PRIMOGENITO BOVIS. Sermo est de primogenitis feminei generis: nam loquitur de iis primogenitis de quibus laicus vesci poterat, ut patet ex num. 20. sequenti; primogenita autem mascula tota erant Dei, & sacerdotum, adeo ut nihil rediret ad eum qui offerebat; quemadmodum aliquid redibat cum feminei generis primogenita offerebantur ritu victimarum pacificarum.

*V.* 22. SED INTRA PORTAS, &c. mactando illud alia mactatione communi, & profana. TAM MUNDUS QUAM IMMUNDUS. Quod locum non haberet, si animal immolatum fuisset ritu pacificorum: ex huiusmodi enim sacrificio soli mundi participare poterant. Levit. VII. 20. & seq. & alibi.

## T I R I N I.

*Vers.* 4. ET OMNINO INDIGENS ET MENDICUS NON ERIT INTER VOS. Ex versione LXX. patet esse præceptum, quo inhibet Deus ne quem Iudæum patiantur apud se egenum, quin ei petenti subveniant saltem mutuando. Et hoc præceptum vers. 7. dilucidius explicatur.

Dices. Versu 11. prædicitur, numquam defuturos pauperes in terra promissa. Respondeo. Aliud est conari, & operam adhibere; quod solum hic præcipit singulis: aliud perficere, & finem consequi; quod non erat in potestate singulorum. Sic alibi prohibetur ne sit ulla meretrix ex filiabus Israel: quis tamen audeat dicere, defuisse umquam de facto?

*V.* 6. FENERABIS GENTIBUS MULTIS, &c. Hinc Iudæi putant sibi licere ad usuram dare Christianis. Sed Respondeo. In Hebræo, Chald. & LXX. tantum est, *mutuabis*: & Latinum *fenerabis* idem hic significat, ut patet ex antithesi mox adiuncta, A NULLO ACCIPIES MUTUUM. Ergo nulla hic usuræ est permissio, aut mentio, multo minus præceptum; sed solum promittitur benedictio, qua sibi obedientibus addicit Deus, tantam fore facultatum copiam, ut ipsi possint non solis contribulibus suis, sed aliis quoque gentibus passim mutuas dare pecunias sine damno suo, ipsi vero a nemine compellantur mutuum accipere. An autem licuerit Iudæis ad usuram dare Gentilibus, dicemus infra cap. XXIII.

*V.* 17. ANCILLAE SIMILITER FACIES. Non refertur hoc ad auris perforationem, licet hæc immediate præcedat, quia hæc in ancillis locum non habebat; sed ad viaticum, & alia donativa, quibus

verſ. 13. & 14. iubet donari ſervos quando liberi dimittuntur. Ceterum de hoc, aliiſque privilegiis anni ſeptimi ſabbatici, vide quæ dixi Exodi XXIII. verſ. 11.

*V.* 19. NON OPERABERIS IN PRIMOGENITO BOVIS, &c. Agit hic de primogenito, non illo maſculo & immaculato, de quo paulo ante, quia hoc totum Deo & ſacerdotibus cedere debebat, ut expreſſe ibidem iubetur; ſed de primogenitis feminei ſexus, quæ poſtquam immolata eſſent more pacificorum, uti licuiſſe conſtat ex Levitici III. verſ. 1. poterant poſtea ab ipſomet offerente, eiuſque familia in ſolemnibus Ieroſolymæ epulis abſumi: uti etiam abſumi in iiſdem epulis poterant ſi quæ primogenita maculoſa, ſeu vitio alicui obnoxia obveniſſent: non poterant tamen hæc Deo, ne quidem in hoſtiam pacificam offerri. Vide ſup. cap. XII. verſ. 17. & Levit. XIX verſ. 23.

## GORDONI.

*Verſ.* 1. DE hac remiſſione, ſeu æris alieni ex mutuo quod dabatur cauſa indigentiæ, ſive ſervorum, vide Exod. cap. XXIII. verſ. 11. Et hæc debiti huius remiſſio habebat debiti extinctionem, quando nempe erat ex mutuo cauſa neceſſitatis conceſſo, ut hic colligitur ex verſ. 9. & 10. Ceterum, ut iam dicam, proſelyti & advenæ non gaudebant hoc remiſſionis privilegio.

*V.* 2. Debitum hoc intellige de vendito, aut mutuo, non de commodato, quia non habet rationem debiti. Nec de proſelytis eſt lex hæc: nam manebant anno ſeptimo obſtricti debito; ſicut etiam externæ nationis homines. Solum ergo inter Iudæos lex eſt, ſeu ex Iudæis natos.

*V.* 4. Habetur quidem verſ. 11. non defuturos pauperes inter Iudæos. Ergo hoc verſ. 4. dicitur curandum eſſe, quoad fieri poteſt, ut non ſint pauperes.

*V.* 6. FENERABIS GENTIBUS MULTIS. Hoc nullo modo favet uſuris Iudæorum. Apud Septuaginta eſt, *δανεῖς ἔθνεσι πολλοῖς, σὺ δὲ οὐ δανιῇ*. Hebr. העבטת *habbabatta*, *mutuo dabis*, ſeu *mutuabis*: radix עבט. Senſus eſt: Si bene egeris, Deus ditabit te, ita ut mutuum aliis des, & tu a nullis accipias. Infra cap. XXIII. in fine. Itaque locus hic intelligi poteſt de ſimplici mutuo, quamvis cap. XXIII. ſit ſermo de mutuo cum uſura, eaque permiſſa cum externis. Et ſane ibi eſt aliud verbum Hebraicum.

*V.* 12. CUM TIBI VENDITUS. Vide idem Exod. cap. XXI. ubi etiam inſequentes hic verſiculi explicantur.

*V.* 19. NON OPERABERIS IN PRIMOGENITO BOVIS. Nam ut ſupra, quod primogenitum maſculinum eſt, debetur Deo.

*V.* 20. COMEDES. Eſt mutatio perſonæ, ut aliqui interpretantur hunc locum; ut ſit hic converſio ſermonis ad ſacerdotes, quorum ſcilicet erat comedere primogenita. Vide Num. XVIII. verſ. 17.

*V.* 33. QUASI AQUAM: ut nihil remaneat.

## EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 9. SEPTIMUS ANNUS: quando facienda erat remiſſio debiti. COMMODARE, mutuo dare.

*V.* 10. CALLIDE, negando mutuum ex aliquo prætextu excogitato.

*V.* 17. ANCILLAE. Debet hoc fieri ad viaticum, non ad auris perforationem, quippe quæ non habebat locum in ancillis. Exod. XXVI 7.

*V.* 18. NON AVERTAS. In dimiſſione humaniter age cum eo. AEquum eſt ut eum manumittas cum aliquo viatico: nam ſi eum conduxiſſes, debuiſſes daro mercedem.

*V.* 20. COMEDES. Si quis velit hoc intelligi de offerente laico, oportet intelligere verſum decimum nonum de primogenitis feminini ſexus: nam de illis ſolis comedebat offerens iſte laicus.

CA-



# CAPUT XVI.

*Tres præcipuæ anni solemnitates, Azymorum, Hebdomadarum, & Tabernaculorum: de iustis iudicibus constituendis, & de cavendo ab occasionibus idololatriæ.*

1. OBserva mensem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de AEgypto nocte. 2. Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen eius ibi. 3. Non comedes in eo panem fermentatum: Septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de AEgypto: ut memineris diei egressionis tuæ de AEgypto, omnibus diebus vitæ tuæ. 4. * Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, & non remanebit de carnibus eius quod immolatum est vespere in die primo usque mane. 5. Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi; 6. sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen eius ibi: immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de AEgypto. 7. Et coques, & comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque consurgens vades in tabernacula tua. 8. Sex diebus comedes azyma: & in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus. 9. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris: 10. & celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui: 11. & epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, & levites qui est intra portas tuas, advena ac pupillus & vidua, qui morantur vobiscum: in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen eius ibi: 12. & recordaberis quoniam servus fueris in AEgypto: custodiesque ac facies quæ præcepta sunt. 13. Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area & torculari fruges tuas: 14. & epulaberis in festivitate tua, tu, filius tuus & filia, servus tuus & ancilla, levites quoque & advena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt. 15. Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegerit Dominus: benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitia. 16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit: in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum. (*a*) Non apparebit ante Dominum vacuus. 17. Sed offeret unusquisque secundum quod habuerit iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. 18. Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas; ut iudicent populum iusto iudicio, 19. nec in alteram partem declinent. (*b*) Non accipies personam, nec munera: quia munera ex-

cæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum . 20. Iuste quod iustum est
perfequeris: ut vivas, & possideas terram quam Dominus Deus tuus dederit ti-
bi. 21. Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.
22. Nec facies tibi, neque constitues statuam: * quæ odit Dominus Deus tuus.

(a) Exod. XXIII. 15. XXXIV. 20. Eccli. XXXV. 6. (b) Sup. I. 17. Levit. XIX. 15. Exod. XXIII. 8. Eccli. XX. 31.

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Non apparebit fermentum.* Retinendum est substantivum pro adiectivo *fermentatum*.

V. 22. *Quæ odit Dominus Deus tuus.* Non commutes neutrum *quæ* cum feminino *quam* tametsi Hebræa ambigua sint.

# COMMENTARIA

## S. A.

*Vers.* 1. FACIAS PHASE; id est, immolabis agnum paschalem, vel victimas in pascha offerri solitas. Vide Ioan. XVIII.

*V.* 2. ET DE BOBUS, scilicet victimam aliam. Chald. *& victimam sanctificatam de bobus.*

*V.* 3. AFFLICTIONIS, scilicet AEgyptiacæ monumentum. PAVORE, scilicet tanto ut non potueris panem fermentare. Hebr. & LXX. *festinatione.*

*V.* 6. OCCASUM. Hinc apparet quid sit, Inter duas vesperas. Vide Exod. XII. QUANDO, scilicet illa nocte egressi, ut supra dictum est.

*V.* 7. COQUES, id est parabis, scilicet assando. CONSURGENS: sic etiam Chald. at Hebr. & LXX. *vertens te*; quasi dicat, *Reverteris.*

*V.* 8. COLLECTA, id est solemnitas, scilicet collecto populo. OPUS, scilicet servile. Vide Levit. XXIII.

*V.* 9. AB EA DIE, &c. id est, ab ea die qua est oblatus manipulus primitiarum, qui primum metitur, ut interpretatur Chald.

*V.* 10. IUXTA BENEDICTIONEM, &c. id est pro facultatibus tibi a Deo datis.

*V.* 11. EPULABERIS. Hebr. Chald. & LXX. *lætaberis*: sic & infr. HABITET NOMEN EIUS; id est, colatur ipse.

*V.* 18. MAGISTROS, scilicet viros sapientes. Hebr. & Chald. *præfectos.* LXX. *magistros.*

*V.* 19. NON ACCIPIES, &c. Alloquitur iudices. PERSONAM; quasi dicat: Ne habeas respectum seu rationem dignitatis litigantis. MUTANT. Hebr. & Chald. *pervertunt*. VERBA IUSTORUM, id est causas iustas. Chald. *verba recta.*

*V.* 20. IUSTE QUOD IUSTUM: sic etiam LXX. at Hebr. *iustitiam iustitiam*, id est ipsam iustitiam, seu nihil aliud nisi quod iustum est. Chald. *Quod iustum est, & verum.*

*V.* 22. QUAE ODIT; quasi dicat: Ritu gentilitio, seu modo quo solent idololatræ.

## ESTII.

*Vers.* 2. IMMOLABISQUE PHASE DOMINO DEO TUO DE OVIBUS, ET DE BOBUS IN LOCO, &c. Quomodo Phase de bobus? cum Phase alibi dicatur immolatio solius agni paschalis? Sed respondetur, Phase hic accipi pro totis septem diebus solemnitatis paschalis, quibus præter agnum paschalem quem singuli debebant celebrare, varia etiam sacrificia offerebantur, de quibus sic Numer. XXVIII. *Mense autem primo, quartadecima die mensis, Phase Domini erit.* Et paucis interiectis: *Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem ... & hircum pro peccato unum ... præter holocaustum matutinum quod semper offeretis. Ita facietis per singulos dies septem dierum, &c.*

V. 19.

*V.* 19. & 20. NON ACCIPIES PERSONAM, NEC MUNERA..... IUSTE QUOD IUSTUM EST PERSEQUERIS. Postrema illa verba Hebraice sic sonant: *Iustitiam iustitiam sequeris:* quæ tamen recte Interpres noster, & Septuaginta verterunt: *Iuste quod iustum est persequeris*. Significatur enim illa geminatione Hebraica, omnino, & ex tota animi intentione sequendum esse id quod iustum est; neque aliud quam iustitiam præ oculis habendam in iustitia administranda. Tractat hunc locum pulchre Greg. Lib. IX. Mor. cap. XIX. *Nonnulli*, inquit, *terrena præmia appetunt, & iustitiam deserunt. Quos contra bene per Moysen dicitur: Iuste quod iustum est, exequaris. Iniuste quippe quod iustum est exequitur, qui ad defensionem iustitiæ non virtutis æmulatione, sed amore præmii temporalis excitatur*. Denique concludit. *Iuste ergo iustum exequi, est in assertione iustitiæ, eamdem ipsam iustitiam quærere*. Sic ille. Sed & Aristoteles ipse Lib. V. Ethic. docet multum diversa esse iuste agere, & id quod iustum est agere.

## MARIANAE.

*Vers.* 1. OBSERVA MENSEM NOVARUM FRUGUM, ET VERNI PRIMUM TEMPORIS. Hebr. *mensem Abib*, non amplius. *Verni primum temporis*, id Hieronymus addidit. Quod cum inter menses *Ab* numeretur quintus a Nisan, Pagn. pro *Abib*, *Iulium* reddidit; sed ad verbum *mensem viridem* seu *germinis* significat, quod terra primo vere herbis & floribus vestiatur. Sic Hispani id *Pascha veris floridum* vulgo vocamus. Pascha mense Iulio non erat, sed martio aut aprili.

*V.* 2. IMMOLABISQUE PHASE.... DE OVIBUS, ET DE BOBUS. *Phase* solum ex ovibus & capris erat: sed adiungebantur alia sacrificia, quæ *Phase* etiam vocantur, quoniam in Phase seu Paschate offerebantur.

*V.* 3. NON COMEDES IN EO. Hebr. *super eo*; quod verti potest, cum eo, nempe phase, non comedes fermentum. Quid ergo comedes? ABSQUE FERMENTO, AFFLICTIONIS PANEM. Azyma sic vocantur, tum quod is panis nullam gratiam haberet, tum quod monumentum afflictionis quam in AEgypto erant passi IN PAVORE. Hebr. Sept. & Chaldæus; *festinanter*, scilicet egressus es de AEgypto.

*V.* 6. UT HABITET NOMEN EIUS IBI. Habitat Dei nomen in templo, quod eius nomine vocatur, sacraturque.

*V.* 7. ET COQUES. Quod torretur, coquitur. Sept. ad tollendam ambiguitatem dixerunt: *Coques & torrebis*: sic בשל *basal*. Hebr. utrumque significat, *lixare*, & *assare*. MANEQUE CONSURGENS. Non primo die post esum agni, quia est ille dies primus Paschatis, sed peractis septem diebus azymorum.

*V.* 8. QUIA COLLECTA EST. Hebr. *retentio est*, nimirum ab opere servili: plura Numer. XXIX. vers. 35.

*V.* 9. AB EA DIE QUA FALCEM. Mense Nisan incipiebant metere saltem secale aut hordeum, aut farraginem iumentis.

*V.* 10. OBLATIONEM SPONTANEAM. Vox מסת *misath* Hebraica a plerisque deducitur a radice מסס *masas*, & significat *sufficientiam*, hoc Pagninus sequitur; ab aliis a נסה *nasah*, & significat *elevationem*, seu *oblationem*, quod Hieronymus, & Sept. sunt secuti. Eadem sententia est, sive dicas oblationem spontaneam, sive sufficientiam spontaneam, scilicet nullam oblationem in hoc festo peculiarem præscribi, sed in cuiusque id arbitrio relinqui. Quidam Missam nostram a *misah* hac voce Hebr. deducunt.

*V.* 18. IUDICES ET MAGISTROS CONSTITUES. Pro *magistros* Hebr. *soterim*, quæ vox *præfectos* significat: iidem *magistri* sunt Latine.

*V.* 19. MUNERA MUTANT VERBA IUSTORUM. Hebr. *pervertunt*: scilicet loquuntur quod non deberent. Quod si hoc iustis accidit, quid alii faciant?

*V.* 20. IUSTE QUOD IUSTUM EST PERSEQUERIS. Hebr. *Iustitiam iustitiam persequeris*, hoc est solam iustitiam; nihil præterea, præsertim in iudicio.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. IMMOLABISQUE PHASE DOMINO DEO TUO DE OVIBUS ET DE BOBUS. Hebr. *Et sacrificabis, mactabis, pesach IHUH Deo tuo oves, & boves*. Quidam putant, esse as-

syn-

ſyntheton, & coniunctionem & ſubaudiunt *pheſach*, *Et oves & boves*, ut diſtinguat ſacrificium peſach, id eſt parvæ pecudis, a ſacrificio ovium & boum. Ionathas Chaldæus Interpres: *Et mactabis paſcha coram Domino Deo veſtro inter veſperas, & oves & boves craſtino die*. Recte, ex lege nimirum Numer. XXVIII. verſ. 17. 18. 19. quod Caſaubonus in Exercitationibus Baronianis neſcivit, & idcirco illud Ionathæ, *Craſtino die*, non probavit. Et Onkelos alter Chaldæus Paraphraſtes: *Et immolabis phaſe coram Domino Deo tuo de natis ovium*, id eſt *agnis*; *& victimam ſanctificatam de bobus*. Hebræi notant ſimul cum phaſe adhibita fuiſſe alia ſacrificia pacifica, ſeu convivalia, quas ipſi appellant feſtivas victimas. Alii tamen appoſitive exponunt: *Et ſacrificabis peſach oves & boves*; id eſt, ut ipſum ſacrificium peſach eſſent oves & boves, ſive eſſet ex ovibus & bobus: & hic peſach non ſignificet præfixe immolationem illam ſolemnem parvæ pecudis, ſemel tantum quotannis fieri ſolitam quartadecima luna Niſan; ſed ſacrificia alia ex ovibus & bobus imperata in dies illos azymorum, de quibus Numer. XXVIII. verſ. 16. & ſeqq. quas vocant hoſtias paſchales. Et hunc ſenſum diſertiſſime Noſter Interpres ſecutus eſt, & cum eo innumeri Catholici, ut merito pudere debeat Caſaubonum, qui hunc ſenſum auſus eſt improbare Exercitatione XVI. in Baronium, Diatriba XVI. quem & probarunt, & amplexi ſunt etiam Lyranus, Toſtatus, Sanctes, Caietanus, Vatablus, Oleaſtrius, Interpres Bibliorum Hebraicorum Hiſpanicus, & alii. Forſterus notat, Marcum XIV. verſ. 12. hunc locum reddidiſſe: *Primo die azymorum, cum paſcha immolarunt*, ſeu *mactarunt*. Vide Notas in II. Paralipom. XXX. verſ. 17.

*V.* 3. NON COMEDES IN EO PANEM FERMENTATUM, &c. Vide Exod. XII. verſ. 15. & ſeqq. AFFLICTIONIS PANEM. Hebr. *panem afflictionis*, *oppreſſionis*. *paſſionis*, *miſeriæ*. Quidam exponunt: Id eſt azyma, quæ erant monumenta illius afflictionis quam pertuliſtis in AEgypto, & illius anxiæ noctis in qua egreſſi eſtis ex AEgypto, ut ſtatim ſe exponit. Alii: *Panem paupertatis*; id eſt, quali fere veſcuntur pauperes, qui præ fame, vel incommoditate fermentandi, utuntur pane ſubcinericio, qui ſtatim fit & coquitur, neque expectant dum fermentetur maſſa. Aliqui *panem afflictionis* intelligunt infermentatum, qui inſuavis eſt & inſalubris, & ſtomacho gravis.

*V.* 4. NON APPAREBIT. Hebr. *Non videbitur*, *non conſpicietur*. Vide Exodi XIII. 7.

*V.* 5. NON POTERIS IMMOLARE PHASE, &c. Explicant, puta eo tempore quo libera atque integra Reſpublica futura eſt, coniuncto Dei cultu imperato lege: nam reverſis rebus alia eſt ratio, ut videre eſt in II. Paralipom. XXXV. verſ. 1. & ſeqq. ubi neceſſitati cedunt cæremoniæ.

*V.* 6. QUANDO EGRESSUS ES DE AEGYPTO. Hebr. *Stato tempore exitus tui ex AEgypto*; id eſt, decimo quarto die menſis Niſan, ſeu Abib, Exod. XIII. verſ. 3. & 4.

*V.* 7. ET COQUES. Verbum בשל *baſchal* proprie eſt *coquere*, *elixare*, *bullire in aqua*: duo tantum loca excipiunt, ubi *aſſare* ſignificet, II. Paralipom. XXXV. verſ. 13. & hic: utroque enim loco dicitur de agno paſchali, qui non coquendus aut elixandus in aqua, ſed igni aſſandus erat, Exod. XII. verſ. 9. ſed hic generale eſſe poſſit ad coquendum & aſſandum.

*V.* 9. SEPTEM HEBDOMADAS, &c. De feſto Pentecoſtes eſt ſermo, de quo Exod. XIII. 16. XXXIV. 22. Levit. XXIII. 15. XXV. 8. AB EA DIE, QUA FALCEM IN SEGETEM MISERIS: nimirum ad manipulum ſegetum offerendum, de quo Levitici XXIII. 10. id eſt a die poſtero Paſchatis, ut ibidem exponitur verſ. XI. & 15.

*V.* 10. DIEM FESTUM HEBDOMADARUM. De quo etiam II. Machabæor. XII. verſ. 31. quod feſtum etiam *primitiarum* dicitur Numer. XXVIII. 26. OBLATIONEM. מסת *miſſah*, plerique ſecuti Chaldæos Interpretes, *ſufficientiam* reddunt, quod id ea vox Chaldaice deſignet: unde exponunt: *Iuxta ſufficientiam*, vel *ex ſufficientia*, vel *ſufficientiam voluntatis*, ſpontis, *manus tuæ*, erit, *quod dabis*; id eſt, quantum potuerit manus tua ſpontanea, erit quod dabis. Aut *iuxta ſufficientiam donarii ſpontanei manus tuæ*, *erit quod dabis*; id eſt, dabis quod ſpontaneo & libe-

rali

rali animo potueris pro ratione opum. Alii מסה *missah* deducunt a מסס *masas*, atque idem esse volunt quod מס *mas*, id est *contributio*, realis, seu personalis, quæ de multitudine seu facultatibus in subsidium contribuitur: *tributum* communiter reddunt, seu *contributionem*, notantque Græcis dici Liturgiam. Reuchlinus hæc de ista voce scribit: *Mas, munus personale, collecta, indictio, superindictum, angaria, perangaria, tributum, census. Inde venit per additionem He litteræ in fine, missah, id est oblatio, quæ fit superiori domino propter debitum munus personale: Deuteron.* XVI. 10. *Oblationem spontaneam manus tuæ. Quod nomen nos Christiani sacrificio nostro impositum retinuimus usque ad hoc tempus, ut a nobis appelletur Missa quod a Græcis Liturgia. Nota igitur, quod missa neque Græcum, neque Latinum est, sed Hebraicum: sicut etiam pesach, seu pascha, neque Græcum, neque Latinum extat, sed ab Hebræis mutuatum.* Mirum quot, quantosque in hac re Reuchlinus nactus sit adversarios, existimantes missæ vocabulum, non Hebræum, sed Latinum esse: & mirum quoque quot, quantosque eadem in re habeat suffragatores: Lexicum Hebraicum Complutense, Alciatum, Sanctem, Pintum, Pamelium, Forerium, Canum, Genebrardum, Palmam, Baronium, Antonium, Stephanum. Et nos nullo pacto repudiandam eius sententiam ducimus. Vide Forerium in Isaiæ XXI. vers. 8. Quare vanissime & stultissime Casaubonus exercitatione XVI. diatriba LVIII. hæc ausus est scribere: *Nomen missæ Hebraicum esse, putidissimum commentum est, hominum neque Hebraicas neque Chaldaicas litteras intelligentium: aut certe iudicii prorsus nullius.* Hominis istius futilitas vel modestissimo cuiquam bilem extorquere possit. Sed hæc non huius loci. Ergo hunc locum quidam ita transferunt: *Contributionem spontaneitatis manus tuæ, quam dabis, &c.* Alii: *Voluntarium munus dabit manus tua.* Nonnulli: *Tributo, & voluntaria oblatione manus tuæ, quam dabis.* Hoc tributum exponunt illud, de quo infra cap. XXVI. primis undecim versibus agitur. Nec desunt qui *missah* a נסה *nasah*, *elevare, tentare, experiri, probare*, deducant, reddantque *experimentum, probationem, tentationem, voluntarii manus tuæ*; quasi dicat: In qua festivitate fiet experimentum, quam liberalis & magnifica erit manus tua in offerendis Deo muneribus.

*V.* 16. TRIBUS VICIBUS, &c. Vide Exod. XXIII. vers. 17. & XXXIV. 23.

*V.* 17. SED OFFERET UNUSQUISQUE SECUNDUM QUOD HABUERIT. Hebr. *Quisque iuxta donum manus suæ*; id est, iuxta quod donare; seu conferre potuerit, pro dono facultatum suarum, quas dederit illi Deus. Quidam: *Quisque secundum donum manus ipsius*; id est, iuxta donum Dei manui ipsius collatum. Clarius: *Quisque prout donatum est manui suæ.*

*V.* 18. IUSTO IUDICIO. Hebr. *iudicio iustitiæ*; id est, iudicio iustissimo, summa æquitate & iustitia. Sed recte intelliges iudicium iustitiæ; id est, quo sontes punient, & insontes absolvent, & iuris beneficium unicuique impertient. Vide Genes. XVIII. vers. 19.

*V.* 20. IUSTE QUOD IUSTUM EST PERSEQUERIS. Hebr. *Iustitiam iustitiam persequeris.* Hebraica geminatio significatum auget; id est, quod maxime iustum est, summam & incorruptissimam iustitiam implebis. Alii: *Iustitiam iustitia persequeris.* Nonnulli: *Iustitiam iustitiæ*, seu *iustissimam iustitiam sectare.*

*V.* 21. NON PLANTABIS LUCUM, ET OMNEM ARBOREM IUXTA ALTARE DOMINI. Exponunt: Id est, qui lucus sit propinquus altari, temploque Iehovæ; & qui aut dignitate, & sanctimonia seu religione credatur ad eum accedere; aut qui etiam tamtidem habeatur, quanto magis si æstimetur pluris: ut II. Regum XVI. & XVII. Sed erat hic gentilicus lucorum & arborum ritus, de quo diximus supra cap. VII. vers. 5. & cap. XII. vers. 2.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. MENSEM NOVARUM FRUGUM: mensem Nisan, sive Martium, quo in terra promissionis incipiunt spicæ hordeaceæ florescere: illæ enim offerebantur in Paschate, scilicet secundo die azymorum, ut patet Lev. II. 14. & Lev. XXIII. 10.

*V.* 2. PHASE DE OVIBUS, ET DE BOBUS. *Phase*, id est victimas paschales,

les, quæ in solemnitate paschali de ovibus, & de bobus offerri iubentur, Num. XXVIII. 19. Non enim potest intelligi hoc loco *Phase* de victima illa quæ ad vesperum diei decimæ quartæ immolabatur, quia hæc non aliud quam agnus, aut hædus esse poterat, non autem vitulus, aut bos. UT HABITET NOMEN EIUS IBI: ut illic colatur Deus, & invocetur nomine suo.

*V.* 3. NON COMEDES IN EO, cum eo scilicet Phase. PANEM FERMENTATUM: totis enim septem diebus paschalibus comedebant panes azymos cum agno, & aliis sacrificiis, & cibis etiam communibus. AFFLICTIONIS PANEM: vel quia monumentum afflictionis quam passi fuerant in AEgypto, vel maxime quia is panis insuavis, insipidus, & stomacho gravis est. IN PAVORE. Hebr. *cum festinatione:* utrumque verum, & cum pavore, & cum festinatione egressi sunt, adeo ut panes fermentatos parandi tempus non habuerint.

*V.* 5. IMMOLARE PHASE, proprie dictum, hoc est agnum paschalem. Hunc tantum in loco ubi esset tabernaculum, aut templum, immolare poterant.

*V.* 6. QUANDO EGRESSUS EST. Particula *quando* non significat præcise tempus vesperæ, vel occasus solis, sed totam noctem; ut sensus sit: Immolabis occumbente sole ad noctis vesperam, qua nocte de AEgypto egressus es. Vel *egressus* nomine intellige etiam apparatum ad egressum.

*V.* 7. MANEQUE CONSURGENS. Mane quod omnem paschalem solemnitatem exactam consequitur: nam proximo die a comestione agni longum iter capessere non poterant, quia erat dies festus.

*V.* 8. SEX DIEBUS COMEDES AZYMA. Septem erant dies azymorum; excluditur autem hic septimus dies, de quo statuerat mox aliquid peculiare subnectere. COLLECTA EST DOMINI. De festo collectæ, seu cœtus, vide dicta Lev. XXIII. 36.

*V.* 9. AB EA DIE QUA FALCEM, &c. Dies oblationis manipuli designatur, qui Paschatis festum immediate sequebatur, eratque decimus sextus mensis Nisan. De hoc festo vide Lev. XXIII. 10. Iubentur autem numerari septem hebdomadæ ad diem Pentecostes constituendum;

*V.* 10. FESTUM HEBDOMADARUM: Pentecosten. OBLATIONEM SPONTANEAM; supplenda vox *secundum*, vel *iuxta*: Secundum spontaneas oblationes, quas offerre volueris.

*V.* 11. ET EPULABERIS CORAM DOMINO. De hisce epulis, vide dicta cap. XII. num. XVII.

*V.* 12. CUSTODIESQUE, AC FACIES QUAE PRAECEPTA SUNT. Sensus est: Propterea custodies, ac facies, libenti scilicet animo, ex beneficiorum acceptorum memoria, quibus excitamur ad divinarum legum custodiam.

*V.* 13. SOLEMNITATEM TABERNACULORUM: de qua Lev. XXIII. a num. 34. & deinceps.

*V.* 18. MAGISTROS. Bonfrerius in Exod. cap. XVIII. vers. 25. putat fuisse superiores quosdam iudices toti uni tribui præfectos, aut certe fuisse iudicum paredros, & assessores, quos iudices consulerent, ut omnia iuxta divinæ legis præscriptum fierent. Ipsum vide late de hoc disputantem. IN OMNIBUS PORTIS, in omnibus urbibus, & prætoriis ubi ius dicitur.

*V.* 19. NON ACCIPIES PERSONAM. Eamdem sententiam habes Exod. XXIII. 8.

*V.* 21. NON PLANTABIS LUCUM, &c. ne videaris imitari ritus Gentilium, qui in honore suorum deorum lucos sacrabant.

*V.* 22. STATUAM: qualem Gentiles suis diis, vel idolis constituunt.

## TIRINI.

*Vers.* 2. IMMOLABIS PHASE DE OVIBUS, ET DE BOBUS. Hinc constat, per *Phase*, seu Pascha non semper designari agnum solum paschalem, qui ad vesperam diei decimæ quartæ a tota multitudine per singulas familias immolari, & comedi debebat: quia hoc Phase non poterat de bobus esse: sed solere designari hoc eodem nomine sacrificia omnia, quæ ex legis præscripto totis illis septem Paschæ diebus offerebantur. Sic Ioan. XVIII. vers. 28. recusant sacerdotes introire in prætorium Pilati, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, id est paschales victimas eius diei, & sex sequen-

ſequentium. Pari modo ſumitur II. Paralip. xxxv. verſ. 8. 9. & alibi.

*V.* 3. SEPTEM DIEBUS COMEDES ABSQUE FERMENTO, AFFLICTIONIS PANEM; hoc eſt, affligentem panem, puta azymum, qui non ſolum index & monimentum erat afflictionis AEgyptiacæ, ut exponit Vatablus, & Arias Montanus; ſed vere etiam affligebat ſtomachum & corpus, eo quod inſuavis, inſipidus, & gravis eſſet. Et phraſi Hebræa omnis abſtinentia, pœnitentiaque *afflictio* vocatur.

*V.* 6. IN LOCO QUEM ELEGERIT DOMINUS, &c. hoc eſt, in loco ubi tabernaculum erit, vel templum; nuſquam vero alibi immolabis, aut edes agnum paſchalem. Ex qua lege liquet, Iudæos modo, cum templo careant, non poſſe agnum paſchalem edere, aut immolare. IMMOLABIS autem VESPERE AD SOLIS OCCASUM, QUANDO EGRESSUS DE AEGYPTO, inchoative ſcilicet, quia veſpere egreſſum apparaſti, ſed eadem nocte finiente reipſa egreſſus es.

*V.* 7. MANEQUE CONSURGENS, ſed poſt ſeptimam azymorum diem, VADES IN TABERNACULA TUA; hoc eſt, redibis in urbem & domum propriam. Veriſimilius enim eſt, Iſraelitas totos illos ſeptem dies Ieroſolymis permanere debuiſſe, uti & in ſcenopegiæ feſto, eoſque in ſacris epulis (de quibus hic & capite præcedenti verſ. 20. & cap. XII. & Levit. XIX.) abſumere conſueviſſe.

Nota, cum iubeat hic Deus, ut ter in anno omne maſculinum accedat ad locum tabernaculi, ſolitum fuiſſe divina ſua providentia ſic peregrinantium rebus, & commodis conſulere, ſic deſertas domos & urbes tueri, ut numquam magis eſſent ab hoſte ſecuræ, quam cum, abſentibus viris, ab omni humano præſidio deſertæ videbantur. Ita Sanctius in I. Regum I. Reliqua huius capitis vide expoſita Exod. XII. & Levit. XXIII.

## GORDONI.

*Verſ.* I. DE menſe novarum frugum, ſupra Levit. cap. II. verſ. 14. & Levit. XXIII. verſ. 2. Eſt menſis Niſan, quando matureſcebant frumenta.

*V.* 2. & 4. IMMOLABISQUE PHASE, &c. Paſcha nomen eſt ſignificans, non tantum victimam lunæ decimæ quartæ ad veſperam; ſed etiam extendi aliquoties ſolet ad totas victimas ſolemnitatis horum ſeptem dierum. De his quæ ſunt verſ. 4. vide Exod. cap. XII. verſ. 10. 15. & 19. & cap. XIII. verſ. 7.

*V.* 3. IN PAVORE, tanto, ut non potueris panem fermentare. Azyma ergo memoriale ſit afflictionis. Vide Exod. cap. XII.

*V.* 6. IMMOLABIS, &c. Exod. XII. verſ. 22. dicuntur noctu percuſſa primogenita AEgypti: quomodo ergo hic dicitur populus egreſſus ex AEgypto veſpere ad ſolis occaſum? Sed facilis ſolutio eſt, quia in textu τὸ *quando* deſignat totum egreſſus tempus; hoc eſt, tempore quo egreſſus eſt populus; & præſertim ſi per egreſſum intelligas etiam apparatum ad exitum, & quæ inde ſecuta ſunt.

*V.* 7. COQUES, parabis, quod aſſatur & coquitur. MANEQUE CONSURGENS, id eſt exactis diebus azymorum.

*V.* 8. SEX DIEBUS, &c. Non quod tantum ſex diebus comederent azyma, erant enim ſeptem azymorum dies verſ. 3. ſed quod ſex eſſent dies, quibus & comederent azyma, & non vacarent ab opere; ſeptimo die & comederent azyma, & vacarent.

*V.* 9. & 10. Hic deſignatur verſ. 9. dies oblationis manipuli, qui erat dies 16. menſis Niſan, ſcilicet exacto paſchali feſto; ita ut erigeretur, & ſimul offerretur manipulus ſecundo die azymorum, ut docent Hebræorum Calendaria, & Ioſephus Lib. III. Antiq. cap. X. Vide Levit. cap. XXIII. verſ. II. & 15. Hinc iam verſ. 10. notatur feſtum hebdomadarum, ſeu Pentecoſtes, dictum hebdomadarum, ab hebdomadibus prius numerandis. Vide Lev. cap. XXIII. verſ. 16.

*V.* 13. SOLEMNITATEM, &c. Tabernaculorum ſolemnitas eſt: de qua tota re vide Levit. cap. XXIII. verſ. 34.

*V.* 18. ET MAGISTROS, &c. De his iudicibus per urbes conſtituendis, vide Exod. XVIII. verſ. 25. Mentio fit portarum, quia ſolebant in portis exerceri iudicia.

*V.* 21. & 22. Dictum hic ſupra eſt, Deum odiſſe lucos, & ritum gentilitiæ impietatis. De ſtatuis etiam eſt actum Exod. cap. XX.

Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 11. Epulaberis. De hoc epulo, supra cap. xii. 17.

*V.* 12. Custodies, & hæc facies memor beneficiorum, & libenti animo.

*V.* 19. Non accipies personam. Idem Exod. xxiii. 8.

# CAPUT XVII.

*Hostia deligenda, idololatria punienda: in gravi difficultate ad summum Sacerdotem eiusque concilium recurrendum, & quæ Regi eligendo sint observanda.*

1. NOn immolabis Domino Deo tuo ovem, & bovem, in quo
est macula, aut quippiam vitii: quia abominatio est Domi-
no Deo tuo. 2. Cum reperti fuerint apud te, intra unam
portarum tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir
aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui,
& transgrediantur pactum illius, 3. ut vadant & serviant diis
alienis, & adorent eos, solem & lunam, & omnem mili-
tiam cæli, quæ non præcepi: 4. & hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inqui-
sieris diligenter, & verum esse repereris, & abominatio facta est in Israel: 5. edu-
ces virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civita-
tis tuæ, & lapidibus obruentur. 6. (*a*) In ore duorum aut trium testium per-
ibit, qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium. 7. Ma-
nus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur:
ut auferas malum de medio tui. 8. Si difficile & ambiguum apud te * iudicium
esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, * lepram &
lepram: & iudicum * intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende
ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. 9. (*b*) Veniesque ad sacerdotes
Levitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis,
qui indicabunt tibi iudicii veritatem. 10. Et facies quodcumque dixerint qui
præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te 11. iuxta legem eius; se-
querisque sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.
12. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore
ministrat Domino Deo tuo, * & decreto iudicis, morietur homo ille, & aufe-
res malum de Israel: 13. cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps
intumescat superbia. 14. Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus
tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris: Constituam
super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: 15. cum consti-
tues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non pot-
eris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. 16. Cum-
que fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in
AEgyptum, equitatus numero sublevatus, præsertim cum Dominus præceperit
vobis, ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini. 17. Non habebit
uxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neque argenti & auri immensa

pon-

pondera. 18. Postquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a ſacerdotibus Leviticæ tribus, 19. & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. 20. Nec elevetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet* ipſe, & filii eius, ſuper Iſrael.

(a) Inf. XIX. 15. Matth. XVIII. 16. II. Corinth. XIII. 1. Sup. XIII. 9. (b) II. Paralip. XIX. 8.

## B R U G E N S I S

### ROMANAE CORRECTIONES.

V. 8. *Iudicium eſſe perſpexeris*. Non ſcribas *proſpexeris*, quod eſt prævideris, pro *perſpexeris*, quod eſt videris.

Ibid. *Lepram & lepram*. Nequaquam addenda eſt negatio poſteriori voci, *& non lepram*.

Ibid. *Intra portas tuas*. Non ſcribas *inter* pro *intra*, quod eſt *in*.

V. 12. *Et decreto iudicis*. Legenda eſt coniunctio *&*, non præpoſitio *ex*.

V. 20. *Ipſe, & filii eius*. Retinendum eſt plurale filii, non ſubſtituendum ſingulare *filius*.

## C O M M E N T A R I A

### S A.

*Verſ.* 1. AUT QUIPPIAM; pro, id eſt quippiam.

*V.* 2. PORTARUM, id eſt urbium.

*V.* 3. OMNEM MILITIAM CAELI, id eſt aliquam ex cæli ſtellis. LXX. *aliquid ex ornatu cæli*.

*V.* 7. MALUM, id eſt auctorem mali. Chald. *facientem quod malum eſt*. Id eſt imitatus Paulus I. Corinth. V.

*V.* 8. SANGUINEM ET SANGUINEM, &c. quaſi dicat, in cauſa ſanguinis, litis, & lepræ, ſcilicet condemnandusne ſit aliquis, an non. LEPRAM ET LEPRAM. Hebr. *plagam & plagam*, id eſt *lepram & lepram*, ut verterunt etiam Chald. & LXX.

*V.* 9. IUDICEM, ſcilicet ſupremum.

*V.* 10. FACIES, id eſt iudicabis, ſeu exequeris.

*V.* 11. IUXTA LEGEM. Hebr. *iuxta ſermonem legis, quem te docuerint*; quaſi dicat, Iuxta interpretationem legis quam docuerint. SEQUERISQUE SENTENTIAM ILLORUM. Hebr. Chald. & LXX. *Et iuxta iudicium quod dixerint tibi, facies*. Atque huc videtur reſpexiſſe Chriſtus, cum dixit Matth. XXIII. *Quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite*: quæ duo loca ſufficere deberent hæreticis ad reſipiſcendum, & obediendum Romano Pontifici, & Catholicis Epiſcopis.

*V.* 12. SACERDOTIS, ſcilicet ſummi. ET DECRETO IUDICIS. Heb. & Chald. *vel iudicis*. LXX. *vel iudicis qui fuerit diebus illis*: videtur autem eſſe explicatio præcedentis, ſicut ſup. cum dixit, *Et ad iudicem*; vel quaſi dicat, Sacerdotis ſummi, aut eius qui ſub illo habet iudicandi in ea cauſa poteſtatem, ut ſolent inferiores iudices eccleſiaſtici ſub Romano Pontifice. MALUM, id eſt pernicioſum hominem. Tales ſunt hæretici, ideoque merito puniuntur.

*V.* 17. PLURIMAS: ſcilicet paucas habere poterat, ut David; non multas, ut Salomon. Aug. quæſt. XXVII. in Deuter. QUAE ALLICIANT, &c. Hebr. *Ne declinet cor eius*. Chald. *Ne decipiatur cor eius*. LXX. *Ne alienetur cor eius*. Evenit quidem id Salomoni.

*V.* 18. DEUTERONOMIUM, id eſt exemplum: vulgo *tranſumptum*. Hebr. *duplum*, ſeu *duplicationem*. Chald. *exemplum*. LXX. *Deuteronomium*. LEGIS HUIUS. LXX. *hoc*.

ES-

## ESTII.

*Verf.* 8. & 9. **S**I DIFFICILE ET AMBIGUUM APUD TE IUDICIUM ESSE PERSPEXERIS... SURGE, ET ASCENDE AD LOCUM QUEM ELEGERIT DOMINUS.... VENIESQUE AD SACERDOTES, &c. Hæc fententia modo facerdotem, modo iudicem nominat, propter duplicem magiftratum qui erat in populo Dei, facrum & civilem; quamvis contingeret aliquando utrumque magiftratum in eamdem perfonam concurrere; ut tempore Heli, & rurfus tempore Machabæorum. Cur autem utrumque Magiftratum etiam nunc in populo fuo, hoc eft in Ecclefia, conftituerit Deus, nimirum fæcularem, & ecclefiafticum, prorfus confentaneum eft eamdem legem etiam nunc fervari: ut videlicet fi quæftiones difficiles fint, ad fuum referantur Magiftratum; fi ecclefiafticæ, & religionem attingentes, referantur ad magiftratum ecclefiafticum, id eft ad fummum facerdotem, & fummum in rebus ecclefiafticis iudicem: qui certe non alius eft, quam Pontifex Romanus, Chrifti Vicarius, & D. Petri fucceffor. Neque enim putandum eft Deum minus Ecclefiæ fuæ profpexiffe de ratione componendarum controverfiarum exortarum circa religionem, quam olim profpexerit fynagogæ Iudæorum.

*V.* 12. QUI AUTEM SUPERBIERIT, NOLENS OBEDIRE SACERDOTIS IMPERIO... EX DECRETO IUDICIS MORIETUR HOMO ILLE. Supra dixit facerdotes pluraliter, hic facerdotem in fingulari. Ex quo intelligitur concilium effe plurium facerdotum, fed primam auctoritatem & poteftatem effe unius. Deinde notandum, qua pœna dignus cenfeatur qui fummi facerdotis iudicio acquiefcere noluerit, nimirum fupplicio mortis: quod quidem fupplicium irrogandum eft per iudicem fæcularem. Ex *decreto*, inquit, *iudicis morietur homo ille*. Neque tamen idcirco iudici inquirere de fententia fummi facerdotis femel lata, fed fufficere ei debebat cognofcere, quod talis homo fententiæ fa erdotis nollet acquiefcere. Ita hodie iudici fæculari quoque de quæftione hærefis cognofcere non licet, fed fatis ei effe debet, eum qui ad ipfum defertur nolle fententiæ & iudicio Ecclefiæ acquiefcere: quo modo etiam fi quem idem magiftratus adiudicet morti, quod falfam monetam cuderit, non eft neceffe ut ipfe magiftratus de finceritate, aut falfitate monetæ iudicet, fed creditur peritis illius artis; & fimiliter quoque quando quæftio eft de vulnere lethali, ftatur fententiæ medicorum, & chyrurgorum. Vide Noftra in IV. dift. XVIII.

*V.* 10. & 11. ET FACIES QUODCUMQUE DIXERINT .... ET DOCUERINT IUXTA LEGEM EIUS. Volunt hæretici ex his verbis penes unumquemque remanere iudicium, an facerdotes doceant iuxta legem Domini. Sed ridiculum id effet, & fruftra fuiffet illis data iudicandi poteftas, fi ab ipfis iudicatis feu reis iudices deberent aut poffent iudicari. Et eft hoc contra illud Eccl. VIII. *Non iudices contra iudicem, quia quod iuftum eft iudicat*; quafi dicat: Debet iudex ratione muneris fui fecundum iuftitiam iudicare, & ideo hoc debet credi eum ita facere.

## MARIANAE.

*Verf.* 1. **A**UT QUIPPIAM VITII. Hebr. *omne verbum malum*: fic Sept. fed Nofter fententiam expreffit, vitiofum animal non effe offerendum.

*V.* 2. INTRA UNAM PORTARUM. Sept. & Chald. *urbium*: fic Gotth. fic Hieronymus ipfe, pro *portis*, *urbem* pofuit cap. XVI. verf. 5. Sufpicor eam effe veram Vulg. lectionem.

*V.* 3. MILITIAM CAELI. Stellas fic vocat, propter multitudinem, & ordinem.

*V.* 8. SI DIFFICILE ET AMBIGUUM APUD TE. Hebr. *Si mirabile fuerit a te verbum iudicii: fi te latuerit*, ut alii reddunt. LEPRAM ET LEPRAM. Hebr. *plagam & plagam*; fed *plaga* pro *lepra* fumitur a Sept. etiam, & Chald. Senfus ergo eft: Si ambiguum inciderit in iudicio fanguinis, in aliis caufis, in lepræ cognitione. ET IUDICUM INTRA PORTAS TUAS VIDERIS VERBA VARIARI. Hebr. *Verba litigiorum in portis tuis videris variare*; fed Hieronymus melius fenfum reddidit quam qui dixit, *In actionibus iudicialibus in portis tuis*: nimirum am-

ambiguum inciderit, quo scilicet fidei iudicium detraheret sacerdotibus.

*V. 9.* ET AD IUDICEM. Is erat ipse summus sacerdos vers. 12. & erit repetitio: aut iudex ex iis qui ante Reges principatum tenuere. IUDICII VERITATEM. Hebr. *verbum iudicii*.

*V.* 11. IUXTA LEGEM EIUS, SEQUERISQUE. Hebr. *De verbo legis quod docuerint te, & de iudicio quod dicent tibi, sequeris*; hoc est, quod iudicabunt de nata controversia.

*V. 16.* CUMQUE FUERIT CONSTITUTUS *Rex*, NON MULTIPLICABIT SIBI EQUOS. Hebr. *Verumtamen non multiplicabit equos*. EQUITATUS NUMERO SUBLEVATUS. Hebr. *ad multiplicandum equitatum*: certe per commercia; ut Salomone Rege factum legimus III. Reg. cap. x.

*V.*17. QUAE ALLICIANT ANIMUM EIUS, scilicet uxores, si plures Rex habuerit. Hebr. *Et non recedat cor eius*.

*V.* 18. DESCRIBET SIBI DEUTERONOMIUM LEGIS HUIUS: sic Sept. habent; sed Hebr. *Duplicatum legis huius describet*, scilicet Rex. Quod Chald. refert ad unum exemplum, quod exemplaris comparatione dicatur duplicatum. Hebræi intelligunt præcipi, ut duo exempla describeret Rex, alterum ut secum ferret, alterum in thesauris deponeret. *Legis huius*, in qua agitur de regno; aut, ut alii malunt, totius Mosaicæ legis describat exemplum.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. OVEM ET BOVEM IN QUO EST MACULA. Vide Levit. XXII. vers. 19. 20. 21. AUT QUIPPIAM VITII. Vide supra cap. XV. vers. 21.

*V.* 2. CUM REPERTI FUERINT. Notant supplementum id esse cap. XIII. supra: quo docetur quid faciendum sit ei, qui alios quidem non seduxit, sed ipse seductus idololatriam committit.

*V.* 5. AD PORTAS CIVITATIS TUAE: nimirum ad conventuum publicorum loca: nam & conventus populi, & publica iudicia haberi solebant in portis. Vide Genes. XXIII. 10. XXXIV. 20. & quæ notavimus Genes. XXII. vers. 17.

*V. 6.* IN ORE DUORUM, &c. Vide Numer. XXXV. 30. & Deuter. XIX. 15.

*V.* 8. INTER SANGUINEM ET SANGUINEM. Quidam exponunt: Id est, inter innocentem, crimine capitali damnandum. Alii: *Inter cædem & cædem*, vel *inter homicidium & homicidium*; ut scilicet nequeas explicare an cædes facta vere sit homicidium morte plectendum, nec ne; vel voluntaria, an fortuita. INTER CAUSAM ET CAUSAM. Hebr. *inter iudicium*, vel *inter causam iudicialem, & causam iudicialem*: aut *inter sententiam iudicialem*, seu *definitivam*, & *sententiam iudicatam*, &c. vel *inter litem, & litem*. ET IUDICUM INTRA PORTAS TUAS VIDERIS VERBA VARIARI. Hebr. *Verba litium*. Alii varie exponunt: *Verba contentionum, in rebus rixarum: res controversiarum*, id est *controversæ*; vel *rebus controversis*; vel *in actionibus iudicialibus*.

*V. 9.* AD SACERDOTES LEVITICI GENERIS, ET AD IUDICEM. Quidam istud coniunctim capiunt, *ad sacerdotes & ad iudicem*; id est, qui iudex sacerdos esse debet. Ergo per *Iudicem* hic summum iudicem, ac supremum, nempe summum sacerdotem intelligunt; illud vero *ad sacerdotes*, additum, quod summus iudex, & summus sacerdos nonnisi cum consilio aliorum sacerdotum controversias decidere deberet. Alii vero & hic coniunctionem disiunctivam esse volunt: *ad sacerdotes*, aut *ad iudicem*. Equidem infra vers. 12. diserte. Hebr. ponitur disiunctiva, *ad sacerdotem*, aut *ad iudicem*. Huncque intelligunt supremum Reipublicæ iudicem, & præfectum sæcularem, & politicum, qui Rempublicam administraret, qualis Iosue, Othoniel, Gedeon, Iephte, &c. ut sane reipsa munera esse disparata constat, ad quæ hæc officiorum nomina respiciunt, hysteronproteron, Hebræo more: nam politica iudices, sacra sacerdotes curant. Nec desunt qui intelligant hic dici, ab inferioribus magistratibus in causis difficilioribus ad utrumque supremum magistratum, summum sacerdotem, & summum iudicem recurrendum. Vide Lyranum, & Caietanum. Quidam sensum huius mandati, qui ab hoc versu usque ad 12. continetur, ita concipiunt: Cædes politicæ sunt, & ad iudicum cognitionem pertinent; plagarum, seu leprarum discrimen, ad cognitionem sacerdotum; litium vero aliæ politicæ, aliæ ecclesiasticæ, cuiusmodi

di quæ aut propter conſcientiam magis inſtitutæ ſunt, ut zelotypiæ, & conſimiles; aut quæ civili iudicum cognitione perveſtigari non poſſunt, ſed propter rei, probationumque incertitudinem permittuntur reorum conſcientiæ. Alii vero in hunc modum explicant: Cauſas ſæculares ad ſæculares magiſtratus; eccleſiaſticas de fide, religione, cultu divino, cæremoniis, ad ſacerdotem pertinere: item cauſas civiles facti ad iudicem politicum; iuris vero, ſi quæ gravior inciderit difficultas, ad ſacerdotem referendas. Et ratio eſt perſpicua: nam cum Hebræorum leges etiam iudiciales & politicæ latæ ſint auctore Deo, & ex verbo eius promulgatæ; ſi quæ iuris controverſia ſuper iis oriretur, non ad alium quam ad ſacerdotem, qui interpres erat divinæ voluntatis, & vera explicatio verbi divini ad eum ſpectabat, earum inſpectio & iudicium pertinere poterat. Vide Numer. XXVII. verſ. 21. IUDICII VERITATEM. Heb. *verbum iudicii*. Quidam, *ſtatum iudicii*, ſeu *cauſæ*. Alii; *rem iudicii*, id eſt ſententiam ipſam definitivam, ſive quomodo pronuntiandum tibi ſit de re illa. Nonnulli, *verbum iudicii*; id eſt, quod æquum eſt & iuſtum.

*V.* 11. IUXTA LEGEM EIUS. Hebr. *ſuper os legis*. Quidam, *ex præſtituto legis*, ſeu *ex præſcripto*: ex lege quam tibi præſcribent. Poſſis exponere: *Iuxta interpretationem legis*: ut ſacerdos intelligatur hic os legis, qui eam declarat & exponit, ut ipſe ſit ipſa lex viva & loquens.

*V.* 2. QUI EO TEMPORE MINISTRET DOMINO. Hebr. *Stantem ad miniſtrare ibi ad*, vel *cum IHUH*. Quidam exponunt: *Ut non auſcultet ſacerdoti perſtanti miniſtrando*, vel *conſtanter miniſtranti*. Sic cap. XVIII. verſ. 5.

*V.* 14. ET DIXERIS. Quidam exponunt, puta iuſto legitimoque conſilio, non autem tumultuarie præter Dei voluntatem, & illegitime inito, ut factum eſt cum fuit eligendus Saul: quapropter conſilium iſtud damnavit Deus I. Samuel. VIII. verſ. 7. & cap. XII. verſ. 19.

*V.* 16. NON MULTIPLICABIT SIBI EQUOS. Aliqui putant, Iſraelitis, ac Regibus eorum interdictos equos lege divina: ſaltem numeroſiorem eorum copiam. Hinc ſæpius leguntur equi capti ab Iſraelitis in bello, paucis relictis, ſubnervati; ut Ioſue XI. verſ. 6. & 9. II. Samuel. VIII. verſ. 4. NEC REDUCET POPULUM IN AEGYPTUM, EQUITATUS NUMERO SUBLEVATUS. Hebr. *Et non reducet populum in AEgyptum propter multiplicare equum*, ſeu *equitatum*. Quidam: *Neque populum AEgyptum reducat, ut equos multiplicet*; id eſt, ut ſibi amplum equitatum comparet. Alii: *Neque facito ut hic populus revertatur in AEgyptum ad multiplicandum equos*. Non vult dicere, Regem vel equitatu fretum, vel ad comparandum magnum equitatum, reducturum univerſum populum in AEgyptum; ſed ne cauſa comparandorum equorum commercia inter Iſraelitas & AEgyptios ſint, ne illo Hebræi mercatores, aut alii occaſione educendorum equorum frequentes commeent. Atqui contra hanc legem feciſſe videtur Salomon I. Regum X. verſ. 28. 29. Hinc diſces AEgyptum equorum fuiſſe fertilem.

*V.* 17. NON HABEBIT UXORES PLURIMAS. Hebr. *Non multiplicabit ſibi uxores*. S. Auguſtinus quæſt. XXVII. *Hinc potius intelligitur permiſſum fuiſſe Regibus, ut plures haberent quam unam: multiplicare enim prohibiti ſunt. Quæ prohibitio non habet transgreſſionem ſi paucæ fuerint, ſicut David fuerunt; non autem multæ, ſicut Salomoni*. Ergo prohibentur habere non plures, ſed plurimas. Vide Levit. XVIII. 18. NEQUE ARGENTI ET AURI IMMENSA PONDERA. Hebr. *Et argentum, & aurum non multiplicabit ſibi valde*. Quidam recte expendunt illud *Sibi*: nec enim vitium Regum eſt multiplicare argentum, & aurum, non ſibi, ſed Reipublicæ, cum ad arcendos hoſtes, tum in ſubſidia civium. Hanc legem trangreſſus eſt Salomon, quo abundante theſauris, populus egebat exactionibus gravatus, ut in facto Roboam apparuit I. Regum XII. verſ. 4.

*V.* 18. DESCRIBET SIBI DEUTERONOMIUM LEGIS HUIUS. Optime Noſter ſecutus LXX. משנה *miſcheneh*, *Deuteronomium* dixit, id eſt totum Deuteronomii librum, quod Hebræi משנה תורה *miſcheneh torah*, vocant. Ad verbum: *Duplicitatem*, *iterationem*, *duplicationem*, *ſecunditatem*, *duplum*, *ſecundarium legis*. Plerique, *apographum*, *exemplar*, *deſcriptum*, *exſcriptum legis*. Quidam, *emendationem*

*tionem legis*; id est exemplar, exscriptum legis, quam pure & emendatissime descriptum: non ut vulgares & inemendati codices. Sic Iosue VIII. vers. 32. Inepte Hebræi exponunt, *duplum legis huius*; id est, duplex legis exemplar: unum quod secum ferrent, alterum quod haberent in archivis. ACCIPIENS EXEMPLAR A SACERDOTIBUS. Hebr. *de ad facies sacerdotum*, id est coram sacerdotibus, qui adsunt scriptioni & emendationi, ut quam castigatissime describatur: vel ad exemplar sacerdotum, qui codicibus emaculatissimis, uti periti in lege, utebantur. Quidam reddunt: *exemplum huius legis in libro, ex eo qui erit in conspectu sacerdotum*; ut exemplar legis describendum sit ex libro sacerdotum, qui fidelissime & probissime descriptus erit.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. IN QUO EST MACULA. Vide dicta Exod. XII. 5.

*V.* 2. INTRA UNAM PORTARUM, urbium. MALUM, idololatriam, ut patet ex sequentibus.

*V.* 3. MILITIAM CAELI, astra, quæ sunt quasi milites Deo famulantes, & pro eo, cum opus est, depugnantes.

*V.* 5. AD PORTAS CIVITATIS, extra civitatem. Moris enim erat Hebræis extra urbem, vel extra castra extremo supplicio afficiendum educere; sic & Christus, & S. Stephanus extra urbem passi sunt.

*V.* 6. IN ORE DUORUM, &c. Eamdem sententiam habes infra cap. XIX. Chaldæus vertit: *Per dictum duorum, aut trium testium reus convictus occidatur.*

*V.* 7. MANUS TESTIUM, &c. Testes primi, deinde reliquus populus in eum mittent lapides.

*V.* 8. INTER SANGUINEM ET SANGUINEM. Si homicidii causa ambigua sit, aliis ut involuntarium excusantibus, aliis ut voluntarium, & destinatum, puniendum esse pronuntiantibus, vel sensus est: Si controversia difficilis, & ambigua existat inter cognationes (quod enim hic habemus *inter sanguinem & sanguinem* D. Hieron. II Par. XIX. 10. vertit, *inter cognationem & cognationem*) hoc est, inter eos qui sunt diversarum cognationum, cuiusmodi oriri subinde poterant, vel circa possessiones, vel circa res alias, veniendum erit ad sacerdotes, &c. CAUSAM ET CAUSAM, litem super quacumque re. LEPRAM ET LEPRAM; aliis asserentibus lepram esse eius generis, quæ a sacris arcet, aliis vero negantibus. AD LOCUM QUEM ELEGERIT DOMINUS: in Ierusalem ubi est templum, in quo habitat Dominus; vel ante templum constructum, & tabernaculum.

*V.* 9. VENIESQUE AD SACERDOTES LEVITICI GENERIS, ET AD IUDICEM. Per Iudicem hic vel intellige Pontificem, ut vult Vatablus, & alii, vel eius vicarium. Sane causæ spirituales, quæ ad religionem, sacras cæremonias, & similia spectabant, ad Pontificem pertinebant. Reliquæ vero civiles disceptabantur a sæculari iudice, cuiusmodi erant Reges, & magistratus inferiores. Verum, quia non suis legibus, sed divinis Rempublicam gubernabant, si quid vel in iure, vel in facto obscuritatis esset, quæ alias exhauriri non posset, ipsis iudicibus laicis, atque adeo & ipsi Regi recurrendum erat ad Pontificem, ut difficultatis exortæ solutionem acciperet.

*V.* 10. DOCUERINT TE IUXTA LEGEM EIUS; quasi dicat: Qui consulunt sacerdotem, acquiescere debent, & existimare sacerdotum, & Pontificis iudicium datum esse iuxta legem Domini: nam, ut ait Malach. cap. II. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.*

*V.* 12. SACERDOTIS IMPERIO, Pontificis, QUI EO TEMPORE MINISTRAT DOMINO: qui scilicet eo tempore fungitur Pontificatu. ET DECRETO IUDICIS, eiusdem scilicet Pontificis, cuius est ista iudicare, an scilicet iuxta legem fiant, necne. MORIETUR HOMO ILLE: morte puniatur. AUFERES MALUM, id est perniciosum hominem.

*V.* 14. ET DIXERIS, CONSTITUAM SUPER ME REGEM, &c. Non id vult Deus, ut Rex illis præficiatur (satis enim liquet id Deo magnopere displicuisse, cum petierunt sibi constitui Regem I. Reg. VIII. 7. & seqq. & cap. X. 19. & cap. XII. 17. & seqq.) si tamen id pertinacius petant, ac

ac desiderent Israelitæ, indicat Deus se permissurum, uti & postea permisit I. Reg. VIII. certis tamen conditionibus, quas omnino si Regem velint, servari vult, ac præcipit.

*V.* 15. QUEM DOMINUS DEUS TUUS ELEGERIT. Id servatum in Saulis electione, item Davidis: deinceps successione ad Regnum ventum est; quamquam & Salomon e pluribus fratribus ad Regnum Dei peculiari electione sit vocatus. QUI NON SIT FRATER TUUS. Hebræus, *de gente tua*; ne, si alienigena sit, ad aliam religionem subditos pertrahat, utque suos amet, & ab illis vicissim diligatur.

*V.* 16. NON MULTIPLICABIT SIBI EQUOS. Non vetantur equi, aut eorum usus, sed nimia eorum copia, tum ne in bello illis nimium confidat, quia fallax equus ad salutem Psalm. XXXII. 17. tum erigatur in superbiam, magnoque fastu, & pompa incedat. Alia ratio statim subditur. NEC REDUCET POPULUM IN AEGYPTUM: quasi illud regnum suæ ditioni adiuncturus, equitatui suo fidens. CUM DOMINUS PRAECEPERIT VOBIS. Nusquam id præceptum disertis verbis in scriptura reperitur, implicite tamen indicatur: quia cum iniectus est sermo ab Israelitis de reditu in AEgyptum, graviter illis Dominus succensuit. PER EAMDEM VIAM: quæcumque via, quæ ducat in AEgyptum, & sit eadem, ratione termini.

*V.* 17. NON HABEBIT UXORES PLURIMAS. Aliquas uxores habere poterant, ut David; plurimas ut Salomon, salvo officio, non poterant. QUAE ALLICIANT ANIMAM EIUS, effeminent, flectant ad vitium: id etiam vetitum ne pravo exemplo Rex populo noceret, neve illum nimiis impensis gravaret. NEQUE ARGENTI, ET AURI IMMENSA PONDERA: ne scilicet Rex, ex cupiditate auri & opum subditos spoliet, & ne ex opibus in fastum, & luxum diffluat.

*V.* 18. DESCRIBET SIBI DEUTERONOMIUM, &c. Philo Lib. de Creatione Principis ait, debuisse Regem manu propria describere. Alii censent potuisse uti aliena manu. *Deuteronomium*: quia hic liber est quoddam Mosaicæ legis compendium. ACCIPIENS EXEMPLAR A SACERDOTIBUS, ut scilicet ex incorrupto exemplari describat. LEGET ILLUD OMNIBUS DIEBUS VITAE SUAE: non quod continue, vel quotidie illud legere teneatur; sed frequenter legat, ut memor sit eorum quæ in libro illo scripta sunt.

*V.* 19. UT DISCAT TIMERE DOMINUM. Timor enim Dei maxime inculcatur in Deuteronomio, quod est perpetua, ardensque concio Mosis, incitans Hebræos ad cultum Dei, & legis observationem.

*V.* 20. NEC ELEVETUR COR EIUS IN SUPERBIAM: ne insolescat, nec tyrannicos mores induat. SUPER FRATRES SUOS, gentem suam. DECLINET IN PARTEM DEXTERAM VEL SINISTRAM, a lege Dei, & rationis præscripto quacumque ratione deflectat. UT LONGO TEMPORE REGNET IPSE, ET FILII EIUS: exemplis enim ex sacris litteris discimus, Reges eos qui pietatem non coluerunt, aut regno excidisse, aut ad filios suos, aut certe ad longam nepotum seriem regnum non transmisisse.

## TIRINI.

*Vers.* 8. SI DIFFICILE ET AMBIGUUM IUDICIUM ... INTER SANGUINEM ET SANGUINEM. Interpres noster II. Paralip. XIX. vers. 10. verba Hebræa quæ hic habentur, vertit, *Inter cognationem & cognationem*; hoc est, inter eos qui vel diversæ, vel eiusdem cognationis seu familiæ sunt, inter quos ratione possessionum, & aliarum rerum solent frequentes & longæ lites esse. Quamquam etiam cum Tostato, Vatablo, & Lyrano per *sanguinem* hic intelligi possit homicidium patratum, sitne voluntarie, an casu factum. Vel cum Caietano, & Oleastro crimen quodvis capitale, ratione cuius dubitetur an auctor morte plectendus sit, nec ne. Sic apte sequitur, *Inter* CAUSAM ET CAUSAM, si dicat: Vel alia qualibet de causa & lite, etiam non capitali aut criminali. Etiam *inter* LEPRAM ET LEPRAM, an scilicet vera sit & contagiosa, propter quam quis debeat ab hominum contubernio semoveri, quod pluribus erat molestissimum,

fimum, & lepræ species poterat subinde fallere. Si talis, inquam, dubius casus obveniat, ET IUDICUM, particularium, INTRA PORTAS TUAS, hoc est in urbium, vel tribuum singularum tribunalibus, VERBA, seu sententias, VARIARI VIDERIS, confer te ad locum in quo erit tabernaculum vel templum, & defer causam ad sacerdotes, & iudicem supremum, qui præsunt illi loco. Ubi re eventilata & diiudicata, stabitur illorum sententiæ, neque ulli licitum erit ei refragari, etiam sub pœna mortis. Erat enim hoc supremum & ultimum Iudæorum tribunal, a quo nulla vel declinatio dabatur; ad illud vero undique, & ab omnibus appellari poterat. Constabat hoc tribunal, seu concilium supremum summo Pontifice tamquam capite & præside, & septuaginta senioribus tamquam assessoribus: qui licet initio promiscue ex omnibus tribubus, paulatim tamen ex solis sacerdotibus, saltem pro maiori parte desumebantur. Et hi delatas ad se caussis graviores vel communi consilio simul omnes, vel certo numero a Pontifice designati, pro ut causæ erant maioris, vel minoris momenti, & difficultatis, cognoscebant & decidebant.

Dices: Ex II. Paralip. xix. vers. 10. & 11. & aliunde constat, distinctos fuisse limites iudicum politicorum, & ecclesiasticorum seu sacerdotum: & politicos quidem iudicasse omnia civilia; verbi gratia, quæ pacem, quæ bella, quæ contractus, quæ possessiones bonorum, furta, homicidia, similesque iniurias concernebant: sacerdotes vero ea quæ sacra erant iudicasse; verbi gratia, quæ legem divinam, quæ religionem, quæ cæremonias spectabant.

Respondeo. Hæc quidem præcipue ad sacerdotes spectabant, sed non sola. Cum enim politici iudices, adeoque & ipsi Reges non possent suis legibus aut arbitratu Rempublicam Iudæorum administrare, sed divinis legibus, quæ fere continentur hoc Deuteronomio (quod idcirco Rex ipse perpetuo penes se habere iubetur *a*:) hinc fiebat, ut etiam politicum tribunal in multis casibus a sacro sacerdotum tribunali dependeret: cogerenturque etiam Principes in casibus eiusmodi dubiis seu iuris, seu facti, ad sanedrim confugere. Unde infra capite vigesimo primo versu quinto expresse & generaliter dicit, *Omne negotium esse ad verbum sacerdotum*; id est, *omnem litem & controversiam* (sic enim est in Hebræo) verbo ac sententia sacerdotum decidi debere: & Numer. XXVII. 21. Iosue iam designato principi totius populi iniungitur, ut nihil maioris momenti aggrediatur, nisi per Pontificem consulto Deo. Ex hac ergo dependentia laicorum tribunalium a sacro, si quid in iudicando a Rege, vel alio politico tribunali peccatum esset contra legem divinam, poterat, immo debebat a Pontifice, & sacro tribunali corrigi. Quod si locum habebat in lege Mosaica, & Republica Iudæorum, longe rudiore, minusque composita; quanto magis in Ecclesia & lege Christiana, quæ cultissima est, optimeque ordinata?

Obiicit Calvinus, per iudicem hic intelligi non Pontificem, sed principem politicum: nam qui in politicis præerant Hebræis usque ad tempora Regum, non alio quam iudicum nomine vocabantur.

Respondeo, Deum hic loqui non de quovis iudice, sed de illo solo qui præerat loco in quo tabernaculum erat, vel templum, ut hic dicitur vers. 10. Atqui nullus iudicum politicorum præfuit umquam illi loco, sed soli Pontifici, & sacerdotibus id competebat: ergo & his solis ultimum illud controversiarum iudicium hic defertur.

Replicat Lucas Osiander: Iudæi tantum hic iubentur facere quæ sacerdotes illi decreverint iuxta legem Dei, hoc est conformiter legi divinæ; non vero si quid extra hos limites decernant.

Respondeo, ut summum excludi his verbis, quod manifeste pateret contrarium esse legi divinæ; verbi gratia, quod ex mero odio vel animo hostili decerneretur contra ius & fas, ut fieri potuisset in rebellione, cui etiam Pontifex subscripsisset; & forte ita factum ab Abiathar summo sacerdote conspirante *b* cum Adonia contra Salomonem. Alioquin omni alio casu, etiam maxime dubio an verbis legis comprehenderetur, necne; immo etsi expresse constaret non comprehendi, dummodo tamen constaret manifeste non contrariari; censebantur sacerdotes iudicare iuxta legem Dei: quia lege divina, ut supra dixi, potestas ipsis facta erat omnia controversa ad se delata diiudicandi, ad quod præsidio illis erant leges cælitus acceptæ, totoque

Pentateucho comprehensæ, sed non nisi casibus ibidem expressis; in aliis vero ibidem non expressis, debebant consulendo Deum, vel invicem conferendo, vel pluralitate suffragiorum, vel alia commodiore via sententiam curare: cui omnes omnino parere hic iubentur, non minus his posterioribus casibus lege non comprehensis, quam prioribus in lege expressis.

Ex quibus omnibus patet, quam procul a divina lege devient qui supremum iudicem omnium controversiarum etiam fidei, & interpretem sanctæ Scripturæ conantur nobis obtrudere vel principem politicum, vel magistratum civilem, ut Anglo-calvinistæ, & Arminiani; vel privatum spiritum cuiusque, etiam plebei, ut Puritani, Gommaristæ, & alii hæretici.

(a) Hic vers. 18. & 19.
(b) III. Reg. 1. & 11.

## GORDONI.

*Vers.* 3. MILITIAM CAELI. Sunt astra, quæ nempe ut milities Deo famulantur.

*V.* 6. & 7. Est iure gentium receptum etiam, immo & Cæsareo, ut duo, vel testes sufficiant; tamen Cæsareo iure non conficit hunc numerum qui accusator est, quamvis lege hac divina accusator poterat admitti. Sic Daniel. XIII. duo senes accusatores evicerunt contra Susannam. Quod vero est hic vers. 7. DE MANU TESTIS, debet intelligi, accedente iudicis auctoritate.

*V.* 8. Sanguis, hic homicidium designat. Causa hæc iudicialis est, & ad iudicem laicum pertinebat, sicut cæremoniales causæ ad sacerdotes; tamen isti iudices laici non poterant omnino rem definire: ultimum iudicium erat penes summum Sacerdotem, qui proinde omnium supremus iudex erat, ut hic definit Moses, proposita pœna mortis reluctanti. Sacerdotes proinde, ut hinc constat, poterant esse iudices in criminibus, & causa homicidii, & habetur etiam Ezech. cap. XLIV. vers. 24. & alibi. Sic Caiphas in concilio protulit sententiam mortis in Christum, Ioan. XI. vers. 50. & talia quidem erant veteris legis statuta.

*V.* 9. VENIESQUE AD SACERDOTES, &c. En provocationem ad sacerdotes, etiam in causa criminali, seu de sanguine, ut habetur vers. 8. Heb. בין דם לדם *ben dam ledam*, *inter sanguinem & sanguinem*. Ceterum ne quidem in civilibus Rex apud Iudæos exemptus erat; prorsus a iurisdictione Pontificis, ut videas quam male Principes non Catholici, usurpent etiam in sacris rebus auctoritatem supremam. Nec Iosaphat II. Paralip. XIX. constituit de rebus sacris sacerdotes iudices, nisi accedente auctoritate summi Pontificis. Quod si III. Reg. Salomon deposuerit Abiathar summum Sacerdotem, hoc egit ut exequens Dei voluntatem ex I. Reg. II. & III. de futura eiectione posteritatis Heli ex vaticinio per Samuelem.

*V.* 11. IUXTA LEGEM EIUS, seu sententiam ex vera legis interpretatione.

*V.* 12. ET DECRETO: lege, ex decreto: sic habet Romanum exemplar. Heb. או *vel*: idem apud Septuag. est particula ἤ; hoc est, qui noluerit obedire Pontifici, aut decreto iudicis.

*V.* 16. CUM DOMINUS PRAECEPERIT VOBIS. Hoc præceptum quando sit impositum, non habemus. Cetera quæ de Rege subduntur, monita sunt Regibus perutilia, præsertim in his quæ vel ambitiosam pompam redolent solum, vel nimiam exactionem auri a subditis, quæ contra hæc fecit Salomon. Vide III. Reg. cap. X.

*V.* 18. DEUTERONOMIUM, exemplum. Hebr. *duplum*, aut *duplicatum*. Sept. *Deuteronomium*.

## EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 1. MACULAE. Quænam sit macula, Exod. XII. 5.

*V.* 5. AD PORTAS, ut fieret ex more iudicium, & extra portas ad supplicium.

*V.* 14. CONSTITUAM. Satis docet contextus non esse præceptum Regem; sed si constitueris Regem (permissio est) servet ea quæ sequuntur.

CA

# CAPUT XVIII.

*Sacerdotibus, & levitis pro possessione cedunt oblationes ac sacrificia: cavenda omnis superstitio: de vero propheta suscitando, & falso propheta interficiendo.*

1. NOn (a) habebunt sacerdotes & levitæ, & omnes qui de eadem tribu sunt, partem & hereditatem * cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, & oblationes eius comedent, 2. & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hereditas eorum, sicut locutus est illis. 3. Hoc erit iudicium sacerdotum a populo, & ab his qui offerunt victimas: sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum ac ventriculum: 4. (b) primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ovium tonsione. 5. Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet, & ministret nomini Domini ipse, & filii eius in sempiternum. 6. Si exierit Levites ex una urbium tuarum ex omni Israel in qua habitat, & voluerit venire, desiderans locum quem elegerit Dominus, 7. ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres eius levitæ, qui stabunt eo tempore coram Domino. 8. Partem ciborum eamdem accipiet, quam & ceteri: excepto eo quod in urbe sua ex paterna ei successione debetur. 9. Quando ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium. 10. (c) nec inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, & observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, 11. nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, (d) aut quærat a mortuis veritatem: 12. omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. 13. perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo. 14. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & divinos audiunt: tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es. 15. (e) PROPHETAM de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, 16. ut petisti a Domino Deo tuo (f) in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. 17. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. 18. (g) Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi: 19. qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. 20. Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. 21. Quod si tacita cogitatione responderis: Quo modo possum intelligere verbum quod Dominus non est locutus? 22. hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille

præ-

prædixerit, & non evenerit: hoc Dominus non est locutus, sed per timorem animi sui propheta confinxit: & idcirco non timebis eum.

(*a*) Sup. x. 9. Num. xviii. 20. I. Cor. ix. 13. (*b*) Num. xviii. 21. (*c*) Levit. xx. 27. (*d*) I. Reg. xxviii. 7. (*e*) Ioan. 1. 45. Act. iii. 22. (*f*) Exod. xx. 21. (*g*) Ioan. ii. 45.

## BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 1. *Cum reliquo Israel*. Non omittas *reliquo*, quod Interpres signanter addidit.

## COMMENTARIA

### S A.

*Vers*. 2. DOMINUS ENIM. Chald. *munera eis data a Domino*.

*V*. 3. IUDICIUM, id est ius, seu ritus. Chald. *pertinens ad sacerdotes*; quasi dicat, debitum sacerdotibus. ARMUM. Hebr. Chald. & LXX. *armum*, *&* *maxillas*.

*V*. 5. NOMINI DOMINI, id est Domino.

*V*. 7. STABUNT, id est ministrabunt.

*V*. 8. EXCEPTO EO, id est ultra id. Nota, hinc, & ex cap. xiv. & Numer. xviii. apparere, non datas decimas, nisi levitis in templo servientibus; aliis vero dabantur tertio quoque anno solum.

*V*. 10. LUSTRET, id est expiet. QUI ARIOLOS SCISCITETUR, ET OBSERVET SOMNIA ATQUE AUGURIA. Hebr. *divinator*, *aut præstigiator*, *aut augur*: Chald. *divinans*, *aut horas observans*, *aut auguria*.

*V*. 13. CUM DOMINO, id est coram Domino.

*V*. 15. PROPHETAM, scilicet Iosue in typo, & Christum in veritate. SICUT ME, scilicet legislatorem.

*V*. 22. EUM, id est eius prophetias.

### E S T I I.

*Vers*. 8. EXCEPTO EO QUOD IN URBE SUA EX PATERNA SUCCESSIONE EI DEBETUR. Ergo etiam hereditatem suorum bonorum levitæ ad posteros transmittebant. Videntur autem intelligi domus, suburbana, pecora, & si quid aliud esset acquisitum.

*V*.15. PROPHETAM... DE FRATRIBUS TUIS SICUT ME, SUSCITABIT TIBI DOMINUS DEUS TUUS: IPSUM AUDIES. Omissis Hebræorum commentis, qui hunc locum interpretantur de Iosue, & aliis, qui deinde secuti sunt, Samuele, Esaia, Ieremia; dubitare non debemus, quin locus iste ad Christum pertineat. Habemus enim de hoc interpretem Spiritum sanctum, qui per os beati Petri Apostoli Actor. iii. ita loquitur: *Moyses quidem dixit*: *Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris*, *tamquam meipsum audietis*. Itemque Stephanus Actor. vii. hunc locum ad probandum Christum esse Messiam producit. Quomodo autem dicatur, *Sicut me*, cum Christus fuerit Moyse longe maior: respondeo, illis verbis non æqualitatem auctoritatis, sed similitudinem significari. Et sensus est: Per omnia eum audietis, sicut me audire debuistis; vel sicut ego nihil vobis præcepi nisi ex ore Dei, ita nec ille. Vel potius *sicut me*, vel ut postea repetitur, *similem mei*: videlicet in eo quod uterque sit legislator Moyses legis novæ. Et plane Stephanus Act. vii. hanc scripturam allegat, ut ostendat iam olim per ipsum Moysen a Deo promissum esse Prophetam, qui legem Moysi transferat.

Adde quod omnino quoque videtur ad hunc locum alludere Pater de Filio, testificans Matth. xvii. *Ipsum audite*: itemque ad hunc locum respexisse creditur ipse Filius Christus, quando ait Ioan. v. *De me enim ille scripsit*: & Philippus quando dixit de Nathanael, Ioan. i. *Quem scripsit Moyses in lege*, *&c.* ut parvi faciendum videtur quod Hieronymus ab Oleastro putat non tantum de Christo intelligi, sed pertinere etiam ad alios Prophetas. Sed contra hunc sensum, & similiter con-

contra sensus quos fingunt Iudæi, præter illa quæ supra dicta sunt, facit etiam quod non dicitur, Prophetas, sed singulariter, *Prophetam*. Ac deinde cap. ult. huius Libri expresse: *Et non surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moyses, &c.*

*V.* 9. EGO ULTOR EXISTAM. Impletum est hoc in eversione potissimum civitatis Ierosolymitanæ per Romanos, sicut Christus quoque ipse eis prædixerat; ac deinceps in dispersione illius populi per omnes terras, & in venditione eorum in servos, & quod etiamnum omnibus sunt contemptui.

* *Nihil ultra in Exemplari Parisiensi ann. 1644. quo nos utimur in hac nostra editione; ut autem vitio aliquo laborare videtur hac sententia, sic nos supplendum existimamus* in eo quod uterque sit legislator, Moyses veteris, Christus vero legis novæ.

## MARIANAE.

*Vers.* 1. SACRIFICIA DOMINI, ET OBLATIONES. Hebr. *Ignita Domini, & hereditatem eius comedent. Ignita*, אש iesei, vocat carnes sacrificii, postquam pars earum igne est combusta. Hieronymus *sacrificia* recte dixit, sed vim vocis non satis exprimit.

*V.* 2. HOC ERIT IUDICIUM, id est pars, sive portio *sacerdotum*. ARMUM AC VENTRICULUM. Sept. *armum, & maxillas, & ventriculum*: sic est Hebr.

*V.* 6. URBIUM TUARUM. Hebr. *portarum tuarum*; sed portæ pro urbibus sumuntur: sic potuit vertere cap. XVII. vers. 2.

*V.* 8. PARTEM CIBORUM EAMDEM ACCIPIET. Hebr. *Partem, ut partem comedent*; id est, non minor illis portio quam ceteris dabitur, levitis advenis scilicet. EXCEPTO EO QUOD IN URBE SUA EX PATERNA EI SUCCESSIONE DEBETUR. Hebr. *Præter venditiones super patres*; hoc est, nisi loca sua, & portiones patres vendiderint vel emerint: nam emptionibus factis stari vult: & ut ceteri vendebant sua prædia, ita levitæ loca, & portiones suas. Quod sub Davide, & Salomone factum dicunt, quando ad certum numerum & sortes sacerdotum ministeria sunt perducta. Itaque levitis externis oblationum portionem dari vult, & eos in patria sua prædia retinere.

*V.* 10. QUI LUSTRET FILIUM SUUM, AUT FILIAM. Hebr. *transferens filium suum, aut filiam suam per ignem*. Quod intelligunt de iis qui filios suos immolabant idolis, de quo Levit. XVIII. & Deuter. XII. Non lustrabant filios, sed comburebant. AUT QUI ARIOLOS SCISCITETUR. Hic constat divinos, maleficos, incantatores, necromanticos prohibere. An vero nomina quæ Interpres posuit, exacte respondeant Hebraicis, laborare non est opus: non minus Iudæis multarum vocum Hebraicarum ignotæ sunt significationes, quam nobis.

*V.* 12. DELEBIT EOS IN INTROITU TUO. Hebr. *eiiciens* (pro eiiciet) *illos a facie tua*, scilicet divinos, incantatores.

*V.* 14. TU AUTEM A DOMINO DEO TUO ALITER INSTITUTUS ES. Heb. *Et tu non sic dedit tibi Dominus Deus tuus*.

*V.* 22. ET NON EVENERIT. Non satis e contrario est, ut existimetur quis verus Propheta, ut eveniat quod dicit; nisi addatur, quod non deducat homines a lege Dei, uti superius dictum est cap. XVII.

## MALVENDAE.

*Vers.* 3. HOC ERIT IUDICIUM SACERDOTUM, id est ius sacerdotum, quod iure illis populus, & sacrificantes debent. AC VENTRICULUM. Notant, ventriculi duas esse partes: *omasum*, quæ est pars ventriculi crassior, pinguior, opimior; & *echinon*, quæ est pars asperior & pinguedinis expers: atque hic ventriculum synecdochice *omasum* tantum intelligunt, *Pantices* Plauto dici quidam existimant. Omasum olim in deliciis fuisse ostendit Nonius cap. II. num. 633. ex Nævio in Aulularia. Forsan *ventriculum* hic intelligit Moses in animalibus mundis, quod in sue vocat *spectile*, Festus e Plauto in Carbonaria, nempe carnem illam exossem, quæ est sub umbilico. Alii hic *ventriculum* accipiunt pectusculum animalis, quod cedebat sacerdoti, Exod. XXIX. vers. 26. Quidam Hebræorum aiunt esse *uber*, in quo est lac. Lyranus קבה *kebah*, *mulctam*, interpretatur: quam nos Valentini dicimus *mullam*.

*V.* 4. PRIMITIAS FRUMENTI, &c. Vide

Vide de hoc versu Numeror. XVIII. vers. 12. & 13.

*V.* 8. PARTEM CIBORUM EAMDEM ACCIPIET, QUAM ET CETERI. Hebr. *Portionem sicut portionem comedent*. Ex hoc loco apparet, levitas templo ministrantes suas portiones ex oblationibus, seu ex ærario templi percepisse; cum alii levitæ non ministrantes, decimas tantum a filiis Israel caperent: exponuntque: Levitæ de novo venientes ad ministrandum comedent suam portionem, tantumdem ut alii ministrantes. Quidam vertunt: *Æquales portiones comedent*. Alii: *Partem ex æquo comedent*; id est, æque ad functionis levitæ & commodi ex ea partem admittitor cum fratribus; putantque hic allusum ad portionem decimalem levitarum, de qua Numer. XVIII. vers. 31. quod non probo. EXCEPTO EO QUOD IN URBE SUA EX PATERNA EI SUCCESSIONE DEBETUR. Hebr. *Præter venditiones eius super patres*. Quidam ista inter se nectunt, exponuntque: *præter venditiones suas, quas habent a patribus*; sensumque esse volunt, omnes levitas, qui Ierosolymam venirent ut ibi ministrarent Domino, ex æquo participare posse omnibus portionibus quæ ex oblationibus, seu ex ærario templi illis obvenirent; non autem teneri ut alius cum alio divideret & partiretur ea bona quæ a patribus seu maioribus suis tamquam propria habebat. Licet enim levitæ non haberent hereditatem in terra promissa ut aliæ tribus; tamen poterant sibi quædam emere a filiis Israel, quæ illis propria manebant, & quæ filiis suis postea relinquebant. Apposite reddidisse mihi videtur Hispanicus Interpres, *Aliende de sus patrimonios*. Alii dividunt, & illud *præter venditiones eius*, seorsim accipiunt, & illud *super patres*, non iungunt proximo membro, sed cum remotiori, *Partem ex æquo comedent super patres*: unde locum ita convertunt: *Præter venditiones eius*, seu *præter pretium rerum, quas quisque eorum vendiderit, secundum paternas familias*; id est quasi dicas: Ne excluditor a parte commodi, eo quod habet pretium rei alicuius aut possessionis venditæ, unde se possit alere. Ratio est, qui rem venditam redimendi ius perpetuum habet; redimere autem non posset si absumeretur pretium rei venditæ. Vide Levit. XXV. vers. 23. Illud autem *secundum paternas familias*, ita exponunt: Id est, suo adventu ne perturbet distributa ministeria inter levitas; sed accedito Gersonita Gersonitas, Kehathita Kehathitas, & sic de reliquis. Distributionem autem ministerii vide Numer. III. & IV. & I. Paralip. XXIII. & XXIV.

*V.* 9. NE IMITARI VELIS. Hebr. *non disces ad facere*. Possis etiam intelligere: *ne doceas facere*. Verbum למד *lamad*, utrumque significat, & *discere*, & *docere*; id est, ne discas tu facere, nec doceas facere filios tuos.

*V.* 10. QUI LUSTRET FILIUM SUUM, &c. Vide de hoc immani ritu Levitici XVIII. vers. 21. cap. XX. vers. 2. 3. 4. ET OBSERVET SOMNIA. מעונן *meghonen*, participium Pihel verbi ענן *ghonen*, de cuius significatione late diximus in Levit. XIX. vers. 26. Hic varie reddunt, *oculans*, *observans*, scilicet vel *somnia*, ut Noster reddidit, vel dies, menses, annos, horas, ac tempora, situs; & positus astrorum, ac cæli faciem, rebus gerundis idonea; *horoscopus*, *mathematicus*, *genethliacus*, *planetarius*, *astrologus iudiciarius*, *obnubilator*, qui ex nubibus divinat, vel qui res quas manu tenet, obnubilat, & confundit, simulque oculos intuentium; *præstigians*, seu *præstigiator*, *hariolans*, *augurans*, *responsa petens*, aut *reddens*: forte *oculans*, id est qui oculis nocet, *fascinans*, seu *fascinator*. Hispanice, *Tomador de oio*. ATQUE AUGURIA. מנחש *menachesch*, participium, *augurans*. De verbi נחש *nuchesch* significato egimus Levit. XIX. vers. 26. varie hic vertunt, *observator*, *coniector*, *scrutator*, *veneficus*. Hispanicus Interpres, *sortilegus*. NEC SIT MALEFICUS. מכשף *mecaschscheph*. Vide de hac voce Exod. VII. vers. 11. proprie, *præstigians*, *præstigiator*: alii, *maleficus*, cum Nostro: nonnulli, *fascinans*, *auspicans*, *auspex*, *aruspex*: Hispanicus Interpres, *hechizero*, id est *veneficus*, *pharmaceus*.

*V.* 11. NEC INCANTATOR. וחובר חבר, *vechober chaber*, varie reddunt. I. *Et associator societatis*, sive *associans societatem*, scilicet cum dæmonibus, qui consortium habet cum illis, estque eorum partiarius. II. *Et coniurator coniurationis*; vel *coniurans coniurationem*. III. *Et incantans incantationem*. IV. *Et iungens iunctionem*.

nem : *Et astrologans astrologationem* ; vel *astrologus astrologiæ* . *Chober* participium , seu nomen participiale verbi חבר *chabar*, quod aiunt proprie significare plurium personarum , seu rerum specivocarum coniunctionem , consociationem , copulationem , conventionem , conspirationem , coniunctionem . *Chober* autem est *coniurator* , qui incantationibus multa animalia coniurat, ut serpentes, & alia animantia, & reptilia venenata, aut res alias multas, ut adsint simul , uti faciebat Babylonius ille Chaldæus apud Lucianum in Philopseude , de quo nos in Antichristo Lib. VII. cap. VIII. Alii volunt *Incantandi* significationem verbo *associandi* attributam, quod res noxia incantatione admoveatur, & veluti associetur, ut non noceat ; sed ea magus sine noxa uti possit . Hebræi distinguunt duplicem incantationem: Magnam, qua magna animalia ; Parvam , qua reptilia, serpentes, scorpii incantando consociantur, & coniurantur. Alii volunt, *chober* esse *astrologum* , sic dictum a coniunctione, seu coadunatione: astrologi enim toti in coniunctionibus stellarum versantur, ut qui numquam cessant stellas combinare, seu coniungere; ac coniunctiones astrorum, oppositiones, & constellationes observare . AUT QUAERAT A MORTUIS VERITATEM. Hæc est necromantia, seu necyomantia, cuius duo exempla mirifica leges , alterum apud Lucanum Lib. VI. Pharsaliæ; alterum apud Heliodorum in AEthiopicis Lib. VI. cap. XVII.

*V.* 12. PROPTER ISTIUSMODI SCELERA. Heb. ex verbo: *In devolutione abominationum istarum*. Nec male intelliges ut devolveret, provolveret , extruderet , exterminaret , deiiceret abominationes istas.

*V.* 13. PERFECTUS ERIS, ET ABSQUE MACULA. Hebr. una vox תמים *tamim* , *consummatus*, *integer* , *absolutus* . In *Thamim* , Thau est littera grandior, & est undecima littera magna quæ in Hebraicis Bibliis ponitur; fortasse ad significandum plenissimam, & absolutissimam integritatem & perfectionem , qua erga Deum Israeliticus populus pollere debebat. Vide supra cap. VI. vers. 4. CUM DOMINO DEO TUO. Si mutato punctulo Chirik in Pathach , legamus hic עם *gham* , *populus*, plenior erit sensus : *Consummatus eris populus IHUH Dei tui*.

*V.* 14. TU AUTEM A DOMINO DEO TUO ALITER INSTITUTUS ES. Hebr. *Et tu non sic*: *dedit IHUH deus tuus*. Notant concisam esse orationem , in qua sint multa subaudienda , hoc modo: Tu autem non sic facies, id est non consules mathematicos & divinos : quia daturus est tibi Deus terram illarum gentium, propterea quod divinos consulunt . Alii: Et tu non audies mathematicos & divinos, quia non officio, & ope eorum consecutus es tot bona, sed Iehovah dedit tibi bona istarum gentium , quæ audiunt mathematicos & divinos. Quidam: Et tu non sic facies, non audies mathematicos & divinos: dedit tibi Dominus, scilicet Prophetam, qui futura tibi prædicat; ita ut non sit opus vanos istos consulere. Aliqui: *Et tu non sic* edoctus es: *dedit IHUH Deus tuus* ; id est, docuit, instituit, instruxit te . Quidam Hebræorum אתה *attah*, pro affixo capiunt , redduntque: *Tibi autem non sic dedit* , id est permisit, *Iehovah Deus tuus*: nimirum consulere mathematicos & divinatores . Aliqui ita vertunt: *De te autem non ita* sunt, quos *dat tibi Iehovah Deus tuus*; id est, non sunt planetarii aut divini, quorum ministerium tibi sanctificavit, & audientiam imperavit Deus . Hanc interpretationem, inquiunt, docet prosodia (nam ellipseos genus istud est frequentissimum ) & verba sequentia flagitant.

*V.* 15. PROPHETAM DE GENTE TUA , &c. Hunc esse Iesum Nazarenum æterni Patris Filium , generis humani redemptorem , Petrus Actor. III. vers. 22. & Stephanus Actor. VII. vers. 37. sunt interpretati. Ac si dicat: Istorum omnium impostorum loco Deum solum accedito, atque consulito, qui tibi petenti concessit gratiose ut se accedas æterni Mediatoris opera , & ab ore illius tamquam germanæ Dei Sapientiæ, & Sermonis, Verbique veri & vivi pendeas . Est ergo hic locus diserte enuntiatus de Christo sempiterno Propheta, Patrisque voluntatis genuino interprete, ut commonstrant sequentia, de cuius plenitudine haurimus omnes , Ioan. I. vers. 16. SICUT ME. Hebr. *Sicut ego sum*, scilicet, & naturæ & officii participatione ; quasi dicas, verum homi-

hominem, & verum mediatorem.

*V.* 16. UT PETISTI A DOMINO DEO TUO IN HOREB, &c. Nimirum, ut non loqueretur Deus ipse per se tecum, ne morereris, sed per me, Exod. XX. vers. 19. supra cap. V. vers. 27. sic tecum loquetur per mediatorem unicum Filium suum, Hebræor. I. vers. 2. Notant aliqui, populum Exod. XX. vers. 19. tantum petiisse, *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Deus, ne forte moriamur*; sed Mosen ex verbis eorum, non quod ipsa sonent, sed quod illi vellent, intellexisse, atque intimum affectum, & cardinem desiderii eorum penetrasse: nam sic affecti erant ex terrore ignis, & vocis, ut summo cordis æstu optarint mitius & blandius verbum: ipsa enim mors intentata per vocem legis, coegit eos suspirare ad vitam, & ad verbum salutis: & in tali angustia magis optant quam audent petere aliud verbum. Deus autem qui scrutatur profunda cordis, audit, & respondet, non secundum verba exterius sonantia, sed secundum affectum interius ardentem. Atque ita verbum suum mite ac blandum hic per Mosen promittit, nempe Verbum suum carnem factum. Sicut Lucæ XIX. 5. Christus Zachæum suspexit, non secundum quod foris loquebatur, sed secundum affectum cordis. Non enim ausus fuisset Zachæus foris petere ut domum suam Christus intraret; & tamen intus in animo nihil magis optabat: unde & cum gaudio eum suscepit, impleto desiderio suo, quod ipse vix sentiebat ante.

*V.* 21. QUOMODO POSSUM INTELLIGERE, &c. Vide supra cap. XIII. vers. 1. & seqq.

*V.* 22. ET NON EVENERIT. Notant, hanc esse alteram pseudoprophetæ notam, ab eventu: priorem, quæ est doctrina, posuit supra cap. XIII. vers. 5.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. NON HABEBUNT SACERDOTES, &c. Vide supra Numer. X. 20.

*V.* 3. HOC ERIT IUDICIUM SACERDOTUM; hoc est, hoc erit quod de iure debetur sacerdotibus. OFFERUNT VICTIMAS: intellige hoc de pacificis. SIVE OVEM: cum qua intellige & capram: vox enim Hebræa utramque complectitur. ARMUM AC VENTRICULUM: armum & pectusculum, ut habetur Exod. XXIX. 27. & Levit. VII. 31.

*V.* 4. ET LANARUM PARTEM, primitiarum titulo: nam lanarum detonsio inter annuos fructus, & proventus censetur.

*V.* 5. NOMINI DOMINI, ipsi Domino.

*V.* 6. SI EXIERIT LEVITES, &c. quasi dicat: Si levita devotione ductus, & cupiens extra vices suas reliquo vitæ tempore ministrare Deo in tabernaculo, ut fecit Samuel.

*V.* 7. QUI STABUNT; hoc est, per vices ministrabunt.

*Vers.* 8. PARTEM CIBORUM EAMDEM ACCIPIET. Intellige vel alimenta ex ærario templi, vel ex aliqua decimarum portione a Pontifice seposita in levitarum actu ministrantium alimenta. EX PATERNA SUCCESSIONE: habere enim poterant in urbibus suis domos, suburbana, armenta, &c.

*V.* 10. DUCENS PER IGNEM: exurens in honorem Moloch, de quo Levit. XVIII. 21. ARIOLOS SCISCITETUR, ab iis responsa, & divinationes quærens. OBSERVET SOMNIA, superstitiose existimans illis futura significari; aut expectans a dæmone responsum per somnium; aut ex visis nocturnis, quæ nullam habent cum rebus agendis connexionem, consilium capiendo. AUGURIA; non solum ex avium garritu, volatu, pastu, sed alio quocumque modo omnia rerum futurarum captando. MALEFICUS. Septuaginta *veneficus*, præstigiator, ut indicant Hebræa.

*V.* 11. INCANTATOR: qui scilicet susurris quibusdam, & mussitationibus mira quædam facit. PYTHONES. Pythones proprie dicebantur ii qui dæmonem responsa dantem haberent in ventre, vel ipsi dæmones e ventre loquentes. Septuaginta appellant ἐγγαστριμύθους, *ventriloquos*. NEC DIVINOS. Septuaginta, τερατοσκόπον, *portentorum inspectorem*: alibi eamdem vocem Hebraicam vertunt γνώστην, *gnosten*, cognitorem scilicet rerum arcanarum, qui profitetur se talia nosse, earum causas, & significationes. QUAERAT A MORTUIS VERITATEM: quod necromanticorum

rum est; qualis mulier illa erat quæ Sauli Samuelem suscitavit I. Reg. XXVIII.

*V.* 13. PERFECTUS ERIS, ET ABSQUE MACULA, &c. in divino cultu, & religione, quam nullis superstitionibus gentilium maculabis, ut patet ex versu sequenti.

*V.* 15. PROPHETAM DE GENTE TUA ..... SICUT ME SUSCITABIT TIBI DOMINUS. Vel sensus est: Dominus subinde Prophetas suscitabit tibi, qui te doceant; vel dabit tibi Messiam Christum eximium Prophetam, doctorem, legislatorem, &c.

*Prophetam sicut me.* Dicitur, *Sicut me*; id est 1. quo ad ducatum populi, & legislationem; 2. quia liberabit ex servitute AEgypti, diaboli scilicet, & vitiorum; 3. quia nos in terram beatorum deducet, ut Moses populum in terram promissionis; 4. quia multa patrabit miracula, ut Moses in AEgypto; 5. quia sicut cum Mose loquebatur Deus ore ad os familiariter; ita & cum Christo, idque longe excellentius: erat enim Christus quo ad naturam humanam Verbo Dei, Deoque intime unitus.

*V.* 16. QUANDO CONCIO CONGREGATA EST; hoc est, quo die totus populus ad accipiendam a Deo legem ad montis Sinai radices convenit, Exod. XXI. 20.

*V.* 18. PONAM VERBA MEA IN ORE EIUS. Hoc & Prophetis convenit, & etiam Christo, qui de seipso dicebat Ioan. XIV. 10. *Verba quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor.*

*V.* 20. EX NOMINE ALIENORUM DEORUM, revelatione scilicet, aut responso a dæmonibus accepto.

*V.* 21. RESPONDERIS, obieceris.

*V.* 22. ET NON EVENERIT. Quæ enim Deo inspirante prædicuntur a Prophetis, ea semper eveniunt: neque enim Deus mentitur, aut mentiri potest. NON TIMEBIS EUM, nec minas, aut prædictiones illius. Septuag. *Non abstinebitis ab eo*, manus scilicet ultrices; sed, ut par est, curabitis ut pœnas debitas luat.

## TIRINI.

*Vers.* 10. & 11. ARIOLOS... PYTHONES ... DIVINOS. Possunt hi, si velis, sic distingui, *ut Python* sit qui dæmonem in se inhabitantem, & e ventris specu exili voce responsantem habet. *Divinus*, qui dæmonem quoque in se inhabitantem habet, sed ex ore & per linguam clara voce loquentem: qua ratione phœbades olim entheatæ, & a maligno spiritu in furorem actæ responsa dabant. *Ariolus* vero, qui dæmonem non inhabitantem, sed extrinsecus assistentem consulit, vel ex aliis rerum superstitiosis notis, aut coniecturis res futuras coniectat; verbi gratia, ex horoscopi inspectione, lauri crepitu, manuum lineamentis, vel similibus divinans. De his, & aliis vide Plinium, Iulium Obsequentem, & similes a Delrione *a* citatos. An autem licita sit aliqua alterius generis divinatio, & qualis, dixi Genes. XL. & XLIV.

*V.* 15. PROPHETAM DE GENTE TUA ..... SICUT ME SUSCITABIT TIBI DOMINUS. Loquitur non de solo Christo (ut Eusebius vult, & Strabus, & Caietanus, & Iosephus Acosta *b*) neque de solo Iosue ad litteram, & allegorice de Christo (ut exponunt Vatablus, & Emanuel Sa) sed ad litteram de omnibus Prophetis qui Moysen consecuti sunt, simul & de Christo; præcipue tamen ac primario de Christo. Ita sanctus Augustinus *c*, Lyranus, Abulensis, Oleaster, & alii. Nam scopus tam Dei, quam Moysis hoc loco est, inculcare Iudæis, nihil necesse esse consulere divinos vel augures, quia nempe numquam defuturi sunt illis veri Prophetæ, quos urgente necessitate consulere possint: & suo tempore affuturus quoque illis Prophetarum princeps Christus, a quo quidquid optare possint, clare & aperte rescifcent. Ita de Christo hunc quoque locum exponit Petrus Act. III. vers. 22. & alii *d* alibi. Dicitur autem hic Propheta futurus similis Moysi, non omnimoda similitudine, quia *non surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moyses*, Deuter. ultimo versu 10. Et Christus longe Moysi præcelluit. Sed magna tamen similitudine similes dici possunt omnes fuisse Moysi: in eo nempe quod divinam voluntatem & imperia populo aperuerint, & interpretati sint. Christus insuper, quod sicut Moyses Israelitas ex servitute AEgyptiaca, per Mare rubrum submersis AEgyptiis, traduxit ad terram sanctam;

dedit illis legem in Sinai; pavit in deserto manna cælesti, & aqua de petra; & tot patravit stupenda miracula; denique debellavit hostes illorum Moabitas, Chananæos, &c. ita Christus mundum e servitute diaboli, per lavacrum baptismi deletis peccatis traduxit in cælum: dedit novam legem Evangelicam, sanxitque innumeris miraculis; pascit suos suomet corpore & sanguine; debellat omnes hostes salutis nostræ, &c. Neque, ut Propheta Christus nominetur, obstat quod nulla fuerit in eo cognitio obscura, uti in ordinariis Prophetis: quia hæc obscuritas non est de essentia Prophetæ, aut Prophetiæ: sufficit enim futurorum prænotio & dictio. Ita Suarez, & alii.

*V.* 22. HOC HABEBIS SIGNUM: QUOD NON EVENERIT, HOC DOMINUS NON EST LOCUTUS. Et hoc quidem extra dubium est, & infallibile signum pseudoprophetæ. Sed quid si evenerit quod prædixit? tum ad alia signa confugiendum; verbi gratia, si ad idololatriam pelliciat, ut supra initio capitis XIII. aut alia ratione conetur a Deo, vel lege Dei homines avertere, certum signum habes fictæ, vel diabolicæ prædictionis. Quod si nil tale ex verbis Prophetæ possis elicere; tum vel ex aliis miraculis, vel ex patefactione secretorum cordis, vel ex sanctimonia vitæ, vel ex præcedentium proprophetiarum eventu, vel ex testimonio aliorum qui vitæ sanctitate, scientiaque & spirituum discretione præstant, argumenta veræ, vel falsę prophetæ petenda sunt. Si nihil horum omnium sufficienter rem elucidare possis, suspende fidem, eventum exspecta prophetiæ, & Deo omnia committe, qui numquam patietur fraudem si quæ subsit, diu latere.

(*a*) Delrio. de Magia.
(*b*) Euseb. Cæsar. Lib. III. de Demonst. cap. II. & Lib. IX. cap. XI. Acosta Lib. III. de Christo revelato.
(*c*) Aug. Lib. XVI. contra Faustum cap. XV. & alibi.
(*d*) Philippus Nathanaeli, Ioan. I. vers. 45. & Iudæi, Ioan. VI. vers. 14. & ipse Christus, Ioan. V. vers. 46.

## GORDONI.

*Vers.* I. & 2. REponit quod supra habetur Numeror. cap. XVIII. vers. 20. Nota de levita vers. *6.* qui cupit servire Deo in loco tabernaculi, vel templi.

*V.* *3.* HOC ERIT IUDICIUM. Hoc est pars, sive portio sacerdotum. Sacerdoti sola pellis cedebat in holocausto; sed in victima pro peccato caro tota; at in hostia pacifica armus, & pectusculum, ex Levit. cap. VII. vers. 34. & Exod. XXVIII. & Num. XVIII. vers. 18.

*V.* *6.* DESIDERANS LOCUM; hoc est, volens servire tabernaculo.

*V.* 8. PARTEM CIBORUM. Hinc quidem, & ex cap. XIV. & Numer. XVIII. apparet, decimas non fuisse datas levitis, nisi templo servientibus; aliis vero tantum tertio quoque anno.

*V.* 10. INVENIATUR, &c. De hac lustratione, quæ est consecratio filiorum idolo Moloch, vide Levit. XVIII. vers. 21. De somniis, Levit. XIX. vers. *26.* De auguriis, ibidem. De maledicis, Exod. VII. vers. II.

*V.* II. De Pythonibus, Levit. XIX. vers. 31. & ibid. cap. XX. vers. ult.

*V.* 15. PROPHETAM SUSCITABIT: nempe Prophetas communes, quales postea habuerunt Hebræi. Est porro hic locus de Christo, ita ut uterque sensus etiam litteralis sit. Posteriorem habemus Ioan. vers. 45. Act. VII. vers. *37.* At quomodo Christus similis Mosi, quo non erat Deus? Certe in prodigiis, & ducatu populorum similis, sed longe excellentiore modo quam Moses. Hunc sensum cum aliis dat Aug. XVI. contra Faustum, cap. XV. & XVIII. nempe de Christo.

*V.* *16.* QUANDO CONCIO CONGREGATA EST; hoc est, quando totus populus convocatus est, ut legem acciperet in monte Sinai ad radicem montis, Exod. XIX. vers. 20. timens populus petebat Prophetam hominem. Deus hominem quidem, sed Deum promittit, seu qui sit Deus homo.

*V.* 21. QUOD SI... RESPONDERIS, hoc est quæras, vel dixeris: non enim in Hebr. est ענה *hanah*, *respondere*, sed אמר, quod est *dicere*. Dat autem signum versu inse-

quente

quente ad cognoſcendum pſeudopropheta.

*V.* 22. Quod in nomine Domini. Ut cenſeatur Propheta, non ſatis eſt eveniſſe quod prædixit: nam hoc etiam ſeductoribus a lege Dei, evenire poteſt.

Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 7. Stabunt, per vices inſervient.

*V.*8. Paterna successione. Nam præter id quod dabatur ex ærario templi, habere etiam poterant in ſuis urbibus domos, ſuburbana, & armenta.

*V.*10. Ducens per ignem, comburens.

# CAPUT XIX.

*Reparandæ urbes refugii, & qui ad eas tute confugient, & qui non: de veris falſiſque teſtibus, & de terminis non transferendis.*

1. Cum diſperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus eſt terram, & poſſederis eam, habitaveriſque in urbibus eius & in ædibus: 2. (*a*) tres civitates ſeparabis tibi in medio terræ quam Dominus Deus tuus dabit tibi in poſſeſſionem, 3. ſternens diligenter viam: & in tres æqualiter partes totam terræ tuæ provinciam divides: ut habeat e vicino qui propter homicidium profugus eſt, quo poſſit evadere. 4. Hæc erit lex homicidæ fugientis, cuius vita ſervanda eſt: Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, & qui heri & nudiuſtertius nullum contra eum odium habuiſſe comprobatur: 5. ſed abiiſſe cum eo ſimpliciter in ſilvam ad ligna cædenda, & in ſucciſione lignorum ſecuris fugerit manu, ferrumque lapſum de manubrio amicum eius percuſſerit, & occiderit: hic ad unam ſupradictarum urbium confugiet, & vivet: 6. ne forſitan proximus eius, cuius effuſus eſt ſanguis, dolore ſtimulatus, perſequatur, & apprehendat eum ſi longior via fuerit, & percutiat animam eius, qui non eſt reus mortis: quia nullum contra eum, qui occiſus eſt, odium prius habuiſſe monſtratur. 7. Idcirco præcipio tibi, ut tres civitates æqualis inter ſe ſpatii dividas. 8. (*b*) Cum autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, ſicut iuravit patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram quam eis pollicitus eſt, 9. (ſi tamen cuſtodieris mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius omni tempore) addes tibi tres alias civitates, & ſupradictarum trium urbium numerum duplicabis: 10. ut non effundatur ſanguis innoxius in medio terræ quam Dominus Deus tuus dabit tibi poſſidendam, ne ſis ſanguinis reus. 11. (*c*) Si quis autem odio habens proximum ſuum, inſidiatus fuerit vitæ eius, ſurgenſque percuſſerit illum, & mortuus fuerit, fugeritque ad unam de ſupradictis urbibus, 12. mittent ſeniores civitatis illius, & arripient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cuius ſanguis effuſus eſt, & morietur. 13. Non miſereberis eius, * & auferes innoxium ſanguinem de Iſrael, ut bene ſit tibi. 14. Non aſſumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in poſſeſſione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra quam acceperis poſſidendam. 15. (*d*) Non ſtabit teſtis unus contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuerit: ſed in ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum.

16. Si

16. Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum prævaricationis,
17. ſtabunt ambo, quorum cauſa eſt, ante Dominum in conſpectu ſacerdotum
& iudicum qui fuerint in diebus illis. 18. (e) Cumque diligentiſſime perſcru-
tantes, invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium: 19. red-
dent ei ſicut fratri ſuo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui: 20. ut
audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. 21. Non
miſereberis eius, (f) ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro
dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

(a) Num. xxxv. 11. Ioſ. xx. 2. (b) Gen. xxviii. 14. Exod. xxxiv. 24. Sup. xii. 20. (c) Num. xxxv. 20. (d) Sup. xvii. 6. Matth. xviii. 16. II. Cor. xiii. 1. Sup. xiii. 9. (e) Dan. xiii. 62. (f) Exod. xxi. 23. 24. Levit. xxiv. 20. Matth. v. 38.

## BRUGENSIS

### Romana Correctio.

Verſ. 13. *Et auferes innoxium ſanguinem.* Quidam, non intelligentes *innoxium ſanguinem* poſitum eſſe pro effuſore innoxii ſanguinis, loco vocis *innoxium* ſcripſerunt contrarium *noxium*.

## COMMENTARIA.

### SA.

*Verſ.* 3. VIAM, ſcilicet ad illas.
*Verſ.* 4. HERI ET NUDIUSTERTIUS, id eſt antea.

*V.* 6. PROXIMUS, id eſt cognatus.

*V.* 14. SURGENSQUE, id eſt inſurgens in illum.

*V.* 16. INNOXIUM SANGUINEM, id eſt innocentis occiſorem. Complut. legit *noxium*. At Hebr. *innoxium*. LXX. *purgabis ſanguinem innoxium*. Chald. *Auferes effundentem ſanguinem innocentem*.

*V.* 15. STABIT, id eſt *admittetur*. STABIT OMNE; pro, confirmabitur omne, VERBUM; quaſi dicat, accuſatio.

*V.* 21. PRO ANIMA, ſcilicet *exiges*; quaſi dicat: Eo ſupplicio afficietur, quo accuſatus, ſi verum fuiſſet crimen, erat afficiendus.

### ESTII.

*Verſ.* 15. NON STABIT TESTIS UNUS CONTRA ALIQUEM ... SED IN ORE DUORUM, VEL TRIUM TESTIUM STABIT OMNE VERBUM. Non ita hoc accipiendum eſt quod dicitur, *Stabit omne verbum*, quaſi ſit certum & infallibile argumentum veritatis, ſi duo, aut tres teſtes aliquid affirmaverint: nam ſicut unus teſtis mentiri poteſt, ita & duo, & tres; ſicut qui teſtimonium tulerunt contra Naboth, Suſannam, Chriſtum, Stephanum; ſed ſenſus eſt: Quando aliter non poteſt inveniri veritas eius rei quæ quæritur in iudicio, tum ſtandum erit teſtimonio duorum, aut trium, tamquam argumento valde probabili: Neque enim in rebus humanis certæ demonſtrationes ſemper requiruntur, ſed ſufficiunt tales quibus merito fides adhibeatur.

Sed cur non ſimiliter ſtandum eſt teſtimonio unius? Una ratio, quia facile ex privato odio unus calumniator contra aliquem inveniri poſſet; non ita facile duo, aut tres. Altera, eaque potior; quia unus teſtis mendax longe facilius in deponendo teſtimonio proferet omnia conſentientia & conformia, quam facere poſſunt duo, aut tres mendaces: ſicut patuit in examine duorum illorum ſeniorum, qui contra Suſannam falſum teſtimonium dixerant. Mahometus in Alcorano, Azoara xxxiv. quatuor teſtes requirit in probando adulterio, & aliis. Sed multo rectius lex iſta divina per Moyſem duos tantum, treſve requirit: quia ſi quatuor neceſſarii ſunt, multa ſcelera & flagitia manebunt impunita.

Et-

Et difficile est duos sic conspirare ad falsum testificandum, ut diligenter examinati de omnibus circumstantiis, non deprehendantur falsitatis in aliqua parte.

## MARIANAE.

*Vers*, 3. IN TRES AEQUALITER PARTES TOTAM TERRAE TUAE PROVINCIAM DIVIDES. Hebr. *Et tertiabis terminum terræ tuæ*; id est, *trifariam divides terminos terræ tuæ*, ut Sept. posuerunt: ut tantumdem viæ sit ab una ad alteram, quantum a secunda ad tertiam, in formam trianguli. Tres refugii civitates designari vult paribus inter eas intervallis.

*V*. 4. QUI HERI ET NUDIUSTERTIUS; id est, prius cum eo quem percussit, inimicitias habuisse non probatur.

*V*. 5. SED ABIISSE CUM EO SIMPLICITER IN SILVAM. Hebr. *Et qui abiit cum socio in silvam ad cædenda ligna*. Itaque non est modificatio superioris sententiæ, sed unum e multis exemplis, quo per inscitiam quis potest alium occidere.

*V*. 7. AEQUALIS INTER SE SPATII. Non est in Hebr. neque in Sept. sed ab Hieronymo additum ad maiorem explicationem.

*V*. 10. NE SIS SANGUINIS REUS. Hebr. *Et erunt super te sanguines*; sed id est esse reum sanguinis. *Sanguis eius super nos*, *&* *super filios nostros*.

*V*. 12. TRADENTQUE IN MANU PROXIMI, CUIUS SANGUIS EFFUSUS EST. Hebr. *in manu redemptoris sanguinis*; sed is erat qui proximo gradu attingebat mortuum.

*V*. 13. NON MISEREBERIS EIUS. Hebr. *Non parcet oculus tuus super eum*. Oculi, & genua sedes misericordiæ, quæ in utero in fetu sunt iuncta: Isidor. Lib. XI. cap. I. AUFERES IN NOXIUM SANGUINEM; quasi dicat: Occiso sonte expiabis noxam sanguinis innocentis per scelus effusi.

*V*. 16. ACCUSANS EUM PRAEVARICATIONIS. Hebr. *declinationis*, scilicet a lege.

*V*. 17. ANTE DOMINUM. In templo, aut prope illud exercebantur iudicia: & vides, præter sacerdotes fuisse alios etiam iudices.

## MALVENDAE.

*Vers*. 2. TRES CIVITATES, &c. videlicet in terra quam comparaturus es trans Iordanem: nam de illis aliis tribus refugii urbibus cis Iordanem iam ante prospectum fuit, ut narratur supra cap. IV. vers. 41. 42. 43. Vide Numer. XXXV. vers. 11. & seqq. Sic infra vers. 7.

*V*. 3. ET IN TRES AEQUALITER, &c. Hebr. *&* *tertiabis*, *triplicabis*, *tripertieris terminum terræ tuæ*. Exponunt: Ut possis videlicet in unoquoque eius triente civitatem commodo loco statuere.

*V*.4. HAEC ERIT LEX HOMICIDAE. Hebr. *Et istud verbum occisoris*. Quidam: *Hæc autem est res homicidæ*; id est, istud est propter quod fugiet illuc homicida; ut cum fugerit illuc, vivere possit: nempe si percusserit, &c. Alii: *Hac vero causa homicida illuc confugiat*. Nonnulli: *Hoc autem esto ius occisoris, qui fugerit illuc*. Aliqui: *Hoc negotium homicidæ*. QUI PERCUSSERIT PROXIMUM SUUM NESCIENS. Vide Numer. XXXV. vers. 11. & 15.

*V*. 5. ET IN SUCCISIONE LIGNORUM SECURIS FUGERIT MANU, FERRUMQUE LAPSUM DE MANUBRIO, &c. Nos Hebræa verbatim expressimus (*Et qui veniet ad sodalem suum in silva ad succidere ligna*, *&* *impulsa erit manus eius in succisorio ad exscindere lignum*, *&* *detrahetur ferrum de ligno*.) Quidam sic: *Si vibrante se manu eius cum securi ad cædendum lignum*, *deiecit ferrum e manubrio eius*. Alii: *Fugiente manu eius cum securi*, *ut succidat arborem*, *elabatur ferrum e capulo*.

*V*. 6. PROXIMUS EIUS, CUIUS EFFUSUS EST SANGUIS. Hebr. *Redemptor*, *vindex*, *assertor sanguis*. Vide Numer. XXXV. vers. 12. ET PERCUTIAT ANIMAM EIUS. Hebr. *&* *percutiet eum animam*, vel *anima*, id est auferendo ei animam, sive lethaliter. Quidam subaudiunt, *&* *percusserit eum* percussione *animæ*, nempe vulnere lethali. Sic infra vers. 11. & Genes. XXXVII vers. 21.

*V*. 10. NE SIS SANGUINIS REUS. Hebr. *&* *erit super te sanguines*, id est culpa, natus cędis...

*V*. 12.

exemplum illius, qui impunitus sit dimissus.

*V.* 21. ANIMAM PRO ANIMA; id est, eam pœnam ab eo exiges, qua affectus fuisset is in quem dixit falsum testimonium, si convictus fuisset: vitam pro vita, &c. Simile genus dicendi habes Exodi XXI. vers. 23. & seqq. Levit. XXIV. vers. 17. 19. 20.

## MENOCHII.

*Vers.* 2. TRES CIVITATES SEPARABIS. Sermo est de civitatibus refugii, quæ transito Iordane constituendæ restabant: tres enim iam Moses ipse constituerat.

*V.* 3. STERNENS DILIGENTER VIAM: ne impedita sit, & fugam retardet ad asylum confugientium.

*V.* 4. PERCUSSERIT NESCIENS: soli enim involuntario homicidæ, & inculpato concedebatur ius asyli. Vide Num. XXXV.

*V.* 5. SIMPLICITER, absque dolo, vel fraude.

*V.* 6. PROXIMUS EIUS, cognatus scilicet occisi. PERCUTIAT ANIMAM EIUS: percutiat eum, occidat. NULLUM ODIUM PRIUS HABUISSE MONSTRATUR. Ex quo capitur coniectura non dolo, sed casu occisum.

*V.* 8. DILATAVERIT, &c. Vide dicta supra cap. XII. 10. SICUT IURAVIT PATRIBUS TUIS. Abrahæ facta est ista promissio Genes. XV. terminis etiam undequaque assignatis: eadem deinde confirmata Isaac Gen. XXVI. & Iacob Genes. XXVIII. & XXXV.

*V.* 9. SI TAMEN CUSTODIERIS, &c. Ex quo patet promissionem hanc non absolute, sed cum conditione, quæ hic exprimitur, factam. ADDES TIBI TRES ALIAS CIVITATES, &c. Si dilatatio illa de qua num. 8. futura erat extra Chananæam, etiam civitates hæ tres addendæ, extra Chananæam eligendæ erant.

*V.* 10. UT NON EFFUNDATUR SANGUIS, &c. quod factu proclive esset, si asyla longe abessent. NE SIS SANGUINIS REUS, ob hanc legem neglectam.

*V.* 12. SENIORES CIVITATIS ILLIUS, non civitatis refugii, sed civitatis occisi.

*V.* 13. AUFERES INNOXIUM SANGUINEM; id est, innoxii sanguinis culpam, & reatum tolles ab Israel; qui reatus tamdiu adhæret populo Israelitico, quamdiu impunita ea cædes relinquitur.

*V.* 14. TERMINOS PROXIMI TUI: terminos agrorum, vicinum submovendo, & quæ illius sunt occupando.

*V.* 15. STABIT OMNE VERBUM: confirmabitur omnis accusatio, omne dictum, omnis res.

*V.* 16. PRAEVARICATIONIS, culpæ contra legem admissæ.

*V.* 17. AMBO, QUORUM CAUSA EST: tam accusator quam reus, inter quos controversia est. ANTE DOMINUM, in loco ubi erit tabernaculum, aut templum. IN CONSPECTU SACERDOTUM ET IUDICUM: causæ cognitione ad sacerdotes rei provocatione devoluta, vel a iudicibus laicis iuxta præscriptum huius legis, remissa.

*V.* 19. REDDENT EI SICUT FRATRI SUO FACERE COGITAVIT, lege talionis. AUFERES MALUM, calumniatorem, vel calumniam.

*V.* 21. ANIMAM PRO ANIMA, id est vitam pro vita, &c.

## TIRINI.

*Vers.* 9. ADDES TRES ALIAS CIVITATES. Iam ante cis Iordanem designatæ erant a Moyse tres civitates refugii, *Bosor*, *Ramoth*, *&* *Golan*, Deuter. IV. vers. 43. hic initio capitis iubentur Iudæi, tres quoque trans Iordanem designare, scilicet intra limites Chananææ, postquam expulsis hostibus illam obtinuerint. Præter has sex urbes iubentur hic vers. 9. tres iterum alias designare, non intra, sed extra terminos Chananææ: nempe si contingat usque ad Euphraten habitationem Iudæorum (ut ipsis, & patribus promissum erat) extendi.

Dices: Numquam fuerunt novem urbes refugii. Respondeo: Neque umquam fuit habitatio Iudæorum usque ad Euphraten extensa. Nam licet sub Davide, & Salamone, cum longissime imperarunt, fuerint eæ regiones Iudæis vectigales, non tamen ab ipsis infessæ aut inhabitatæ, quo solo casu designandæ ibi erant, & servire poterant urbes refugii. Promissio autem di-

divina de finibus Iudæorum eo usque extendendis non absoluta, sed solum conditionata fuerat, ut hic dicitur vers. 9. scilicet si legem & mandata divina servarent. Quam conditionem ipsis non servantibus, non tenebatur etiam Deus fines illorum usque eo protendere.

*V.* 12. MITTENT SENIORES, seu magistratus, CIVITATIS ILLIUS, non civitatis refugii, sed occisi, seu eius cui versu præcedente dicuntur structæ insidiæ, ut notat Caietanus. Debebant enim magistratus loci in quo cædes patrata fuerat, argumenta & indicia saltem probabilia culpæ admissæ ad iudices urbis refugii mittere: quæ si iusta comperirentur, tradebatur homicida prioribus magistratibus, a quibus deinde causa discutiebatur; & veritate comperta, si mero casu homicidium patratum constabat, ad civitatem refugii tuto remittebatur reus, ut dixi Numer. xxxv. sin studio factum, proximo plectendus dabatur. Atque *innoxius sanguis* occisi *auferebatur de Israel*; hoc est, culpa & reatus cædis innocentis iusta homicidæ morte tollebatur ab humeris universi populi: nam reatus criminis tam scelesti tamdiu adhæret populo, quamdiu crimen impunitum manet.

## GORDONI.

*Vers.* 2. SErmo hic est de tribus his civitatibus futuris cis Iordanem: nam trans Iordanem iam tres erant constitutæ a Mose, cap. IV. vers. 41. Sint vero IN MEDIO TERRAE; hoc est, intra terram a populo possessam. Addit porro vers. 3. ad fugæ facilitatem, ut sternatur via, sive complanando, sive lapidibus sternendo. Facta vero postea est hæc divisio urbium, Iosue xx. ubi recensentur hæ urbes cum aliis trans Iordanem. De his urbibus vide Numeror. cap. xxxv.

*V.* 8. & 9. CUM AUTEM DILATAVERIT DOMINUS, &c. Non leguntur hæ tres aliæ civitates additæ, ut revera non legimus excrevisse proprium dominium Israelitarum usque ad terminos hic designatos. Nam quod contigit sub David, & Salomone, modico tempore stetit, & tantum sub ratione tributi.

*V.* 12. PROXIMI. Is erat qui mortuum proxime gradu attingebat.

*V.* 15. De testimonio in ore duorum, dictum hic est cap. XVII. vers. 6. & quid de accusatore.

*V.* 17. STABUNT ANTE DOMINUM. Hinc apparet fuisse etiam alios iudices præter sacerdotes.

*V.* 21. Hæc contra falsum testem, vel accusatorem pœna decernitur, ut quæ pœna crimini de quo agitur, debetur, eam luat falsarius iste. Anima hic vitam significat.

## EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 3. STERNENS, ne fugienti ad asylum via, sit impedita.

*V.* 4. NESCIENS: quia ius asyli solum concedebatur inculpato & involuntario homicidæ.

*V.* 6. PROXIMUS, cognatus.

*V.* 17. STABUNT AMBO, tam accusator, quam reus: sunt duo inter quos est controversia.

CA-

## C A P U T XX.

*Qui tempore pugnæ ſint domum remittendi: iura belli quomodo ſervanda: quæ arbores cædendæ ad machinas inſtruendas, & quæ relinquendæ.*

1. SI exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus
& currus, & maiorem quam tu habeas adverſarii exercitus
multitudinem, non timebis eos: quia Dominus Deus tuus
tecum eſt, qui eduxit te de terra Aegypti. 2. Appropin-
quante autem iam prælio, ſtabit ſacerdos ante faciem, &
ſic loquetur ad populum: 3. Audi Iſrael, vos hodie contra
inimicos veſtros pugnam committitis, non pertimeſcat cor
veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: 4. quia Dominus
Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra adverſarios dimicabit, ut
eruat vos de periculo. 5. Duces quoque per ſingulas turmas audiente exercitu
proclamabunt: (*a*) Quis eſt homo qui ædificavit domum novam, & non dedi-
cavit eam? vadat, & revertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello,
& alius dedicet eam. 6. Quis eſt homo qui plantavit vineam, & necdum fecit
eam eſſe communem, de qua veſci omnibus liceat? vadat, & revertatur in do-
mum ſuam: ne forte moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio.
7. Quis eſt homo qui deſpondit uxorem, & non accepit eam? vadat, & re-
vertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat
eam. 8. His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum: (*b*) Quis eſt ho-
mo formidoloſus, & corde pavido? vadat, & revertatur in domum ſuam, ne
pavere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt. 9. Cum-
que ſiluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, unuſquiſque ſuos ad
bellandum cuneos præparabit. 10. Si quando acceſſeris ad expugnandam civita-
tem, offeres ei primum pacem. 11. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus
populus, qui in ea eſt, ſalvabitur, & ſerviet tibi ſub tributo. 12. Sin autem
fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. 13. Cum-
que tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in
ea generis maſculini eſt, in ore gladii, 14. abſque mulieribus & infantibus, iu-
mentis, & ceteris quæ in civitate ſunt. Omnem prædam exercitui divides, & co-
medes de ſpoliis hoſtium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. 15. Sic
facies cunctis civitatibus, quæ a te procul valde ſunt, & non ſunt de his urbi-
bus, quas in poſſeſſionem accepturus es. 16. De his autem civitatibus, quæ
dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere: 17. ſed interficies in ore gladii,
Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Hevæum,
& Iebuſæum, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: 18. ne forte doceant vos
facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt diis ſuis, & peccetis in Do-
minum Deum veſtrum. 19. Quando obſederis civitatem multo tempore, & mu-
nitionibus circumdederis ut expugnes eam, non ſuccides arbores de quibus veſci
poteſt, nec ſecuribus per circuitum debes vaſtare regionem: quoniam lignum eſt,

 & non

& non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum. 20. Si quæ autem ligna non ſunt pomifera, ſed agreſtia, & in ceteros apta uſus, ſuccide, & inſtrue machinas, donec capias civitatem, quæ contra te dimicat.

(a) I. Mach. III. 56. (b) Iudic. VII. 3.

# COMMENTARIA

## SA.

*Verſ.* 5. DEDICAVIT, id eſt initiavit, ſcilicet habitando.

*V.* 6. COMMUNEM, id eſt profanatam, ſcilicet utendo fructibus, qui per quatuor annos primos erant intacti. LXX. *Et non eſt lætatus ex ea*. DE QUA VESCI OMNIBUS LICEAT. Id ab Interprete additum explicationis gratia.

*V.* 7. ACCEPIT, ſcilicet in domum.

*V.* 8. RELIQUA. Id verbum additum ab Interprete.

*V.* 9. CUNEOS PRAEPARABIT; id eſt, aciem inſtruet.

*V.* 14. EXERCITUI DIVIDES. Hebr. Chald. & LXX. *Prædaberis tibi*.

## ESTII.

*Verſ.* 5. QUIS EST HOMO QUI AEDIFICAVIT DOMUM NOVAM, ET NON DEDICAVIT EAM, &c. Nota, dedicare domum, non eſt eam Deo conſecrare, ſicut nunc dedicantur templa, & ſicut dedicatum fuit templum Salomonis; ſed dedicare hic eſt deputare ad uſum & inhabitationem. Id autem forte fiebat exhibendo amicis, & propinquis aliquod convivium, niſi quis magis exiſtimet, dedicationem illam non fuiſſe aliud quam inchoatam habitationem. Nam vox Hebræa non aliud ſignificat quam *initiare*. Et Auguſt. in Ioannem ad illud capitis X. *Et facta ſunt encœnia Ieroſolymis*, dicit, quod quicumque induit novam veſtem, encœniare illam dicitur. Obſervandum autem, quod tria hic hominum genera iſta remittantur ex prælio: videlicet ne, ſi in prælio occumberent, inciderent in illas expreſſas maledictiones legis libri huius cap. XXVIII. *Tu ædificabis domum, & alius inhabitabit eam, &c.*

*V.* 6. QUIS EST HOMO QUI PLANTAVIT VINEAM, ET NECDUM FECIT EAM ESSE COMMUNEM, DE QUA VESCI OMNIBUS LICEAT? Facere commune, Hebræa phraſi eſt facere profanum, ita ut non amplius fructus æſtimentur ſacri, & ſacerdotibus obſtricti. Sic in Scriptura novi Teſtamenti commune pro profano quoque ſæpe accipitur. Vinea autem fiebat profana quinto demum anno. Nam fructus qui tribus primis annis naſcebantur, ut eſt Levit. XIX. reputabantur immundi, quibus nec veſci licebat, nec uti ad ſacrificia; quidquid autem naſcebatur quarto anno, tamquam primitivum Deo offerebatur. Quinto demum anno licitum erat domino vineæ, & aliis de fructibus eius comedere. Quod quando fiebat, dicebatur poſſeſſor eam facere communem, aut, ut alii vertunt, profanare. Ceterum per hæc genera hominum, qui iubentur excedere prælio, & domum reverti, myſtice ſignificatur, omnes eos ineptos eſſe ad militiam ſpiritualem qui animum adhuc habent implicatum voluptatibus, vel cupiditatibus terrenis: unde & Apoſtolus: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*.

## MARIANAE.

*Verſ.* 3. NON PERTIMESCAT COR VESTRUM. Hebr. *Non molleſcat*.

*V.* 5. DUCES QUOQUE PER SINGULAS TURMAS...... PROCLAMABUNT. Hebr. *Ad populum dicendo clamabunt*. NON DEDICAVIT EAM? חנכו *hanaclo*. Dedicatio domus fiebat inſtituto in ea convivio; ſic puto ea voce *convivari* ſignificari, tametſi Dictionaria ſileant.

*V.* 6. ET NECDUM FECIT EAM ESSE COMMUNEM. Hebr. *Profanavit eam*, loquitur de vinea. Lex vineæ Levit. XIX. ut tribus annis non comederetur fructus, quia

quia ut præputium erat; quarto fructus offerebatur Domino; quinto erat communis Domino, & aliis; & hoc vocat *profanare*. Hieronymus sententiam expressit. Sept. *Non est lætatus ex ea*.

*V.* 8. FORMIDOLOSUS, ET CORDE PAVIDO. Hebr. *Formidolosus, & tener corde eat domum*. Quantum momentum in societate prava!

*V.* 9. UNUSQUISQUE SUOS AD BELLANDUM CUNEOS PRAEPARABIT. Hebr. *Constituent Principes exercituum in capite populi*. Qui sunt qui constituent? Duces, præfecti, quos *soterim* vocat. Qui constituti? Principes exercituum, Centuriones, Tribuni, quos inter primos dimicare sancit: sic Sept. dixere *præcedentes populum*.

*V.* 10. OFFERES EI PRIMUM PACEM. Hebraica vox significat, voce contenta proclamare pacem, voce præconis, urbi quam impugnare paras. Bellum ad pacem referri debet, alioqui iniquum est.

*V.* 11. QUI IN EA EST, SALVABITUR. Vox *salvabitur* Hebraice non est, illud tantum: *Omnis populus inventus in ea, erunt tibi ad tributum, & servient tibi*.

*V.* 12. OPPUGNABIS EAM, Sept. *obsidebis*: id vox Hebr. *zarta* significat: *Angustiabis, coarctabis eam*. Hieronymus etiam vers. 19. ponit eam in obsidendi significatione.

*V.* 14. OMNEM PRAEDAM EXERCITUI DIVIDES. Hebr. *Omnem prædam eius prædaberis tibi*: sic Chald.

*V.* 17. SED INTERFICIES IN ORE GLADII. Hebr. *Sed anathemate anathematizabis eos*; hoc est, delebis omnia, neque prece, aut pretio dimittes: id erat *anathema*.

*V.* 19. QUONIAM LIGNUM EST, ET NON HOMO: NEC POTEST BELLANTIUM CONTRA TE AUGERE NUMERUM. Si quo loco, maxime hoc toto versu Hieronymus paraphrastem agit magis quam interpretem. Summa est: Arbores legislator succidi in hostico non vult. Hebr. *homo lignum agri*. Hebr. Schol. ait deesse aliquid, nempe vita hominis lignum agri: sequitur: *Ut veniat a facie tua in obsidionem*: quod cum superioribus iungatur, *Non succides*, scilicet ut afferas ad obsidionem, ad faciendas machinas: quod Sept. dixere, *in vallum*. Plerique interrogative legunt, etiam Septuag. & Pagnin. *Numquid homo arbor agri, ut veniat coram te ad obsidionem? ut ab ea timere debear?* Hoc secutus Hieronymus videtur, tum Chaldæus, quando ex affirmativa negativam fecere; sed hac ratione ה *he* interrogativum contra regulas Grammaticæ non habet sub se Patach, aut Segol, sed Kametz. Grammatica Hebraica nihil inconstantius est; nec olim Sacri libri puncta habuere, certe non ea quæ modo.

*V.* 20. DONEC CAPIAS CIVITATEM. עד רדתה *had ridthah*, a radice *iarad*, *descende*, *donec descendere ipsam*; id est, donec se subdat tibi. Pagn. *Donec ei domineris*: nempe a radice *radah*, quod est *dominari*, eam vocem deduxit.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. STABIT SACERDOS ANTE ACIEM, &c. nimirum compellaturus Dei verbis, & confirmaturus populum de iure belli, & de divinis promissionibus. Videntur Romani ritus indicendi per fetiales belli ab AEquicolis acceptos, ad instar utcumque Hebraicorum conformasse, ut se diabolus perpetuo veri Dei simiam conatur effingere. De quibus vide Dionysium Halicarnasseum Lib. II. Livium Lib. I. cap. XXXII. Gellium Lib. XVI. cap. IV.

*V.* 3. NON PERTIMESCAT COR VESTRUM. Hebr. *Non emollietur, tenerescet, liquescet, diffluet cor vestrum*. Vide Iudicum VII. 3. NOLITE CEDERE. Verbum חפז *chaphaz* varie interpretantur. 1. *Et non pavebitis, expavescetis*; 2. *Et non consternabimini*; 3. *Et non festinabitis*, seu *trepidabitis*; 4. *Et non obstupescetis, obtorpebitis*; 5. *Et non movebimini*; id est, ne fugiatis præ pavore; 6. *Et non abripiemini metu periculi*: non subtrahetis vos; ne abducite, ne subducite vos e prælio.

*V.* 5. PROCLAMABUNT, post sacram sacerdotum exhortationem, daturi mandata civilia. QUIS EST HOMO QUI AEDIFICAVIT DOMUM NOVAM, &c. Vide I. Machab. III. vers. 56. ET NON DEDICAVIT EAM? Hebr. *Et non initiavit eam*; id est, & non cœpit ea uti. Hispanicus Interpres apposite, *Ynola ha estrenado*. Recte vertes: *Et non encœniavit eam*. S. Augustinus Tract. XXXVIII. in Ioan.

Ioan. *Quandocumque novum aliquid fuerit dedicatum, encœnia vocantur. Iam & usus habet hoc verbum: si quis nova tunica induatur, encœniare dicitur.* Quidam somniant hanc domus dedicationem læto convivio fieri solitam: & verbum חנך *chanac, convivari* etiam significare. *Solent enim*, inquit Kimchi, *fieri convivia & lætitiæ quando in domo nova primum edere incipiunt:* Sed utrumque sine auctoritate. VADAT, ET REVERTATUR. Quidam exponunt, nempe si velit, aut diffidat animo suo. At ego absolutam legem esse puto, cuius causæ & rationes hic absolute exprimuntur.

*V.* 6. ET NECDUM FECIT EAM ESSE COMMUNEM. Quidam id existimant iuberi iuxta legem Levit. XXV. vers. 3. aut iuxta aliam Levitici XIX. 10. Alii vertunt: *Et non profanavit eam*; id est, fructus eius non adhibuit ad usus non sacros. Vide legem Levit. XIX. vers. 23. & seqq. Unde clarius reddunt: *Necdum ea sacris iam soluta usus est*. Vide hic Lyranum, & Caietanum. Nam ante quintum annum a plantatione vitis sive arboris non licebat cuiquam ex eius fructu vesci: siquidem tribus primis annis fructus erant immundi, quarto consecrabantur Iehovæ, quinto autem anno omnibus licebat vesci: atque ita communis omnibus fiebat fructus, & veluti profanus. Vide Levit. XIX. vers. 25. Quidam Hebræorum hic significatum verbi חלל *chalal*, a חליל *chalil*, *tibia*, deducunt, redduntque: *Et non tibiavit, fistulavit eam*; id est, tibiis & fistulis non cecinit in ea: nam moris erat, inquiunt, tibiis canere in vineis, ut de filiabus Silo scribitur Iudicum XXI. vers. 20. 21. Sed futilis sensus.

*V.* 8. NE PAVERE FACIAT CORDA FRATRUM SUORUM, &c. Secuti Nostrum, futurum Niphal, ימס *iimmas*, active interpretati sumus, propter articulum את *et* præfixum nomini *cor*, qui solet esse nota accusativi: *Et non liquefaciet, dissolvet, cor fratrum suorum*. Communiter tamen hic ימס *iimmas* intransitive capiunt, & את *et* notam nominativi esse volunt: *Et non liquefiet cor fratrum suorum, sicut cor eius*.

*V.* 9. UNUSQUISQUE SUOS AD BELLANDUM CUNEOS PRAEPARABIT. Hebr. *Et visitabunt principes militiarum in capite populi*, vel *populum*. Varie elucidant. I. *Tunc constituent principes turmarum in capite populi*; id est, tum aciem instruent pugnaturi cum hostibus. II. *Tunc numerabunt, recensebunt principes turmarum in capite populum*; id est, principes legionum recensebunt per capita ipsum populum. III. *& præficient*, scilicet ipsi statores seu moderatores, *principes ordinum militarum in principiis populi*. Vocem *capitis* pro *principis* poni volunt hic, ut etiam II. Paralip. XIII. vers. 12. & cap. XX. vers. 27. *Principes*, & *principia* quid sint in Romana militia, nimis est pervulgatum: erant plane ipsum robur exercitus. Hispanicus Interpres, *Entonces los capitanes de los exercitos mandaran delante el pueblo*. Videtur mihi sensum haud male percepisse.

*V.* 10. AD EXPUGNANDAM CIVITATEM. Quidam explicant, nimirum propinquam in finibus, aut extra fines promissæ terræ; ut plane intelligunt Hebræorum plerique: qua ratione ipsis quoque Amorrhæis, & Gabaonitis est parcitum Iosue IX & I. Regum IX. vers. 20. ut Dei iustitia & misericordia etiam infidelibus testata esset. Aliæ vero Chananæorum gentes ne verbo quidem unico provocatæ Israelem priores lacessiverunt, & hostile nihil omiserunt: cum illæ contra anteverterint Israelem, & ne illud quidem tempus expectaverint, quo obsessuri Israelitæ accederent. OFFERES EI PRIMUM PACEM. Hebr. *Et vocabis ad eam pacis*. Quidam: *Et clamabis ad eam pro pace*; id est, invitabis eam ad deditionem. Alii: *Proclamabis ad eam pro pace*; id est, invitabis eam ad pacem. Sublata voce, seu voce præconis, aut caduceatoris, compellabis eam ad pacem. Vel verbis pacificis provocabis eam ad deditionem.

*V.* 14. ET COMEDES DE SPOLIIS HOSTIUM; id est, frueris spoliis hostium. Synecdoche.

*V.* 15. SIC FACIES; scilicet, interfectis masculis, mulieres, pubem, spoliaque servabis: ut vers. 13. & 14. exprimitur.

*V.* 16. NULLUM OMNINO PERMITTES VIVERE. Hebr. *Non vivere facies omnem spirationem*. Quidam: *Ne finito vivere ullam rem halitu præditam:* subaudi, si pacem repudiaverit, sanctis conditionibus

bus oblatam. Vide supra cap. II. vers. 34. & cap. III. vers. 6. & cap. VII. vers. 3.

*V.* 19. QUONIAM LIGNUM EST, ET NON HOMO. Sensus Nostri palam est. Hebr. ex verbo, *Quia homo lignum agri*; quod varie interpretantur. I. Quia victus, vita hominis est arbor agri: siquidem ex fructibus arborum homo victitat, & vitam sustinet. Similem locutionem observant infra cap. XXIV. 6. *Animam pignori accipiet*; id est, quo sustinetur & sustentatur anima, seu vita. II. subaudiunt negationem ex præcedenti membro, Hebraico more: *Et illud non exscindes, quia non homo lignum agri*; quasi dicat, quia non adversus arbores, sed adversus homines bellum geris. Hunc sensum Chaldæi Interpretes, & Noster amplexi sunt. III. Eodem sensu per interrogationem: *Num homo est arbor agri?* ita LXX. IV. *Quia homo est arbor campi*; id est, ipse homo est arbor campi, quam tu exscindere debes, non ipsas arbores agri; quasi dicat: Arbores quas exscindere debes, non sunt ipsæ arbores campi, sed homines mænibus urbium inclusi. V. *Nam homini arbor agri*; vel *nam agrestes arbores cuivis homini* expositæ sunt; quasi dicat: Ne succidas arbores frugiferas: nam in agro satis est fere arborum agrestium, quæ extruendis turribus & propugnaculis ad obsidendam urbem accomodari possint. VI. *Quia hominis* obsessi *est arbor agri*; quasi dicat: Utere igitur fructibus hostis. VII. *Est enim ut homo arbor agri*; id est, perinde facis arborem succidendo, ac si hominem ipsum occideres, quandoquidem arbores victum homini suppeditant. NEC POTEST BELLANTIUM CONTRA TE AUGERE NUMERUM. Hebr. *Ad veniendum de facie tua in coangustatione*. Alii varie reddunt. I. *Ad veniendum a facie tua in angustiam*; id est, quia homo est illa campi arbor quam tu angustare quæris, quæ a facie tua deducenda est in angustiam: quia non ad angustandum arbores, sed ad angustandum homines tendit bellum. II. *Ut eat ante te in munitionem*; id est, ut ea arbore uti debeas ad construendas munitiones & opera adversus hostem obsessum; quasi dicat: Ipsas arbores non succides, ut ex illis extruas machinas quibus urbem expugnes, aut eam obsidione cingas. III. *Ut veniat a facie tua in obsidionem*: scilicet ipsa urbs; quasi dicat: Ne succidas arbores ad obsidendam urbem. IV. *Ut veniat contra te in obsidionem*: scilicet, ut arbor ipsa insurgat contra te in ea obsidione, quia tu premis urbem; ac si dicat: Ne arbores exscindas, nam ipsæ contra te non pugnant. Hispanicus Interpres hunc sensum expressit: *Que venga contra ti en el cerco*. V. Nam agrestes arbores cuivis expositæ sunt, *ut procedant ante te ad propugnaculum*; id est, ut propugnacula ex illis extructa hostibus opponas, & te præmunias eis. מצור *matzor* hic omnes exponunt *obsidionem*, *munitionem*, *propugnaculum*: proprie est *coangustatio*, *coarctatio*, *conclusio*, *angustia*, *pressio*, *constrictio*.

*V.* 20. ET INSTRUE MACHINAS. Hebr. *Et ædificabis coangustationem super urbem*; id est, obsidione premes. *Matzor*, eadem vox quæ paulo ante vers. 19. præcessit. Varie transferunt. I. *Et ædificabis munitionem adversus urbem*. II. *Ut extruas propugnaculum*, id est machinas obsidionales, *contra civitatem*. DONEC CAPIAS CIVITATEM, QUAE CONTRA TE DIMICAT. Hebr. *Usque ad descendere eam*. Quidam: *Donec descendat ipsa*, id est se humiliet, & incurvet tibi; vel donec subiiciatur ipsa. Alii: *Donec descendat ipsa*, scilicet ad solum; id est, donec capiatur, expugnetur, corruat ac deiiciatur. Nonnulli a רדה *radah* deducunt: *Donec domineris ei*, *subiicias eam*, *in potestatem redigas eam*.

## MENOCHII.

*Vers.* 5. ET NON DEDICAVIT EAM: & nondum eam inhabitavit. Vox Hebræa significat *dedicare*, *initiare*; eademque in templi, altarisque dedicatione usurpatur, & in genere quotiescumque cum solemni aliquo ritu, vel convivio, rei cuiuspiam usus inchoatur.

*V.* 6. NECDUM FECIT EAM ESSE COMMUNEM. Hebr. *Necdum profanavit eam*. Commune Hebræis idem significat quod immundum, aut pollutum. Porro vitis, & alia quævis arbor ante annum quintum censebatur quodammodo sacra: neque enim tribus annis primis licebat eius fructus attingere, donec anni quarti fructus Domino, fuissent consecrati, ut habetur

tur Levit. xix. 23. quo facto, anno tandem quinto incipiebat fieri communis, & per communem usum quodammodo a sacro ad profanum usum transire. Simplicius dici potest, hic *commune* illud appellari, quod cum prius esset intactum, iam usu & tactu quodammodo profanatur. Talis vinea, de qua in suos usus dominus nondum fructus decerpsit: est enim impolluta, &, ut sic loquar, quodam sensu quasi virgo.

*V.* 7. ET NON ACCEPIT EAM: nec dum nuptias celebravit, aut domum non deduxit, aut eam adhuc habet virginem, nec eam attigit.

*V.* 10. AD EXPUGNANDAM CIVITATEM. Sermo est de civitatibus extra terram promissam. OFFERES EI PRIMUM PACEM: invitabis ad deditionem pacificam, & incruentam.

*V.* 13. IN ORE GLADII. Vide dicta Exod. XVII. vers. 13.

*V.* 14. ABSQUE MULIERIBUS, &c. a mulierum enim, & infantium cæde in bello temperandum est, quamquam aliqui sunt casus, in quibus etiam hi possunt interfici: sic factum Num. XXXI. IUMENTIS ET CETERIS: cur enim ista vastentur, quæ nihil commerita sunt?

*V.* 16. QUAE DABUNTUR TIBI, intra terræ promissæ terminos. NULLUM OMNINO PERMITTES VIVERE. De hominibus tantum hoc intellige, non de animalibus, & iumentis.

*V.* 19. ARBORES QUIBUS VESCI POTEST, arbores frugiferas. QUONIAM LIGNUM EST, &c. quia tibi in bello nocere non potest.

## TIRINI.

*Vers.* 5. NON DEDICAVIT. Hebr. *Non initiavit* domum, scilicet eam inhabitando. Dedicari enim res dicitur, quando cum solemni aliquo ritu, vel convivio, rei usus inchoatur. Tribus hic hominum generibus ex legis præscripto, priusquam belli duces *cuneos præparent*, hoc est ordines ad prælium disponant, edici iubetur ut domum revertantur. Primum, eorum qui novam sibi domum ædificarant, necdum tamen eam incoluerant. Iosephus vult anni unius inhabitationem præscriptam fuisse, qua scilicet iam expleta censeatur vehementior cupiditas: Secundum, eorum qui vineam plantaverant, necdum tamen fecerant eam communem, hoc est profanam, seu profanis usibus servire posset, quod anno demum quinto fiebat. Nam & vitis, & cuiusvis alterius arboris fructus trium primorum annorum, tamquam præmaturos & insalubres abiicere iubebantur Hebræi Levit. XIX. fructus vero quarti anni, Deo primitiarum nomine consecrare debebant, ut ibidem decernitur. Ergo quinto demum anno communes fiebant domino & familiæ, ad profanum esum usumque transibant. Tertium genus erat eorum qui sibi uxores desponderant, & nec dum eas domum duxerant, necdum nuptias celebrarant, quibus & anni integri induciæ conceduntur infra cap. XXIV. ver. 5. Causas huius legis, ob quas triplex istud hominum genus castris abire iubeatur, duas assignat Philo, & Iosephus *b*. Una est, quia iniquum videbatur non permitti e propriis seu ædibus, seu vinea, seu uxore fructum saltem aliquem percipere. Altera, ne desiderio rerum adeo expetitarum, remissius agerent in prælio, sibique parcentes, vel etiam fugam capessentes, aliis & scandalo essent & damno. Eadem de causa iubentur hic vers. 8. etiam e castris facessere quicumque formidolosi essent, & pavido corde. Praxim huius legis habes in Iuda Machabæo I. Machabæor. III. vers. 56.

(*a*) Ioseph. Lib. IV. Antiq. cap. VIII.
(*b*) Philo Lib. de Fortitudine. Ioseph. sup.

## GORDONI.

*Vers.* 6. & 7. QUIS EST HOMO, &c. Iubentur hic dimitti a bello, qui aut timore, aut cogitatione nimis solicita sunt erga tria rerum genera. Vinea hic nondum communis, est illa quæ nondum pervenit ad quintum annum, quo dare solet fructus omnibus communes: nam primi triennii fructus nulli sunt; quarti anni fructus Deo debentur; quinti anni fructus fiunt communes multis, iuxta solitum morem.

*V.* 10. SI QUANDO, &c. Sermo est de civitate extra terram promissam, ut explicat vers. 15. Si urbs se dedat, fiat tributa-

butaria vers. 11. si vi subacta sit, deleatur, vers. 12. & 13. At civitates Chanaan acerbius adhuc tractandæ, vers. 16. & 17.

*V.* 11. & 14. SI RECEPERIT, &c. Hic de illis agitur civitatibus quæ extra terram promissam sunt, quales ob illatam iniuriam subiugarunt David, & Machabæi. Parcendum ( vers. 14. ) mulieribus, & infantibus; nisi forte & illæ specialem dedissent necis suæ causam, ut forte accidit, Num. XXXI.

*V.* 16. DE HIS AUTEM CIVITATIBUS, &c. Nullum, inquit, permittes vivere in tuis, seu tibi datis civitatibus; sed intellige hic non quidem bruta animalia sed homines tantum, ex Iosue X. vers. 14. ubi præda fuit reservata, & divisa.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 5. DEDICAVIT, *initiavit*, ex Hebræo. Designat solemnem aliquem ritum rerum in primo rerum usu.

*V.* 7. NEC OCULI VIDERUNT; hoc est, nescimus.

*V.* 8. QUEM REDEMISTI, per exodum ex Ægypto.

*V.* 9. TU AUTEM. Hic Moses alloquitur populum.

# CAPUT XXI.

*Cautio super homicidio occulto, muliere in bello capta, filio contumace, & eo qui suspensus est in ligno.*

1. QUando inventum fuerit in terra quam Dominus Deus tuus
daturus est tibi, hominis cadaver occisi, & ignorabitur cædis reus, 2. egredientur maiores natu, & iudices tui, &
metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia
civitatum: 3. & quam viciniorem ceteris esse perspexerint,
seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non
traxit iugum, nec terram scidit vomere, 4. & ducent eam
ad vallem asperam atque saxosam, quæ numquam arata est, nec sementem
recepit: & cædent in ea cervices vitulæ: 5. accedentque sacerdotes filii Levi,
quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, & benedicant in nomine
eius, * & ad verbum eorum omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum est, iudicetur. 6. * Et venient maiores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est, 7. &
dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt. 8. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine, & ne reputes sanguinem
innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis:
9. tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris quod
præcepit Dominus. 10. Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, &
tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris, 11. & videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, 12. introduces eam in domum tuam: quæ radet cæsariem,
& circumcidet ungues, 13. & deponet vestem in qua capta est: sedensque in
domo tua, flebit patrem & matrem suam uno mense: & postea intrabis ad
eam, dormiesque cum illa, & erit uxor tua. 14. Si autem postea non sederit
animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere
per potentiam: quia humiliasti eam. 15. Si habuerit homo uxores duas, unam

dilectam, & alteram odiosam, * genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, 16. volueritque substantiam inter filios suos dividere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, 17. (a) sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita. 18. Si genuerit homo filium contumacem & protervum, * qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit: 19. apprehendent eum, & ducent ad seniores civitatis illius, & ad portam iudicii, 20. dicentque ad eos: Filius noster iste protervus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ, atque conviviis: 21. lapidibus eum obruet populus civitatis: & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & universus Israel audiens pertimescat. 22. Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo: 23. non permanebit cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia (b) maledictus a Deo est qui pendet in ligno: & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.

(a) I. Paralip. v. 1. (b) Galat. III. 13.

# B R U G E N S I S

## Romanae Correctiones.

Vers. 5. *Et ad verbum eorum omne negotium*. Nequaquam addas verbum *pendet*, quod quidam libri subiiciunt.

V. 6. *Et venient maiores natu*. Non oportet omittere futurum *venient*, nec commutare cum imperativo *veniant*, denique non necesse est addere *omnes*.

V. 15. *Genuerintque ex eo liberos*. Alii scribunt *genueritque ex eis*. Sententia eadem una est, sed prior lectio præfertur.

V. 18. *Qui non audiat patris, aut matris imperium*. Non mutes *audiat* cum *audierit*, nec coniunctionem disiunctivam *aut* cum copulativa *ac*.

## N o t a t i o.

Vers. 6. Latina exemplaria pleraque omnia nobis visa legunt: *Et venient*, *aut veniant* (omnes I. M. S.) *maiores natu civitatis illius ad interfectum*, *lavabuntque manus &c.* Exemplar autem, quod nobis commodato misit colendissimus Lobiensis cœnobii Abbas, scribit: *Et maiores natu civitatis illius ad interfectum*, *lavabuntque manus &c.* non habet *venient*, seu *veniant*, nisi altera manu inter lineas scriptum. Hoc ipsum Rabanus prætermittit, ita ut ex præcedentibus sententia pendeat: *Accedentque sacerdotes filii Levi* (*quos elegit Dominus &c.* quæ parentheseos notis concludantur) *& omnes maiores natu civitatis illius ad interfectum*: *lavabuntque manus &c.* Hebraice legitur: *Et omnes seniores civitatis illius propinqui ad occisum*, *lavabunt manus &c.* ad eumdem fere modum Chaldaice legitur, & Græce. Rabani lectio, quod τῷ הקרובים *propinqui* respondeat, nihil habet. Id autem in vulgata lectione *venient* esse videtur, ut intellexerit Interpres, *propinqui* fient, id est venient *ad occisum;* sed commodius alii intelligunt: Seniores civitatis, quæ propinquior est, vel qui propinquiores sunt occiso, lavabunt &c. An autem etiam sacerdotibus manus super vitulum lavandæ fuerint, id quod Rabani lectione præcipi videtur, dubitari merito potest. Quod nonnulla scripta legunt: *Et veniant maiores*, sequentibus minus congruit. Quod Ge. p. addit *omnes* (*Et venient omnes maiores*) Rabani textui, Hebræo, Chaldæo, & Græco convenit.

COM-

# COMMENTARIA

## SA.

*Verſ.* 5. BENEDICANT, ſcilicet populo. QUIDQUID MUNDUM, VEL IMMUNDUM EST. Hebr. *omnis plaga*. LXX. *omnis lepra*. Chald. *omnis plaga lepræ*.

*V.* 8. INNOCENTEM, id eſt hominis innocentis interfecti; quaſi dicat: Ne imputes nobis homicidium.

*V.* 9. TU, ſcilicet o popule.

*V.* 13. PATREM ET MATREM, id eſt patris & matris abſentiam. UXOR TUA, ſcilicet ad fidem converſa.

*V.* 14. OPPRIMERE PER POTENTIAM. Hebr. *uti eius ſervitio*, ſcilicet ancillæ, vel (ut alii interpretantur) *diſtrahendo eam ad lucrum*; verbi gratia, commutando, aut oppignerando. HUMILIASTI, id eſt violaſti.

*V.* 17. LIBERORUM. Hebr. *virtutis*, ſeu *fortitudinis*; quaſi dicat, virtutis generativæ, ſeu fecunditatis: ſic Geneſ. XLIX. ubi nos legimus *principium doloris mei*, Hebr. *principium roboris mei*. PRIMOGENITA, id eſt ius primogenituræ.

*V.* 19. IUDICII. Hebr. & LXX. *loci illius*. Chald. *domus iudicii loci ſui*.

*V.* 20. COMESSATIONIBUS, &c. Hebr. & Chal. ſolum habent, *Vorator*, *& potator*. LXX. pro *potator*, vertunt *inebriator*.

*V.* 23. PERMANEBIT. Hebr. & LXX. *pernoctabit*. Chald. *permanebit*. MALEDICTUS, id eſt execrabilis. Aug. cont. Adim. *Maledicta mors, quam Chriſtus in ligno evacuavit: eſt enim a peccato*. A DEO: *odit enim Deus peccatum, & mortem: ideo ad eam ſuſcipiendam, & delendam miſit Filium ſuum*. Aug. XIV. cont. Fauſt.

Nota, quod Chald. loco omnium horum, *quia maledictus*, &c. vertit: *Quia pro eo quod peccavit coram Domino, ſuſpenſus eſt*.

PENDET. Nota, quod ſoli apud Iudæos ſuſpendebantur blaſphemi, & idololatræ: quod ſupplicii genus etiam apud Romanos fuit, & AEgyptios, & Perſas. Vide Eſther VII. Gen. XL. Cicer. in Verrem, Orat. VII. CONTAMINABIS, ſcilicet relinquendo noctu in patibulo.

## ESTII.

*Verſ.* 14. SI AUTEM POSTEA NON SEDERIT ANIMO TUO, DIMITTES EAM LIBERAM. Erat hoc repudio ſimile, nec præceptum, aut conceſſum a Deo, ſed dumtaxat permiſſum duro & cervicoſo populo. Si enim permittebatur repudium uxoris Iſraelitidis propter periculum homicidii, quanto magis mulieris alienigenæ, & in bello captæ? Ergo permiſſio erat in eo quod dicit, *Dimittes*; ſed præceptum in eo quod ſubditur, *Liberam*: ut clare patet ex ſubiectis verbis.

*V.* 23. QUIA MALEDICTUS A DEO EST QUI PENDET IN LIGNO. Hebr. ſic: *Maledictio Dei eſt qui ſuſpenſus eſt*; quomodo etiam vertunt Aquila, & Theodotion. Septuaginta vertunt ut nos habemus. Senſus autem litteræ eſt: Quicumque in cruce ſuſpenditur, Deo execrabilis eſt; & ita execrabilis, ut nec cadaver permittendum ſit diu in hominum conſpectu relinqui, ſed ſtatim eadem die tamquam abominabile auferendum ab oculis, & ut hic dicitur, ſepeliendum. Et fuit hoc a Deo præceptum de ſolis ſuſpenſis, quia qui humi interficiebantur lapidatione, vel incendio, vel ferro, eorum corpora ſponte ſtatim homines terra obruebant, quia indecorum cenſebant corpora ſuper terram iacere inſepulta. Itaque de illis præcepto non erat opus, ſed tantum de ſuſpenſis in ſublimi, ubi facile potuiſſent relinqui. Sed potiſſima cauſa eſt, quia Chriſtus in myſterio præſignabatur, ſicut Apoſtol. ad Galat. III. explicat, dicens: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Vide Noſtra eo loco.

## MARIANAE.

*Verſ.* 4. QUANDO INVENTUM FUERIT, ... HOMINIS CADAVER OCCISI. In Hebr. additur, *proiectum in agro*.

*V.* 3. NEC TERRAM SCIDIT VOMERE. Hoc additum ab Hieronymo.

*V.* 4. AD VALLEM ASPERAM. Vox Hebraica *nabal* aliquando in *torrentem* vertitur, hic in *vallem*. Proprie significat locum declivem, ad quem aquæ confluunt; quod nomen retinet locus, etiamsi nulla sit aqua. Pro *aspera* in Hebræo est *aithan*; quæ vox *fortem* significat, nempe incultam, montuosam, asperam.

*V.* 5. ET QUIDQUID MUNDUM, VEL IMMUNDUM EST, IUDICETUR. Hebr. *Et omnis plaga*, seu *lepra*, nempe pendet ab eorum iudicio.

*V.* 6. CUM FECERIS QUOD PRAECEPIT DOMINUS. Hebr. *Quod rectum est in oculis Domini*.

*V.* 12. ET CIRCUMCIDET UNGUES. Hebr. *Faciet ungues*. Per *facere* Sept. intellexerunt *circumcidere*, & ab illis sumpsit Hieronymus. Eodem Pagn. respexit cum vertit, *Aptabit ungues*. Chald. & Hebræi sumunt pro *crescere faciet*. Nempe Moyses volebat eo spatio capillis præcisis, & unguibus auctis mulieris decorem minui, ut vir ardore remisso desisteret.

*V.* 14. DIMITTES EAM LIBERAM. Hebr. *Dimittes ad animam eius*: scilicet ut sit sui arbitrii, neque in cuiusquam potestate. NEC OPPRIMERE PER POTENTIAM, scilicet poteris; id est, opprimere servitio: id significat vox Hebraica *hamar*.

*V.* 17. DABITQUE EI DE HIS QUAE HABUERIT CUNCTA DUPLICIA. Hebr. *Quin primogenitum filium odiosæ cognoscet ad dandum ei os duorum*; hoc est, duas portiones. Vides legem primogeniti, quam Iacob servavit cum Ioseph, in quem primogenituram transtulit ablatam Rubeno I. Paral. v. PRINCIPIUM LIBERORUM EIUS, est primogenitus. Hebr. *principium fortitudinis eius*; certe quæ in filiorum procreatione cernitur.

*V.* 19. ET AD PORTAM IUDICII, scilicet filium rebellem adducent. Hebr. *ad portam loci illius*. Sed ad portas fiebant conventus, & iudicia exercebantur.

*V.* 20. COMESSATIONIBUS VACAT, ET LUXURIAE, ATQUE CONVIVIIS. Hebr. *edax est carnium*, *&* *potator vini*: sic Chald.

*V.* 23. MALEDICTUS A DEO EST QUI PENDET IN LIGNO. Hinc citat Paulus ad Galat. III. vers. 13. Hebr. *Quia maledictio Domini est*, pro *maledictus*: sic sæpe pro nominibus formæ subiecta intelliguntur: sic cadaver in patibulo manere non vult, sed eodem die sepeliri mandat.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. HOMINIS CADAVER OCCISI. Hebr. *cadens in agro*. Recte Noster cadaver pro cadente accepit: nam a cadendo, id est moriendo, dictum. Sic illud Virgilii IV. AEneidos:

...... *sed cadat ante diem*....

*V.* 2. ET METIENTUR A LOCO CADAVERIS, &c. Hebr. *Et mensurabunt ad civitates, quæ circuitibus profanati*: quod quidam clarius ita explicant: *Et metientur usque ad civitates, quæ sunt circum interfectum*; subaudi intervallum a loco, in quo inventum fuerit cadaver, usque ad civitates, &c. Alii: *Metientur* spatium inde *usque ad civitates*, quæ sunt circa confossum illum.

*V.* 3. VITULAM DE ARMENTO. Hebr. *vitulam bovis*, id est vaccæ; quasi dicat, adhuc iuvenem, nondum a cura matris sepositam. Alii, *vitulam subrumam*, lactentem, nondum a lacte depulsam. Vide Exod. XXIX. vers. I. עגלה *gheglah*, aiunt esse *vitulam*, quamdiu non est fecunda.

*V.* 4. AD VALLEM. נחל *nachal* possis quoque exponere *torrentem*. ASPERAM ATQUE SAXOSAM; ut sane solent esse torrentes. איתן *etan*, *fortem*. Quidam Hebræorum exponunt fortem, id est uberem & pinguem: quod quia repugnare sequentibus videtur, intelligunt pinguem quidem tunc, sed quæ deinceps non sit colenda aut seminanda propter cadaver occisi hominis ibi inventum: ut eius loci homines admoneantur de tollendis homicidis, ne eo nomine portionem pinguem terræ suæ amittant. Atque adeo in Thalmud, inquiunt Hebræi, vetitam esse illius loci culturam, ut illinc lapides effodere, aut ibi linum pectere liceat; & eiusmodi facere iubentur, quibus solum incultum redditur. Subtilis, & acuta interpretatio, nec prorsus aliena. Sed intelligendum, eam vallem deligendam in termino urbis propinquioris cadaveri reperto, nec sem-

per

per in eodem loco ubi inventum cadaver. Alii *ethan* reddunt *duram*, *asperam*, *saxosam*, & aratro impenetrabilem. Unde aliqui *solidam*, quæ aratro proscindi nequeat. Nonnulli, *horridam*, *squalentem*. QUAE NUMQUAM ARATA EST. Hebr. *Quæ non servietur in ea*, seu *non coletur in ea*. Pronomen *ea* non potest referri ad vitulam, nam pronomen est masculeum, בו *bo*, & *vitula* femineum: reducendum ad נחל *nachal* vallem, quæ Hebræis est generis masculei.

*V. 6.* LAVABUNTQUE MANUS SUAS SUPER VITULAM. Quo ritu testabantur se mundos & innocentes esse sanguinis interfecti illius in eorum finibus reperti, ut statim sequenti versu 7. declaratur. Nec dubium, Pilatum, etsi Romanum, inter Iudæos versantem hunc eorum morem imitatum, cum manus super Christum innocentem lavit. Et nonne pudet Casaubonum scripsisse, factum Pilati ab hoc more Iudæorum toto genere diversum fuisse? Vide in Psal. xxv. vers. 6.

*V.8.* ET NE REPUTES SANGUINEM INNOCENTEM. Hebr. *Et non dabis sanguinem innocuum*. Quidam: *Et ne impone reatum sanguinis innoxii*; id est, ne imputes cædem huius innocentis populo tuo Israel. Ita statim: *Et expiabitur eis sanguis*, id est reatus, & imputatio cædis.

*V. 11.* ET VIDERIS IN NUMERO CAPTIVORUM, &c. Annotant concessionem facti esse, non legem: quamobrem duo lege statui, quæ evincunt rem Deo per se ingratam fuisse: unum, cæremoniæ ante matrimonium imperatæ, eo spectantes ut mulier deformetur, ut vir ab amore suo refrigescat: alterum, dimissio longe facilior, quam in iustis & legitimis matrimoniis.

*V. 12.* QUAE RADET CAESARIEM. Quidam intelligunt, ne forte propter aspectum pulchrorum crinium cœperis diligere eam, ut rasa cæsarie minus tibi placeat, & ab incepto desistas. ET CIRCUMCIDET UNGES. Hebr. *Et faciet*, *parabit ungues suos*. Plerique intelligunt, aptabit circumcidendo, præcidet. Ita LXX. & Noster. Quidam hic *faciet*, volunt esse sacrificale, & rituale, ut alibi sæpe; id est, *comburet*, & quasi sacrificabit: ut & derasos capillos, & sectos ungues deberet quasi ritu quodam solemni comburere: quo significabatur reliquias gentilissmi penitus abolendas. Alii *faciet* pro *nutriet*, & *sinet crescere* accipiunt; ut deformitate longorum unguium displiceat.

*V. 13.* ET DEPONET VESTEM IN QUA CAPTA EST. Aliqui vestem pulchram aut pretiosam intelligunt, ne forte ornatus vestium in quibus capta est, victorem in amorem eius impulerit. FLEBIT PATREM, &c. ut squalore luctus ac mæroris minus pulchra videatur, & amator ab amore depellatur. INTRABIS AD EAM. Hebr. *Venies ad eam*. Honeste designat congressum viri cum muliere, phrasi Hebraica, ut notavimus. Quidam explicatius: *Congredieris cum ea*. DORMIESQUE CUM ILLA. Quidam hic vertunt: *Et eris maritus* eius: vel, *& duces eam in uxorem*. Nonnulli: *Et subagitabis eam*. Aiunt enim verbum בעל *bagbal* hic significare adeptam puellam, seu uxorem usurpare subagitatione, qua in eam præceps fertur, ut fit in coitione. Alii: *Et dominaberis ei*: vel, *& possidebis eam*.

*V. 14.* NEC OPPRIMERE PER POTENTIAM. Futurum Hithpahel תתעמר *titgbammer* varie exponunt. I. *Non negotiaberis de ea*; id est, nulla ratione poteris eam distrahere, aut commutare. II. *Non uteris servitio in ea*, id est, eius servitute (Hispanice, *No te serviras de ella*, ut ancilla.) III. *Ne utitor ea ad quæstum*. IV. *Non percipies commodum ex eius ministerio*, negotiando, aut vendendo. V. *Neque ad opus uti ea poteris*. VI. *Non prostitues lucri causa eam*. VII. *Non quæras tibi lucrum per eam*. VIII. *Non mereas cum ea*. IX. *Non quæstum facias aut captes ex ea*. Ego puto genuinam significationem verbi esse, *non commanipulabis*, *vel commanipulare te facies cum ea*. Hispanice, *No haras gavilla con ella*; vel non *commanipulationem facies cum ea*: quo vocabulo usum AElium Spartianum constat. Id est, non societatem, colligationem, quasi commanipularem cum ea inibis; non uteris eodem contubernio, seu convictu cum illa. Contubernium militibus dicebatur, quando decem milites in uno papilione degebant: & contubernium manipulus vocabatur, quod coniuncti manibus pariter dimicarent, ut auctor est Vegetius Lib. II. de Re militari, cap. XII. *Conturbernium* Paulo Iuris-

riſconſulto dicitur matrimonium ſervile: *Inter ſervos*, inquit, *& liberos matrimonia contrahi non poſſunt*, *contubernium poteſt*; quaſi dicat: Nec eam in ſervili coniugio habere poterit, ut ancillam coniugem, ſeu contubernalem.

*V.* 15. ODIOSAM. Quidam non abſolute, ſed comparative exponunt; id eſt, minus amatam aut dilectam. Vide Notas in Geneſ. XXIX. verſ. 31.

*V.* 16. ET PRAEFERRE FILIO ODIOSAE. Hebr. *ſuper faciei filii odiatæ*, vel *in conſpectu exoſæ*; id eſt, vivente primogenito exoſæ, vel donec ſuperſtes eſt primogenitus filius exoſæ. Sic Geneſ. XI. verſ. 28. Sed rectius expones: *Ante filium odioſæ primogenitum*: quod Noſter dixit *præferre*; id eſt, ſi filius amatæ minor natu fuerit filio odioſæ, & iure naturæ filius exoſæ primogenitus fuerit, cave ne perturbes naturale ius, aut invertas, prætextu amoris uxorii, minorem maiori præferendo in prærogativa primogenituræ.

*V.* 17. CUNCTA DUPLICIA. Hebr. *os duorum*; id eſt, menſuram, portionem, partem duplicem; quaſi dicas: Aliis filiis unam, primogenito duas partes bonorum ſuorum dabit: duplum nimirum ad alios. Vide Geneſ. XXV. verſ. 31.

*V.* 18. CONTUMACEM. סורר *ſover*, aiunt eſſe *contumacem*, *refractarium*, *perverſum*, *inobedientem*, *immorigerum*, *incorrigibilem*, *indiſciplinabilem*, *intractabilem*, *qui non vult regi ulla diſciplina*, *ſed pro arbitrio quolibet fertur*; *indomitum*, *rebellem*. Notant, Paulum ad hunc locum reſpexiſſe Epheſior. II. verſ. 2. cum hoc vitium Græce ἀπειθείαν vocat, id eſt *inſuaſibilitatem*, ſeu *imperſuaſibilitatem*, ut opponatur verbo Hebræo פתה *patah*, *perſuadere*. quod quodammodo ita definit: *In filiis inſuaſibilitatis*, *qui in concupiſcentiis carnis verſantur*, *facientes quæ carni & menti libent*. Et Coloſſ. III. verſ. 5. *Mortificate membra veſtra terreſtria*, *ſtuprum*, *immunditiam*, *mollitiem*, *concupiſcentiam*, *& avaritiam*, *quæ eſt ſimulacrorum cultus*: *ob quæ venire ſolet ira Dei in filios ἀπειθείας*, id eſt *inſuaſibilitatis*, ſeu intractabiles. Alii a סור *ſur*, *recedentem*, *declinantem*, *deſertorem*, *defectorem*, *impium*. ET PROTERVUM. Hebr. *& mutabilis*, id eſt qui in dies mutatur in deterius. Alii, *rebellis*, *inobediens*. ET COERCITUS. Hebr. *Et caſtigaverunt eum*: intelligunt ſermone, & opere cum auctoritate patris, ut opus erat; non autem molliter, & perfunctorie, ut Heli ſacerdos faciebat I. Samuel. II.

*V.* 19. AD PORTAM IUDICII. Heb. *ad portam loci eius*: exponunt, ad conventuum publicorum locum, in ius: nam ius dici ſolebat in portis civitatum. Vide cap. XVII. verſ. 5.

*V.* 20. COMESSATIONIBUS VACAT. זולל *zolel* proprie eſt qui rem aliquam ceu vilem prodigit, decoquitque, & abſumit, *comeſſator*, *epulo*, *vorax*, *vorator*, *edax*. Quidam aiunt eſſe *luxuriatorem*, *prodigum*, qui bona ſua nimia profuſione prodegit: & metaphorice ſignificare hominem impurum & vilem, gaſtrimargiæ deditum inſtar porci, qui tantum delectatur crapula, & intemperanti voracitate: *gurges*, *belluo*, *apicius*. ET LUXURIAE ATQUE CONVIVIIS. סובא *ſobe*, *potator*, *bibax*, *ebrius*, *ebrioſus*, *mero ſe ingurgitans*, *& obruens*. Non eſt dubium, Phariſæos ex iſto loco & his vocabulis uſos Chriſtum contumeliæ cauſa appellaſſe, quæ Matthæi Interpretes cap. XI. verſ. 19. & Lucas VII. verſ. 34. ita reddiderunt. *Ecce homo φάγος καὶ οἰνοπότης*; id eſt *edax*, *vorax*, *& vini potator*, ſeu *vini potor*, ut notes immenſam phariſæorum malignitatem, qui Chriſtum eius generis faciebant, qualis hic filius contumax, & rebellis, quem Deus lapidibus obrui iubebat, ut non minori pœna Chriſtum plectendum ducerent. Quod miror non fuiſſe obſervatum ab Evangeliorum Explanatoribus.

*V.* 22. QUANDO PECCAVERIT HOMO QUOD MORTE PLECTENDUM EST. Hebr. *Et cum erit in viro peccatum iudicii mortis*; id eſt, cum quis admiſerit peccatum, propter quod morte plectendus ſit. Quidam: *Quando fuerit in aliquo peccatum morte dignum*. Alii: *Cum autem erit in aliquo peccatum adiudicandum morti*.

*V.* 23. QUIA MALEDICTUS A DEO EST QUI PENDET IN LIGNO. Inſignis locus, quem ex profeſſo & accurate tractavit S. Hieronymus in epiſtolam ad Galatas cap. III. ad verſ. 13. cuius hic verba ſummatim delibabimus: LXX. *Interpretes ita hunc locum tranſtulerunt*: *Quia maledictus a Deo omnis qui pendet in ligno*. *Aquila*: *Quia maledictio Dei eſt qui ſuſpenſus eſt*. *Symmachus*: *Quia propter blaſphe-*

*phemiam Dei suspensus est*. *Theodotio*: *Quia maledictio Dei est suspensus*. *Ebion ille haeresiarches semichristianus & semiiudaeus ita interpretatus est*: *Quia iniuria Dei est suspensus*. *Memini me in Altercatione Iasonis & Papisci, quae Graeco sermone conscripta est, ita reperisse*: *Maledictio Dei qui appensus est*. *Hebraeus, qui me in Scripturis aliqua ex parte instituit, quod possit, & ita legi*: *Quia contumeliose Deus suspensus est*. Haec S. Hieronymus. Non erat valde absurdus hic Hebraeus ille praeceptor S. Hieronymi: nam si hic קללת *killath*, esset nomen formae absolutae, ut forte videtur esse Proverbior. XXVI. 2. aut si hic scriptum fuisset קללה *kelalah*, He nunc deflexo in Thau, facili lapsu scriptoris ob maximam earum litterarum similitudinem, ut certe fieri potuit, germanissima huius loci interpretatio esset: *Quia maledictio* (execratio, contumelia) *Deus suspensus*: ut Isaiae LIII. 4. מכה אלוהים *mucceh Elohim*, *percussus Deus*. Iam recentiores varie locum reddunt, & elucidant. I. *Quia maledictio Dei est suspensus in ligno*; id est, iam luit poenas pro flagitio admisso, iam legi satisfecit appensus in ligno, iam Dei maledictio, seu supplicium in eo expletum est. II. *Quia ob maledictionem Dei suspensus est*; id est, eo quod maledixit Deo, suspensus est: vel *quia ob contemptum Dei suspensus est*; id est, quia Deum contempsit, aut probris affecit, suspensus est. III. *Quamvis maledictio Dei sit suspensus*; id est, etiamsi admiserit gravissimum peccatum. Aliter, quamvis Deo sit admodum execrabilis qui suspenditur; tamen iure sepulturae non fraudetur, nec cadaver eius nocte perstet in patibulo. Notant, suspendium fuisse ignominiosissimum supplicium apud Hebraeos, ut est sane nunc apud Christianos. IV. *Quia alleviatio est Dei suspensus*; id est, quia sic alleviat, exonerat Deus terram a pravis hominibus, quae iis gravari & onerari videtur. V. Quidam hic *Elohim* pro iudicibus capiunt: *Quia maledictio, execratio, iudicium est suspensus*; quasi dicas: Si viderint suspensum diutius in cruce pendere, omnes fere execrantur saevitiam iudicum, qui exanima corpora diu contumeliae & horrori exposita manere iubent. VI. Nonnulli: *Nam suspensus execrationi est Deo*: quod ita exponunt: Non quidem propter poenam quae bona est, sed propter causam reatumque peccati, ut S. Epiphanius optime in Manichaeos observavit. Sed haec ratio communis est suppliciorum omnium, nempe maleficos Deo esse execrationi; ac proinde non debere palam, ac diu coram sole stare execrationem, sed potius abolendam esse ex praecepto Dei, qui ne ullam quidem turpitudinem in propatulo relinqui sinit, infra cap. XXIII. vers. 13. & 14. Quae ergo singularis est? Duplex: una, quod hoc genus supplicii omnium gravissimum, & ignominiosissimum, quale gravissima crimina promerentur, ut Numeror. XXV. 4. ac proinde damnatum anathemati, II. Samuel. XXI. vers. 11. altera, quod Deus prophetice voluit designare Christum, qui factus est pro nobis execratio, Galat. III. vers. 13. Forsan *maledictio Dei* significat magnam & horribilem execrationem, ut nomen *Elohim* solet addi ad auxesim, ut *montes Dei*, *cedri Dei*, &c. notissimo Hebraismo; quasi dicas: Quia maxima & horrenda execratio est suspensus, execrabilis & detestandus horror videre suspensum. Aut quia omnium hominum execrabilissimus & detestabilissimus est qui suspendio necatur: neque est ullum mortis genus eo turpius ac probrosius.

Hebraei constanter affirmant hic tantum agi de supplicio blasphemi, & idololatrae, quem aiunt prius lapidibus obruendum, deinde in patibulum suspendendum, non ob aliam rationem, quam ut eorum flagitium, & supplicium omnibus innotesceret. Observant autem ex Scriptura quatuor genera mortis: *Combustionem*, seu *vivicomburium*; *lapidationem*; *occisionem* cum gladio, seu *iugulationem*; & *strangulationem*, seu *suffocationem* per laqueum. De crucifixione vero hominis proprie, seu de cruce Romana, nihil ipsi ex veteri Testamento sciunt. Nam Christus non Iudaico, sed more Romano in crucem sublatus est: siquidem id proprie tunc Romanorum erat supplicium. Nihilominus disquirunt aliqui, num fixio ipsa in cruce, seu crux ipsa Romana, quam vocant *immissam*, seu *commissam*, quamque Christus subiit, Hebraeis, aliisque gentibus iam olim in usu fuerit. Et vero Iudaeis cognitam & usitatam, plerique contendunt, cum ex hoc loco vers. 22. *Et suspendes eos super lignum*, tum ex Iosue VIII. vers. 29. *Regem quoque Hai suspendit*

*dit in patibulo usque ad vesperam, & solis occasum: præcepitque Iosue, & deposuerunt cadaver eius de cruce*. AEgyptiis autem, e Genes. xl. vers. 19. *Et suspendet te super lignum*. Item Persis, in patibulo Aman, Esther VII. vers. 9. & 10. At Casaubonus exercitatione XVI. Baroniana, Diatriba lxxvII. contendit crucem proprie Romanam neque Hebræis, neque aliis gentibus, ut Persis, & AEgyptiis, in usu fuisse ante Christum; sed vel eam quam nos vocamus furcam, vel patibulum, seu lignum supplicii, aliud genus a cruce Romana, quod generali vocabulo vocetur crux, a cruciando. Ut Paulus quoque hunc locum de suspenso, de Christo prophetice dictum interpretatus est, quod is vere in cruce suspensus fuerit; sed alio modo, nempe fixus. Et quamvis Casaubonus a religione Catholica alienus, ea tamen in Diatriba multo studio, lectione, & diligentia utitur. Vide Iacobum Maussacum in Notis ad Libellum Plutarchi de Fluminibus, pag. 214.

## MENOCHII.

*Vers*. 2. EGREDIENTUR MAIORES NATU, ET IUDICES, præmissa tamen de auctore cædis inquisitione sedula. Maiores vero natu, & iudices, de quibus hic sermo, erant magistratus vicinorum oppidorum agro in quo cædes facta erat. METIENTUR. Si constabat de locorum distantia, non erat necessario adhibenda dimensio.

*V*. 3. ET QUAM VICINIOREM CETERIS ESSE PERSPEXERINT, &c In hanc enim cædis præsumptio cadebat ratione vicinitatis. QUAE NON TRAXIT IUGUM: fortasse ad indicandum, occisorem virum fuisse sine iugo legis, quales Scriptura vocat filios Belial: vide dicta supra cap. XIII. 13. Vitula hæc cædenda homicidæ typum gerebat, in cuius locum, cum ille non reperiretur, mactabatur.

*V*. 4. VALLEM ASPERAM ATQUE SAXOSAM. Hebr. *ad vallem ethan*; quod tamen nomen proprium non est, sed appellativum significans locum quemcumque depressum, &, ut additur, inaratum, & incultum. Locus hic asper, & confragosus, animi duritiem refert occisoris; cavitas vallis, malitiæ profunditatem designare potest. CAEDENT IN EA CERVICES VITULAE. Nulla in hac cæde censenda est fuisse ratio sacrificii.

*V*. 5. ACCEDENTQUE SACERDOTES: non ut iudicent, cum reus inventus non sit; sed ut manus lavent super vitulam, simul cum magistratu civitatis, ac senioribus. ET BENEDICANT IN NOMINE DOMINI. Vide dicta cap. X. num. 8. OMNE NEGOTIUM, lis, controversia.

*V*. 6. LAVABUNTQUE MANUS SUPER VITULAM. Vitula interfecta in valle, cadaver hominis fortasse iacere potuit in agro: vel ergo cadaver deportatum ad vallem vitulæ, vel vitula ad locum cædis, ubi cadaver.

*V*. 7. NEC OCULI VIDERUNT; quasi dicat: Nescimus auctorem cædis, si sciremus, non pateremur inultum.

*V*. 8. REDEMISTI, educens de AEgypto. ET NE REPUTES SANGUINEM, &c. ne populo imputes innocentis cædem, ab eoque pœnas repetas. AUFERETUR AB EIS, senioribus populi. REATUS SANGUINIS: non erunt rei effusi sanguinis, non illis imputabitur peccatum, nec illius pœnam luent.

*V*. 9. TU AUTEM ALIENUS ERIS. Alloquitur Moses populum, cui homicidium, si non expiaretur, imputabitur.

*V*. 11. VOLUERISQUE HABERE UXOREM. Sermo est de ea quæ ad Iudaicam religionem transire parata est: alioqui Iudæis vetitum erat cum gentilibus matrimonia iungere.

*V*. 12. RADET CAESARIEM, &c. Cur istæ usurparentur cæremoniæ, varii varia. Probabilius pertinere ad luctum & funebrem habitum, quod etiam satis patet ex num. 13. ubi illi indulgetur ut per unum mensem patrem, ac matrem suam fleat. *Radet cæsariem*. Permittitur hoc gentili captivæ, ut gentis suæ more raso capite mortuos fleat: alioqui enim Hebræis id erat vetitum Deuter. XIV. 4. CIRCUMCIDET UNGUES. Fortasse etiam hoc servabatur a gentilibus in mæroris argumentum. Textus Hebr. habet, *Faciet ungues*, quod videtur significare, crescere sinet. At LXX & Vulgatus, & Philo, resectos ungues significant.

*V*. 13. DEPONET VESTEM. In luctu vestis mutabatur. II. Reg. XIV. 2. dicitur:

tur: *Lugere te simula, & induere veste lugubri*. UNO MENSE: tamdiu enim mortuos lugere solebant, ut patet in funere Aaronis, Num. xx. & Mosis, Deuter. ult.

*V.* 14. NON SEDERIT ANIMO TUO: non placuerit. QUIA HUMILIASTI EAM, pudicitiam scilicet eius deflorando.

*V.* 17. DABITQUE EI CUNCTA DUPLICIA. Hoc enim ius duplicis in hereditate portionis præ ceteris fratribus afferebat ius primogenituræ. PRINCIPIUM LIBERORUM. Vide similem dicendi formulam explicatam Gen. XLIX. 3. COERCITUS, parentum monitionibus, reprehensionibus, castigationibus.

*V.* 19. AD PORTAM IUDICII. Olim enim iuxta portas civitatum prætoria constituebantur, & iudicia exercebantur: cuius rei passim exempla occurrunt in Scripturis.

*V.* 22. APPENSUS IN PATIBULO. Quod ambiguum est, an intelligendum sit de affixione in cruce, an de suspensione per funem intercluso spiritu, ut modo passim fieri solet. Late hic Bonfrerius de hoc disputat. QUIA MALEDICTUS A DEO EST QUI PENDET IN LIGNO. Homo suspensus, ob genus supplicii infame Deo quodammodo est execrabilis, & maledictus, quia Dei etiam ipsius iudicio summa infamia notatus. Et ipsa mors per suspendium, in dedecus quodammodo Dei, & ignominiam cedit, quod homo ad Dei similitudinem factus tamquam luce hac indignus, tam atroci, turpique supplicio fuerit afficiendus.

## TIRINI.

*Vers.* 5. ACCEDENTQUE SACERDOTES, eiusdem urbis incolæ. Iubet ergo Deus, si patrata fuerit in agro cædes ignoto auctore, post sedulam inquisitionem ( etiam indici præmiis propositis, inquit Iosephus ) magistratum vicinioris urbis tam sacrum quam politicum, cæsa vitula, fractaque eius cervice, quasi umbratile supplicium de homicida sumere; quale nimirum de ipsomet, si reperiri posset, revera sumerent: simulque lavare manus super cæsa vitula, & hac cæremonia protestari sese innoxios esse, & auctoris ignaros. Addit Abulensis, sed parergῶs, id ideo quoque iussum, ut auctor sceleris, si forsan adesset, hac via proderetur, puta naturali sanguinis antipathia, qua fit ut propinquante homicida, vulnera cadaveris, vel ossa, etiam post plures dies sanguinem exsudent, Deo sceleris auctorem tali signo subinde prodente: ut aliis quoque mirabilibus signis etiam apud Gentiles prodidisse, pluribus exemplis probant Cicero, Plutarchus, & AElianus *a*.

*V.* 12. & 13. RADET CAESARIEM, ET CIRCUMCIDET UNGUES, ET mutabit VESTEM. His cæremoniis captiva puella, & Iudaicam religionem complecti parata; priusquam marito Iudæo iungeretur, permittitur lugere toto mense mortem parentum suorum in bello occisorum. Licet enim Iudæis eiusmodi luctus genus in more non fuerit, fuit tamen plurimis gentibus, & verisimiliter etiam his Iudææ vicinis. Radere etiam uxorum, & filiarum caput in luctu celebriore funebri, variis variarum gentium regulis in more fuisse, testis est Svetonius, *b* in morte Germanici. Idem Græcos actitasse docet Plutarchus *c*; Persas Curtius *d*; Romanos quoque Propertius, Seneca, Virgilius, & Ovidius *e*. Resectionem unguium nusquam legi in funebri luctu usurpatam: in alio luctu & gravi calamitate, verbi gratia in naufragio, usurpari solitam, testes sunt Iuvenalis, Propertius, & Petronius Arbiter *f*. Et quid vetat, quemadmodum modo Sinenses ungues prolixos ingenuitatis nobilitatisque iudicium amant, ita & olim alios fuisse tales: qui proinde resectionem eorumdem unguium in funere carorum, tamquam extremi doloris indicium adhibere consueverint? Saltem constat, id eiusmodi puellis Gentilibus patrio & gentilitio ritu, priusquam ad Iudæorum mores & religionem transirent, in funere parentum hic permitti. De vestium mutatione nihil attinet dicere, cum omnium fere gentium mos semper fuerit, peculiares in funeribus vestes assumere. Sinenses *g*, &, ni fallor, etiam AEgyptii albati lugent hoc tempore, ut olim Romanæ matronæ. Sed aliis fere omnibus gentibus pullus color sive olim, sive modo magis in luctu placet.

Nota, præter circumcisionem maribus necessariam, & alias supradictas cæremonias, debuisse quoque tam feminas quam ma-

mares, quotquot e gentilitate in Iudæorum religionem transibant, baptizari, seu toto corpore ablui, & holocausti insuper victimam Deo offerre. Ita Rabbini a Serario citati *h*.

*V.* 23. MALEDICTUS A DEO. Hebraice est, *Maledictio Dei*, vel *maledictum*, est *suspensus* in patibulo; idque vel in cruce, vel in furca, vel ex trabe, aut quovis alio palo. Nam omne suspendii genus, etiam patibularis quæ fune fit strangulatio, non minus apud Iudæos, quam apud Romanos, extremæ erat infamiæ & probri, cunctis exosum & execrabile. Testes Seneca, Livius, Lactantius, Philo, Iosephus, & sancta Scriptura pluribus locis *i*. Vide Lipsium, & Gretserum *k* de cruce. Ratio infamiæ videtur fuisse, quod qui suspenditur in altum, quodammodo iudicetur indignus qui terram pedibus premat, aut sanguine suo contaminet, atque ita quasi toto mundo extruditur & eliminatur. Quare & Christus, ut maxime se abiiceret, vilissimumque mortis genus subiret, crucem delegit: unde & ab Apostolo *l* dicitur factus pro nobis *maledictum*, iuxta sensum huius loci.

(*a*) Cicero Lib. I. de Divinat. Plutarch. de Numinis vindicta. AElianus Lib. XIII.
(*b*) Sveton. in Caligula cap. v.
(*c*) Plutarch. in Problem. cap. XIII.
(*d*) Curtius Lib. X. in Alex. morte.
(*e*) Proper. Lib. I. Eleg. XVII. Seneca in Phædr. actu v. Virgilius AEneidos Lib. IX. Ovid. Lib. III. Metamor.
(*f*) Iuvenal. satyra XII. Petronius in Satyrico.
(*g*) Trigaut. in Hist. Sinensi.
(*h*) Serar. in cap. I. Ruth in fine.
(*i*) Seneca epistol. CI. Livius Lib. IV. Lactantius Lib. IV. cap. XXVI. Philo de Mundo, & de Specialibus legibus. Iosephus supra. Hic & Sap. vers. 20. & ad Galat. III. vers. 13.
(*k*) Lipsius Lib. III. de cruce cap. VII. Gretserus Lib. I. cap. IX.
(*l*) Ad Galat. III. vers. 13.

## GORDONI.

*Vers.* 2. HAEc dimensio adhibenda, quando non constabat de distantia: habebat res hæc inquisitionem suam, & fiebat adhibitis senioribus civitatum: qui totus loci & personarum apparatus designabat satis sceleris huius gravitatem.

*V.* 4. AD VALLEM ASPERAM. Heb. נחל *nachal*. Pagn. vertit *torrentem*; & τὸ *Atthan*, *fortem*, ac si dicas, asperam, montosam.

*V.* 11. ET VIDERIS, &c. Intellige hæc de muliere, quæ sequi parata erat religionem Iudaicam; alioqui prohibitum erat ducere alienigenam. Vide Exod. cap. XXXIV. vers. 16.

*V.* 12. CIRCUMCIDET UNGUES. Sept. *Faciet ungues*. Chald. *crescere faciet*, ne ornatus muliebris fallat impellendo ad matrimonium.

*V.* 15. GENUERINT. Aliqui *genuerit*. LXX. & Hebr. *pepererint*, plur. idem est sensus.

*V.* 17. DUPLICIA. Duas portiones. En legem primogeniti; & quam Iacob servavit in Ioseph, in quem transtulit primogeniturain relicto Rubeno.

*V.* 19. Hic ritus, atque hæc pœna est filii contumacis. Recte hic in porta civitatis, solebant ibi exerceri iudicia, & vocabatur hæc porta iudicialis II. Esd. III. vers. 30. & passim in Scripturis. Vide Ruth IV.

*V.* 22. APPENSUS FUERIT IN PATIBULO. Fuit ergo patibuli supplicium in usu apud Iudæos. Septuag. ξύλον, lignum pro patibulo est, immo & in Hebræo. Hanc mortem infamem dicebant antiqui, ἢ μὴ καθαρὸν θάνατον. Lipsius Lib. III. de cruce cap. IX. lege Ioseph. Lib. IV. Antiq. cap. VIII.

*V.* 23. NON PERMANEBIT, &c. Septuaginta, *Non indormiscet*. Ergo ante occasum solis sepeliendum cadaver. In Hebr. לא תלין *lo thelin*, non permanebit: in Hiphil radix לון *lun*. Quod vero factum aliter fuit de filiis Saul II. Reg. XXI. putatur fuisse ex Dei voluntate, ut inusitato ritu huius supplicii fieret satis Gabaonitis. At quomodo maledictus Deo, qui pendet in ligno? Certe quia turpissimum hoc supplicium, efficiebat infamiam, atque adeo hoc symbolo iudicabatur Deo execrabilis. Hic satis apparet, qua ratione Christus ad Galat. III. vers. 13. dicatur maledictum, sine ullo suo peccato, utpote habitus talis ex infami genere supplicii: maledictus, Septuaginta κεκατηραμένος, seu execrabilis. Christus etiam vocatur maledictum, qui maledictiones humani generis in se portandas suscepit.

CA-

# CAPUT XXII.

*Pietas in rem proximi exercenda: de veste alterius sexus, de invento nido; de circumdando tecto domus, de non commiscendis rebus diversi generis, de fimbriis, de signis virginitatis, de adulterio, de corrupta in urbe vel in agro, de uxore patris non ducenda.*

1. NOn (a) videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo, 2. etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiet. 3. Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit: si inveneris eam, ne negligas quasi alienam. 4. Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo. 5. Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. 6. Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum avis inveneris, & matrem pullis vel ovis desuper incubantem: non tenebis eam cum filiis: 7. sed abire patieris, captos tenens filios: ut bene sit tibi, & longo vivas tempore. 8. Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente. 9. Non seres vineam tuam altero semine: ne & sementis quam sevisti, & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur. 10. Non arabis in bove simul & asino. 11. Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est. 12. (b) Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos palii tui, * quo operieris. 13. Si duxerit vir uxorem, & postea odio habuerit eam, 14. quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, obiiciens ei nomen pessimum, & dixerit: Uxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inveni virginem: 15. tollent eam pater & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores urbis qui in porta sunt: 16. & dicet pater: Filiam meam dedi huic uxorem: quam quia odit, 17. imponit ei nomen pessimum, ut dicat: Non inveni filiam tuam virginem: & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis: 18. apprehendentque senes urbis illius virum, & verberabunt illum, 19. condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ: quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel: habebitque eam uxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ. 20. Quod si verum est quod obiicit, & non est in puella inventa virginitas: 21. eiicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur: quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui: & auferes malum de medio tui. 22. (c) Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est adulter, & adultera: & auferes malum de Israel. 23. Si puellam virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, 24. educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus

obruentur: puella, quia non clamavit, cum esset in civitate: vir, quia humiliavit uxorem proximi sui: & auferes malum de medio tui. 25. Sin autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus: 26. puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam eius, ita & puella perpessa est: 27. sola erat in agro: clamavit, & nullus affuit qui liberaret eam. 28. Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium venerit: 29. (*d*) dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. 30. Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum eius.

(*a*) Exod. XXIII. 4. (*b*) Num. XV. 38. (*c*) Levit. XX. 11. (*d*) Exod. XXII. 17.

## BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 12. *Quo operieris*. In aliis est præsens *operiris*: futurum respondet Hebræo.

## COMMENTARIA

### SA.

*Vers.* 2. PROPINQUUS, id est prope; quasi dicat: Etiamsi longe habitet. Chald. *Etsi non est prope*. LXX. *Si autem non appropinquet ad te*.

*V.* 6. TECTI: nam in Palæstina tecta plana.

*V.* 9. ALTERO SEMINE, id est diversis seminibus. SANCTIFICENTUR, id est *polluantur*, ut vertit Chald. quasi dicat: Pereant, dum alia impediunt. Antiphrasis est, ut *benedicere* pro *maledicere*.

*V.* 10. ET ASINO: scilicet quia impares sunt viribus. Clemens II. Strom. *Non communicabis*, inquit, *ex æquo culturam verbi mundo & immundo, fideli & infideli*.

*V.* 11. CONTEXTUM: scilicet displicet Deo confusio.

*V.* 12. FUNICULOS IN FIMBRIIS; quasi dicat, loco fimbriarum, vel fimbrias ex funiculis. Vide Num. XV. Hebr. *funiculos*, seu *fimbrias*. ANGULOS: scilicet ubi vestis ante, & retro scissa est. PALLII, id est vestis superioris.

*V.* 14. NOMEN PESSIMUM, id est aliquid unde infametur.

*V.* 17. VESTIMENTUM, scilicet sindonem, vel indusium, quo usa prima nocte, quoque exceptus sanguis. Chald. *sindonem*.

*V.* 21. MALUM, id est occasionem peccati, seu *malefacientem*, ut vertit Chald. sic & infra.

*V.* 26. LATRO. Hebr. Chald. & LXX. *vir*. ANIMAM, id est vitam.

*V.* 27. CLAMAVIT; id est, præsumendum est clamasse.

*V.* 28. RES AD IUDICIUM VENERIT. Hebr. Chald. & LXX. *Inventi fuerint*, id est deprehensi.

### ESTII.

*Vers.* 5. NON INDUETUR MULIER VESTE VIRILI, NEC VIR UTETUR VESTE FEMINEA. Ratio est, quia hac specie committi possent stupra, adulteria, incestus, &c. Et propterea additur: ABOMINABILIS ENIM APUD DEUM EST QUI FACIT HAEC. Ubi ergo nullum est huiusmodi periculum, & ratio aliqua occurrit faciendi, non est illicitum; ut est in actione comica, vel ad evadendum certum periculum. Legimus quoque de S. Theodora in Martyrologio II. Septembris, quod in habitu virili monachi, multos annos sancte vixerit

xerit in monasterio. Simile quid refertur de S. Marina. Sed hæc non sunt trahenda ad imitationem. Quædam enim sanctorum facta magis miranda nobis sunt, quam imitanda. Sane & apud Mexicanos in nova Hispania capitale erat hoc crimen.

*V.* 10. NON ARABIS IN BOVE SIMUL ET ASINO. Ratio litteralis est, quia vires eorum sunt inæquales. Nam bos fortior est asino, & patius facit grandiores, & proinde asinus supra vires gravaretur, si cum bove iungeretur ad trahendum aratrum. Sed bos cum bove, & asinus cum asino recte iunguntur. Parabolice autem significatur non exigenda paria onera, sive subsidia, ab hominibus virtute inæqualibus, qui proinde paria præstare non possunt. Gregorius in Moralibus ita moraliter exponit Lib. I. cap. XVI. *Non iunges bovem & asinum* ( ita enim legit ) *id est, fatuos sapientibus in prædicatione non socies, ne per eum qui implere rem non valet, illi qui prævalet, obsistas.*

*V.* 25. AD SENIORES URBIS QUI IN PORTA SUNT. Hieronymus super Zachar. VIII. *Quæritur*, inquit, *quare apud Iudæos in portis fuerit locus iudicandi?* & respondet: *Ne cogerentur agricolæ intrare urbes, & aliquod subire dispendium; ideo iudices in portis residebant, ut unusquisque confestim ad sedes proprias reverteretur.*

## MARIANAE.

*Vers.* I. ET PRAETERIBIS. Hebr. *Et abscondes te ab eis*; id est, finges te non videre bovem errantem.

*V.* 2. ETIAMSI NON EST PROPINQUUS. *Non est prope*, ut Chald. id est propinquus.

*V.* 3. NE NEGLIGAS. Hebr. *Ne occultes*, aut *abscondas te*.

*V.* 5. NON INDUETUR MULIER VESTE VIRILI. Hebr. *Non sint vasa viri super mulierem*. Per *vasa* Hieronymus vestem intellexit; Chald. *ornamentum*; alii, *arma*: *Ne gestet arma*.

*V.* 8. FACIES MURUM TECTI PER CIRCUITUM. Hebr. *Facies septum tecto tuo.* Domorum in culmine solaria erant: ne ergo inde quis caderet, feperi mandat lorica.

*V.* 9. PARITER SANCTIFICENTUR. Chald. per antiphrasim vertit, *Polluantur*, quomodo sacer dicitur profanus, benedicere sumitur pro maledicere. Melius vertas: *Ne pereat proventus seminis, & fructus vineæ*: quæ enim sanctificabantur, peribant Domino. In Palæstina propter æstum serebant in vineis frumenta: mandat ergo, ne misceant una plura genera, quoniam id noxium est terræ vel sua natura, vel quia contra præceptum Dei simplicitate gaudentis, versutos aversatur.

*V.* 11. QUOD EX LANA LINOQUE. Ea vestis Hebraice dicitur *Sahatnes*: inde fortasse *Sayagues*, quoniam ea veste in ea regione Hispaniæ utuntur.

*V.* 12. FUNICULOS. Hebraica vox *ghedilim*, *floccos* potius significat, qui in florum modum in extrema veste pendebant.

*V.* 14. QUAESIERITQUE OCCASIONES. Hebr. *Posuerit illi haliloth*, quæ vox significat *circuitus, ambages verborum*, quibus illi infamiam imponeret.

*V.* 18. ET VERBERABUNT ILLUM. Hebr. *Corripient illum*, Sept. sed correptio fieri potest per verbera: sic Pagn. *Flagellabunt* posuit, tum Chald.

*V.* 19. CENTUM SICLIS ARGENTI: sic Sept. & Chald. sed Hebraice, *centum argenti*, pro argenteis; sed argenteus fere sumitur pro siclo, ut de Ponderibus, & mensuris explicuimus. Similis forma loquendi vers. 29.

*V.* 30. NEC REVELABIT OPERIMENTUM. Hebr. *alam*; sed vestem, *alam* vocat, quia ut ala aves teguntur, sic veste homines: aut forte per *alam*, seu *operimentum* verenda intelligit, sicut Ruth III. vers. 9. ea vocat *pallium*. *Operimentum*, pro re operta, quod aliis locis vocat turpitudinem. OPERIMENTUM EIUS. Hebr. *alam patris sui*. Vocat vestem, aut turpitudinem mulieris *alam*, seu *operimentum* viri, quoniam ad eum pertinet, in eius iure id est.

## MALVENDAE.

*Vers.* I. ET PRAETERIBIS. Hebr. *Et occultabis te ab eis*; id est, dissimulabis te videre: non præteribis quasi illa non videris; quasi dicat: Nulla ratione subterfugies, quominus id præstes officii. Sic vers. 3. & 4.

*V.* 2. ETIAMSI NON EST PROPINQUUS

QUUS FRATER TUUS: ac proinde gravior tibi aut sumptus, aut labor futurus esset.

*V.* 5. NON INDUETUR MULIER VESTE VIRILI. Hebr. *Non erit vas virile super mulierem*. Quidam: *Mulier ne gerat arma virilia*. Putant prohiberi ne mulieres ad militiam cum viris proficiscantur, more orientalium, ne pudicitiæ periculum incurrant. Alii: *Ne esto instrumentum virile super feminam*. כלי *celi*, *supellectilem*, *utensilia*, *ornamenta* etiam complectitur. Loquitur hic de vasis, & instrumentis, &c. quæ alioqui sunt propria virorum. Nimirum ne mulier in veste, aut ornamentis virilibus, aut gladio succincta, ut Fulvia Antonii, &c. in publicum procedat. NEC VIR UTETUR VESTE FEMINEA: quod aut laiciviæ est, contra publicam honestatem, ut Sardanapalus, Caligula, Heliogabalus, &c. aut fraudis libidinosæ, ut Clodius.

*V.* 6. NIDUM AVIS INVENERIS. Hebr. *Cum vocabitur*, *clamabitur nidus passeris ad facies tuas*; id est, cum audieris pullos nidi vocantes, seu clamantes, vel pipantes. Plerique, *Cum occurret*, ex significatione vicini verbi קרה *karah*. PULLIS. אפרוחים *ephrochim*, proprie *germinatores*, *pullulatores*, *pulli avium*: sic dicti quod germinent, & pullulent, id est plumas & pennas producant; vel quod recens emergant, seu erumpant ex ovo, a פרח *parach*.

*V.* 8. FACIES MURUM. מעקה *maghakeh* exponunt *septum*, *sepimentum*, *ambitum*, *circumferentiam*, *claustrum*, *cancellos*, *loricam*, *loricationem*, id est τρίγχωμα, sive *peribolum*, ut Græci vocant, in solariis & planis ædificiorum tectis, ut sunt Palæstinæ tecta, necessarium. Hebræi notant id sepimentum debuisse esse decem minorum palmorum altitudinis, id est trium pedum cum dimidio. Italice vocant *pettorata*. LXX. verterunt *coronam*. Quidam ab ענק *ghanak* deducunt, unde *torquem* proprie poteris interpretari, quod in modum torquis tectum ambiret. Alii ab עקה *ghakah*, *angustia*, derivant, quod is peribolus adhiberetur ad auferendum angorem, & vertiginem iis qui in solario seu in tecto deambularent: nam inde prospectantes, si non esset illud septum, facile correpti vertigine prolaberentur. Plerique intelligunt imperatum id sepimentum, ne ambulantes in tecto inde deciderent. At Steuchus magis vult adiectum, ne cum primum ædificaretur domus, aliquid ex materia ædificii caderet, & aliquem interficeret. Quod Hebræa clarius indicare putat. Sed proculdubio prior sensus est verior: cum peribolus ille non temporarius dum domus ædificaretur, sed perpetuus esset futurus; & causa integra & manens, ne ambulantes in tecto laberentur: & Hebræa illum plane reddunt. NE EFFUNDATUR SANGUIS IN DOMO TUA, ET SIS REUS. Hebr. *Et non pones sanguines in domo tua*. Quidam: *Ne sis causa*, vel *occasio necis in domo tua*, si corruerit aliquis de tecto tuo. Alii: *Ut non imponas reatum sanguinis domui tuæ*.

*V.* 9. NON SERES VINEAM TUAM ALTERO SEMINE. Aut verbum serendi hic late positum pro *plantare*, aut *inserere*; ut vetet vineam non esse plantandam aut inserendam ex vitibus, seu arboribus diversorum generum: aut in Palæstina ob terræ teporem vineæ in intervallis quæ sunt inter vites, seminabantur vel tritico, vel hordeo, aut siligine, seu avena. Nolebat Dominus duas, diversasque seminum species in illis seri: aut hic *vinea* late pro agro ponitur: nam pro eo quod hic habetur, Levit. XIX. vers. 19. dicitur: *Agrum tuum non seminabis diversemixtiuram*. ET SEMENTIS QUAM SEVISTI. Hebr. *Impletio*, *plenitudo*, *semen*, vel *seminis quod seminasti*. Plenitudinem seminis intelligunt fructus maturos, & abundantes: ut Numer. XVIII. vers. 27. & Exod. XXIII. vers. 29. NE ET SEMENTIS QUAM SEVISTI, ET QUAE NASCUNTUR EX VINEA, PARITER SANCTIFICENTUR. Quidam exponunt: Id est, ne tibi & cuivis qui non est sacri ordinis, usu eorum interdicatur, tamquam rerum sacrarum usu; vel ne forte prohibeantur tibi sicut sancta. Nonnulli per antiphrasim reddunt: *Nequando polluatur*, *contaminetur plenitudo*, *semen quod seminasti*, & *fructus vineæ*; quia quod immundum & pollutum est, dum tangi, aut eo uti prohibetur, eo redit ut esse sanctum, separatum, segregatum a communi usu videatur. Explicantque: Nequando corrumpatur, perdatur, destruatur fructus ex diversis seminibus, & cum eo fructus etiam.

iam vineæ. Ut *sacrare*, & *sacrum* Latinis contrarias significationes habent; sic etiam Hebræis *sanctificare*.

*V.* 10. NON ARABIS IN BOVE SIMUL ET ASINO. Quidam exponunt, quia vires non sunt æquales. Alii: Non arabis cum animalibus diversarum specierum, quorum unum sit mundum, alterum immundum. Synecdoche: per bovem & asinum intelligit quævis animalia diversarum specierum.

*V.* 11. NON INDUERIS VESTIMENTO, QUOD EX LANA LINOQUE CONTEXTUM EST. Hebr. *Non indues* שעטנז *schagatnez*, *lanæ & linorum pariter*. Quidam *schagatnez* exponunt *diversæ speciei pannum*. Alii, *pannum mixtum*. Aliqui, *texturam*, seu *contexturam*. Nonnulli, *vestimentum varie commixtum*. Nec desunt, qui *tabinum*. Vide Levit. XIX. 19.

*V.* 12. FUNICULOS. גדילים *gedilim* aiunt esse *facturam funiculatam*, quæ constabat ex multis funiculis maioribus, & quantitate cetera fila excedebat. Varie hic reddunt: *Fimbrias*, *fimbriolas crassiores*, *funiculos intricatos*, *& intortos*, *atque in modum catenarum concinnatos*; *appendices*, *phylacteria magna*, *fila magna* in panno texto residua, indeque dependentia; *fila dependentia ex texturis*; *fascias*, *institas*, *oras*, *limbos*. Hispanicus Interpres, *peçuelos*. Consentiente voce Hebraica nonnulli putant esse quas Hispani vocant *ghedellas*, aut *guedeias*, nempe *filamenta*. Quod hic Moses dixit *ghedilim*, Numer. XV. vers. 38. appellavit ציצת *tzizit*: vide ibi enucleatam hanc vocem, & totum etiam hunc versum.

*V.* 14. QUAESIERITQUE OCCASIONES QUIBUS DIMITTAT EAM. Varie hunc locum ex Hebr. convertunt. I. *Et imposuerit ei occasiones verborum*; id est, effecerit ut alii male loquantur de ea; vel fuerit causa ut male audiat. II. *Et imposuerit ei causationes verborum*. III. *Et posuerit ei adinvetiones verborum*. IV. *Obtruseritque ei technas verborum*. V. *Et imposuerit ei revolutiones*, *involutiones*, seu *attrectationes verborum*: nimirum quod cum alio se revolverit, atque alius eam attrectaverit. *Verborum* dixit, non rerum, quoniam revera non fuit ab alio contrectata. VI. *Ideoque dedit occasiones habendorum sermonum de ea*. VII. *Et posuerit ei commenta*, *machinationes verborum*. VIII. *Et posuerit ei actiones verborum*; id est, actiones eius accusaverit. IX. *Et ponet ei illusiones*, *ludicra verborum*. X. Hispanicus Interpres recte: *Y le pusiere achaques de cosas*; id est, imposuerit ei prætextus turpium rerum. XI. *Et ponet ei circuitus*, seu *ambages verborum*, quibus illi infamiam creet. Notant, עלילות *ghaliloth*, quod Noster vertit *occasiones*, generaliter esse *consilia*, *adinventiones*, *conatus*, *studia*, *molimina*, *facinora*, *actiones*, *commenta*, *verba & opera sive bona sive mala*, *secundum cordis boni*, *vel mali*, *unde ascendunt*, *qualitatem*: ut cognationem habeat cum verbo עלה *ghalah*, *ascendit*: proprie *ludicra*, *illusiones*, *ludificationes*, *pueritias*, *puerilitates*, *infantilitates*. Hispanice, *ninnerias*, *rapazcrias*. *Verba* hic pro rebus & factis, more Hebraico, accipi possunt. Vide infra vers. 17.

*V.* 15. ET FERENT SECUM SIGNA VIRGINITATIS EIUS. Hebr. *Et educent virginitates puellæ*. Quidam hic *virginitates* intelligunt testimonia matronarum, seu obstetricum, quæ virginem primum antequam congrederetur marito secreto inspexerant, & scripto quod parentes puellæ asservarent, obsignarant. Alii, pannum, seu indusium, aut camisiam, aut linteum, seu sindonem, ubi concubuit vir cum uxore primum, infectum & maculosum sanguine rupti hymenis, seu nymphæ, signa & indicia virginitatis, quæ parentes servare solebant. Vide de his Franciscum Vallesium Medicum regium in Sacra Philosophia cap. XXV. Quidam *Indusium antenuptiale* vocant. Atque hæc expositio firmatur e vers. 17. infra.

*V.* 18. ET VERBERABUNT ILLUM. Hebr. *& corrigent*, *corripient*, *castigabunt eum*: quidam interpretantur, voce, seu reprehensione, & multa, e sequenti versu. Alii verberationem, seu flagellationem adhibitam intelligunt, ut Noster & plerique alii. Verbum יסר *iasar*, quamvis etiam dicatur de verbali castigatione; at magis proprie & frequentius dicitur de reali disciplina. Ad verbum: *Et disciplinabunt eum*.

*V.* 19. CENTUM SICLIS ARGENTI; id est, quadringentis nummis argenteis, seu drachmis Hispanicis, seu 400. regalibus Castellanis. Hispanicus interpres: *En cien pesos de plata*. Hoc nostro tempore,

re, *un peso*, seu unum pondus ordinarium & vulgare valet octo regalia; at *peso ensayado*, id est argenti puri puti, tredecim: erunt igitur centum sicli, septingentæ drachmæ Castellanæ. Sic analogice infra vers. 15. QUOS DABIT, scilicet vir, PATRI PUELLAE. Hebr. *Quos dabunt*, nempe iudices, vel senes, *patri puellæ*: quod nimirum domum suam crimine & infamia tanti flagitii asperserit. ET NON POTERIT DIMITTERE EAM: quam rem in animo habuisse, hoc suo sermone visus est.

*V.* 24. UXOREM PROXIMI SUI; licet desponsatam tantum: iam enim uxor eius est iure pacta, ut Gen. XXIX. 21.

*V.* 26. PUELLA NIHIL PATIETUR, NEC EST REA MORTIS. Hebr. *Et excussæ puellæ non facies aliquid, quidquam: non puellæ peccatum mortis*, id est capitale: non admisit facinus dignum morte. ET OCCIDIT ANIMAM EIUS. Hebr. *Et occidit eum anima*. Quidam: *Et interficit eum ictu animæ*: scilicet ictu quo anima separatur a corpore, ictu lethali. Alii: *Et occidens*, adimit *ei animam*, vel *vitam*. Sic supra cap. XIX. vers. 6.

*V.* 28. SI INVENERIT VIR PUELLAM. Exponunt, vir puta agamus, sive inconiugatus, ut antecedentium demonstrat comparatio: nam de coniugatis, seu maritatis hactenus actum est. ET APPREHENDENS CONCUBUERIT CUM ILLA. Intelligunt, non quidem pelliciens eam sponsione & spe coniugii, cuius speciei lex fertur Exod. XXII. vers. 16. & 17. sed imprudentem citra sponsionem, ioco, vino, aut actu circumveniens, aut comprimens, alioqui sine consensu & conventione ipsius: nam hoc significatur Hebræo capiendi, seu prehendendi verbo. Quamobrem illic sola dos, hic præter dotem multa indicitur. ET RES AD IUDICIUM VENERIT. Hebr. *Et inventi fuerint*, nimirum committere, vel commisisse, ut supra vers. 20. & 22.

*V.* 29. DABIT QUI DORMIVIT CUM EA. Explicant: Id est, maioris cautionis ergo præter iussam dotem numerabit parentibus puellæ præsentem multam, patriæ auctoritatis, pudicitiæque violatæ nomine. QUINQUAGINTA SICLOS ARGENTI, id est ducentas drachmas Hispanicas, seu Castellanas. Vide supra vers. 19. ET HABEBIT EAM UXOREM. Intelligunt, puta nisi pater renuerit: tum enim multam quidem tenetur pendere, sed propter auctoritatem patriam ab ea ducenda liberatur, ex analogia legis Exodi XXII. vers. 17. QUIA HUMILIAVIT ILLAM. Hebr. *Sub quo*, *eo quod afflixit*, *compressit eam*; id est, sine conventionali sponsione, & data fide coniugii, ea abusus est. Hoc Scriptura Sacra exprimit affligendi verbo.

*V.* 30. NON ACCIPIET HOMO UXOREM PATRIS SUI. Vide Levit. XIX. vers. 3. cultum & venerationem, quem erga parentes homo exercere debet: vide quoque hanc legem Levit. X. vers. 8. NEC REVELABIT OPERIMENTUM EIUS. Hebr. *Et non discooperiet alam*, vel *oram patris sui*: vel *neque revelet angulum vestis patris sui*; id est operimentum quo turpitudo patris tegebatur. כנף *canaph* aiunt significare *eam partem vestis quæ extrema est*, & *terram contingit*. Id est, ne detegat turpitudinem patris sui, nempe verenda uxoris eius, vel oram uxoris patris suis: scilicet ne rem habeat cum noverca sua. Vide Levit. XVIII. vers. 8. & infra cap. XXVII. vers. 20. Aut ne rem habeat cum ea, quam pater suus ala sua cooperuit, & obnupsit.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. BOVEM FRATRIS TUI. Sub bove intellige equum, mulum, & alia animalia: par enim omnium est ratio. ET PRAETERIBIS: negliges, quasi non videris.

*V.* 2. ETIAMSI NON SIT PROPINQUUS: immo vero etiamsi sit inimicus, ut diserte habetur Exod. XXIII. 4.

*V.* 5. NON INDUETUR MULIER VESTE VIRILI, NEC VIR UTETUR VESTE FEMINEA. Ratio est, quia dedecet, & contra dignitatem est virilis sexus, si vestem muliebrem assumat. Adde, quod hæc vestitus mutatio multis nequitiis viam aperiret.

*V.* 6. NIDUM AVIS INVENERIS, &c. Ratio huius legis fuit, ut per eam inducerentur Iudæi ad pietatem, & misericordiam etiam in bestias exercendam, *quo facilius*, ait Tertullianus Lib. II. contra Marcion. XVII. *in pecudibus*, & *bestiis* præ-

*præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur*. UT BENE SIT TIBI, &c. provocans in te vicissim divinam benignitatem & misericordiam.

*V.* 8. FACIES MURUM TECTI PER CIRCUITUM. Tecta domorum apud Iudæos fiebant plana, ut in ipsis ambulare, & versari liceret. Iubet ergo, ut septo & peribolo claudatur ea area quæ in tecto est, ne quis lapsu de tecto revolvatur.

*V.* 9. SANCTIFICENTUR: est antiphrasis, polluantur, non tam legali contaminatione quam physica, corrumpendo, & perdendo utrumque, dum nimia densitate sibi mutuo officiunt.

*V.* 10. IN BOVE SIMUL ET ASINO. Ratio est, quia eorum vires sunt inæquales, itaque asinus associatus bovi plus æquo gravaretur; & quia totum onus in eum recumberet aratri, propter humilitatem corporis ipsius.

*V.* 11. VESTIMENTO QUOD EX LANA LINOQUE, &c. Vide Levit. xix. 19.

*V.* 19. FUNICULOS IN FIMBRIIS, &c. Vide dicta Numerorum xv. 38.

*V.* 14. OBIICIENS EI NOMEN PESSIMUM. Quod vitium sibi afferri sit passa. NON INVENI EAM VIRGINEM; cum tamen se pro tali venditasset.

*V.* 17. SIGNA VIRGINITATIS, linteum sanguine tinctum, quem ex primo congressu cum virgine ab illa profluere aiunt medici.

*V.* 18. VERBERABUNT ILLUM. De more Iudæorum, scilicet inflictis quadraginta, uno minus, flagellorum ictibus, vide infra cap. xxv. 3.

*V.* 19. ET NON POTERIT DIMITTERE EAM: si ipsa in coniugio perseverare voluerit, ut ait Philo.

*V.* 22. SI DORMIERIT VIR CUM UXORE ALTERIUS, &c. Vide Levit. xx. 10.

*V.* 23. SI PUELLAM VIRGINEM DESPONDERIT VIR. De desponsata de futuro intelligenda est hæc lex, ut a præcedenti sit diversa; vel certe de præsenti, sed necdum cognita.

*V.* 24. QUIA NON CLAMAVIT, &c. ex illo enim clamoris neglectu consensisse præsumitur. UXOREM, mox futuram.

*V.* 26. PUELLA NIHIL PATIETUR, &c. Ex loci enim circumstantia præsumitur non consensisse, sed vim passam esse.

*V.* 27. CLAMAVIT. Præsumitur clamasse, vel certe a clamore cessasse, quod nullum auxilium speraret.

*V.* 28. APPREHENDENS, *vim inferens*, ut habent LXX. Est casus diversus ab illo qui habetur Exodi XXII. 16. ibi enim agitur de concubitu non vi extorto, sed fraude, blanditiis, promissis matrimonii, impetrato. RES AD IUDICIUM VENERIT, delata a parente; vel curatore, seu eo cuius interest.

*V.* 29 QUINQUAGINTA SICLOS, ob iniuriam in ipsum violenta filiæ defloratione admissam. ET HABEBIT EAM UXOREM. Philo Lib. de specialibus Legibus addit, a constupratore dotem puellæ constituendam: quod ex alio casu simili Exod. XXII. 16. fit verisimile.

*V.* 30 UXOREM PATRIS SUI: Eamdem legem habes Levit. XX. 11.

## TIRINI.

*Vers.* 5. NON INDUETUR MULIER VESTE VIRILI, neque contra: tum ut nequitiis ansa præcidatur; tum ut decentiæ consulatur: nam, teste Philone *a*, ut insigne dedecus est masculo sexui, seu habitu capitis, seu vestitu, seu molli fractoque incessu, seu aliis effeminatis moribus ad femineum quasi sexum se abiicere: ita dedecet etiam femineum sexum, si plus æquo virilis appareat. Vide de his etiam Senecam, Clementem Alexandrinum, & Salvianum *b*. Et hoc nomine pessime audierunt Sardanapalus apud Diodorum Siculum, Caius Caligula apud Svetonium, Dinocrates Messenius apud Volaterranum, Clisthenes, & alii apud alios. Excipe tamen casum necessitatis, vel alias similes iustas & graves causas; verbi gratia in Ioanna quæ virili habitu, & armata Anglos Gallia expulit. Sic Theodora *c* virgo Antiochena, & altera Corinthiaca *d* lupanar veste virili evaserunt: Eugenia, Euphrosyna, Apollinaris, Pelagia, Antonina, Theodora, Athanasia, Susanna, Anastasia Patricia, Poppula *e*, Iachelina *f*, Hildegundis *g*, quæ instinctu Spiritus sancti virginitatis tutandæ causa se claustris cœnobiorum virili habitu incluserunt, quod deessent tunc mulierum cœnobia in quibus occultari possent. Quo dese-

defectu iam cessante, facinus istiusmodi probrosum prorsus & illicitum est.

*V.* 8. FACIES MURUM TECTI PER CIRCUITUM. LXX. *Facies coronam solario tuo*. Omnis enim limbus prominens, in Scripturis *corona* vocatur, etsi non rotundæ, sed quadratæ, vel alterius figuræ sit.

Nota, solitos Iudæos, & reliquos Orientales tecta domorum suarum non supina ad morem nostratem erigere, sed fere plana constituere, in iisque solaria ad deambulandum, & auram captandam habere. Quocirca ne quis inambulans per imprudentiam e sublimi loco decideret, iubentur hic addere circumcirca *peribolum septum*, quo lapsus impediretur, quod noster hic Interpres vocat *murum tecti*. Vide IV. Reg. I. vers. 2.

*V.* 9. NE SANCTIFICENTUR; hoc est, *ne polluantur*, ut vertit Chaldæus: utrumque enim contrariorum significat Hebræum קדש *cadasch*. *Polluere* autem significat contaminare non solum contaminatione legali, sed etiam physica, quod est *corrumpere*, & *perdere*. Sic Latine quoque sicut *sanctum*, & *sacrum* sumitur subinde antiphrastice pro re detestanda, & perdita: potest etiam, & solet *sanctificari*, & *sacrari* simili modo usurpari pro *perdi*, & *inutile reddi*, a quo perinde abstineatur propter physicam corruptionem, atque abstinetur a re Deo consecrata propter moralem ab usu profano separationem. Sensus ergo est, cavete ne vites & fruges in uno eodemque fundo mixtim conseratis, ne utrumque tam racemi, quam sementis pereant, seu naturaliter, dum unum alterum impedit & suffocat, aut etiam succo terræ exhausto interimit; seu divinitus, Deo vos propter vestram avaritiam & legis huius transgressionem puniente: ita Iosephus *h*.

*V.* 15. SIGNA VIRGINITATIS. Quænam hæc sint, explicatur vers. 17. nempe vestimenta, vel linteamina, in quibus concubuerunt novi coniuges, tincta sanguine rupti hymenis, seu uteri virginalis. De quo vide Franciscum Valesium *i*. Quo solo signo voluit Deus falsitatis convinci maritum, pudicitiæ coniugis ante nuptias perditæ iniustum accusatorem. Secundo iubet eumdem verberari, nempe more Iudæorum, inflictis quadraginta uno minus flagellorum ictibus: ut explicat Iosephus. Tertio pro mulcta pendere socero suo centum siclos argenti, seu florenos Belgicos *k*. Quarto vult eum vel invitum uxorem illam retinere in coniugio: uxori tamen eo casu liberum erat vel recedere, vel remanere, inquit Philo *l*.

(*a*) Philo Lib. de Fortitudine, & de Spec. legib.
(*b*) Seneca controvers. I. Clem. Pædagog. Lib. III. cap. III. Salv. Lib. VII. de Vero iudicio, & providentia Dei.
(*c*) Ambr. Lib. II. de Virginibus.
(*d*) Palladius in Lausiaca hist. cap. cxlix.
(*e*) Apud Gregor. Turonens.
(*f*) Apud Thom. de Cantiprato in Lib. Apum.
(*g*) Raderus in Viridario SS. P. I.
(*h*) Ioseph. sup.
(*i*) Valesf. de sacra Philosophia cap. xxv.
(*k*) Proleg. de Ponderibus.
(*l*) Philo de Specialib. legibus.

## GORDONI.

*Vers.* 2. ETIAMSI NON EST PROPINQUUS, &c. His adde quod etiam erga inimicos agendum præscribitur Exod. XXIII. vers. 4.

*V.* 5. NON INDUETUR MULIER VESTE VIRILI, NEC VIR UTETUR VESTE MULIEBRI. Qui sic vestem sine iusta causa mutat, modestiæ & pudicitiæ hostis haberi solet, ut Caligula, Sardanapalus, & alii.

*V.* 6. SI AMBULANS PER VIAM... NIDUM AVIS INVENERIS, &c. Hic sensus litteralis de vitanda hac crudelitate in bestias, docet etiam mystice alendam esse inter homines mansuetudinem.

*V.* 8. Domus in Palæstina habebant tecta plana, in quibus ambulabant. Peribolo sepienda erant. Septuaginta vocant στεφάνην, *coronam*.

*V.* 9. NON SERES; hoc est, noli serere inter vites, duas species seminis; verbi gratia hordeum & avenam: ne, inquit, uvæ & segetes pariter sanctificentur, hoc est polluantur, aut corrumpantur. Sic voluit Deus, ut supra Levit. XIX. Inter eas voces quæ contrariam admittunt significationem, est קדש *kadasch*, *sanctificavit*. Item *benedicere*, est *destruere*, vel *corrumpere* hic.

*V.* 10. Bos, & asinus inæqualiter gravarentur. Adde, bovem esse mundum animal, asinum immundum.

*V.* 11. Idem habetur de veste variegata Levit. cap. XIX. vers. 19.

*V.* 12.

*V.* 12. De fimbriis vide Num. cap. xv. Funiculi sunt crassiora fila contorta, applicata fimbriis per quatuor oras.

*V.* 15. ET FERENT SIGNA VIRGINITATIS, &c. Hoc signum virginitatis putatur esse velum lineum illud usitatum tunc, ut exciperet virginis cruorem, quem effundi in primo concubitu scribit Valesius, de sacra Philosophia, cap. xxv.

*V.* 21. LAPIDIBUS OBRUENT. Sermo est de ea quæ corrupta ab alio est post sponsalia: alioqui non puniebatur, Exod. xxii. vers. 16. & hic vers. 25.

*V.* 24. & 25. EDUCES UTRUMQUE AD PORTAM CIVITATIS, &c. Uxorem proximi vocat, quia sponsa est, & promisit futurum coniugium. Illa vero in agro reperta, censetur ex solitudine loci non consensisse, sed per vim compressa hinc vers. 27. præsumitur clamasse.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 18. VERBERABUNT, solito more Iudæorum per quadragenam uno minus. Vide II. Corinth. xi.

*V.* 19. NON POTERIT DIMITTERE. Hoc limitat Philo, si illa voluerit manere in coniugio.

*V.* 23. SI PUELLAM, &c. Hoc aliqui intelligunt de desponsata, nondum consummato matrimonio.

*V.* 28. APPREHENDENS, vim inferens. Est simile aliquid Exod. xxii. 16. sed ibi de compressa blanditiis, hic per vim.

*V.* 30. Eadem lex est Levit. xx. 11.

# CAPUT XXIII.

*De his qui ab ecclesia Dei arcendi sunt vel admittendi: Idumæus & Ægyptius non sunt abiiciendi: de pollutione nocturna, & de loco ad necessaria naturæ deputando: de servo fugitivo, de mercede prostibuli: fugienda usura erga fratres, de voto, de vinea & segete proximi.*

1. NOn intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, ecclesiam Domini. 2. Non ingredietur mamzer, hoc est de scorto natus, in ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem. 3. (*a*) Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini, in æternum: 4. quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via quando egressi estis de AEgypto: & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, ut malediceret tibi: 5. & noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem eius in benedictionem tuam, eo quod diligeret te. 6. Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum. 7. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est: nec AEgyptium, quia advena fuisti in terra eius. 8. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in ecclesiam Domini. 9. Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. 10. Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, 11. & non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua: & post solis occasum regredietur in castra. 12. Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, 13. gerens paxillum in balteo: cumque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo ope-

ries 14. quo relevatus es ( Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, & tradat tibi inimicos tuos ) & sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. 15. Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit: 16. habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in una urbium tuarum requiescet: ne contristes eum. 17. Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. 18. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis, in domo Domini Dei tui, * quidquid illud est quod voveris: quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum. 19. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem: 20. sed alieno. Fratri autem tuo absque usura, id quo indiget, commodabis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris possidendam. 21. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. 22. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. 23. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es. 24. Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas tecum. 25. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres: falce autem non metes.

(a) Neh. XIII. 2. Num. XXII. 5.

## BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 18. *Quidquid illud est quod voveris*. Servanda est secunda persona singularis *voveris*: reiicienda tertia pluralis *voverint*.

## COMMENTARIA

### SA.

*Vers.* 1. ECCLESIAM, id est congregationem, scilicet ducta uxore: inepti enim ad generandum.

*V.* 2. AD DECIMAM. Hebr. *etiam in decima*; quasi dicat: Nullus umquam ex illis ducet Israelitidem; vel quasi dicat, non nisi post decimam generationem: quem sensum videtur secutus noster Interpres.

*V.* 3. INTRABUNT, scilicet ducendo Israelitidem; feminæ tamen poterant nubere, ut Ruth.

*V.* 4. MESOPOTAMIA SYRIAE: sic etiam LXX. at Hebr. *de Pethor Syriæ fluviorum*, scilicet Mesopotamiæ. Chald. *de Pethor Syriæ, quæ iuxta Euphratem*.

*V.* 11. AQUA, scilicet expiatoria ad id præparata.

*V.* 15. DOMINO, scilicet Gentili. CONFUGERIT: scilicet ut fiat proselytus, Aug. quæst. XXXV. in Deuter.

*V.* 18. PROSTIBULI. Hebr. Chald. & LXX. *meretricis*. CANIS, scilicet venditi, vel permutati: est enim animal palam lasciviens. QUIDQUID ILLUD, &c. quasi dicat, in quocumque voto.

*V.* 20. ALIENO. Apparet id Iudæis licuisse, scilicet ad punitionem Gentilium; quidam tamen negant fuisse licitum, sed permissum solum.

*V.* 24. INGRESSUS, scilicet ad vindemiandum mercede conductus.

*V.* 25. INTRAVERIS, scilicet mercede conductus ad metendum.

### ESTII.

*Vers.* 1. NON INTRABIT EUNUCHUS..... ECCLESIAM DO-

DOMINI. D. Thomas I. II. quæst. cv. art. III. ad I. & II. ecclesiam interpretatur collegium populi: nempe quod constat civibus, quos proprie intelligit, qui possunt agere ea quæ sunt civium; ut dare consilium, vel iudicium in populo; quales, inquit, non sunt viles personæ, item pueri, mulieres, licet generali nomine sunt cives. Et addit: *Poterat tamen dispensative in collegium populi admitti propter aliquem virtutis actum; sicut Iudith* XIV. *dicitur quod Achior dux filiorum Ammon appositus est ad populum Israel, & omnis successio generis eius*. Sic ille. Sed non est necesse recurrere ad huiusmodi dispensationem, si per ecclesiam intelligamus populi senatum, quia non dicitur in Libro Iudith, quod Achior in senatum seu concilium populi assumptus sit, sed tantum quod appositus est ad populum Israel. Et confirmatur hæc expositio ex Lib. Eccles. XXXVIII. ubi de mechanicis artificibus dicitur: *Et non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in ecclesiam non transilient. Super sellam iudicis non sedebunt, & testimonium iudicii non intelligent*.

*V*. 6. NON FACIES CUM EIS PACEM, NEC QUAERAS EIS BONA CUNCTIS DIEBUS VITAE TUAE IN SEMPITERNUM. Hoc populo præcipitur, non privato cuiquam. Debebat enim populus Dei obsistere felicitati ipsius populi temporali, qui tam hostiliter iis adversatus fuerat; tum quia ad rem publicam spectat publicas iniurias vindicare; tum quia Deus supremus iudex ita præcipiebat. Et tamen iuxta quod supra dictum est ad illud, *Diliges proximum sicut teipsum*, de omni homine illud intelligi; simul debebant Israelitæ Ammonitas & Moabitas diligere: nempe animum præparatum habere, iis tamquam hominibus eiusdem naturæ, & capacibus eiusdem beatitudinis, loco & tempore opportuno dilectionem huiusmodi ostendere.

*V*. 19. & 20. NON FENERABIS FRATRI TUO AD USURAM...SED ALIENO. FRATRI AUTEM TUO ABSQUE USURA, ID QUO INDIGET COMMODABIS. Hic aliquid prohibetur, aliquid permittitur, & aliquid præcipitur. Prohibetur usura erga fratres, eadem erga alienos permittitur. Præcipitur autem mutuato gratuita erga fratres necessitatem patientes, sicut & supra cap. XV. quo loco expressum habes præceptum de dando mutuo fratri indigenti, etiam, ut apparet, sub peccato mortali. Nam vocat impiam cogitationem, quæ a mutuo revocat, contemplatione septimi anni remissionis. Vide ibi plenius.

## MARIANAE.

*Vers*. 2. MAMZER, id est spurius; sive DE SCORTO NATUS, ut posuit Hieron. sic Ioan. Damascenus ab adversariis vocabatur *Mamzur*. USQUE AD DECIMAM GENERATIONEM. Hebr. *Etiam decima generatione non ingredietur sibi* ( id est ipse ) *in ecclesiam Domini*. Et videtur post decimam generationem concedi, quando de Ammonitis, & Moabitis, quos perpetuo excludit proximo versu, addit, *Non intrabunt in æternum*.

*V*. 4. QUIA NOLUERUNT VOBIS OCCURRERE CUM PANE ET AQUA. Sed cap. II. dicitur vendidisse alimenta. Responsio: Initio noluerunt, postea dederunt. BALAAM FILIUM BEOR DE MESOPOTAMIA SYRIAE. Hebr. *Filium Beor de Pethor Aram fluviorum*. Numer. XXII. vers. 4. Ubi Hieronymus *Pethora* vertit *ariolum*, hic omisit *Pethor*; sed videtur potius esse nomen loci in Mesopotamia: ea enim est *Aram fluviorum*. Ita Chald. hic dixit, *De Pethor Syriæ, quæ est iuxta Euphratem*.

*V*. 9. NON FACIES CUM EIS PACEM. Hebr. *Non inquires pacem eorum*. Superius dixit, ut hostibus ante conflictum voce præconis pacem denuntiaret. Id cum his gentibus non fore opus ait, cum quibus bellum perpetuum futurum erat.

*V*. 10. TERTIA GENERATIONE. Hoc referunt ad AEgyptios: nam Idumæi continuo intrabant in ecclesiam. Porro *ecclesia* hic est vel atrium templi, in quod soli Iudæi intrabant, aut honores & magistratus gentis, a quibus externi excludebantur.

*V*. 12. HABEBIS LOCUM, latrinas scilicet. Hebr. *Et manus erit*; sed *manus* pro loco sumitur: quia ut manu ad omnia utimur, sic locus ille communis erat.

*V*. 13. GERENS PAXILLUM IN BALTEO: sic Sept. *in zona tua*. Hebr. *Clavus erit tibi cum armis tuis*. Chald. *arma*

*ma* dixit, atque id sentiunt Hebræi; sed significatio vocis *azen* non est perspicua. Rabbi Selomo credit significare *ligonem*; sicque explicat: *Paxillus erit tibi pro ligone*. על *bal*, id est *pro*.

*V.* 14. QUO RELEVATUS ES. Hebr. *Operies excrementum tuum*.

*V.* 15. NON TRADES SERVUM DOMINO SUO. Videtur loqui de iis qui serviebant aliis gentibus, & confugiebant in terram Israel.

*V.* 16. NE CONTRISTES EUM; id est, opprimas nova servitute.

*V.* 17. NEC SCORTATOR. Hebr. *cinædus*, seu *scortum masculum*: non vult esse eam turpitudinem.

*V.* 18. QUIDQUID ILLUD EST QUOD VOVERIS. Votum solvi non vult neque ex mercede prostibuli, neque ex venditi canis pretio: sed quare posterius hoc pretium non vult, non satis constat.

*V.* 20. FRATRI AUTEM TUO ABSQUE USURA, ID QUO INDIGET, COMMODABIS. Hebr. *Et fratri tuo non fenerabis*. Alia Hieronymus posuit de suo. Ex hoc loco Iudæi putant sibi licere cum externis usuras.

*V.* 24. & 25. INGRESSUS VINEAM, &c. Hos duos versus intelligunt Hebræi non de omnibus promiscue, ut liceat ad satietatem comedere; sed de operariis, qui in vinea aut segete operantur mercede conducti.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. EUNUCHUS, ATTRITIS VEL AMPUTATIS TESTICULIS, &c. Paraphrasis est Hebræa: nos verbatim reddimus (*Non veniet vulneratus contusione, & exscissus fusorio in congregatione IHUH*.) Alii varie. 1. *fractus attritione*, seu *contritione*; 2. *fractus contritus*, vel *fractus contritione*, seu *contritus fractione*; 3. *laceratus contusione*; id est, contritus testiculis; 4. *vulneratus*, seu *laceratus attriti*, vel *attrito*, subaudi testiculo; 5. *vulneratus teste*. 6. *qui contusione fractos testiculos habet*; 7. *qui laceratis est testiculis attritus*. Hebr. nulla expressio testiculi, aut testiculorum: sed omnes eum hic intelligunt, qui vulneratos, saucios, læsos, laceratos, vel fractos, attritos, contusos habet testes. Hispanicus Interpres, *El quebrado de quebrandura*. Ita Hispanice vocamus herniosum, cum fracto, seu rupto peritonæo, intestina in scrotum illabuntur. ET ABSCISSO VERETRO. שפכה *schaphecbah*, plures hic *testiculum* interpretantur: *Et abscisus, exectus, succisus, exscissus testiculo*: & hoc versu duo genera spadonum explicari: alterum, quod fractos, contusos, seu læsos testiculos habet; alterum, quod penitus exsectos & abscissos. Sed plerique *schaphecbah*, *virilia*, *virilitatem*, *membrum virile*, *nervum*, *veretrum*, *penem*, *virgam*, *mentulam* exponunt, quam venerande & honeste sic appellarit Moses, quasi *fusorium* dicas, quod membro virili effundatur urina, & semen genitale. Tertium genus spadonum, quibus exscisum est veretrum. Quidam reddunt: *Et succisus effusione*; id est, qui non valet effundere urinam, & semen ex membro virili. Hos autem excludi ab ecclesia Dei quidam annotant, quod eiusmodi homines ignavi, & fracto animo esse fere soleant, contra quam mandatur supra cap. 1. vers. 17. Ego existimo, propter eorum pravitatem, nequitiam, libidinem, crudelitatem, quibus omnibus historiis traducuntur. Alexander Imperator apud Lampridium: *Tertium genus hominum eunuchos esse dicebat, ne videndum, nec in usu habendum a viris, sed vix a feminis nobilibus*. ECCLESIAM DOMINI. Hebr. *congregationem*, *calum*, *synagogam*, *ecclesiam* *IHUH*. Quidam hic *Ingredi ecclesiam Dei* intelligunt habere commercium cum populo Dei, & habere ius ducendi Israelitidem; quasi dicat: Virgines, aut mulieres Israelitides non nubent iis qui fractos habent testiculos, aut virilia amputata: inepti ad generandum non ducent Israelitidas in uxores. Alii intelligunt, hos, & sequentes Ammonitas, & Moabitas, non quidem excludi a fide, religione, & sacris Iudæorum: nam poterant fieri proselyti: sed a societate politica, & iure ac privilegiis civium; ut non gauderent privilegiis politicis. Melius alii accipiunt, eiusmodi genera hominum excludi proprie ab administratione reipublicæ; quasi dicat: Magistratum, & munus publicum in populo Dei ne gerito: nam hæc, quominus de interdicto a sacris accipiatur, impediunt leges Exod. XII. vers. 48. Numer. IX. vers. 14. & aliæ multæ: de interdicto quoque matrimonio intelligi non de-

be-

bere, vel Ruthæ exemplum ostendit, quæ Moabitis cum esset, interveniente magistratus auctoritate, totiusque populi acclamatione, Bohazo Israelitæ nupsit. Vide Lyranum huc.

*V.* 2. MAMZER. Reliquit ipsam vocem Hebræam. *A* זור *zur* deducunt, aiuntque esse *extraneum*, *spurium*, *nothum*, *illegitimum*, qui non ex propria & legitima uxore, sed aliena muliere natus est, seu damnato & reprobato coitu. Quidam *ex scorto natum* interpretantur; alii *ex incestu*. Nonnulli Hebræorum exponunt, *Exclusum, expressum corrupto & abominabili modo*. Alii compositum faciunt quasi מום זור *mum zur*, macula aliena; id est, eum in quo ortus, & sanguinis alieni macula, seu nota est. Hispani vocant *manchabo*, *nolimpio*. Hispanicus Interpres, *bastardo*. Nec desunt qui *hybridam* velint. USQUE AD DECIMAM GENERATIONEM. Hebr. *Etiam generatione decima non veniet sibi in congregatione IHUH*. Quidam exponunt, id est numquam. Denarius enim est absolutus atque perfectus. Sequenti versu se explicare videtur: *Etiam generatione decima non venient sibi in congregatione Domini usque in æternum*. Alii reddunt: *Etiam decima eius generatio ne venito in congregationem Iehovæ*; id est, nullus descendentium ex eo, nam spurius est: hæc autem sic accipienda, inquiunt, sunt, si nempe res innotuerit, & mater fuerit prostibula, ex quo probosa efficeretur hominis administratio. Iephthe vero corruptissimis temporibus extra ordinem vocavit Deus, Iudic. XI. qui ordinariæ vocationis leges indixit hominibus, ac non imposuit necessitatem sibi: tum ex concubina fuit, non autem ex meretrice publica genitus. Ergo *mamzerem* exclusum a publica administratione putant, propter infamiam & probrum: ego & propter nequitiam puto, qua id genus hominum laborare solet.

*V.* 4. QUIA NOLUERUNT VOBIS OCCURRERE CUM PANE ET AQUA, &c. Vide supra cap. II. vers. 19. & 29. Verbum קדמו *kiddemu*, proprie est, *non anterioraverunt*, *anteverterunt*, *anticipaverunt*, *præoccupaverunt*, *prævenerunt vos*, *non occurrerunt vobis; non venerunt ante vos*, *vobis obviam*. ET QUIA CONDUXERUNT CONTRA TE BALAAM. Hebr. singulare: *Et quod conduxit contra te Balaam*, &c. nempe Moabita, Numeror. XXII.

*V.* 6. NON FACIES CUM EIS PACEM, &c. Hebr. *Non quæres pacem eorum*. Quidam exponunt: *Numquam consulas tranquillitati*, *utilitati*, *prosperitati eorum*. Alii: *Ne quæras quod ad eorum pacem & salutem pertineat*. Nonnulli: Id est, cum illis ne ambias fœdus, quo bono esset illis, & tibi damno.

*V.* 9. CUSTODIES TE AB OMNI RE MALA: nimirum quæ cum æquitate & honestate pugnet; ut solet licentia militaris extra fines æqui & honesti effundi.

*V.* 11. LAVETUR AQUA. Intelligunt, expiatoria scilicet illa, de qua Numer. XIX.

*V.* 12. HABEBIS LOCUM EXTRA CASTRA. Hebr. *Et manus erit tibi deforis ad castrametationem*. Manum hic fere omnes locum interpretantur. Quidam, spatium. Ego, secessum: quod Hispanice dicimus *un lugar a mano*, id est locum secretum, designatum, compositum. Alii: *vallem*, vel *diverticulum* vertunt, quod ista sint veluti manus, & brachia terræ. AD QUEM EGREDIARIS AD REQUISITA NATURAE. Hebr. *Egredieris illuc foras*, vel *extra*, nimirum ad purgandum alvum, ex sequenti versu. Sic Scriptura gravitatem & decorum servat in rei huius enuntiatione.

*V.* 13. GERENS PAXILLUM IN BALTEO. יתד *iated*, aiunt esse *clavum ex qualibet materia*, *qui* vel *terræ infigitur*, vel *parieti*, *ex quo aliquid suspendatur*, vel *quo terra effoditur*: *palum*, *paxillum*, *palam* vertunt. Quidam volunt esse *paxillum amentatum*, quem Latini *rutabulum* vocant apud Festum. Castellani appellant *mecedero*, vel *hurgonero*. Valentini *giradora*. Hispanicus Interpres, *staca*, *fudes*. IN BALTEO. אזנך *azenecha*, plurale cum affixo. אזנים *azenim*, aiunt esse *arma*. Quidam volunt nomen esse generale, seu collectivum omnium instrumentorum, quæ semper ad usum profanum erant exposita; nimirum a verbo זון *zun*, *prostare*, *prostitui*. Alii secuti LXX. & sonum vocis, *zonam* vertunt. Hebræorum aliqui, *ligonem*. Nonnulli, אזן *azen*, aiunt esse *paxillum*, instrumentum habens formam auriculæ, seu lancis, instar palæ recurvatæ.

Nec

Nec desunt qui *bilancem*, seu *stateram* exponant. Unde varie hic reddunt. I. *Et paxillus erit tibi cum armis tuis*; id est, paxillum habebis cum ense tuo, id est inclusum in vagina ensis tui, ut solent deferri gladii minores inclusi ensis vaginæ. II. *Et paxillus sit tibi iuxta instrumenta tua*. III. *Et paxillus erit tibi super*, *ultra*, *præter arma tua*. IV. *Et lignum præacutum*, *sudes*, *erit tibi in balteo*. V. *Et clavus erit tibi iuxta paxillum tuum*; id est, paxillum tuum quo effodies terram, suspensum habebis e clavo. VI. *Clavus erit tibi super bilancem*, seu *stateram tuam*. Solebant, inquiunt, forte Iudæi stateram secum ad bella deferre ad emendum & vendendum, cum qua tenebantur hunc deferre clavum. Putida interpretatio. VII. *Et paxillus erit tibi pro legione*, vel *vice legionis*, ad effodiendam humum. *Azenecha* quidam singulare faciunt; alii plurale, quod est rectius. CUMQUE SEDERIS. Hebr. *In sedere te foris*, vel *cum sessurus eris foris*, aut *quando desidere voles extra*, scilicet ad solvendum ventrem. Honeste egestionem alvi designat, quæ sedendo fieri solet. FODIES PER CIRCUITUM. Scrobiculam excavabant, in quam onus ventris egererent. PER CIRCUITUM, ET EGESTA HUMO OPERIES. Honestius Hebr. *Et reverteris*, *&* *cooperies exitum tuum*. Illud *Et reverteris* Noster intellexit *per circuitum*: sed est notissima phrasis Hebraica, *&* *reverteris*, *&* *cooperies*; id est iterum cooperies; id est, effossam humum rursus, denuo iniicies in scrobiculam, & teges egesta tua: vel indicat semel, iterum, atque iterum operienda excrementa, ut bene tecta, & cooperta non exhalent fœtorem.

*V.* 14. AMBULAT IN MEDIO CASTRORUM. Participium מתהלך *mithallech*, & Hithaphel, innuit assiduam, frequentem, continuam deambulationem, id est magnam & intimam præsentiam, conversationem, & familiaritatem Dei in intimo castrorum Israelitarum, ut quasi intimus & familiarissimus cum illis versaretur. Vide Genes. v. vers. 4. Unde quidam vertunt: *Nam Iehova Deus tuus indesinenter ambulat*, *conversatur*, *in intimo castrorum tuorum*. ET SINT CASTRA TUA SANCTA. Hebr. enallage numeri: *Et erit castra tua sanctum*. Quidam resolvunt: *Et erit locus castrorum tuorum sanctus*. Sed enallage vim habet: *Et erit castra tua*, id est unumquodque e castris tuis, *sanctum*. Hebræi duo castra constituunt, alia minora, ubi arca erat, & castra Levitarum, quæ appellabant *castra divinitatis*: alia maiora, quæ dicebantur castra Israel, & castra populi. Vel, unaquæque castrametatio, turma contubernium. NE DERELINQUAT TE. Hebr. ad verbum: *Et revertetur de posterioritatibus tuis*. Quidam: *Et avertatur de post te*: vel *se avertat a te*; id est, deserat te. Hispanicus Interpres, *Y se buelva de empos de te*, id est *de pastorearte*: nimirum ne sit pastor tuus: quod pastor sequi soleat oves, Psalm. LXXVII. vers. 50. Ipse intellexerim, ne se vertat in posteriora, ne posteriora sua sibi obvertat: solent enim principes viri quando fœditatem aliquam conspiciunt, terga vertere, & faciem pone avertere.

*V.* 15. NON TRADES SERVUM DOMINO SUO. Quidam arctant ad servum gentilem gentilis domini, si fieri vult proselytus, & ad cultum Israeliticum transire: alioqui cum æquitate pugnaret, privare dominos servis fugitivis.

*V.* 17. NEC SCORTATOR. קדש *kadesch*, a verbo קדש *kadasch*, *sacrum*, *&* *sanctum esse*, significatione contraria, seu per antiphrasim, aiunt esse *communem hominem*, *extra coniugium*, *profanum*, *profanatum*, *pollutum*, *impurum*, *rei veneræ deditum*, *quique vas suum in sanctificatione* *&* *honore non possidet*, *scortatorem*, *meretricarium*. Unde hic reddunt: *Non sit impurus de filiis Israel*. Alii gravius esse quem *scortatorem*, aut *meretricarium* putant; voluntque esse *meritorium*, *pathium*, *cinædum*, *contamitum*, *scortum masculum*, *prostibulum marem*, quasi abominando; seu nefando libidinis sceleri consecratum: vel ironice, & per antiphrasim, *sanctum*, *sacrum*, id est execrabilem, nefandum, impurum. Noster ubicumque hæc vox alibi in Scripturis occurrit (& non alias nisi in plurali legitur) semper *effeminatos* convertit.

*V.* 18. NON OFFERES. Hebr. *Non venire facies*, *adduces*, *inferes*. MERCEDEM PROSTIBULI. Hebr. *merendam*. Latini *capturam*, meretricis: qua voce usi sunt Seneca pater Lib. I. controversia II. Svetonius in Caligula cap. XL. Alii, *dona-*

*donationem*, *donum*, *donarium*, *donativum*, *datum meretricis*. Disquirunt Theologi num mulier pro eo usu corporis mercedem licite exigere, & recipere possit: & plerique eorum affirmant. Sed non vult Deus, quod illicito usu corporis acquisierit mulier, quidquam voveri & nuncupari tabernaculo Dei, cum velit illud caste & reverenter coli: & ideo omnia quæ iniquitate & peccato parta sunt, quæque vilitatem, ignominiam, aut turpitudinem coniunctam habent, penitus submovet, & excludit a domo sua: ut nihil eorum sive pro structura, sive pro sacrificio, sive pro quovis alio usu templi offerri, aut impendi permittat. NEC PRETIUM CANIS. Quidam accipiunt de pretio quod accipiebatur ab illis qui conducebant canes venaticos, & custodes ovium ad impraegnationem canicularum: quia id turpe erat. Alii simpliciter de pretio, seu pecunia, aut quavis commutatione canis, quia canis animal vilissimum in Scripturis habetur, I. Samuel. XVII. vers. 3. & II. Samuel. III. vers. 8. & sub cane per synecdochen quodcumque aliud animal abiectissimum intelligi volunt. Nonnulli *pretium canis* interpretantur *mercedem meritorii*, seu *cinedi*, quem ad detestationem flagitii canem vocat. Sic autem Horatius epod. v. de meretricibus loquens:

*Latrent Suburranæ canes.*

Nam meritorii & meritoriæ cum canibus impudentia & obscœnitate certant. Huic autem interpretationi optime convenire aiunt cum antecedenti versu.

*V.* 19. NON FENERABIS FRATRI TUO AD USURAM. Verbum נשך *naschach*, proprie est *mordere*, *arrodere*, *corrodere*, ut serpens dentibus mordet, & rodit, Numer. XXI. 9. Deinde metaphorice transfertur a serpentis morsu ad *usuræ morsum & corrosionem*: nam ut serpens mordendo necat, ita usura hominis substantiam & facultates recte ac sensim mordet, arrodit, perdit, consumit. Inde נשך *neschech*, *usura*, *fenus*, quasi *morsus & arrosio*. Hic vertunt: *Non morsum inferes fratri tuo*: vel *non usurabis fratri tuo usura argenti*, *&c.* Alii: *Ne dato in usuram fratri tuo usuram pecuniæ*, *&c.* Verbum *naschach*, hic est ex Hiphil, Hebræi transitivum in tertium esse volunt: *Non mordere facies*; *non morsum inferes*: atque ita distinguunt, *Faciens mordere*, *mordens*; *morsus*. *Mordet* usura, *mordetur* qui accipit, *facit mordere* qui dat: & usura est *morsus*. Potest verti: *Non fenore arrodes*, *opprimes fratrem tuum*: sic vers. seq. NEC QUAMLIBET ALIAM REM. Hebr. *Morsum omnis verbi quod mordebit*: seu *usuram omnis rei quæ mordebit*. Proculdubio alludit ad etymon nominis usuræ, quæ Hebraice *neschech*, *morsus* appellatur, quod substantiam hominis velut arrodat & perdat: unde etiam Hebræi Doctores adhortationem hic esse colligunt ad eum qui mutuo accipit, ne se ita morsui, & suarum rerum arrosioni exponat. Elegans est metaphora. Aliqui hic convertunt: *Neque qualibet re quæ mordebit*, id est usurabit, seu usurare poterit. Alii: *Fenus cuiuscumque rei quæ usuram pariat*; id est, neque quamcumque rem quæ usuram parit, aut parere potest. Nonnulli: *Usuram ullius rei quæ in usuram datur*.

*V.* 20. SED ALIENO. Usuram pugnare cum iure & æquitate naturæ, non est dubium. Quidam hic volunt permissam Iudæis a Deo erga extraneos, non ut licitam, sed ut minus malam, genti alioqui in avaritiam propensissimæ. Alii disserunt, Deum dominum omnium rerum recte potuisse Iudæis licite permittere ut ex aliorum bonis ditarentur: non quod aliena rapere aut detinere liceat, sed sua, Dei dono illis concessa, ut illis etiam concessit bona AEgyptiorum, cum essent ex AEgypto discessuri. Nonnulli hic reddunt: *Extraneo isti dabis in usuram*; id est, reliquiis istis Chananæorum, infra cap. XXVIII. vers. 12. illas enim Deus exitio destinaverat, & paulatim consumi volebat, supra cap. I. vers. 21. Vide S. Ambrosium Lib. de Tobia cap. XV.

*V.* 21. NON TARDABIS. Verbum אחר *echar*, proprie est, *non posteriorabis*, *postmanebis*, *retromanebis*, *moraberis*, *cunctaberis*, *tardabis*, *differes*.

*V.* 23. QUOD AUTEM SEMEL EGRESSUM EST DE LABIIS TUIS. Hebr. *Egressum*, *exitum*, *prolationem*, *egressionem labiorum tuorum*. Vide Ecclesiastes v. vers. 3. & 4.

*V.* 24. INGRESSUS VINEAM, &c. Quidam secuti Chaldæum Interpretem, de vindemiatoribus mercede conductis hanc legem intelligunt: Id est, cum locaveris ope-

operam tuam tempore vindemiæ proximo tuo: voluntque non permitti vindemiatoribus uvas efferre in sporta sua. Sed non dubito legem esse generalem, & ad quoscumque, nedum vindemiatores pertinere.

*V.* 25. SI INTRAVERIS IN SEGETEM AMICI TUI, &c. Et hanc quoque legem ad messores mercede conductos astringunt; sed generalem esse, factum Apostolorum satis evincit Matth. XII. vers. 1. FRANGES SPICAS. Verbum קטף *katapb*, per *vellere*, *evellere* vertitur Matth. XII. vers. 1. Marci II. vers. 23. Lucæ VI. vers. 2. FALCE AUTEM NON METES. Hebr. *Et falcem non agitabis*, *elevabis super segetem*; id est, segetem non secabis, quam efferre voles.

## MENOCHII.

*Vers.* 2. NON INTRABIT...ECCLESIAM DOMINI. *Intrare ecclesiam* idem est quod in civium numerum censeri, & de populo Israelitico reputari, perinde ac si ex duodecim Patriarchis oriundus esset, atque adeo, uti & ceteros cives munerum, & dignitatum publicarum capacem fieri. Hac igitur lege sancitur, ne quis eunuchus in Israeliticum populum admittatur, quantumvis Iudaismum complecteretur.

*V.* 2. MAMZER, HOC EST DE SCORTO NATUS. LXX. *ex meretrice*, ἐκ τῆς πόρνης. Fortassis sermo est tantum de alienigenis mamzeribus: hos enim inter suos viles, & contemptibiles propter pudendos natales, non vult admitti in ecclesiam, etiamsi religionem Iudaicam suscipiant, nisi post decimam generationem. USQUE AD DECIMAM GENERATIONEM, inclusive. Undecimus ergo nepos ex mamzere, diuturnitate temporis abstersa macula, ingredi poterat.

*V.* 3. AMMONITES, ET MOABITES, &c. hi numquam in ecclesiam admittebantur: intellige, nisi tam præclara essent viri alicuius Ammonitæ, vel Moabitæ merita, ut contra rationem videretur eum a Dei populo repellere. Sic admissus Achior Iudith XIV.

*V.* 6. NEC QUAERAS EIS BONA, &c. cum eis non communicabis quo ad convictum, & commercia temporalia.

*V.* 7. FRATER TUUS EST: iisdem maioribus natus, Isaac scilicet, & Abraham. ADVENA FUISTI IN TERRA EIUS, & aliquo tempore ibi populus benigne habitus est.

*V.* 8. TERTIA GENERATIONE, a suscepta lege Iudaica.

*V.* 9. CUSTODIES TE AB OMNI RE MALA, ab omni flagitio, & iniustitia, & peccato: militia enim magnam occasionem, & licentiam prave agendi suppeditat.

*V.* 10. EGREDIETUR EXTRA CASTRA. Bonfrerius hoc intelligit de templo, aut atrio; ita ut qui sacerdos verbi gratia pollutus fuisset, extra hæc septa egredi deberet; qui vero iustus non esset, pollutione prohibente, ingredi non posset.

*V.* 11. LAVETUR AQUA, non ea lustrali, cuius compositio describitur Num. XIX. sed aqua vivente, fluviali scilicet vel fontana.

*V.* 12. HABEBIS LOCUM EXTRA CASTRA, &c. Id constitutum partim ob naturalem honestatem, partim ob sanitatem.

*V.* 13. PAXILLUM, breve aliquod instrumentum ad effodiendam terram. CUMQUE SEDERIS, cum alvum deieceris. QUO RELEVATUS ES, excrementa.

*V.* 14. DEUS AMBULAT IN MEDIO CASTRORUM, scilicet propter arcam.

*V.* 15. NON TRADES SERVUM DOMINO SUO, &c. Si dominus mancipium suum iniuste vexet, ne tradas, donec ira resederit.

*V.* 17. NON ERIT MERETRIX, &c. Prohibentur meretrices, quæ pretio vulgarent corpora, & prostibula.

*V.* 18. NON OFFERES MERCEDEM PROSTIBULI, &c. ut solebant Ethnici, apud quos meretricius quæstus idolis consecrari consueverat. NEC PRETIUM CANIS, pariturae canem generosum, verbi gratia venaticum, ex quo qui proles expetunt, Domino pretium dant: hoc pretium ut indecorum offerri prohibetur. Vel nomine canis, publica meretrix intelligitur, quæ cinica, ac prorsus canina impudentia corpus vulgat. QUIDQUID ILLUD EST QUOD VOVERIS. Quasi dicat: Non solum non offeres pecuniam illam, sed nec aliam quamlibet rem quam voveris, pretio illo comparabis.

*V.* 20. SED ALIENO. Deo ita conceden-

den-

dente, qui omnium Dominus est, & illa cui voluerit, dare potest. COMMODABIS: mutuo dabis.

*V.* 21. NON TARDABIS REDDERE, nisi forte voti executio certo cuidam tempori fuerit alligata: tunc enim in illud differri potest.

*V.* 24. INGRESSUS VINEAM, &c. Eadem ratio videtur de aliis aliarum arborum fructibus.

## TIRINI.

*Vers.* 1. NON INTRABIT ECCLESIAM DOMINI. Per ecclesiam hic non intelligitur religio Iudaica, aut locus tabernaculi vel templi, quia ad hæc patebat statim aditus cuivis alienigenæ, dummodo circumcisus esset, & proselytus; sed ius civium, seu populi Israelitici. Sicut enim apud Romanos maximi fiebat ius civium, quo speciali gratia subinde exteri donabantur, atque ita capaces fiebant munerum, & dignitatum publicarum, perinde atque si Romæ nati fuissent; ita voluit Deus etiam apud Iudæos esse peculiaria iura & privilegia civium Iudæorum, quibus alienigenæ subinde donari quidem possent, sed certis tantum casibus: ac tum perinde accensebantur illi Iudæis, ac si ex illis aut Patriarchis oriundi fuissent, atque adeo instar reliquorum civium adibant hereditatem, & possessionem agrorum in terra sancta, & capaces erant omnium munerum publicorum ac dignitatum. Et quidem Idumæi, propter consanguinitatem, utpote ex eodem communi cum ipsis parente Isaaco prognati; item AEgyptii, propter peculiaria beneficia olim Israelitis collata, permittuntur tertia generatione a suscepta religione Iudaica, hoc modo adscribi populo Dei. De scorto publice nati alienigenæ (de quibus solis hic agitur) quia etiam apud suos hoc nomine viles & contemptibiles esse solent, non nisi post longum tempus, abolita iam macula & infamia, nempe post decimam demum generationem adscribi permittuntur. Moabitæ, & Ammonitæ, propter frequentia maleficia, & eamdem verisimiliter ob caussam Amalecitæ quoque, & omnes Chananæi, numquam adscribi potuerunt: uti neque eunuchi, quocumque demum casu virilitatem exuissent. Sed & hoc ad alienigenas solos spectabat. Nam Iudæis, licet omnis ipsis castratio seu hominum, seu animantium vetita esset, teste Iosepho *a*; si quo tamen casu vel a natura, vel a latrone, aut tyranno castrari contigisset, id fraudi non erat. Intellige vero prædicta cum hac exceptione, nisi tam præclara essent alicuius alienigenæ merita, ut populo Dei adcensendus iure videri posset. Sic contigit Rahab meretrici Iosue VI. & Achior Ammonitæ Iudith XIV. & aliis qui subinde iura civium adepti sunt.

*V.* 17. NON ERIT MERETRIX..... NEC SCORTATOR. Puta publici, seu auctoritate publica constituti aut permissi, quæstus gratia corpora sua vulgantes. Alioquin ex matre Iephte *b*, & illis apud Salomonem litigantibus, & aliis Scripturæ locis *d* sat constat, non defuisse privatas apud Iudæos meretrices, & scortatores. Nisi cum Procopio, Theodoreto, Serario *e*, & Bonfrerio dicere malis, hic solum vetari Iudæis, ne in honorem Dei, ut solebant Gentiles in honorem idolorum, evulgent sua corpora. *Neque ex mercede prostibuli*, id est pretio meretricis occultæ, vel saltem in prostibulo delitescentis: *neque ex pretio canis*; id est, ex canina seu publica, & in propatulo scortatione collecto, quidquam offerant Deo, aut ad offerendum coemant victimam. Nam & hoc apud Gentiles ex eiusmodi sordibus factitari solitum, patet ex Baruch, & Michæa Prophetis, Herodoto, Strabone, Athenæo, Clemente Alexandrino, Augustino, Athanasio, & Villalpando *f*. Et ad Iudæos quoque dimanasse eiusmodi tum puellarum, tum puellorum prostibula, colligitur ex III. Reg. XIV. vers. 24. & IV. Reg. XXIII. vers. 7. & II. Mach. IV. vers. 12. Et vero, si Severus Imperator indecorum putavit tributa quæ ex meretricio quæstu colligebantur, in sacrum ærarium inferri; quanto magis probrosum sit ea Deo offerri?

*V.* 19. & 20. NON FENERABIS FRATRI TUO... SED ALIENO. Hoc ex privilegiis civium Iudaicorum unum erat, quod indigentibus illis mutuum gratuito donandum esset sine usura; ab aliis vero non civibus, etsi proselyti essent, etiam usuras accipere possent Iudæi. Licet enim iure

naturæ sit illicita usura, utpote quæ ex re per se in frugifera, & sub alterius dominio existente lucrum quærit, & colligit; Deo tamen potestate supremi dominii sui supercrescens fenus largiente Iudæis, factum ut id licite accipere possent ab alienigenis; eodem modo quo, volente Deo, licuit Iudæis AEgyptum spoliare; licuit libellum repudii dare; licuit plures simul uxores habere. Quæ omnia alioqui repugnant iuri naturæ, concessa tamen Iudæis a Deo ob duritiem cordis eorum, ne, ut erant lucro nimis inhiantes, extorquerent fenus etiam a fratribus suis Iudæis. Qua concessione iam cessante, & sublatis omnibus synagogæ privilegiis, immo exstincta sepultaque synagoga, manent quoque iure naturæ prorsus illicitæ omnibusque vetitæ usuræ. Quod addo propter modernos Iudæos perpetuos usurarios, & Calvinum, qui permittit fenus a divitibus exigi. Quam vero semper id detestata sit natura, docent exempla pene omnium nationum, etiam Gentilium, quæ strictissimis legibus usuras omni tempore (g) vetuerunt.

(a) Ioseph. sup. Lib. IV. cap. VIII.
(b) Iudic. XI.
(c) III. Reg. III.
(d) Levit. XXI. vers. 7. & 14. & Ioseph. supra.
(e) Serar. in cap. II. Iosue.
(f) Baruch. VI. vers. 43. Michez I. 7. Herod. Lib. I. sub finem. Strabo Lib. VIII. & XII. de meretricib. Athenæus Lib. XIII. cap. VI. Clemens in adhortatoria ad Gentes. Athan. orat. contra idola. Villalp. in in Ezech. XLIII. Lib. IV. cap. LXXIX.
(g) Vide exempla apud Cornelium a Lapide.

## GORDONI.

*Vers.* 1. PEr ecclesiam intellige vel atrium templi, seu tabernaculi, vel, quod probabilius est, congregationem Domini, ut censeatur Israelita, & plane de populo Dei, quo ad iura civilia & honores. Sic ergo proselyti undecumque essent, non repellebantur a phase, sacramentis, & fide, sed a pleno, & politico iure Israelitarum. Si autem ne quidem proselyti essent tales, conversatio cum illis, velut periculosa, vetabatur. Hic vers. 6. admittuntur tamen horum aliqui ad ecclesiam Domini plene, post tertiam generationem, computandam ab eo qui primus fuit ad Iudaismum conversus, ut hic vers. 8. & Num. cap. XXXV.

*V.* 6. NON FACIES CUM EIS PACEM, &c. Continuum cum his bellum denunciatur, sic scilicet ut numquam cum his pax firmetur; hostilem vero sic animum habere iubet, ne noceant alioqui: sic autem non admittere ad fœdera, & familiarem amicitiam, ob finem bonum, nihil habet contra ordinem caritatis. Iubentur ergo ab his tamquam ab hoste cavere.

*V.* 13. GERENS PAXILLUM IN BALTHEO, &c. *Paxillus* exiguum instrumentum ad fodiendam terram, instar asciolæ. Septuaginta πάσσαλον vocant, ἐπὶ τῆς ζώνης σου.

*V.* 15. NON TRADES SERVUM DOMINO SUO, &c. Non hic de servo Hebræo, sed de mancipio agi videtur, eoque fugitivo, sed quando ob iustam causam fugit ab hero suo: verbi gratia, quia vel Iudaismum amplecti vult, vel gravia damna, & mortem timet ab hero. Et certe falso putantur domini habere in servos necis potestatem.

*V.* 17. & 18. Lex hæc vers. 17. non vult esse lupanaria, & meretrices, quæ pretio corpora sua habent turpiter venalia; hoc tamen non efficiebat ut clam tales non essent: versu autem 18. vetat offerre Deo donaria meretricio quæstu obtenta, ut faciebant Gentiles; sicut pretium canis offerendum non est, forte quodvis vel nullius momenti, vile & abiectum, aut, ut interpretatur Iosephus Lib. IV. Antiquitat. cap. VIII. pretium pro admissura canis nobilioris, & venatici acceptum; QUIA, inquit, ABOMINATIO EST.

*V.* 19. & 20. NON FENERABIS. Certe (quidquid dicat Calvinus) usuræ erant vetitæ in lege veteri, Ezech. XVIII. vers. 8. item Psalm. XIV. vers. 5. & Psal. LIV. vers. 12. hic ergo tantum est quædam permissio facta illi populo ad duritiam cordis. Immo tantum permisit Deus; hoc est, non punivit. Vide cap. XXVIII. vers. 12. & supra cap. XV. ubi de mutuo.

### Ex Eiusdem Auctario.

*V.* 3. Tamen Iudith XIV. Achor admissus est in sortem Iudæorum. Putant ergo aliqui, ob magna alicuius merita, & nobilitatem, potuisse quandoque admitti

*V.* 7. IISDEM MAIORIBUS, scilicet Abrahamo, & Isaaco. Populus etiam in Idumæa benigne habitus est.

*V.* 8.

*V.* 8. Tertia generatione, a recepta lege Iudaica.

*V.* 11. Lavetur aqua, scilicet communi, non illa lustrali de qua Numer. xix.

*V.* 13. Quo relevatus est, excrementis.

*V.* 14. Deus ambulat. Hoc explicari solet propter arcam.

# CAPUT XXIV.

*Libellus repudii permittitur: misericordia in debitores pauperes: non neganda merces: de iudicio advenæ & pupilli, de reliquiis messis ac vindemiæ.*

1. SI (*a*) acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem; scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. 2. Cumque egressa alterum maritum duxerit, 3. & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit: 4. non poterit prior maritus recipere eam in uxorem: quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino: ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam. 5. Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis iniungetur publicæ, * sed vacabit absque culpa domi suæ, ut uno anno lætetur cum uxore sua. 6. Non accipies loco pignoris inferiorem, & superiorem molam: * quia animam suam opposuit tibi. 7. Si deprehensus fuerit homo solicitans fratrem suum de filiis Israel, & vendito eo acceperit pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui. 8. Observa diligenter ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcumque docuerint te sacerdotes Levitici generis, iuxta id quod præcepi eis, & imple solicite. 9. (*b*) Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ in via cum egrederemini de AEgypto. 10. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius ut pignus auferas: 11. sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit. 12. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, 13. sed statim reddes ei ante solis occasum: ut dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, & habeas iustitiam coram Domino Deo tuo. 14. (*c*) Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est: 15. sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum. 16. (*d*) Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur. 17. Non pervertes iudicium advenæ, & pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. 18. Memento quod servieris in AEgypto, & eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem. 19. Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum: sed advenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere

ma-

manuum tuarum. 20. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in ar-
boribus, non reverteris ut colligas: sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ.
21. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent
in usus advenæ, pupilli, ac viduæ. 22. Memento quod & tu servieris in AE-
gypto, & idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.

(a) Matth. v. 31. xix. 7. Marc. x. 4. (b) Num. xii. 10. (c) Levit. xix. 13. Tob. iv. 15. (d) IV. Reg. xiv. 6. II. Par. xxv. 4. Ezech. xviii. 20.

## B R U G E N S I S

### ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 5. *Sed vacabit absque culpa domi suæ.* Cave ne scribas, ut quidam, tertium casum *domui* pro secundo *domi*.

V. 6. *Quia animam suam opposuit tibi.* Non est legendum relativum *qui*, loco coniunctionis *quia*. Porro *opposuit*, quod est obligavit, seu oppignoravit, eleganter emendatum est ex *apposuit*, quod est in aliis exemplaribus, id est vocalis quarta ex prima.

## C O M M E N T A R I A.

### S A.

*Vers.* 1. HABUERIT. LXX. *cohabitaverit*. Chald. *concubuerit*. SCRIBET, &c. non dicit licere; sed iubet ne dimittatur sine libello, quamquam forte licebat.

*V.* 4. POLLUTA, scilicet concubitu secundi viri. Hinc videtur non licuisse secundo nubere. ET ABOMINABILIS FACTA. Hebr. Chald. & LXX. *Quia id abominatio est*, scilicet illam recipere.

*V.* 6. ANIMAM SUAM OPPOSUIT; id est, *vitam pro pignore dedit*, ut est Hebr. & apud LXX. at Chald. *Quia cum ipsis fit esca omni animæ*; quasi dicat: Quia necessariæ sunt ad parandum cibum.

*V.* 7. SOLICITANS. Hebr. Chald. & LXX. *furatus*.

*V.* 8. INCURRAS, scilicet per peccatum, ut Maria soror Moysis. FACIES, scilicet ubi incurreris. Figura hæc Sacramenti confessionis.

*V.* 13. ANTE SOLIS OCCASUM. Hebr. & Chald. *ad solis occasum*. LXX. *circa solis occasum*. IUSTITIAM; quasi dicat: Iustus habeberis coram Domino in ea re.

*V.* 16. MORIETUR, id est occidetur, scilicet iudicis sententia.

### E S T I I.

*Vers.* 1. SCRIBET LIBELLUM REPUDII. Utrum repudium in veteri lege fuerit permissum tantum, an etiam licitum, vide hic prolixe Lyranum, & Burgensem. Lyranus priorem partem tenet, & est communis doctrina; Burgensis posteriorem; sed non satis solide probat. Et videtur esse contra verba Salvatoris Matth. xix. dicentis; Deum id permisisse Iudæis ad duritiam cordis eorum. Sic & Hieronymus in Matth. xix. & fundatur in Scriptura Genes. ii. & etiam tempore legis Mosaicæ apud Ierem. cap. iii. Porro quod hic dicitur: *Si acceperit homo uxorem, & non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii:* nonnulli per fœditatem intelligunt adulterium, quod forte soli marito notum sit. Verum in Evangelio, ubi pharisæi hac de re quæstionem movent Domino, dicitur, *Ex quacumque causa*. Neque Christus eam allegationem reprehendit, sed tantum corrigens quod dixerant, *Mandavit Moyses*, pro eo supponit, & dicit: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*; nihil corrigens in eo quod dixerant, *Ex quacumque causa*. Deinde hoc loco statim post dicitur: *Cumque egressa alterum maritum duxerit, & il-*

*le quoque oderit eam*, nulla addita causa. Per fœditatem igitur intelligi videtur omne vitium uxoris, propter quod maritus eam oderit, sive sit deformitas, sive morositas, sive procacitas, sive quid aliud.

*V.* 4. NON POTERIT PRIOR MARITUS RECIPERE EAM IN UXOREM. Idem testatur Dominus per prophetam Ieremiam cap. 11. Sciendum tamen est, quod si uxor iniuste fuisset dimissa, & nondum accepisset alium virum, quod tunc vir, dimissa superinducta, debebat priorem uxorem recipere, ut significat Malachias cap. 11. & ibidem Hieronymus, *Corripit*, inquit, *Iudæos Propheta, & ad repudium novarum coniugum provocat, & uxores quas dimiserant recipiant*. Hæc ille loquens de uxoribus dimissis, quæ nondum alios maritos acceperant.

*V.* 16. NON OCCIDENTUR PATRES PRO FILIIS, NEC FILII PRO PATRIBUS, SED UNUSQUISQUE PRO PECCATO SUO MORIETUR. Hæc ad hominem iudicem dici, docent sequentia: sic enim subiungitur: *Non pervertes iudicium advenæ, &c.* Itaque non pugnant hæc cum eo quod est Exodi xx. cap. vers. 5. Ubi Deus de seipso loquens ait: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem*. Quæ quomodo intelligenda sint, vide ibi explicatum. Hic admonentur illi qui inter homines præsunt, ne morte umquam puniant quemquam, nisi pro propria culpa.

## MARIANAE.

*Vers.* 1. PROPTER ALIQUAM FOEDITATEM. Paul. Burgensis, *propter aliquam impudicitiam*: idque significare vocem *heruah*, contendit Tertul. IV. contra Marcion. *propter negotium aliquod impudicum*. Ita contendit ille, non licuisse in veteri lege dimittere uxores nisi unam ob fornicationem.

*V.* 5. CUM ACCEPERIT HOMO NUPER UXOREM. In Hebræo additur *novam*, id est non repudiatam, non viduam. NEC EI QUIPPIAM NECESSITATIS INIUNGITUR. Hebr. *Nec transibit super eum omne verbum*; id est, ab omni functione liber erit. SED VACABIT: sed innocens erit aut immunis, & forte etiam a tributis.

*V.* 6. INFERIOREM, ET SUPERIOREM MOLAM. Hebr. *rehaiim*, id est *utramque molam*: inferior *meta* vocatur, superior *catillus*. Hebraice *chesch*, & *recheb*, Græce μύλον, & ἐπιμύλιον. Sed postquam dixit utramque molam non esse accipiendam in pignus; quare Hebraice addidit *recheb* non esse accipiendam, nempe superiorem? Responsio: Poterat creditor unam tantum accipere: quod si una erat, facilius superior amovebatur, ideo de ea loquitur, & sumi non vult. QUIA ANIMAM SUAM OPPOSUIT TIBI. Hebr. *Quoniam animam ipsam pignerat*. Hoc est, id quo vivit dat pro pignore, aliaque quæ domi habet. Anima est homo. Ergo animam, scilicet hominem, id est vitam hominis, scilicet suam, dat pignori. Id Hieronymus significare voluit.

*V.* 8. OBSERVA DILIGENTER. Quod sequitur, NE INCURRAS, non est in Hebræo, sed tantum quod sequitur, PLAGAM LEPRAE, observa scilicet.

*V.* 11. ET ILLE TIBI PROFERET QUOD HABUERIT. Hebr. *Et tibi erit iustitia*; sed Septuaginta pro *iustitia* posuere *misericordia*; non male. Hoc est, Deus miserebitur tui, ut tu pauperis.

*V.* 20. SI FRUGES COLLEGERIS OLIVARUM. Hebr. *Quando excusseris olivam*, pro olivas, cum est olivitas. QUIDQUID REMANSERIT. Hebr. *Non quaties ramos post te*, id est secundo. Eodem modo vers. 21. ubi dicitur, NON COLLIGES REMANENTES RACEMOS. Hebr. *Non vindemiabis* aut *racemabis post te*. Vult secundam olivitatem & vindemiam pauperibus relinqui.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. PROPTER ALIQUAM FOEDITATEM. Hebr. *Quia invertit in ea nuditatem*, seu *turpitudinem verbi*. Tertullianus Lib. IV. in Marcionem cap. XXXIV. *Eo quod inventum sit in illa impudicum negotium*. Plerique quoque hic exponunt, *nuditatem rei*; id est, quod se nudaverit, & discooperuit alteri, ut videatur scortationem innuere. Aliqui, *turpitudinem rei*, aiunt esse hypallagem, pro rem turpitudinis, id est rem aliquam tur-

turpem ac fœdam. Alii, *detectionem rei*: nec sciunt cuius rei hæc detectio sit: unde obscuram & ambiguam fuisse causam repudii apud Hebræos, ut oportuerit in re abstrusa, & intellectu difficili pharisæos Christo quæstionem proponere Matthæi XIX. 3. *Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa?* Non ergo compertum erat apud Iudæos quibus ex causis Moses libellum permitteret. Plures existimant, nedum ob fornicationem, sed ob alias fœditates cum animi tum corporis permissum repudium, & hoc innuisse Mosen, *Quod invenerit in ea aliquam turpitudinem rei cuiusvis*. Simili enim phrasi de stercore usus est cap. XXIII. vers. 14. LIBELLUM REPUDII. כריתת *cerituth* est proprie *exsissio*, *scissio*, *abscissio*, *rescissio*, *excidium*: unde vertunt, *librum*, *chartam rescissionis*, *libellum excidii*; quo scilicet matrimonium rescindebatur, vel mulier exscindebatur a marito, aut excidebatur a domo mariti. Græcus Matthæi Interpres cap. V. vers. 31. simpliciter ἀποστάσιον vertit, quasi dicas *divertionale*, *discessionale*; at cap. XIX. vers. 7. & Marcus X. vers. 4. βιβλίον ἀποστασίου; id est, *librum divortii*, seu *discessionis*, vel *discessus* interpretati sunt. Formulam huius libelli repudii, qua nunc utuntur Iudæi, leges apud Explanatores, & alios. Disquirunt Theologi an repudium in veteri lege licitum esset divina permissione: & quidem multi affirmant; alii negant, sed impune tantum permissum a Deo, ut minus malum, sicut & usuram. Ego cum verba Mosis his quatuor primis huius capitis versibus posita pressius considero, eorumque ordinem, distinctionem, accentuumque Hebraicorum vim accuratius expendo, plurimum in eorum sententiam impellor qui existimant, nullam hic a Mose repudii legem imperari, aut proponi; sed omnia dici ex hypothesi, & ita accipienda esse quasi dicat: Supposito quod vir repudiaverit uxorem suam, & scripserit ei libellum repudii, & ipsa repudiata alteri nupserit; & hic maritus posterior eam etiam repudiaverit, aut mortuus fuerit: non poterit prior ille maritus rursus illam prius a se repudiatam in uxorem ducere, &c. Sed vide statim quæ notamus vers. 4.

℣. 4. NON POTERIT PRIOR MARITUS RECIPERE EAM. Hebr. *Non poterit maritus eius primus, qui dimisit, amandavit eam, reverti ad accipiendum eam, &c.* id est, ad rursus, denuo, iterum accipere, vel ducere eam. QUIA POLLUTA EST. Hebr. *Posteaquam*, vel *posteaquod contaminata fuit*. Quidam exponunt: Non quod sit polluta absolute, sed quantum ad primum maritum, cum interim, postquam ab illo dimissa fuit, ab alio cognita est viro, & alterius viri concubitu se polluit. Alii *pollutam* intelligunt, id est, repudiatam. Aliqui Hebræorum exponunt: *Postquam prohibita fuit ei*; quæ enim prohibentur, immunda censentur. Nonnulli ita interpretantur: *Posteaquam per eum factum est ut pollueretur*, nimirum per scortationem, quæ ex hoc facto sequitur: nam ut ait Christus: *Qui dimisit uxorem suam extra scortationis causam, facit ut ea mœchetur; & qui dimissam ducit, mœchatur*: Matthæi V. vers. 32. Hæc autem omnia dicuntur ex hypothesi, & ita accipienda sunt. Dicuntur quidem ex hypothesi, quia habetur ratio populi, qui nefarium polygamiæ usum a maioribus, & repudii ab AEgyptiis apportabat: itaque de re præsente loquitur Moses. Sic autem accipi oportere, demonstratur, cum Hebraicis distinctionibus, quas non observat vulgus, tum naturæ lege de coniugio lata Genes. II. vers. 24. & huius ipsius legis argumentis in hoc versu 4. cum & mulier polluta dicitur, & polluta facto viri: & id abominandum esse coram Domino: & tolerantiam præsentis temporis non prorogandam in futurum esse ostenditur evidente interdicto: *Ne itaque permitto ut peccet populus terræ, &c.* Ita quidem illi. De polygamiæ usu quibusdam dumtaxat patrum, non omni promiscue populo licite a Deo permisso, annotavimus in Levit. XVIII. vers. 18. De repudio, immane dictu! quam fuerit variis gentibus receptum, præsertim Romanis. Ceterum dubitari non potest, Mosen, auctore Deo, licite, vel impune permisisse Iudæis legem repudii, expresse id affirmante Christo Matth. XIX. vers. 8. Iam illud הטמאה *huttammaah*, *contaminata, impurata fuit*, notant compositum esse ex duabus coniugationibus, Hophal, & Hithpahel, pro התטמאה *huttammaah*, non sine mysterio, uti reor, nam verti bifariam potest: *postquam taminari facta fuit*; & *postquam ta-*

*minare se fecit*: quo significatur, & virum repudiando eam dedisse illi occasionem scortandi, & polluendi se, ut Christus Matthæi v. vers. 32. dixit; & ipsam sese effuse scortationibus polluisse & impurasse. Quidam reddunt: *Posteaquam factum est ut pollueretur*.

*V.* 5. NON PROCEDET AD BELLUM. Vide cap. xx. vers. 7. NEC EI QUIPPIAM NECESSITATIS INIUNGETUR PUBLICAE. Hebr. *Et non transibit super eum ad omne verbum*. Varie reddunt: 1. *Neque iniungetur illi ullum publicum negotium*; 2. *Et non transibit super eum ulla res*; 3. *Nec quidquam aliud ei iniungatur*; 4. *Neque transito super eum ex ulla re*; 5. *Neque imponitor ei onus ullius rei*.

*V.* 6. INFERIOREM ET SUPERIOREM MOLAM. רחים *rechaiim*, & רכב *receb*, exponunt *metam*, & *catillum*. Notant *rechaiim* esse inferiorem molam, quæ Latinis dicitur *meta*, & Hebræis שכב *schecab*, quod *succumbat*, vel subiaceat superiori; *receb* vero, quasi currum dicas, superiorem molam, quæ inferiori supervehitur, vel circumvehitur, & Latini vocant *catillum*, seu *molam trusatilem*. At cum *rechaiim* sit dualis numeri, potius volunt *utramque molam*, *scilicet superiorem & inferiorem* significare, nempe simul metam & catillum; *receb* vero catillum: unde reddunt: *Non accipiet quisquam in pignus utramque molam, superiorem & inferiorem*, seu *metam & catillum*: immo ne superiorem, seu catillum quidem tantum, quæ scilicet minor est; quasi dicat: Tantum abest ut accipere debeat utramque molam, ut ne molam quidem superiorem, quæ minor est & levior, ac vilior, in pignus accipere non permittam. Alii notant, duale *rechaiim* significare molam integram, hoc est superiorem & inferiorem lapidem molarem; sed *receb instrumentum ad molam necessarium*, & non lapidem superiorem, aut inferiorem. Nonnulli e contra, *rechaiim* putant esse *molam superiorem*, seu *catillum*, quod motu suo ventum excitet, seu quod feratur ut ventus; & *receb* esse inferiorem, seu *metam*, cui ut currui superior invehatur. Sed inepte. Forsan satius erit retinere propriam significationem *receb*, id est *carrus*, seu *currus*, quasi iubeat legislator ne accipiantur pignore utraque mola, aut currus pistrini, quo frumenta inferuntur, & efferuntur farinæ: sine his enim opus pistrini consistere non valet: & analogice intelligunt quidquid hominis vitam ex necessitate tolerat.

*V.* 7. ET VENDITO EO ACCEPERIT PRETIUM. Hebr. varie convertunt. 1. *Et negotiatus fuerit cum eo*: *aut vendiderit eum*; 2. *Et merebit cum eo*, *aut vendiderit eum*; 3. *Et ad opus suum fuerit eo usus*, &c. 4. *Et abusus servitio fuerit in eo*, &c. 5. *Et ad quæstum abusus fuerit eo*. Possis reddere: *Et commanipulabit se cum eo*; id est, manipulum, colligationem, contubernium faciet cum eo. Vide cap. xxi. vers. 14.

*V.* 8. OBSERVA DILIGENTER NE INCURRAS PLAGAM LEPRAE. Hebr. *Observare in tactione lepræ*, *ad observare valde*; id est, cave solicite ut observes leges quas tuli Levit. xiii. & xiv. de lepra, & leprosis: nimirum ut separentur ab aliorum consortio, ne populum contagione inficiant, quem sanum, validum, integrum, purum velit Deus: exemplo Mariæ confirmans, cui nobilissimæ feminæ non est parsum quin affecta lepra non maneret extra castra, Numer. xii. multo minus respectum ea in re aliis habendum.

*V.* 10. NON INGREDIERIS DOMUM EIUS: exponunt, accepturus scilicet pignus quod tibi placuerit, quod esset vim inferre; sed quod debitor protulerit pro sua facultate, id accipias. Adde, quod ipsa sola ingressio speciem violentiæ præfert. Alii: *Ne ingressu tuo creditor debitori pudorem facias*.

*V.* 12. NON PERNOCTABIT APUD TE PIGNUS. Hebr. *Non cubabis*, vel *non dormies in pignore eius*. Fortasse innuit ne utatur pignore pro strato accubitus sui, e versu sequenti: *Et cubabit in vestimento suo*; ut intelligat de veste stragula. Alii: *Non dormies cum pignore eius*; id est, non manebit pignus apud te nocte sequente proxima; quasi dicat, ipso die quo dederit, reddes antequam eas cubitum. Quidam reddunt: *Ne cubato habens pignus eius*.

*V.* 13. BENEDICAT TIBI. Etiamque benedicant tibi lumbi eius, ut Iob loquitur elegantissime cap. xxxi. vers. 20. ET HABEAS IUSTITIAM CORAM DOMINO

NO DEO TUO; id eſt, vere iuſtus eris in conſpectu Domini, qui opus tuum ut iuſtum & bonum approbabit. Alii: *Imputabitur tibi a Deo pro eleemoſyna*, *ac fructu veræ iuſtitiæ* nos iuſtificantis ad gloriam ſuam. Notum eſt iuſtitiam ſæpius pro eleemoſyna capi, ut Matthæi VI, 1.

*V.* 14. SIVE ADVENAE QUI TECUM MORATUR IN TERRA. Hebr. *aut de peregrino tuo*, *qui in terra tua*, *&c.* Quidam, *aut de peregrino tibi*, vel *aut de peregrinis apud te*, *&c.*

*V.* 15. ET EX EO SUSTENTAT ANIMAM SUAM. Hebr. *Et ad eam ipſe levans animam ſuam*. Recte Noſter *levans*, id eſt tolerat, ſuſtinet, ſuſtentat vitam ſuam. Quidam: *Et ad illam ipſe elevat animam ſuam*; id eſt, totam ſpem in ea mercede ponit, quia ex ea vivit: vel *quare ad eam ipſe attollit animum ſuum*; id eſt, eo ſpectat, & animum erigit, ſperans ſe illa præſenti inopiæ conſulturum. Vide de hoc verſu Levit. XIX. verſ. 13.

*V.* 16. NON OCCIDENTUR PATRES PRO FILIIS, &c. Futurum Hophal יומתו *iumetu*, quod ter in hoc verſu ponitur, proprie eſt, *ſententia iudicum morientur*, *interficientur*, *interimentur*, *morti tradentur*, *morte afficientur*, *plectentur*, *mulctabuntur*. Vide Exod. XXXI. verſ. 14. Atque hic intelligunt, in punitionibus & actionibus politicis. Vide eamdem ſententiam II. Regum XIV. verſ. 6. & II. Paralip. XXV. verſ. 4.

*V.* 17. ET PUPILLI: intelligunt, aut etiam viduæ, per ſynecdochen: quemadmodum & membrum proxime ſequens oportet accipi. Neque enim veſtis peregrini aut pupilli in pignus eſt accipienda.

*V.* 19. SED ADVENAM, ET PUPILLUM, ET VIDUAM AUFERRE PATIERIS. Hebr. maiori emphaſi: *Peregrino, orphano*, *& viduæ erit*. Exponunt, quaſi dicat, qui ſecus facit, is iure ipſorum eos fraudaverit: ſive dominus ſit meſſis, qui rem oblivione prætermiſſam audeat recipere; ſive alius quiſquam non indigens, qui rem pauperibus aliiſque addictam in rem ſuam vertat ſacrilege. Vide Levit. XIX. 9. Sic infra verſ. 20. & 21.

*V.* 20. SI FRUGES COLLEGERIS OLIVARUM. Hebr. *Cum decuties olivam tuam*. Id tempus *olivetam*, ſeu *olivitatem*, aut *olivitionem* veteres Latini dicebant, auctoribus Feſto & Nonio. QUIDQUID REMANSERIT IN ARBORIBUS, NON REVERTERIS UT COLLIGAS. Paraphraſi uſus eſt. Hebr. תפאר *tepaer* varie convertunt. I. *Non ſcrutaberis ramos*: vel *non ramos requires poſt te*; id eſt, quos reliqueris poſt te. Ex verbo: *Non ramiculabis*; *non ramificabis poſt te*; id eſt, non ſcrutaberis, aut rimaberis ramos iam a te excuſſos, an fructus aliquos reliqueris, quos excutias: nec ramos de quibus olivæ ſunt decuſſæ, iterum concuties: non verberabis ramos iam verberatos. II. *Ne ramos ſigillatim recognoſcito*, *poſtquam excuſſeris*. III. *Non deiicies poſt te*; id eſt, id quod remanet in ramis poſt te. IV. *Non deramificabis poſt te*; id eſt, quod vulgo dicitur *eſbronchar*; id eſt non detruncabis, excides ramos qui poſt te ſunt. Significationem verbi פאר *paar*, deducunt a פארה *purah*, *ramus* (Hiſpanicus Interpres, *No ramonearas tras ti*; id eſt non concuties, & agitabis ramos.) V. *Ne diligentius ſtringas poſt te*. VI. *Non decorabis*, *ornabis poſt te*: volunt eſſe elegantem Hebraiſmum, pro *non racemabis*, quaſi dedeceant, & dedecorent pauca illa grana, ſeu olivæ, quæ remanſerunt. VII. Alii ſignificatione contraria, ut verbum פאר *peer* ſit *dedecorare*, *ornatum adimere*, more multorum verborum Hebraicorum: *Non dedecorabis poſt te*; id eſt, non prives oleam tuam ornatu ſuo: decet enim ut aliquid pauperibus in ea relinquas, ſicut ſequitur: ſed advenæ, pupilli, & viduæ erit. Et ut Moſes de olea prohibet, ne ea omnino deornetur; ita mox vetat de vinea ne תעולל *tegholal*, *racemetur*: quod ſimiliter in contraria ſignificatione ponitur. Vide Levit. XIX. verſ. 10.

## MENOCHII.

*Verſ.* 1. HABUERIT. LXX. *cohabitaverit*. Chaldæus, *concubuerit*. PROPTER ALIQUAM FOEDITATEM, ſive vitium ſit corporis, ſive animi, quæ fœditas quædam moralis eſt. SCRIBET LIBELLUM REPUDII, quo citra peccatum, Deo ita diſpenſante, ſolvebatur matrimonium. Erat autem hic liber charta, vel ſchedula quæpiam, quam maritus dabat uxori, eique poteſtatem faciebat abeundi quo vellet, & nubendi cui vellet.

*V.* 2.

*V.* 2. ALTERUM MARITUM DUXERIT, quod soluto matrimonio priori, licite facere poterat.

*V.* 4. QUIA POLLUTA EST, ET ABOMINABILIS FACTA CORAM DOMINO. Quia ex coniunctione cum secundo marito indecentia quædam existit, sine qua non possit ad priorem maritum redire: videretur enim primus maritus non ex animo in repudium consensisse, sed potius alteri eam, in temporariam separationem consentiendo, concedere voluisse, ut corpore uxoris suæ abuteretur. Itaque reditus hic ad primum virum damnatur, & abominabilis Domino dicitur. NE PECCARE FACIAS TERRAM TUAM; hoc est, ne simili permissione, & conniventia terra vestra peccatis polluatur.

*V.* 5. VACABIT... DOMI SUAE, ut oportunus & tempestivus coniugibus concederetur, & amor inter eos magis firmari posset. Similis lex habetur supra cap. xx. 7.

*V.* 6. INFERIOREM ET SUPERIOREM MOLAM. Sensus est, non esse auferenda pignoris loco ea sine quibus homo vivere non potest, cuiusmodi sunt tam inferior mola quam superior: alterutra enim sublata frumentum commoli non potest. QUIA ANIMAM SUAM OPPOSUIT TIBI. Hebr. & LXX. *Quia animam suam dat in pignore*, id est rem sine qua vitam tueri non potest.

*V.* 7. SOLICITANS FRATREM SUUM: ut videlicet frater, id est proximus, se ei subiiciat, eumque sequatur ad alienigenas, quibus eum vendat. Vel *solicitans*, id est vexans eum in servitutem rapiendo. In Hebræo, Chaldæo, & LXX. habetur: *Cum repertus fuerit vir furans animam*.

*V.* 8. NE INCURRAS PLAGAM LEPRAE, quam Deus immittet, si sacerdotum imperiis proterve inobediens fueris: hoc enim supplicio solebat Deus rebellionem, & proterviam in sacerdotes vindicare: habes exemplum in Maria sorore Mosis Num. xii. & in Ozia Rege II. Paralip. xxvi.

*V.* 10. NON INGREDIERIS DOMUM, &c. Ratio legis est, ne creditor quam rem velit, pro libito accipiat in pignus, fratremque contristet; sed electio pignoris tota debitori permittatur.

*V.* 12. NON PERNOCTABIT APUD TE PIGNUS. In Hebræo, Chald. & LXX. *Non dormies in pignore eius*, seu *cum pignore*: quod intellige, si eiusmodi sit ut illo ad dormiendum, ac sese nocte tegendum pauper indigeat, ut si stragulum, aut vestimentum sit. Voluit Dominus tam brevi concessione pignoris, avertere creditores, ne illa a debitoribus acciperent, quæ licet quotidie accepta, quotidie reddenda essent.

*V.* 13. UT HABEAS IUSTITIAM: misericordiam, quæ aliquando in Scripturis iustitia appellatur, quia iustorum est propria; cum e contrario viscera impiorum sint crudelia, ut dicitur Proverb. xii. 10.

*V.* 12. EX EO SUSTENTAT ANIMAM SUAM: pauperes enim operarii in in dies vivunt, ipsi, & ipsorum familiæ.

*V.* 16. UNUSQUISQUE PRO PECCATO SUO MORIETUR. Dei tamen iussu, qui vitæ & mortis est Dominus, aliquando filii propter peccata parentum necati sunt, ut filii Achan Iosue vii. & filii Saulis II. Reg. xxv.

*V.* 17. NEC PERVERTES IUDICIUM ADVENAE, ET PUPILLI, hi enim iniuriæ magis opportuni esse solent.

*V.* 18. MEMENTO QUOD SERVIERIS IN AEGYPTO, &c. ut malis eruditus, aliis compatiaris; & ut memor beneficii divini, quo ex AEgypto eductus es, hac recordatione ad obediendum Domino exciteris.

*V.* 19. QUANDO MESSUERIS, &c. Iubetur hic, & Levit. xix. 9. ut spicilegium, & racematio, ut etiam olivæ, quæ post collectionem in arboribus reliquæ fuerint, relinquantur pauperibus. Iosephus IV. Antiq. viii. ait, etiam dedita opera aliquid pauperibus fuisse dimittendum.

## TIRINI.

*Vers.* 1. LIBELLUM REPUDII; hoc est, chartam, seu schedam qua maritus uxori potestatem faciebat abeundi quo vellet, & alteri nubendi cui vellet. Hac enim lege concedebat Deus non solius tori disiunctionem, sed etiam matrimonii dissolutionem, ut uterque alteri nubere posset. Colligitur ex vers. 2. & Malachiæ ii. vers. 16. & Matthæi ix. vers. 9. & testatur Iosephus, eam

fuisse praxim Iudæorum. Consulebatur autem hac via maxime feminarum bono, quæ alioqui sæpius ab iratis maritis necatæ fuissent. Continebantur nihilominus eædem quoque in officio, ne quid admitterent quod repudio causam daret. Neque enim licebat repudiare nisi iustam ob causam, scilicet ob aliquam fœditatem; hoc est, si uxor displiceret marito propter rem aliquam fœdam. Tertullianus, & Burgensis id restringunt ad adulterium durante coniugio, vel fornicationem ante commissam, sed post initum coniugium detectam. Verum hæc non divortio, sed morte plectebantur, ut patet cap. XXII. vers. 21. & 22. Sola vero adulterii suspicio purgabatur haustu poculi zelotypiæ, Numeror. V. Ergo fœditatis nomine hic generaliter intelligitur id omne quod merito censeatur devenustare, & turpem reddere uxorem; seu id physicum quid sit, verbi gratia epilepsia, lepra, frequens mania, perpetuus aliquis morbus, sterilitas: sive morale quid, ut inobedientia, pertinacia, dicacitas, iurgia perpetua, furta, veneficii, vel gravioris criminis suspicio probabilis, & quidquid iure reddat uxorem valde exosam marito.

Nota, quod dato libello repudii, si maritus redire vellet in gratiam cum coniuge repudiata, priusquam illa alteri iungeretur, poterat id facere; at post coniunctionem cum altero non poterat redire ad priorem maritum, etsi forte contingeret illam simili repudio ab illis secundis nuptiis exsolvi. Ratio hic additur.

*V.* 4. QUIA IAM POLLUTA EST, scilicet semine secundi viri, & macula seu indecentia ex copula cum secundo marito. ET ABOMINABILIS FACTA EST CORAM DOMINO. Hebraice est *Abominabile hoc*, seu transcursus iste de toro in torum, *coram Domino*, id est vere, & a parte rei, & Dei ipsius iudicio; cui merito displicet turpis illa species vagi repetitique concubitus, & orbicularis nuptiarum regressus.

*V.* 6. NON ACCIPIES LOCO PIGNORIS INFERIOREM ET SUPERIOREM MOLAM, seu lapidem molarem: quia scilicet pauperculi absque illis frumentum commolere non possunt; atque ita animam, id est vitam ipsorum, quam tibi oppignorarunt, seu oppignorarunt, misellis intercluderes, id ipsis auferendo sine quo victum sibi parare non possunt. Simili de causa vetat vers. 10. ne creditor pro libito suo, etsi fretus publica iudicis auctoritate, vel stipatus ministro iustitiæ, deligat sibi in pignus quidquid e supellectili debitoris arriserit; sed iubet designationem pignoris totam permitti arbitrio debitoris. Quin & vers. 12. si debitor forte præ inopia cogatur in pignus dare vestimentum aut stragulum, quo ad se tegendum indiget, iubet id illi reddi ante solis occasum: hoc ipso inhibens, ne huiusmodi reculæ pauperi quotidie necessariæ accipiantur quovis modo in pignus.

*V.* 7. HOMO SOLICITANS FRATREM SUUM. Hebræa, Chaldæa, & LXX. habent *furans*, nempe vel aperta vi, vel dolo, & promissis falsis pelliciens ut se ei subiiciat, & sequatur ad alienigenas, quibus eum tunc vendat. Iubet ergo hic plagiarium vel evidentia facti, vel in iudicio convictum, capite plecti.

*V.* 8. OBSERVA NE INCURRAS PLAGAM LEPRAE, divina ultione infligendam, si superioribus inobediens fueris, maximeque si sacerdotum imperiis obgannieris, exemplo Mariæ sororis Moysis *a*, ut sequitur vers. seq. & Oziæ regis Iuda, II. Paralipom. XXVI.

(*a*) Num. XII.

## GORDONI.

*Vers.* 1. CErtant Interpretes, an hæc lex repudii fuerit nuda permissio (ut in usura) seu immunitas a pœna; an vero dispensatio, seu concessio cum immunitate a peccato. Sane secunda hæc interpretatio est probabilis, immo ita ut sic solveretur vinculum matrimonii per coniunctionem cum secundo marito. tum quia ex versu 4. non potest a secundo redire ad priorem maritum; tum quia in Hebræo vocatur *libellus excisionis*, ספר כריתות *sepher ceritath*; radix כרת, *succidit*, *amputavit*: *βιβλίον ἀποςασίου*. Est quidem illud Matth. XIX. vers. 8. dari hoc ob duritiam cordis; sed talis causa non excludit, nec impedit dispensationem. Nec tamen reiicio priorem interpretationem. Ceterum hoc ius repudii tantum erat mariti, non vero uxoris, ex Iosepho Lib. XV. cap. XI. Christus vero citato loco Matthæi revocat totam dispen-

pensationem, & ius repudii, & reducit matrimonium ad primam suam institutionem, & statum, quo post consummationem non solvitur: ita ut nec apud Paganos nunc sit ius repudii legitimum. FOEDITATEM. Fœditas est hic quidquid merito displicet marito.

V. 5. INIUNGETUR. An etiam liber a tributis, quod aliqui suspicantur?

V. 6. NON ACCIPIAS MOLAM, hoc est molarem lapidem, utpote molitori necessariam ut vivat: QUIA ANIMAM SUAM OPPOSUIT TIBI; hoc est, dedit tibi in pignus vitam, dum aufers molarem lapidem.

V. 7. SI DEPREHENSUS FUERIT, &c. hoc est, ut habent Septuaginta, *cum repertus fuerit vir furans animum*. Plagii crimen est, dum rapitur in servitutem liber. Vide Exod. XXI. vers. 16. ubi plagio decernitur pœna mortis.

V. 10. 11. & 12. CUM REPETES, &c. Exigens quod sibi debetur, relinquat debitori liberum ut det pignus quod voluerit, ne intret demum creditor, ut ipse pignus eligat. Lege Ioseph. Lib. IV. Antiq. cap. VIII. Quod si pauper debitor egeat illo pignore, reddatur eodem die. Vide Exod. XXII. vers. 26.

V. 13. HABEAS IUSTITIAM. Hebr. *Et tibi erit iustitia* Sept. *misericordia*.

V. 16. NON OCCIDENTUR PATRES, &c. Vide Exod. XX. vers. 5. ubi ostensum tamen est aliquando aliter contingere, cuius exemplum extat Iosue VII. & II. Reg. XXII. de filiis Saulis.

# CAPUT XXV.

*Quot plagis reus cædendus, bovi trituranti os non alligandum, semen fratri suscitandum, pœna mulieris verenda apprehendentis, non committenda in pondere & mensura iniustitia, Amalecitæ delendi.*

1. I fuerit causa inter aliquos, & interpellaverint iudices: quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis. 2. Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis: prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus: 3. ita dumtaxat, (*a*) ut quadragenarium numerum non excedant: † ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. 4. (*b*) Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas. 5. (*c*) Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui: 6. & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen eius ex Israel. 7. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, & interpellabit maiores natu, dicetque: (*d*) * Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel: nec me in coniugem sumere. 8. Statimque accersiri eum facient, & interrogabunt. Si responderit: Nolo eam uxorem accipere: 9. accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede eius, spuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. 10. Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati. 11. Si habuerint inter se iurgium viri duo, & unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, * miseritque manum, & apprehenderit verenda eius: 12. * abscides manum illius, nec flecteris super

eam

eam ulla misericordia. 13. Non habebis in sacculo diversa pondera, maius & minus: 14. nec erit in domo tua modius maior & minor: 15. pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi: 16. abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & aversatur omnem iniustitiam. 17. (e) Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto: 18. quomodo occurrerit tibi: & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum. 19. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes, in terra, quam tibi pollicitus est: delebis nomen eius sub cælo. Cave ne obliviscaris.

(a) II. Corinth. XI. 24. (b) I. Corinth. IX. 18. (c) Matth. XXII. 24. Marc. XII. 19. Luc. XX. 28. (d) Ruth IV. 5. (e) Exod. XVII. 8.

## BRUGENSIS

### ROMANAE CORRECTIONES.

V. 7. *Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel*. Alii pro *nomen* quod est ὄνομα, scribunt *semen*, quod est τὸ σπέρμα; male.

Sequitur: *Nec me in coniugem sumere*. Non commutes vocem *coniugem* cum voce *coniugium*.

V. 11. *Miseritque manum*. Quidam antiqui libri tollunt encliticam coniunctionem *que*.

V. 12. *Abscides manum illius*. Ita legunt antiqui libri *abscides*, ex *ab* & *cædo*, pro *abscindes*, ex *ab* & *scindo*: similiter Matth. v. vers. 30. & alibi.

### LECTIONUM VARIETAS.

V. 3. *Ne fœde laceratus ante oculos tuos, abeat frater tuus*. Unum manuscriptum, pro *abeat*, legit *habeatur*, alterum monstrat signum varietatis: verisimilis est coniectura legendum *iaceat*.

## COMMENTARIA

### S A.

*Vers.* 2. MODUS, scilicet lege definitus.

*V.* 3. ABEAT, scilicet e vita, vel ex eo loco. Quidam legunt, *obeat*. Hebr *vilescat*. Chald. *ignominiam patiatur*.

*V.* 5. ACCIPIET EAM FRATER. Poterat eam accipere, etiamsi aliam uxorem haberet: Iustin. qu. CXXXII.

*V.* 6. APPELLABIT; quasi dicat: Habebitur prioris filius, eiusque heres erit.

*V.* 7. PORTAM: scilicet ubi ius dicebatur.

*V.* 9. FIET; id est, æquum est fieri.

*V.* 11. MISERITQUE. Hebr. Chald. & LXX. *Accesserit, & miserit*.

*V.* 12. ABSCIDES, scilicet o iudex.

*V.* 14. MODIUS. Hebr. *epha*.

*V.* 15. IUSTUM ET VERUM. Hebr. *perfectum & iustum*. ÆQUALIS ET VERUS. Hebr. *perfectus & iustus*.

*V.* 18. FAME ET LABORE. Hebr. & Chald. *lassitudine & fatigatione*.

*V.* 19. NOMEN EIUS: scilicet ut detur oblivioni, quasi numquam fuisset. Hebr. & Chald. *memoriam eius*.

### ESTII.

*Vers.* 2. & 3. PRO MENSURA PECCATI ERIT ET PLAGARUM MODUS; ITA DUMTAXAT UT QUADRAGENARIUM NUMERUM NON EXCEDANT. Vetat Moyses in plagis seu flagellis excedi numerum quadra-

dragenarium, etiamsi forte maiorem numerum plagarum commeritus esset: quia agit hic de eo qui nondum erat condemnatus ad mortem, & cuius delictum nondum morte puniri poterat. Atqui si ultra quadraginta multiplicatus fuisset numerus plagarum, metuendum erat, ne inde moreretur: atque ita modus pœnæ excessisset mensuram peccati. Et hoc est quod additur: NE FOEDE LACERATUS ANTE OCULOS TUOS ABEAT FRATER TUUS. Quod vero Paulus de se ait II. Cor. XI. *A Iudæis quinquies quadragenas una minus accepi*, intelligendum est, Iudæos ex consuetudine circa hanc legem observasse, ut non integrum plagarum numerum inferrent, sed unam remitterent, sive specie misericordiæ, sive ut eo remotiores essent a periculo excedendi numerum quadragenarium a lege constitutum, scilicet quia numerando plagas errare potuissent. Vide Comment. nostrum ibidem.

*V.* 5. ACCIPIET EAM FRATER EIUS, ET SUSCITABIT SEMEN FRATRI SUO. Hebraice est, *Cognatus eius*. Atque adeo si frater non erat, debebat mulier coniungi ei qui maritum eius proxime contingebat, ut patet ex Libro Ruth. Quin etiam si frater, accepta fratris uxore, etiam sine liberis mortuus esset, debebat alius adhuc frater eam accipere, & primo fratri vel fratribus suscitare semen. Probatur id tum ex Genes. XXXVIII. ubi mortuo secundo fratre, tertius promittitur ipsi Thamar; quo non præstito, Iudas quoque culpam iniustitiæ agnoscit, dicens: *Iustior me est, &c.* Et verisimile est idem hac lege præceptum fuisse, quod iure quodam, ut videmus, ante legem servabatur; tum etiam hæc expositio confirmatur, quod ex hac lege Sadducæi in Evangelio quæstionem proponunt de septem fratribus, quorum unus post alium eamdem uxorem acceperint.

*V.* 6. ET PRIMOGENITUM EX EA FILIUM, NOMINE defuncti APPELLABIT, UT NON DELEATUR NOMEN EIUS. Non est sensus, imponendum esse primogenito ipsum nomen fratris defuncti (neque enim Booz filium natum ex Ruth vocavit Mahalon, sed Obed) sed sensus est, vocabit eum non filium suum, sed filium illius defuncti; & quod ad eum pertinebit defuncti hereditas, eumque in illa genealogia scribet patrem. Nominat autem *primogenitum*, scilicet quia reliqui nascebantur nomine viventis, atque eius censebantur filii, & heredes.

## MARIANAE.

*Vers.* 1. IUSTITIAE PALMAM. Hebr. *Iustificabunt iustum*. Goth. *Iustitiam palam dabunt*, nempe iusto. Iudices qui fuerint, pronuntient pro iusto.

*V.* 3. UT QUADRAGENARIUM NUMERUM NON EXCEDANT. Intellige *una minus*, iuxta illud II. Cor. XI. vers. 24. *Quinquies quadragenas, una minus, accepi*; atque ita traditio est Iudæorum. NE ...... ABEAT FRATER TUUS. Hebr. *Et vilescat frater tuus coram te*.

*V.* 4. NON LIGABIS OS BOVIS TERENTIS. Sept. *triturantis*, ut I. Corinth. IX. vers. 9.

*V.* 5. ACCIPIET EAM FRATER EIUS, ET SUSCITABIT SEMEN FRATRIS SUI. Hebr. *Levir eius ingredietur ad eam, & accipiet eam sibi, in uxorem, & maritabit eam*.

*V.* 7. QUAE EI LEGE DEBETUR, scilicet uxor fratris. Hoc non est in Hebræo, neque in Sept. NON VULT ..... SUSCITARE SEMEN FRATRIS SUI; id est, me ducere non vult.

*V.* 15. PONDUS HABEBIS IUSTUM. Hebr. *Lapis perfectus, & iustitia erit tibi*. Sed pondera e lapide erant.

*V.* 19. CUM ERGO DOMINUS DEUS TUUS DEDERIT TIBI REQUIEM, ET SUBIECERIT CUNCTAS PER CIRCUITUM NATIONES. Hieronymus frequenter Paraphrastem agit. Hebr. sic: *Et erit, cum requiem dederit Dominus Deus tuus tibi ab omnibus inimicis tuis ex circuitu*, pro in circuitu. DELEBIS NOMEN EIUS, scilicet Amalec.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. SIN AUTEM EUM QUI PECCAVIT, DIGNUM VIDERINT PLAGIS. Hebr. *Et erit, filius percutere*, seu *percutiendi, improbus*. Hic infinitivus nominaliter ponitur, pro filius percussionis, vel garum, aut filius percutiendus, id est flagris dignus, flagrio. Si flagris dignus fuerit, condemnatus, vel

pro

pronuntiatus improbus. PRO MENSURA PECCATI ERIT ET PLAGARUM MODUS. Hebr. *iuxta sufficientiam improbitatis eius in numero*. Quidam, *pro qualitate impietatis eius*, *iuxta numerum in lege constitutum*. Alii, *iuxta impietatem eius*, *idque certo numero*. Nonnulli, *pro improbitate eius*, *numero*.

*V.* 3. ITA DUMTAXAT UT QUADRAGENARIUM NUMERUM NON EXCEDANT. Hebr. *Quadraginta* plagis *percutiet eum*; vel *cædendum curabit eum*; id est, numerum hunc non excedet: quamobrem ut ab huius legis transgressione caveretur, statuerunt antiqui ne amplius triginta novem plagæ infligerentur: quibus se quinquies affectum fuisse scribit Apostolus II. Corinth. XI. vers. 24. NE FOEDE LACERATUS ANTE OCULOS TUOS ABEAT FRATER TUUS. Heb. *Et levifiet frater tuus in oculis tuis*: vel *& vilescet frater tuus*, *&c.* id est, ne pluribus plagis affectus moriatur, ut animal contemptibile & vile, te inspectante; quasi dicat, Ne sit tibi vilis anima. Alii: Id est, ne minor illius cura & ratio habeatur, quam lex Dei iubet, & humanitas postulat.

*V.* 4. NON LIGABIS. Verbo חסם *chasam* hæc omnia subsunt, *Non occludes*, *obturabis*, *coercebis*, *vincies*, *frænabis*, *capistrabis*. Hispanicus Interpres, *No embocaras al buey*. Vide allegoriam huius loci apud Paulum I. Corinth. XIX. vers. 9. & I. Timoth. V. vers. 18.

*V.* 5. FRATRES SIMUL. Exponunt: Id est, pariter hereditatem communem habebunt in eadem paterna familia. ET UNUS EX EIS. Intelligunt primus ex eis, phrasi Hebraica. Sic, inquiunt, videtur accipi oportere, ut alibi passim, vel Sadducæis ipsis interpretantibus, Matth. XXII. vers. 25. Est autem hæc lex partim cæremonialis, partimque civilis. Cæremonialis, qua respiciebat ut benedictio ad primogenitos, vel subrogatos filios in locum eorum permearet; civilis autem, qua procurabat familiarum, hereditatumque legitimum numerum constanter observari, qui imperatus est Numer. XXVI. Ad priorem vero, quæ primogenita Christi numquam intermoritura figurabat, iam olim Patres respexerant, ut est exemplum Genes. XXXVIII, vers. 8, Posteriorem indicat sequens versus, & reliqua in iure cæremonia. Etsi ex vi nominis, & coniugati verbi in fine huius versus, apparet legem esse non remotioribus proprie consanguineis, sed ipsis fratribus germanis latam, eorum qui sine liberis moriebantur: ideoque illius exceptionem esse, quæ habetur Levitic. XVIII. vers. 16. Deinde vero ex ordine naturæ ad agnatos pertinentem. Ita illi. Alii, *unum ex eis* intelligunt unumquemque ex illis; voluntque sensum legis esse, si aliquis ex fratribus illiberis mortuus fuerit, frater superstes ducat eius uxorem, ut ei defuncto suscitet semen. Sed interpretatio Sadducæorum, & factum Iudæ in Onan filio, satis evincunt hac lege consultum iuri primogenituræ, ut si filius primus, vel frater primus sine liberis defunctus esset, sequens frater, ducta mortui uxore, filios ei generaret, qui ius primogenituræ in paterna familia nanciscerentur. Ceterum hanc legem de ducenda uxore fratris defuncti, postea extensam ad consanguineos & affines, non tantum fratres, nimirum ad propinquos alios, ad quos ius redimendi ab illo vendita pertinebat, ex lege altera Levit. XXIV. vers. 25. ex historia Ruth, & usu & consuetudine Hebræorum apparet. ET SUSCITABIT SEMEM FRATRIS SUI. Hebr. *Et leviritabit*, *levirabit eam*. Vide vim verbi יבם *iabam*, Genes. XXXVIII. vers. 8. Quidam hic reddunt: *Et cognatam efficiet eam*; vel *cognationis*, seu *affinitatis iure ducet*; id est, capiet eam in uxorem tamquam cognatam suam, vel iure propinquitatis. Aliqui: *Fratriabit eam*; id est, iure fratris, ducet fratriam suam. Nec desunt qui: *Et cognationis iure erga eam utetur*. Quidam: *Et leviri officium præstato ei*. Quibusdam Hebræorum placet, verbum *iabam*, *leviritare*, vel *levirare*, hic contraria significatione, ut aliis verbis Hebraicis accidere solet, dici pro *auferre*, *tollere leviratum*: *Et leviratum amovebit ei*; id est, desinet esse ei levir, & fiet maritus. Ergo quod hic iubetur levir ducere uxorem fratris sui defuncti, quidam intelligunt, si ipse ab uxore liber est: nam ne quidem hoc nomine duabus simul uxoribus licebat uti. Vide Levitic. XVIII. vers. 28.

*V.* 6. NOMINE ILLIUS APPELLABIT. Hebr. *Surget super nomen fratris sui mortui*.

*mortui*. Quidam: *Stabit nomine fratris sui defuncti*. Alii: *Succedet in nomen fratris illius mortui*; hoc est, dicetur ac censebitur filius mortui fratris, & ad eum pertinebunt defuncti hereditas, & omnia eius iura. Nec erat necesse quod eodem nomine quo defunctus, appellaretur.

*V.* 7. SUSCITARE NOMEN FRATRIS SUI; id est, generando filium pro eo, efficere ut eius nomen, quod alioqui interiturum esset conservetur.

*V.* 8. SI RESPONDERIT. Hebr. *Et stabit, & dicet*. Quidam exponunt: *Stabit ante* iudices, vel in iudicio. Alii: *Quod si perstat, dicendo*; vel *si persistens dixerit*; id est, si perstiterit, & perseveraverit in sententia.

*V.* 9. ET TOLLET CALCEAMENTUM DE PEDE EIUS. Hebr. *Extrahet, detrahet, exuet, spoliabit calceamentum, &c.* Quidam interpretantur. Id est, publico hoc signo translationem iuris & possessionis ab eo testator: nam calceus possessionis signum erat; detractio vero & traditio alienatæ possessionis & translatæ. Huius legis affine exemplum vide Ruth IV. vers. 7. Calceamentum possessionis esse signum, Psalm. LIX. vers. 10. & Psalm. CVII. vers. 10. indicari videtur. Ceterum in exemplo Ruth non cognata vel affinis, ut hic, sed ipse vir detrahit sibi calceamentum, in signum renuntiati iuris. Nec ibi est sputatio in faciem, quod nimirum non propinquo tanta ignominia irrogatur, ut fratri, qui arctius astringitur ad conservandam successionem fratris. QUI NON AEDIFICAT DOMUM FRATRIS SUI. Notissimus Hebraismus, id est qui non gignit prolem eius nomine, in qua conservetur nomen, domus, & familia eius: nam filii sunt ædificia parentum, & fulcra domus. Vide Genes. XVI. vers. 2.

*V.* 13. DIVERSA PONDERA. Hebr. *lapis & lapis*; vel *diversum pondus*: se ipsum mox exponit, *magnum & parvum*: sic versu sequenti de epha.

*V.* 14. MODIUS. Hebr. *ephah & ephah*, id est diversum ephah: aiunt esse synecdochem, speciem mensuræ pro genere. De epha diximus Exod. XVI. vers. 16. & 36. De lege iustorum ponderum & mensurarum, vide Levit. XIX. vers. 35. 36.

*V.* 18. ET EXTREMOS AGMINIS TUI, QUI LASSI RESIDEBANT, CECIDERIT. Hebr. *Et decaudavit in te omnes debiles*, vel *debilitate affectos, post te*. Quidam: *Et truncavit caudam in te*, vel *truncavit te cauda in omnibus debilibus post te*. Alii: *Et cæcidit caudam in te, &c.* id est, in postremo agmine tuo cæcidit omnes qui debilitate affecti sequebantur te: vel, & carpsit in postremo agmine tuo omnes debiles, qui erant in ipso extremo agmine. Hispanicus Interpres: *Y te desguarnecio la retaguarda de todos los flacos, que ivan de tras de ti*: sensum expressit paraphrasi. Vide Exod. XVII. vers. 8. hanc historiam, cum tamen aliqua hic dicantur quæ ibi silentio transmissa sunt.

*V.* 19. DELEBIS NOMEN EIUS SUB CAELO. Vide Exod. XVII. 14.

## MENOCHII.

*Vers.* 3. UT QUADRAGENARIUM NUMERUM NON EXCEDANT. Ita D. Paulus, *Quinquies*, inquit, *quadragenas una minus accepi*, II. Corinth. XI. 24. Iudæi, ne quadragenarium numerum forte excederent, etiam intra illum se continebant, triginta novem plagis tantum inflictis.

*V.* 4. NON LIGABIS OS BOVIS TERENTIS IN AREA FRUGES. Bobus olim utebantur ad trituram, ut patet ex illo Oseæ X. 11. *Ephraim vitula docta diligere trituram*. Vetat ergo ligari os bovi trituranti, quia par est ut animalia laborantia comedant. Hoc loco utitur Paulus I. Corinth. IX. 9. ad probandum prædicatores Evangelii ex sua prædicatione vivere posse: quamvis enim ad litteram de bobus hæc lex intelligatur; primaria tamen Dei intentio in mysticum sensum ferebatur quem explicat S. Paulus loco citato.

*V.* 5. QUANDO HABITAVERINT FRATRES SIMUL; id est, quando eiusdem tribus, & familiæ fratres fuerint, qui in eodem loco habitare solent, videlicet ubi familiæ est hereditas; sive hi utrumque parentem eumdem haberent, sive alterum dumtaxat, sive aliter eiusdem familiæ fratres dici potuerint. SUSCITABIT SEMEN, prolem scilicet, quæ fratris defuncti nomen, & stirpem propaget.

*V.* 6. NOMINE ILLIUS, fratris scilicet defuncti. Hebr. est, *Primogenitus stabit nomine fratris sui*. *Nomine*, id est loco

co fratris sui: sic Booz filium ex Ruth susceptum non appellavit Mahalon, quo nomine prior Ruth maritus vocabatur, sed Obed. Ratio vero totius huius legis fuit, ne familiarum Israelitarum numerus minueretur, nec hereditates tribuum, & familiarum confunderentur, quod accidisset, si viduæ alienis viris nupsissent: bona enim sua in exteras familias transtulissent.

*V.* 7. AD PORTAM CIVITATIS: ubi scilicet iudicia exercebantur.

*V.* 9. TOLLET CALCEAMENTUM DE PEDE EIUS. Hæc cæremonia, ut etiam spuere in faciem eius, ad ignominiam inurendam pertinebat. Aliqui censent, hanc calcei depositionem iuris sui spoliationem, aut cessionem significare. QUI NON AEDIFICANT DOMUM, id est familiam; hoc est, qui non suscitat proles fratri suo.

*V.* 12. ABSCINDES MANUM ILLIUS, &c. Ratio huius pœnæ est, tum quia pudendum, & ignominiosum est hoc muliebre facinus; tum quia læso hoc membro, generationis, & posteritatis fons omnis intercipitur.

*V.* 13. DIVERSA PONDERA. Sic Proverb. xx. 10. dicitur: *Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.*

*V.* 18. QUOMODO OCCURRERIT TIBI, &c. Historiam habes Exod. XVII. nulla tamen ibi mentio de cæso extremo agmine: quod ibi dictum non est, hic suppletur a Mose. ET NON TIMUERIT DEUM, populum Dei violando, & a tergo, & ex insidiis invadendo.

*V.* 19. DELEBIS NOMEN EIUS SUB CAELO. Idem Exod. XVII. 14. præcipitur, & factum postea a Saule I. Reg. XXV.

## TIRINI.

*Vers.* 3. QUADRAGENARIUM NUMERUM NON EXCEDANT. Iudæi legis huius servandæ studio, metu ne, si quadragenarium numerum complerent, forsan oblivione, inadvertentia, vel impetu animi excederent, in more habebant non nisi triginta novem ictus infligere, teste Iosepho *a*. Unde & Apostolus in suo illo exantlatorum laborum catalogo, *A Iudæis*, inquit *b*, *quinquies quadragenas una minus accepi*. Infligebantur autem hæc verbera flagello seu scutica e nervis aut pelle confecta, teste eodem Iosepho.

*V.* 4. NON LIGABIS OS BOVIS, &c. Ad litteram prohibet Deus ne vel capistro, vel alio impedimento prohibeatur bos vesci ex manipulis in quibus triturandis reipsa laborat: *quia æquum non est*, inquiunt Iosephus & Philo *c*, *vetare laboris socios, quo minus & fructuum sint participes*. Sed allegorico sensu (quem Deus hic primario intendit, & quem Paulus *d* explicat) docentur homines non negare victus stipendium iis qui ipsorum causa laborant, maxime vero Evangelii ministris. Bobus autem triturari solitum non solum apud Iudæos, sed & apud Romanos, & Græcos, & alias gentes, ex Varrone, Columella, Homero, & Athenæo *e* constat: & etiamnum in Canariis insulis in usu esse perhibetur.

*V.* 5. QUANDO HABITAVERINT FRATRES SIMUL; hoc est, quando eiusdem tribus, & familiæ fuerint, qui fere in eodem loco habitare solent, ubi familiæ est hereditas: ET UNUS EX EIS ABSQUE LIBERIS MORTUUS FUERIT, vel si quos moriens habuit liberos, ii ante initum matrimonium exstinguantur; UXOR DEFUNCTI NON NUBET ALTERI quam qui sanguine propinquior defuncto fuerit. Hoc solum tangit uxorem primariam; vel, si plures primariæ defuncto fuissent, eam quam ex omnibus propinquior sibi delegisset.

Petes, quid agendum, si frater defuncti, vel alius quicumque propinquus cui successio debebatur, adhuc infans esset, vel impubis? Respondeo, exspectandam eo casu viduæ fuisse adultam pueri ætatem, ut in simili ante legem fecit Thamar Genesis XXXVIII. vers. 11. Hoc tamen intellige, si modo spes esset quod per diuturnum ætatis lapsum ipsa non fieret ad generandum impotens. Nam si eius rei periculum esset, poterat illa, immo debebat, relicto puero, alteri propinquo defuncti iam maturo nubere, & defuncto semen suscitare.

Petes secundo, quanta fuerit obligatio vel viduæ nubendi propinquo vel propinquo ducendi viduam a defuncto relictam? Respondeo: Ante legem Mosaicam videtur apud Chananæos id strictæ iustitiæ fuisse, ut patet

ex

ex casu Thamar, Genesis XXXVIII. 26. Sed tanta obligatio non videtur lege Moysis admissa fuisse; immo pœna hic vers. 9. apposita, non arguit ullam gravem obligationem. Quin ex facto Ruth (cap. IV.) constat, nullam prorsus obligationem fuisse, si quis alius e fratribus, vel propinquis paratus esset id officium caritatis defuncto exhibere.

Petes tertio, an si defunctus nullum quidem filium, sed tamen filiam reliquisset, nihilominus vidua etiam tunc tenebatur nubere fratri, vel propinquo defuncti? Respondeo: Nec debebat, nec poterat: quia extra casus hic exceptos erat illicitum viduas nubere fratri mariti defuncti, ut patet Levit. XX. vers. 21. Atqui hic casus non excipitur hoc loco, nam & filiæ inter liberos censentur, & eo casu aliter ex lege, Numeror. ult. prospectum erat continuationi nominis, & familiæ defuncti. Nam filia sic sola relicta hereditatem patris adibat; sed conditione, ut ipsa uni de tribu & familia nuberet, cuius prima proles mascula, filius dicebatur non patris ex quo genitus esset, neque eius fiebat heres, neque in eius genealogia nominabatur; sed avi materni & filius censebatur, & heres fiebat, & in genealogia ab avo ad nepotem immediate transitus fiebat.

(a) Ioseph. Lib. IV. cap. VIII. Antiquit.
(b) II. ad Corinth. XI. vers. 24.
(c) Ioseph. sup. Philo Lib. de Caritate.
(d) I. ad Corinth. IX. vers. 9.
(e) Varro Lib. I. de Re rustica cap. XII. Columella Lib. II. de Re rustica cap. XXI. Homer. Iliad. Y. & E. Athen. Lib. XII.

## GORDONI.

*Vers.* 2. SIN AUTEM QUI PECCAVERIT, DIGNUM VIDETUR PLAGIS, &c. Aliquando etiam in causa civili decernebatur flagellatio, nempe ob crimen tunc incidens, ut si quis corrumpat vel testes, vel instrumenta. Vetat lex ne excedatur numerus quadragenarius; & ne casu contingeret excessus, tantum triginta novem plagas inferebant. Hinc II. Corinth. XI. vers. 24. *Quinquies quadragenas, una minus, accepi.* Vide Ioseph. Lib. IV. Antiq. cap. VIII.

*V.* 3. NE... ABEAT FRATER TUUS; id est, ne moriatur.

*V.* 4. Boves triturare solebant in Palæstina. Vult lex ista sensu litterali, ut non claudatur illis os: comedere enim par est. Sensus porro typicus est apud Paulum de concionatoribus, qui sunt ut boves in agro Dei, & (quod significatur I. Corinth. IX. vers. 9.) in lege Evangelica, præcipua cura est, non de veris bobus, sed typice, seu de concionatoribus.

*V.* 5. Nata inde proles censetur esse fratris defuncti. Nomine fratris hic non accipitur cognatus, sed qui habet utrumque, vel alterum parentem communem; nec tantum de primogenito defuncto, sed etiam de minoribus. Ceterum lex hæc obligabat fratres singulos, quemque suo ordine. At quid si defunctus tantum filiam reliquisset? An tunc tenebatur frater superstes, fratriam, hoc est uxorem defuncti ducere? Negant aliqui. Vide Abulensem, qui affirmantem partem tuetur. Infamia recusantis suscitatur vers. 8. & 9. Vide Levit. cap. XVIII. vers. 16.

*V.* 6. FILIUM NOMINE ILLIUS APPELLABIT, scilicet quo ad continuatam successionem familiæ: nam nomen alioqui poterat esse diversum, ut vides Ruth IV. vers. 10.

*V.* 7. QUAE EX LEGE DEBETUR. Nec in Hebr. est, nec apud Sept. NON VULT SUSCITARE: non vult ducere uxorem.

*V.* 12. ABSCIDES. Sermo est ad iudicem.

*V.* 14. MODIUS. Vide Exod. cap. XVI. vers. 36. Modius est Hebr. *ephi*, & continet tria sata.

*V.* 18. & 19. De hoc bello cum Amalec, vide Exod. XVII. hic addit, quod est de extremo agmine, ibi omissum. Porro prædicit hic delendum nomen Amalec, vers. 19. hoc factum est I. Reg. XV. regnante Saule.

### EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 9. TOLLET CALCEAMENTUM. An signum cessionis iuris, an etiam ad ignominiam? NON AEDIFICAT, non suscitet prolem.



## CAPUT XXVI.

*Primitiæ ac decimæ ubi & quibus exolvendæ, & sub qua verborum forma.*

1. CUmque intraveris terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, & obtinueris eam, atque habitaveris in ea: 2. tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen eius: 3. accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus
sum in terram, pro qua iuravit patribus nostris, ut daret eam nobis. 4. * Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui:
5. & loqueris in conspectu Domini Dei tui: Syrus persequebatur patrem meum,
qui descendit in AEgyptum, & ibi peregrinatus est in paucissimo numero: crevitque in gentem magnam ac robustam & infinitæ multitudinis. 6. Afflixeruntque nos AEgyptii, & persecuti sunt imponentes onera gravissima: 7. & clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum: qui exaudivit nos, & respexit
humilitatem nostram, & laborem, atque angustiam: 8. & eduxit nos de AEgypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pavore, in signis atque portentis: 9. & introduxit ad locum istum, & tradidit nobis terram lacte & melle
manantem. 10. Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus
dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui, † & adorato Domino Deo tuo. 11. * Et epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus
dederit tibi, & domui tuæ, tu & levites, & advena qui tecum est. 12. Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio,
dabis levitæ, & advenæ, & pupillo & viduæ, ut comedant intra portas tuas,
& saturentur: 13. loquerisque in conspectu Domini Dei tui: * Abstuli quod
sanctificatum est de domo mea, & (a) dedi illud levitæ & advenæ, & pupillo ac viduæ, sicut iussisti mihi: non præterivi mandata tua, nec sum oblitus
imperii tui. 14. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in qualibet
immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini
Dei mei, & feci omnia sicut præcepisti mihi. 15. (b) Respice de sanctuario tuo,
& de excelso cælorum habitaculo, & benedic populo tuo Israel, & terrræ,
quam dedisti nobis, sicut iurasti patribus nostris, terræ lacte & melle mananti.
16. Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi ut facias mandata hæc atque iudicia: * & custodias & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. 17.
Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, & ambules in viis eius, * & custodias cæremonias illius, & mandata atque iudicia, & obedias eius imperio.
18. * & (c) Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est
tibi, & custodias omnia præcepta illius: 19. & faciat te excelsiorem cunctis gentibus

tibus quas creavit, in laudem, & nomen, & gloriam suam: ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.

(a) Sup. XIV. 29. (b) Isaiæ LXIII. 15. Baruch II. 16. (c) Sup. VII. 6.

# BRUGENSIS

## Romanae Correctiones.

V. 4. *Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua*. Non mutes pronomen secundæ personæ *tua* in tertiæ *eius*.

V. 11. *Et epulaberis in omnibus bonis*. Non est omittenda ea quæ præmittitur coniunctio &.

V. 13. *Abstuli quod sanctificatum est de domo mea*. Adulterinum est quod alii legunt *attuli*; quasi dicat, se huc e domo sua adferre; cum e contrario, negans se domi suæ retinuisse, profiteatur se distribuisse egenis. Genuina igitur lectio est *abstuli*, quæ & Hebræo, Chaldæo, Græcoque consentanea est.

V. 16. *Et custodias, & impleas*. Prius & non est mutandum in *ut*.

V. 17. *Et custodias cæremonias illius*. Nec istud & vertendum in *ut* est.

V. 18. *Et Dominus elegit te hodie*. Istam coniunctionem & quidam vertunt in adverbium demonstrandi *En*, sed pessime.

## Lectionum Varietas.

V. 10. *Et adorato Domino tuo*. Boni libri omittunt copulativam & hoc loco, ut initio proximi versus addunt *Et epulaberis*, &c.

# COMMENTARIA

## SA.

*Vers.* 2. CARTALLO, id est canistro, seu sporta.

*V.* 5. SYRUS, scilicet Laban. PERSEQUEBATUR. Chald. *Quæsivit perdere*. PATREM, scilicet Iacob.

*V.* 7. HUMILITATEM, id est afflictionem.

*V.* 10. DOMINUS DEDIT. Hebr. Chald. & LXX. *Tu Domine dedisti*.

*V.* 12. COMPLEVERIS DECIMAM; id est, satisfeceris debito solvendi decimas debitas levitis in templo, seu tabernaculo servientibus. Vide sup. cap. XIV. & Num. XVIII. DECIMARUM: scilicet quæ dabantur levitis reliquis, & pauperibus tertio quoque anno. TUAS, id est urbis tuæ.

*V.* 13. SANCTIFICATUM. Chald. *decimas sanctificatas*.

*V.* 14. LUCTU, id est egestate; quasi dicat: Non defraudavi decimis eos quibus debebantur, ob egestatem meam. IMMUNDITIA; quasi dicat, ad usum profanum. FUNEBRI, id est in exequiis.

*V.* 15. SANCTUARIO. Hebr Chald & LXX. *sancto habitaculo*. ET DE; pro, id est de.

*V.* 16. HODIE, id est hoc tempore: vel significatur quotidie id cogitandum; renovandamque mentem ea cogitatione.

*V.* 19. NOMEN, scilicet celebre. SANCTUS, id est dicatus.

## ESTII.

*Vers.* 5. SYRUS PERSEQUEBATUR PATREM MEUM, QUI DESCENDIT IN AEGYPTUM, &c. Quidam sic exponunt: Syrus, id est Laban, qui habitabat in Mesopotamia Syriæ, affligebat patrem meum Iacob dura servitute, & defraudatione debitæ mercedis, quem etiam discedentem persecutus est; Iacob autem postea pressus inopia ciborum descendit in AEgyptum. Alii, ut Pagninus, & Vatablus, ex Hebræo vertunt hoc modo: *Syrus peribat pater meus, aut periturus erat*, penuria laborabat. Et ita sensus est: Iacob qui habitavit in Syria, frumenti penuria laborans, ita ut metueret ne ipse cum suis consumeretur inopia, sicut dicitur Genes. XLII. descendit in AEgyptum. Sed sensus eodem fere recidit. Est enim protestatio gratuitæ donationis terræ promissæ.

*V.* 14. NON COMEDI EX EIS IN LUCTU MEO, NEC SEPARAVI EA IN QUA-

QUALIBET IMMUNDITIA, NEC EXPENDI EX HIS QUIDQUAM IN RE FUNEBRI. Non solum non licebat de decimis quidquam in suos, vel alienos usus usurpare, quantumcumque etiam in speciem pios & iustos; quin etiam ipsæ decimæ mundæ esse debebant, id est non contaminatæ contactu alicuius rei immundæ; & ipse quoque qui decimas separabat, debebat esse mundus. Atque hoc est quod offerens hic protestatur: *Non comedi ex eis in luctu meo*, seu tristitia mea, id est in calamitate, seu paupertate mea: etsi indigentia pressus, tamen nihil ex decimis usurpavi. Secundo: *Non separavi eas in qualibet immunditia*, id est ipse immundus existens, vel eas quocumque modo, aut cuiuscumque rei contactu immundas faciens. Et tertio: *Non expendi ex his quidquam in re funebri* (quod Hebr. sonat *pro mortuo*) id est, nihil ex decimis subtraxi in usum exequiarum, faciendo videlicet convivium in sepultura mortui, vel aliquid simile. Hac igitur protestatione significat se decimas offerre & mundas, & integras.

## MARIANAE.

*Vers.* 2. PONES IN CARTALLO, id est calatho, canistro. *Cartallum* vox Græca est, quam ex Sept. sumpsit Hieronymus. UT IBI INVOCETUR NOMEN EIUS. Hebr. *Ut habitet nomen eius ibi. Habitare*, est eius nomine locum vocari & templum.

*V.* 5. ET LOQUERIS. Hebr. *Et respondebis*: sic Sept. sed *respondere* sæpe idem est quod *incipere loqui*. SYRUS PERSEQUEBATUR PATREM TUUM: nimirum *Laban* ut Chald. exprimit, *voluit patrem meum perdere*: scilicet Iacob, dura eum servitute cum oppressit. Hebr. *Syrus periit pater meus*, quod Hebræi de Iacob explicant; & vocari *Syrum*, quoniam diu in *Aram* mansit. Et fortassis ab *Aram* dicta est *Armenia* locis vicina. Hebraica verba pro variis punctis utramque sententiam reddunt, ut modo sunt, significant quod Hebræi volunt: sed si אבד *ibbed* in Piel ponatur, reddit Hieronymus sensum, quod magis placet. Quid enim Iacob vocetur Syrus?

*V.* 13. ABSTULI ...... DE DOMO MEA: sic Sept. & Chald. sed Hebr. est tantum, *de domo*: *Abstuli sanctitatem de domo*. Et videtur significare, secundam decimam, quam aliis annis in templo consumebam, tertio ad egenos converti. Tamen in Numeris diximus, eo anno tertiam decimam non esse datam, sed secundæ novum usum præscriptum.

*V.* 14. NON COMEDI EX EIS IN LUCTU MEO. Significat ad nullos alios usus eam decimam convertisse, nec ex illa instruxisse convivia funebria. NEC SEPARAVI EA IN QUALIBET IMMUNDITIA. Hebr. *Et non tuli ex eo in pollutione*; id est, nihil ex eo attuli quod pollutum esset. NEC EXPENDI EX HIS QUIDQUAM IN RE FUNEBRI. Hebr. *Et non dedi ex eo mortuo*. Quod Hebræus intelligit de sepulcri fabrica, quoniam per *luctum* intelligit funebria convivia; Hieronymus de funere accepit, & de expensa quæ in eo fit. Parum tamen interest.

*V.* 17. DOMINUM ELEGISTI HODIE. Hebræi, *Exaltasti hodie*. Eodem modo versu proximo, pro DOMINUS ELEGIT TE, explicant illi, *Dominus exaltavit te*; sed Sept. & Chald. Hieronymi interpretationem ponunt.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. DE CUNCTIS FRUGIBUS TUIS PRIMITIAS. Notant, nimirum quas sibi in festo pentecostes offerri voluit Deus tributi nomine: quam rem ridicule imitantes ethnici, præmetium Cereri offerebant. Vide supra cap. XVI. vers. 10. De præmetio vide Festum in Præmetio, & in Sacrima; & Iosephum Scaligerum in Coniectaneis ad Lib. V. M. Varronis, de lingua Latina, verbo *Vinalia*. Quidam hic de festo tabernaculorum agi putant: quod eo tempore iam fruges omnes essent maturæ. IN CARTALLO. טנא *tene*, aiunt esse *cophinum*, *corbem*, *sportam*, *canistrum*, *cistam*, *calathum*. Alii, *tinam*, vel *tiniam*. Sed *tinæ* M. Varroni, Festo, Nonio sunt vasa vinaria; ut etiam nobis Hispanis, qui *tinas*, & *tinaias* dicimus.

*V.* 5. SYRUS PERSEQUEBATUR PATREM MEUM. Recte, nam participium אובד *obed*, apte reddi potest *Syrus per-*

*perdens*, *perditor*, *patris mei*: & de Laban intelligunt, qui Syrus seu Mesopotamenus variis laboribus exercuit Iacob: vide Genes. XXVIII. 5. & cap. XXXI. Alii varie convertunt: I. *Syrus ablator patris mei*. Nam Laban interversor erat facultatum Iacobi, Genes. XXXI. vers. 7. Hanc Forsteri interpretationem redarguit Mercerus in hæc verba: *Perperam quidam recentiorum active exponit contra huius verbi naturam, & reclamantibus Hebræis, Syrus ablator patris mei. Nam quod Chaldæus Interpres vertit, Laban Syrus quærebat perdere patrem meum; & noster Interpres, Syrus persequebatur patrem meum: non est dubium, quin sine punctis, quibus tunc carebant Biblia,* אבד *ibbed legerint in Pihel, id est perdebat; non obed, in Kal*. Ceterum nedum Chaldæus & Noster, sed etiam Caietanus, Munsterus, Oleastrius, Steuchus, & Schindlerus active interpretantur: *Syrus perdens patrem meum*, vel *perditor patris mei*; id est, perdere volens, vel conatus est perdere, perdebat patrem meum. Nec est insolens coniugationes significationem interdum permutare, & mutuo sibi commodare. II. *Syrus periens, miser, pater meus*: vel *Syrus perditus, deperditus pater meus*, erat videlicet. Notant, præsens participium *obed* supplere vices *Pahul*, & nominis *Toar*, & dici eleganter de viro paupertate, inopia, miseriisque omnibus affecto, quasi iam perituro, & pene perdito. Syrum hunc pereuntem omnes interpretantur Iaacobum, quod in Syria peregrinatus fuerit, & viginti annorum servitutem apud socerum Laban in Syria servierit, Genes. XXXI. vers. 28. ubi peribat, & in magna anxietate versabatur per totos viginti annos: ut ipse cum Laban expostulans ait Genes. XXXI. vers. 40. *Interdiu æstu confectus sum, noctu glacie*. III. *Syrus penuria laborans pater meus, descendit in AEgyptum, &c.* quasi dicat: Has opes seu divitias non accepimus a parentibus, non a patre nostro Iaacobo, sed a Deo nostro: nam pater noster Iaacob, qui habitavit in Syria, illic laboravit penuria, ita ut ipsi Laban servierit: postea idem in terra Chanaan laborans rursus inopia descendit in AEgyptum tempore famis, &c. Hæc omnia eo tendunt, ut ostendat Moses filios Israel non accepisse terram promissam iure hereditario a parentibus, sed dono Dei. IV. Quidam: *Syrus pater meus periturus erat, & descendit in AEgyptum, &c.* id est, fame periturus fuerat, nisi in AEgyptum descendisset, Hispanicus Interpres: *El Syro mi padre pereciendo* de hambre *descendio a AEgypto*. Nec desunt, qui hic *Syrum patrem meum*, ipsum Abraham intelligant Transeuphratensem & Syrum, qui fame pressus in AEgyptum descenderit, Genes. XII. vers. 10. Sed est sensus alienissimus.

*V.* 12. QUANDO COMPLEVERIS, &c. Hebr. *Cum consummabis decimare decimationem proventus tui, in anno tertio, anno decimationis, &c.* Quidam: *Cum absolveris dare omnes decimas fructuum tuorum anno tertio, qui annus decimarum est*; id est, quo separabantur decimæ comedendæ singulis locis promissæ terræ: & lex illa decimarum complebatur, de qua supra cap. XIV. vers. 28.

*V.* 13. ABSTULI, vel attuli, QUOD SANCTIFICATUM EST DE DOMO MEA. De significatu verbi בער *baghar*, quod Noster hic *abstuli*, vel *attuli* dixit, egimus Numer. XXIV. 22. & supra cap. XIII. vers. 5. Plerique hic vertunt: *extuli, sustuli, removi, tuli, separavi sanctitatem de domo*, vel *separationem de domo*; id est, congregavi decimam istam trietericam sacram, nempe Deo oblatam, & ab ipso imperatam, &c. Ego retinui propriam & genuinam verbi significationem: *combussi, depastus sum sanctitatem de domo*; quasi dicat: Tamquam incensum quoddam & sacrificium igne absumendum sustuli hanc decimam sacram, & removi e domo mea ut darem levitis, peregrinis, &c. vel penitus abstuli e domo mea, ac si igne combustissem, ut nihil omnino eius apud me reservaverim: sic vers. 14. Quidam: *depascere feci*, seu *comedere feci sanctitatem de domo*; id est, decimam quam Domino sanctificaveram aut separaveram, quæ quidem sanctitas erat in domo mea servata. Quidam illud *e domo mea*, exponunt ne cum reliquo proventu adhiberetur ad res domesticas.

*V.* 14. IN LUCTU MEO. באוני *beoni*; varie reddunt. I. *in concupiscentia mea*. II. *in tristitia mea, in luctu, mærore meo*, ab אנה *anah*. Explicant: Id est, hilariter feci, quamvis in re tenui, angustiis, & rerum difficultatibus præssus: quod mihi præter

ter decimas reliquum factum est, non comedi tristis propter alienatas decimas, sive de illis comederim, sive abstinuerim ex lege. III. *in dolore meo*, id est in calamitate, seu necessitate mea; quasi dicat: Etiam egestate pressus non comedi aliquid ex iis decimis Deo sacratis, seorsim, nihil ex eis in usus meos, etiam paupertate vexatus detraxi. De voce *on* disseruimus Genes. XLIX. vers. 3. NEC SEPARAVI EA IN QUALIBET IMMUNDITIA. Hebr. *Et non sustuli de ea in contaminato, polluto, immundo, impuro*; hoc est, ut expenderem aliquid ex iis decimis in rem immundam, pollutam, aut profanam; aut in alium usum quam qui præscriptus est a te. IN RE FUNEBRI. Interpres Hispanicus, *para mortuorio*: Hebr. *in mortuum*, vel *pro mortuo*: quidam, *in funere*. Quasi dicat: Ne in religiosis quidem sumptibus funerum ullam decimarum partem collocavi; sed me continui intra terminos a te præscriptos. Nonnulli putant hic improbari pravum ethnicorum morem, qui mortuis cœnas & cibos parabant, quasi mortui eas gustarent, aut iis delectarentur. Lucianus: *Verum illis persuasum est, umbras ab inferis reduces cœnare quidem, utcumque liceat circum nidorem volitando: bibere autem e foveis mulsum*. S. Augustinus sermone XV. de Sanctis: *Miror cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant: quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant*. Notissima est defunctorum cœna silicernium, de qua vide Festum, & Servium. Fortasse hic profitetur Israelita, se nihil ex sacratis iis trietericis decimis in cœnas defunctorum impendisse, aut silicernia fecisse.

*V.* 15. RESPICE. Heb. *Prospice, aspecta*. Coniugatio Hiphil hic posita, attentam, & providam, seu accuratam inspectionem seu prospectionem indicat. Vide II. Reg. IX. vers. 30. in Notis. DE SANCTUARIO TUO. מעון *maghon*, aiunt esse *caveam*, *habitaculum*, a עוה *ghavah*, *curvitate*, seu *concavitate* dictum. Alii *mansionem*, *receptaculum* reddunt. Quidam notant, forsan ut עונה *ghonah*, *tempus destitutum rei alicui agendæ, ut ineundæ uxori*, significat, de qua voce egimus Exod. XXI. vers. 10. sic & hoc nomine *maghon* certum & destinatum habitaculum designari: unde & pro *stata æde*, quo Israelitæ ad preces & sacra facienda conveniebant, sumi.

*V.* 17. DOMINUM ELEGISTI HODIE. Præteritum האמרת *heemarti*, formulæ Hiphil, quidam Hebræorum volunt mutuare significationem ab אמיר *amir*, quæ vox summum illum *ramum*, seu *palmitum in arbore* significat, qui Latinis dicitur *verber*: unde metaphorice reddunt, *Dominum eminere fecisti, exaltasti, extulisti, elevasti*: ut etiam significatu communicet cum verbo רום *rum*, cognato: ut verber est ramus supremus in arbore. Alii interpretantur: *Iehovam prædicasti, evexisti sermone*, seu *laudibus celebrasti*. Nonnulli Hebræorum: *Dominum dicere fecisti*, id est fuisti causa ut diceret, *quod erit tibi in Deum, &c.* Aliqui: *Iehovam condixisti, addixisti hodie* tibi; vel *Iehovæ condixisti, addixisti te hodie*, id est obstrinxisti. Nec desunt qui convertant: *Iehovam fecisti dicere*, seu *spondere*. *Fecisti ut Iehova dicat*, id est ut spondeat ac promittat tibi. Vel *A Iehova stipulatus es sponsionem hodie*. Aiunt, hic statui summam renovationem fœderis, quod olim ante 439. annos cum Abrahamo Deus pepigerat Genes. XVII. cuius sequitur confirmatio cap. seq. ut vers. 9. illius ostenditur; conclusio vero & consummatio cap. XXIX. & XXX. At ego simpliciter exposuerim: *Ipsum IHUH dixisti hodie ut esset tibi Deus*; id est, edixisti, clare, aperte, ritu solemni pronuntiasti, ex animo & ex corde prodixisti, protestatus es. Hanc esse vim verbi אמר *amar* in Hiphil, ut hic ponitur, existimamus: neque enim alibi quam in hoc versu & sequenti in ea formula reperitur, eadem prorsus vi, & notatione.

*V.* 19. IN LAUDEM, ET NOMEN, ET GLORIAM SUAM. Quidam hanc partem iungunt cum proxime antecedente membro, *Quas gentes creavit ad laudem, & nomen, &c.* quia tam variæ gentes a Deo creatæ, eius magnitudinem ostentant. Plerique cum remotiori membro initio versus: *Et faciet te excelsiorem cunctis gentibus, in laudem, & nomen, & gloriam suam*; id est, faciet te inclytum præ aliis nationibus, ut propterea ipse laudetur, &c. vel quod ipsi celebritati, famæ, & gloriæ vertet. Quidam ad populum referunt, vertuntque: *Cum ut efficiat te sub-*

limem

*limem supra omnes gentes quas fecit, laude, & nomine, & gloria: tum ut sis populus sanctus Iehovæ, &c.* Alii: *Ut ponat te excelsiorem cunctis gentibus, quas fecit: ut sis in laudem, & celebre nomen, & ingloriam: & sis populus sanctus Domino, &c.* id est, ut sis populus laudatus, famosus, inclitus.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. OBTINUERIS EAM, quod factum est septimo anno ab ingressu in Chanaan.

*V.* 2. PRIMITIAS, annuas quæ in festo tabernaculorum offerendæ erant, ut patet Numer. XVIII. 12. Vide ibi dicta. PONES IN CARTALLO. Cartallus cophinus est seu corbis in angustum desinens in ima sui parte.

*V.* 4. PONET ANTE ALTARE, &c. quadam oblationis specie.

*V.* 5. SYRUS, hoc est Laban socer Iacobi qui habitabat in Mesopotamia Syriæ, Genes. XXVIII. 5. QUI DESCENDIT IN AEGYPTUM, non statim, sed aliquot post annis. IN PAUCISSIMO NUMERO, septuaginta hominum, filiorum scilicet suorum, ac nepotum. CREVITQUE IN GENTEM MAGNAM. Vide Exod. I. 7.

*V.* 7. HUMILITATEM NOSTRAM, hoc est humiliationem, afflictionem.

*V.* 8. IN INGENTI PAVORE. LXX. *in visionibus magnis.*

*V.* 10. ADORATO DOMINO DEO TUO, humiliando se coram altari, & orando, ut Deus eum dirigat in bono.

*V.* 11. EPULABERIS, &c. De his epulis dictum supra cap. XII. 7.

*V.* 12. QUANDO COMPLEVERIS DECIMAM CUNCTARUM FRUGUM, &c. De his decimis vide Levit. XIX. 24. & Deuter. XIV. 28.

*V.* 13. QUOD SANCTIFICATUM EST, decimas quas sanctificari, id est separari, & tibi in pauperibus offerri mandasti.

*V.* 14. NON COMEDI EX EIS IN LUCTU MEO: non comedi ex eis immundus existens ex luctu, & funere, quod illicitum est: neque enim quæ in victimas pacificas oblata sunt, ea immundi gustare possunt, ut patet Levit. VII. 10. NEC SEPARAVI EA IN QUALIBET IMMUNDITIA. Non solus ego immundus non fui, sed etiam quod obtuli mundum extitit, a qualibet immunditia illud removi, secrevique ne contaminaretur. NEC EXPENDI EX HIS QUIDQUAM IN RE FUNEBRI: vetitum enim erat ex his decimis Deo sanctificatis detrahere, aut in usum profanum, aut in convivium, pompamve funebrem, sepulcri erectionem &c. impendere.

*V.* 16. TOTO CORDE, &c. omni animi studio, & contentione.

*V.* 17. DOMINUM ELEGISTI UT TIBI SIT DEUS, renovando, & confirmando fœdus antea cum Deo factum.

*V.* 19. ET NOMEN, & famam.

## TIRINI.

*Vers.* 5. SYRUS (hic est Laban) PERSEQUEBATUR PATREM MEUM. Iacobum e Mesopotamia redeuntem in Chananæam, Genes. XXXI. Nam Mesopotamia in qua Laban habitabat, est pars Syriæ, unde & passim in Scripturis *a* vocatur *Mesopotamia Syriæ*:

*V.* 13. QUOD SANCTIFICATUM EST, hoc est omne genus decimarum quæ iussu Dei separandæ erant a reliquis, quasi sanctæ a profanis, ABSTULI DE DOMO MEA, hoc est integras extuli, & huc attuli, nec quidquam ex his domi remansit. Hæc & sequentia continent gratiarum actionem atque in ea protestationem, qua, peractis iam suis sacrificiis & sacris epulis, domum regressuri Iudæi, teste Iosepho supra, publice removebant a se suspicionem omnem defectus alicuius admissi, aut immunditiæ quæ timeri posset in rebus hisce sacris, seu ex parte offerentis, seu ex parte rei oblatæ, seu ex parte usus, verbi gratia, comestionis rei sacræ. Unde subdebant:

*V.* 14. NON COMEDI EX EIS IN LUCTU MEO, scilicet funebri existens, atque ideo immundus ex mortuo: neque enim talibus qui funeri interfuissent licebat vesci sub pœna capitis ex hostiis pacificis, Levit. VII. vers. 20. Addunt: NEC SEPARAVI EA IN QUALIBET IMMUNDITIA; hoc est, nihil etiam eorum quæ Deo offerenda seposui, pollutum aut immundum fuit. Denique: NEC EXPENDI EX HIS QUIDQUAM IN RE FUNEBRI, hoc

hoc est ad rem quampiam immundam. Et vero vetitum erat universim, ex decimis Deo semel sepositis, ad usum profanum aliquid detrahere: quantum ergo flagitium fuisset, si quis quid ex his in rem immundam expendisset? verbi gratia, in pompam funebrem, vel convivium funebre, vel sepulcri erectionem: nam totum negotium funebre immundum erat, & omnibus usurpantibus summam immunditiam afflabat. Porro de variis decimarum generibus, & sacris epulis inde solitis instrui, vide Levit. XIX. & Deut. XII.

(a) II. Reg. x. 16. & seqq.

## GORDONI.

*Vers.* I. HAEc lex de offerendis in canistro, seu cartallo primitiis in memoriam benefactoris Dei, incipit obligare Hebræos tantum exacto primo septennio, ut indicat hic vox, *Obtinueris*, Apud Septuag. καὶ κατοικήσῃς ἐπ᾽ αὐτῆς.

*V.* 2. TOLLES DE CUNCTIS, &c. An hoc semel tantum exacto septennio, vel quinto bellorum anno faciendum esset, an vero quotannis in primitiarum oblatione, non video satis colligi ex textu. Probabile mihi est, non multiplicari hic præcepta, sed addi oblationi primitiarum specialem professionem in commemorationem accepti beneficii. De his primitiis vide Levit. XXIII. vers. 19.

*V.* 5. SYRUS PERSEQUEBATUR, &c. Formula est professionis, & confessionis de accepto beneficio divino. Syrus hic est Laban, qui Iacob persecutus est Gen. cap. XXXI. Est Mesopotamia (unde tunc redibat Iacob) pars Syriæ. In Hebr. *Syrus perdens patrem meum*; tamen Septuag. sic habent, *Syriam reliquit*, vel *rejecit pater meus*, Συρίαν ἀπέλιπεν ὁ πατήρ μου: & post moram aliquot annorum in Chananæa venit in AEgyptum, Genes. cap. XLVI. & Actor. VII. Crevit in gentem Exod. I. vers. 7.

*V.* 11. ET EPULABERIS, &c. Hic præsertim intelligo sacras epulas, de quibus supra actum est cap. XII. vers. 17.

*V.* 12. QUANDO COMPLEVERIS DECIMAM, &c. Præter decimas annuas, addebatur tertio anno (duobus scilicet annis interiectis) altera decima in usum levitarum indigentium, & pauperum in ea urbe in qua quis manebat. Et hic tertius annus vocabatur annus decimæ, seu annus decimarum. De his decimis dixi hic supra, cap. XIV. vers. 28. & 29. vide etiam Levit. XIX. vers. 24.

*V.* 14. NON COMEDI EX EIS, &c. Sic loquitur qui est observator legis de decimis. Cum autem ait *Non comedi*, scilicet ex eis quæ secundum legem comedi non debebant; nec ad hanc transgressionem passus sum me induci ulla urgente necessitate, aut occasione.

### EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 14. NON COMEDI, existens immundus ex luctu, funere, & similibus. NEC SEPARAVI: nec obtuli quod immundum erat. NEC EXPENDI. Prohibitum nempe erat ex his decimis aliquid impendere in profanos usus.

CA-

# CAPUT XXVII.

*Altare lapideum erigendum, lexque lapidibus inſcribenda: benedictiones piorum, & maledictiones impiorum.*

1. PRæcepit autem Moyſes & ſeniores Iſrael, populo dicentes:
Cuſtodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie.
2. Cumque tranſieritis Iordanem in terram, quam Dominus
Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce lævi-
gabis eos, 3. ut poſſis in eis ſcribere omnia verba legis hu-
ius, Iordane tranſmiſſo: ut introeas terram, quam Domi-
nus Deus tuus dabit tibi, terram lacte & melle manantem,
ſicut iuravit patribus tuis. 4. (a) Quando ergo tranſieritis Iordanem, erigite la-
pides, quos ego hodie præcipio vobis, in monte Hebal, & levigabis eos calce:
5. & ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, de lapidibus quos ferrum non te-
tigit, 6. & de ſaxis informibus & impolitis: & offeres ſuper eo holocauſta Do-
mino Deo tuo, 7. & immolabis hoſtias pacificas, comedeſque ibi, & epulaberis
coram Domino Deo tuo. 8. Et ſcribes ſuper lapides omnia verba legis huius
plane & lucide. 9. Dixeruntque Moyſes & ſacerdotes Levitici generis ad omnem
Iſraelem: attende, & audi Iſrael: hodie factus es populus Domini Dei tui:
10. audies vocem eius, & facies mandata atque iuſtitias, quas ego præcipio ti-
bi. 11. Præcepitque Moyſes populo in die illo, dicens: 12. * Hi ſtabunt ad be-
nedicendum populo ſuper montem Garizim, Iordane tranſmiſſo: Simeon, Levi,
Iudas, Iſſachar, Ioſeph, & Beniamin. 13. Et e regione iſti ſtabunt ad maledi-
cendum in monte Hebal: Ruben, Gad, & Aſer, & Zabulon, Dan, & Neph-
thali. 14. (b) Et pronuntiabunt Levitæ, dicentque ad omnes viros Iſrael excel-
ſa voce: 15. Maledictus homo qui facit ſculptile & conflatile, abominationem
Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abſcondito: & reſpondebit
omnis populus, & dicet: Amen. 16. Maledictus qui non honorat patrem ſuum,
& matrem: & dicet omnis populus: Amen. 17. Maledictus qui transfert termi-
nos proximi ſui: & dicet omnis populus: Amen. 18. Maledictus qui errare fa-
cit cæcum in itinere: & dicet omnis populus: Amen. 19. Maledictus qui pervertit
iudicium advenæ, pupilli, & viduæ: & dicet omnis populus: Amen. 20. Male-
dictus qui dormit cum uxore patris ſui, & revelat operimentum lectuli eius:
& dicet omnis populus: Amen. 21. Maledictus qui dormit cum omni iumento:
& dicet omnis populus: Amen. 22. Maledictus qui dormit cum ſorore ſua,
filia patris ſui, vel matris ſuæ: & dicet omnis populus: Amen. 23. Maledictus
qui dormit cum ſocru ſua: & dicet omnis populus: Amen. 24. Maledictus qui
clam percuſſerit proximum ſuum: & dicet omnis populus: Amen. 25. Maledi-
ctus qui accipit munera, ut percutiat animam ſanguinis innocentis: & dicet o-
mnis populus: Amen. 26. Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis hu-
ius, nec eos opere perficit: & dicet omnis populus: Amen.

(a) Exod. xx. 25. Ioſ. viii. 31. (b) Dan. ix. 11.

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 12. *Hi stabunt ad benedicendum populo*. Cavendus est vetus error eorum qui legunt *Domino*, id est τῷ κυρίῳ, pro *populo*, quod est τῷ λαῷ sive plebi.

Versui 25. praeponunt quidam codices hanc maledictionem: *Maledictus qui dormit cum uxore proximi sui: & dicet omnis populus, Amen*. Verum illa adiectitia, & superflua est.

# COMMENTARIA.

## SA.

*Vers.* 2. LAEVIGABIS: scilicet dealbando. Hebr. *linies*: sic & infra.

*V.* 3. LEGIS HVIUS, scilicet Decalogi, vel omnium praeceptorum quae hoc hoc libro scribuntur. IURAVIT. August. *Deum iurare, est inconcussa veritate firmare*.

*V.* 4. PRAECIPIO, scilicet erigendos.

*V.* 8. PLANE ET LUCIDE, id est litteris claris & legibilibus.

*V.* 9. HODIE, &c. quasi dicat: Cogita te hodie factum Dei populum, & incipe novam vitam.

*V.* 12. BENEDICENDUM, id est precandum bona; vel respondendum Amen, ad benedictiones. IOSEPH, id est Ephraim, & Manasse.

*V.* 13. MALEDICENDUM, id est imprecandum mala, vel respondendum Amen, ad maledictiones.

*V.* 14. LEVITAE. Hi erant secundum quosdam in medio montium.

*V.* 15. MALEDICTUS. Nota, quod benedictiones hic omittuntur, vel hae maledictiones addebantur post benedictiones, & maledictiones quae hic tacentur, & forte sunt illae, de quibus cap. seq. ABOMINATIONEM DOMINI; quasi dicat, quod Dominus maxime detestatur. AMEN; id est, ita sit.

*V.* 16. NON HONORAT. Hebr. *vilipendit*.

*V.* 17. TERMINOS, id est limites agri.

*V.* 20. OPERIMENTUM LECTULI EIUS. Hebr. *oram patris sui*, scilicet operimentum uxoris patris. Chald. & LXX. *operimentum patris sui*.

*V.* 21. OMNI, id est quovis.

*V.* 25. PERCUTIAT ANIMAM, id est vitam auferat. SANGUINIS, id est hominis.

*V.* 26. NEC EOS OPERE, &c. Explicatio est praecedentis.

## ESTII.

*Vers.* 5. & 6. ET AEDIFICABIS IBI ALTARE DOMINO DEO TUO... DE SAXIS INFORMIBUS,... ET OFFERES SUPER EO HOLOCAUSTA. De hoc altari a Iosue postea aedificato, vide Iosue VIII. Fuit autem hoc altare erectum priusquam certam sedem accepisset arca Domini, & ea quae ad tabernaculum pertinebant; atque ideo quoque iubetur tumultuarie fieri ex lapidibus impolitis & informibus, quia temporaneum tantum futurum erat, & postea disiiciendum, ne in eo postmodum filii Israel forte adhuc sacrificarent.

*V.* 18. MALEDICTUS QUI ERRARE FACIT CAECUM IN ITINERE. Hoc peccatum referendum est ad praeceptum, *Non occides*. Qui enim caeco ponit offendiculum, & maxime in itinere facit errare, impellit eum in vitae periculum. Nam homo caecus devians ab itinere, facile potest incidere vel in aquam, vel in foveam, vel in feras, & alia pericula similia.

*V.* 28. MALEDICTUS QUI NON PERMANET IN SERMONIBUS LEGIS HUIUS, NEC EOS OPERE PERFICIT. Hoc universaliter accipiendum, *Qui non permanet in omnibus &c.* Sic enim citat Apostolus ad Galat. III. *Maledictus qui non permanserit in omnibus quae scripta sunt in libro legis ut faciat ea*; quomodo etiam vertunt Septuaginta. Sensus igitur est: Eum esse maledictum, id est subiectum male-

maledictionibus, quæ hic enumerantur, qui opere non præstat universa quæ lex præscribit, intelligendo ea legis mandata quæ continent substantiam vitæ. Vel hoc sensu: Qui non servaverit omnia, sic ut nusquam peccet graviter contra aliquod eorum, vel ut non excidat a fine legis, quæ est caritas Dei, & proximi. Maledictiones autem hic intelliguntur temporales; ut patet ex numeratione maledictionum infra posita, ubi nihil dicitur de pœna æterna. Sed tamen maledictiones a Christo Matth. xxv. & alibi expressæ de igne æterno, fletu oculorum, stridore dentium, & similibus, sub istis maledictionibus tamquam sub umbris & figuris continebantur: *Omnia enim in figuris contingebant illis, &c.*

## MARIANAE.

*Vers. 6.* DE SAXIS INFORMIBUS ET IMPOLITIS. Hebr. *de saxis perfectis*, id est integris, non dolatis. Hieronymus sensum expressit.

*V.* 14. ET PRONUNTIABUNT LEVITAE. Hebr. *Et respondebunt*, id est loquentur.

*V.* 15. AMEN. Vox Hebraica significans *veritas*, aut *verum sit*, idque aut per modum deprecationis, aut per modum susceptionis; quasi dicat: Ita mihi contingat; aut, Sic est ut dicis. Sept. *Fiat* dixere pro *Amen*: ut & in Psalmis, &c.

*V.* 16. QUI NON HONORAT, &c. Hebr. *Qui vilipendit patrem suum & matrem suam, maledictus sit.*

*V.* 20. OPERIMENTUM LECTULI EIUS. Hebr. *alam patris sui*; sed de *ala* seu *operimento* superius cap. XXII. vers. 30. Illud *lectuli eius*, Hieronymus addidit.

*V.* 25. ANIMAM SANGUINIS INNOCENTIS. Hebr. *animam*, *sanguinem innocentem*, appositive. Iam diximus, sedem animæ, seu vitæ, esse sanguinem.

*V.* 26. QUI NON PERMANET IN SERMONIBUS. Hebr. *Qui non stare faciet* (pro stabiliet) *verba legis huius*, *opere servans*, scilicet sit ille maledictus.

## MALVENDAE.

*Vers.* 2. ET CALCE LAEVIGABIS EOS. Non dubito quin a nomine שיד *sid*, effictum sit verbum שוד *sud*, *calce obducere*, *obtegere*, *oblinire*, *incrustare*, *polire*, *lævigare*. Hispanice, *encalar*, *polir*, *y brunir con cal*. Festus: *Calicata ædificia*, *calce polita*. *Calicatis*, *calce politis*. Annotat Scaliger veteres dixisse *Calecata*, ut legitur hodie in Tabula vetustissima Aletri, *Basilicam calecandam*. Glossæ Isidori: *Decalco*, *dealbo*. Ita enim calce poliuntur ædificia ut fiant alba, tersa, lævia, fulgentia instar speculorum. Unde hic recte vertimus, *Et calicabis*, vel *calecabis eos in calce*, seu *cum calce*. Hebraico more, verbo addi nomen eiusdem significationis, nimis est usitatum, *ut manicare in mane*, *lapidare in lapide*, & alia eiusmodi. Sic infra vers. 4.

*V.* 3. UT INTROEAS TERRAM. Quidam reddunt: *Ut pervenias in illam terram*; id est, ut perveniens obtineas, & perfruaris ea. Metalepsis.

*V.* 5. QUOS FERRUM NON TETIGIT. Vide Exod. xx. vers. 25.

*V.* 6. ET DE SAXIS INFORMIBUS ET IMPOLITIS. Optime sensum expressit: nam Hebr. *Lapidibus integris ædificabis altare*; id est, non sectis, aut dedolatis, ne scilicet ferro formatis, æquatis, politis. Vide Exod. xx. vers. 25.

*V.* 8. OMNIA VERBA LEGIS HUIUS. Illud exponitur Iosue VIII. vers. 32. משנה תורת מושה *mischne*, *thorat Moscheh*; id est, *Duplum*, sive *exemplar legis*, nempe *Deuteronomium*, quasi dicat; *Iterationem*; seu *secundationem* legis, ut Noster ibidem, & supra cap. XVII. vers. 18. interpretatus est: unde non dubito in iis lapidibus integrum Deuteronomium descriptum, id est totum hunc quintum librum legis Mosis; nam erant lapides grandes instar cipporum, supra vers. 2.

*V.* 9. ATTENDE. הסכת *hascet*. Non alibi id verbum סכת *sacat* reperitur in Scriptura: aiunt esse *attendere*, *advertere*, & potius esse gestus quam sensus. Formula Hiphil significatum auget, ut hic magnum silentium, attentionem, & adversionem postulet Moses.

*V.* 12. HI STABUNT AD BENEDICENDUM POPULO SUPER MONTEM GARIZIM. Exponunt: Istæ tribus stabunt super montem Garizim, ut populo audiente recitentur benedictiones, aut ad audiendas benedictiones. Notant Mosen ad

ad benedictiones potiores tribus elegisse; filios nempe liberarum, Liæ & Rachelis; ad maledictiones vero, sex tribus, filios ancillarum, Zelphæ, & Balæ, cum duobus filiis Ruben, & Zebulon de libera Lea: forte ob eam causam, quod benedictio honorabilior & dignior sit quam maledictio, ideo ornandam fuisse præstantioribus tribubus. Tradunt autem quidam Hebræorum, benedictiones, & maledictiones hoc ordine factas, ut sex capita tribuum liberarum consisterent in monte Garizim; & sex alii servarum filii ex adverso in monte Hebal. In campo interiacente sacerdotes erant ferentes arcam Domini, quos circumstabant levitæ: hinc autem & hinc sub radicibus utriusque montis universa Israelitarum multitudo. Levitæ igitur facie ad montem Garizim conversa, sic ordiebantur: *Benedictus sit quisquis non fecerit sculptile, &c.* Populus ad hoc respondebat *Amen*. Deinde conversa ad Hebal facie, dicebant *Maledictus sit qui fecerit sculptile, &c.* & populus respondebat *Amen*; & sic per reliquas benedictiones & maledictiones. Prius promulgatas fuisse benedictiones, postea maledictiones, apparet e Iosue VIII. vers. 34. vide eo capite a vers. 30. & deinceps executionem eorum quæ hic a vers. 2. usque ad finem Capitis præcipiuntur. De situ duorum istorum montium, Garizim, & Hebal, egimus plenius supra cap. XI. vers. 29.

*V.* 14. ET PRONUNTIABUNT LEVITAE. Hebr. *Et respondebunt levitæ*. Quidam: *Et loquentur levitæ*. Alii: *Et protestabuntur levitæ*. Nonnulli: *Et conceptis verbis levitæ dicent*. Sed notum est, *respondendi* verbum Hebræis interdum esse quod voce clara & sonora alternis canere, seu responsorie pronuntiare ritu solemni; ut Exod. XV. vers. 21. Unde hic levitæ alternis cum populo voce elata, & solemni ritu pronuntiabant benedictiones & maledictiones, ipsis proponentibus, & populo respondente Amen. Ita accipiendum in sequentibus.

*V.* 15. MALEDICTUS. ארור *arur*, omnia ista complectitur; *execratus*, *corrosus*, *discerptus*, *laceratus*, *dilaniatus*, *compunctus*, *transfixus*, ex vicinis verbis. Vide Genes. III. vers. 14. ut gravior hic maledictio intelligatur. QUI FACIT SCULPTILE ET CONFLATILE. Hebr. *Qui faciat dedolatum, & fusuram*. Hispanicus Interpres, *Que hiziere esculptura y vaziadizo*; vel *imagen de talla, o fundicion*. AMEN. De hac voce vide Numer. V. vers. 22. Hebræi hic exponunt: Id est, Veritas erit hoc, quod revera erit maledictus quisquis admiserit quidvis ex istis. Aiunt dictum fuisse per modum imprecationis, vel per modum receptionis, quia recipiebant super seipsos maledictionem si talia admisissent; quasi dicat: Firmissime & ratissime erit maledictus; verissime & certissime veniet in eum maledictio: Ita prorsus fiat, & indubitate eveniat. Ita in seqq.

*V.* 20. ET REVELAT OPERIMENTUM LECTULI EIUS. Hebr. *Quia revelavit, discooperuit alam, oram, patris sui*. Quidam: *Quia retexit oram, vestimenti patris sui*. Alii: *Quia discooperuit oram patris sui*; id est, operimentum lectuli patris sui, aut angulum palii, id est rem opertam patri suo, quam nemo alius attingere, aut retegere debet, nisi ipse. Operimentum, quo turpitudo patris tegitur, turpitudinem patris vocat pudenda novercæ. Vide cap. XXII. vers. 30.

*V.* 25. QUI ACCIPIT MUNERA. Exponunt, sive iudex sit, sive testis, sive sicarius, sive redemptor, aut vindex cædis. UT PERCUTIAT ANIMAM SANGUINIS INNOCENTIS. Hebr. *Ad percutiendum animam sanguinem insontis*. Per appositionem dictum volunt, animam sanguinem innocentem, id est hominem qui est sanguis innocens. Quidam: *Ut percutiat* percussione *animæ*, id est vulnere lethali, *sanguinem innocentis*. Alii: *Ut percutiat animam*, id est vitam, *sanguinem innocentis*. Sanguinem innocentem appellat hominem innocentem. Nonnulli: *Ad percutiendum quemquam cæde innocentis*; id est, ad ita cædendum quemquam, ut a sicariis & sceleratis hominibus occiditur innocens.

*V.* 26. QUI NON PERMANET. Hebr. *Qui non surgere faciet*. Alii: *Qui non statuerit*, vel *stabilierit*, *confirmaverit*, *ratificaverit*. Quidam: *Qui non perfecte præstiterit verba legis, &c.* Vide Galat. III. vers. 10.

ME-

## MENOCHII.

*Verf.* 2. INGENTES LAPIDES: fortasse duodecim pro numero duodecim tribuum; nec fuerunt iidem hi lapides cum lapidibus altaris. LAEVIGABIS EOS. Hebr. *Linies, vel incrustabis eos calce.*

*V.* 3. OMNIA VERBA LEGIS HUIUS, Deuteronomii scilicet.

*V.* 5. DE LAPIDIBUS, QUOS FERRUM NON TETIGIT. Rationem huius præcepti vide supra Exod. xx. 25.

*V.* 7. COMEDESQUE IBI ET EPULABERIS, de pacificis scilicet hostiis sacro epulo instituto.

*V.* 8. PLANE ET LUCIDE, clare & distincte.

*V.*9. HODIE FACTUS ES POPULUS DOMINI DEI TUI, explicatum hoc præcedenti cap. num. 17.

*V.* 12. HI STABUNT AD BENEDICENDUM POPULO. Vide dicta cap. XI. 29. IOSEPH: Ephraim, & Manasse.

*V.* 14. LEVITAE, sacerdotes. EXCELSA VOCE, ut exaudiri possent saltem a primis, qui responderent, Amen, quos reliquus totus cœtus voce consona comitaretur.

*V.* 15. SCULPTILE, idolum e ligno, aut lapide, quod fit sculpendo, aut dolando. CONFLATILE, idolum ex metallis, quæ conflantur, & in idoli figuram conformantur. PONETQUE ILLUD IN ABSCONDITO, ut scilicet clam colat. Hæc ergo maledictio etiam in peccantem occulte iacitur. OMNIS POPULUS, sex scilicet tribus designatæ ad conclamandum benedictionibus cum benediceretur, & sex aliæ cum malediceretur.

*V.* 16. QUI NON HONORAT. Hebræa vox, & Græca significantior est: nam significat eum qui contemnit, despicit, ignominia afficit.

*V.* 17. QUI TRANSFERT TERMINOS PROXIMI SUI, ut quæ illius sunt occupet, illo submoto.

*V.* 18. CAECUM: sic Levit. XIX. 14. *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum.*

*V.* 19. PERVERTIT, perverse iudicando in gratiam potentioris.

*V.* 20. REVELAT OPERIMENTUM LECTULI, &c. Res turpis pudenter, & honestis verbis exprimitur.

*V.* 25. UT PERCUTIAT ANIMAM: ut vitam auferat.

## TIRINI.

*Verf.* 2. ERIGES INGENTES LAPIDES, tot quot inscribendo toti Deuteronomio *a* necessarii fuerint. Andreas Masius & *b* Serarius duodecim fuisse volunt. ET CALCE LAEVIGABIS EOS. Neque enim in lapidibus impolitis conscribi lex potuisset, nisi prius calce obliti, aut simili alia incrustatione levigati forent; opera vero mallei eos levigare, nimis longæ, & difficilis operæ fuisset.

Nota. Præter hos lapides quibus inscribi iussum Deuteronomium, iussi quoque sunt componi alii rudes lapides ad altare construendum, non in monte seu iugo Garizim, sed in Hebal, altero eiusdem montis iugo, iuxta Sichimam, in ea parte Chananææ, quæ obtigit tribui Ephraim. In hoc altari iubentur holocausta & pacificas hostias immolare Deo, & de immolatis epulari. Interim tribus sex nobiliores, puta Simeon, Levi, Iudas, Issachar, Ioseph (duplicata ex Ephraim ac Manasse) & Beniamin, constituuntur a dextris in monte Garizim, & in confiniis illius; reliquæ sex a sinistris in monte Hebal: sacerdotibus cum arca in media valle consistentibus, qui mox instar fæcialium ad innovandum, firmandumque fœdus Deum inter & Israelitas, primo versus montem Garizim conversi, voce excelsa intonabant conceptis verbis benedictiones seorsim singulas; ad quas responsabant Amen, seu fiat, omnes ii qui ad montem Garizim stabant. Deinde conversi ad Hebal, simili modo pronuntiabant singulas maledictiones seu execrationes, quibus responsabant qui erant in & circum Hebal. Et quidem maledictiones sigillatim hic exprimuntur numero duodecim, forsan primariæ & præcipuæ, sed benedictiones nusquam disertis verbis expressas habes: facile tamen ex maledictionibus colligere est, quales illæ benedictiones fuerint, nempe quæ contrariis virtutum actionibus bona & præmia decernerent.

Petes primo: Quorsum hæ cæremoniæ? Respondeo ad litteram, ut hoc novo ritu fœ-

fœdus cum Deo instauraretur in primo terræ promissæ ingressu: & Israelitæ his solemnibus benedictionum pollicitationibus, ac maledictionum interminationibus, ad accuratiorem legis divinæ observationem excitarentur. Analogice vero, ut typus esset extremi horrendique iudicii, quod verus Iosue, seu Iesus Christus, in ingressu futuræ vitæ inter oves a dextris, & hædos a sinistris instituet, ut ait Rupertus *c*.

Petes secundo: Quando usurparit hanc cæremoniam Iosue? Respondeo, *Quinto anno ab ingressu terræ sanctæ*, inquit Iosephus *d*. Sed ex vers. 12. huius capitis patet, statim Iordane transmisso id peragendum fuisse: & Liber Iosue satis indicat, post Ierichuntinam & Haiensem expugnationem mox peractum fuisse.

(*a*) Patet ex Iosue VIII.
(*b*) And. cap. VI. Iosue.
(*c*) Rupertus Lib. II. cap. V.
(*d*) Iosephus Lib. III. Antiquit. cap. I.

## GORDONI.

*Vers.* 2. ERIGES INGENTES LAPIDES, &c. Transito Iordane erigi iubentur hi lapides. Sane in monte Hebal, ubi futuræ sunt maledictiones, & benedictiones, ut hic vers. 12. & 14. ac deinceps. De his, maledictione, & benedictione, vide quæ dixi cap. XI. vers. 29. & 30. Scriptura numerum lapidum non exprimit. Certe tot fuisse oportet, quot essent necessarii ad excipiendum totum Deuteronomium. Erant vero lævigandi hi lapides, quando impoliti non recipiebant characteres.

*V.* 3. OMNIA VERBA LEGIS HUIUS. Mirum est quam varie hoc intelligant Interpretes. Probabilius est, nec solum Decalogum, nec totum Pentateuchum intelligi, sed Deuteronomium, ut iam dicebam. Ita Abulensis hic q. 1. Et certe id clare videtur haberi Iosue VIII. vers. 32. *Scripsit*, inquit, *Deuteronomium legis Mosi*. In Hebr. *miωne thorath moωe*. Pagnin. משנה *miωne*, vertit *duplicationem*.

*V.* 4. ERIGITE LAPIDES. Hic discrepant Interpretes de usu lapidum; probabilius tamen est, diversos fuisse lapides destinatos altari extruendo, ab his quibus inscribebatur Deuteronomium. Nam altaris lapides impoliti dantur; at destinati excipiendo Deuteronomio poliendi sunt calce. Vide Ioseph. IV. Antiq. cap. ult.

*V.* 6. Saxa hæc informia sunt. Septuag. lapides integros vocant ὁλοκλήροις. Hebr. *saxa perfecta*; scilicet quibus nihil detractum est, sed stat prima & rudis forma.

*V.* 12. Mons Garizim imminet urbi Sichem, Iudic. IX. vers. 7. ubi fuit templum Samaritanum, concedente Alexandro Magno, de quo dixi ad an. 3670. Eversum ab Hircano est an. 3878. Conditor Sanaballat Samariæ præfectus, vide Ioseph. XI. Antiq. cap. VII. Huius templi meminit Samaritana, Ioan. IV. vers. 20.

*V.* 18. Per cæcum aliqui intelligunt consilii inopem; alii viæ ignarum: immo potiore iure adde, oculis captum, ut vides Levit. XIX.

## EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 15. IN ABSCONDITO, ut ibi illud collat.

*V.* 17. TERMINOS: sic enim invadit quod alienum est.

*V.* 21. UT PERCUTIAT ANIMAM: vitam auf... per iniustam sententiam.

CA-

## C A P U T XXVIII.

*Multiplex promittitur observantibus legem benedictio, & transgredientibus maledictio.*

1. SI autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque cu-
stodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie,
faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus,
quæ versantur in terra. 2. Venientque super te universæ be-
nedictiones istæ, & apprehendent te: si tamen præcepta eius
audieris. 3. Benedictus tu in civitate, & benedictus in agro.
4. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fru-
ctusque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum,
& caulæ ovium tuarum. 5. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. 6.
Benedictus eris tu ingrediens & egrediens. 7. Dabit Dominus inimicos tuos, qui
consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo: per unam viam venient
contra te, & per septem fugient a facie tua. 8. Emittet Dominus benedictionem
super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum: benedicetque tibi in
terra, quam acceperis. 9. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut
iuravit tibi: si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaveris in viis eius.
10. Videbuntque omnes terrarum populi quod nomen Domini invocatum sit su-
per te, & timebunt te. 11. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fru-
ctu uteri tui, & fructu iumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam iura-
vit Dominus patribus tuis ut daret tibi. 12. Aperiet Dominus thesaurum
suum optimum, cælum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo: bene-
dicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fenerabis gentibus multis, &
ipse a nullo fenus accipies. 13. Constituet te Dominus in caput, & non
in caudam: & eris semper supra, & non subter: si tamen audieris mandata
Domini Dei tui quæ ego præcipio tibi hodie, & custodieris & feceris, 14. ac
non declinaveris ab eis, nec ad dexteram, nec ad sinistram, nec secutus
fueris deos alienos, neque colueris eos. 15. (*a*) Quod si audire nolueris vocem
Domini Dei tui, ut custodias, & facias omnia mandata eius & cæremonias,
quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & ap-
prehendent te. 16. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. 17. Maledi-
ctum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. 18. Maledictus fructus ven-
tris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum.
19. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. 20. Mittet Dominus su-
per te famem & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies:
donec conterat te, * & perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas in
quibus reliquisti me. 21. Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat
te de terra, ad quam ingredieris possidendam. 22. Percutiat te Dominus egesta-
te, febri & frigore, ardore & æstu, & aere corrupto ac rubigine, & persequa-
tur donec pereas. 23. Sit cælum, quod supra te est, æneum: & terra, quam

calcas, ferrea. 24. Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, & de cælo descendat super te cinis, donec conteraris. 25. Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos: per unam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ: 26. sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cæli, & bestiis terræ: & non sit qui abigat. 27. Percutiat te Dominus ulcere AEgypti, † & partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque & prurigine: ita ut curari nequeas. 28. Percutiat te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, 29. & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te. 30. Uxorem accipias, & alius dormiat cum ea. Domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & non vindemies eam. 31. Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, & non reddatur tibi. Oves tuæ dentur inimicis tuis, & non sit qui te adiuvet. 32. Filii tui & filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, & deficientibus ad conspectum eorum tota die, & non sit fortitudo in manu tua. 33. Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos, comedat populus quem ignoras: & sis semper calumniam sustinens, & oppressus cunctis diebus, 34. & stupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi tui. 35. Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus & in suris; sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum. 36. Ducet te Dominus, * & regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras tu & patres tui: & servies ibi diis alienis, ligno, & lapidi. 37. Et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus. 38. (*b*) Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis: quia locustæ devorabunt omnia. 39. Vineam plantabis, & fodies: & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vastabitur vermibus. 40. Olivas habebis in omnibus terminis tuis, & non ungeris oleo: * quia defluent, & peribunt. 41. Filios generabis & filias, & non frueris eis: quoniam ducentur in captivitatem. 42. Omnes arbores tuas & fruges terræ tuæ rubigo consumet. 43. Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior. 44. Ipse fenerabit tibi, & tu non fenerabis ei. Ipse erit in caput, & tu eris in caudam. 45. Et venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas: quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servasti mandata eius & cæremonias, quas præcepit tibi. 46. Et erunt in te signa atque prodigia, & in semine tuo usque in sempiternum: 47. eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam: 48. servies inimico tuo, * quem immittet tibi Dominus, in fame, & siti, & nuditate, † & omni penuria: & ponet iugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. 49. Adducet Dominus super te Gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu: cuius linguam intelligere non possis: 50. Gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli, 51. & devoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ: donec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum, & greges ovium: donec te disperdat, 52. & conterat in cunctis urbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. (*c*) Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus: 53. & comedes fru-

ctum

ctum uteri tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia & vastitate qua opprimet te hostis tuus. 54.
Homo delicatus in te, & luxuriosus valde, invidebit fratri suo, & uxori, quæ cubat in sinu suo, 55. ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet: eo quod nihil aliud habeat in obsidione & penuria, qua vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas. 56.
Tenera mulier & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem & teneritudinem nimiam, invidebit viro suo, qui cubat in sinu eius, super filii & filiæ carnibus, 57.
* & illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum eius, & super liberis qui eadem hora nati sunt: comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione & vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas. 58.
Nisi custodieris & feceris omnia verba legis huius, quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen eius gloriosum & terribile, hoc est Dominum Deum tuum: 59.
augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas & perseverantes, infirmitates pessimas & perpetuas: 60.
& convertet in te omnes afflictiones AEgypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi. 61.
Insuper & universos languores, & plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis huius, inducet Dominus super te, donec te conterat:
62. & remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. 63.
Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam. 64.
Disperget te Dominus in omnes populos, a summitate terræ usque ad terminos eius: & servies ibi diis alienis, quos & tu ignoras & patres tui, lignis & lapidibus. 65.
In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mærore: 66.
& erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. 67.
Mane dices: Quis mihi det vesperum? & vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis oculis. 68.
Reducet te Dominus classibus in AEgyptum, per viam de qua dixit tibi ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos & ancillas, & non erit qui emat.

(a) Levit. xxvi. 14. Thren. ii. 17. Malach. ii. 2. Baruch i. 20. (b) Mic. vi. 15. Aggæi i. 6. (c) Baruch ii. 3. Thren. iv. 10.

# B R U G E N S I S

## Romanae Correctiones.

V. 20. *Et perdat velociter*. Non addas *de sub cælo*.

V. 36. *Et regem tuum quem constitueris super te*. Alii minus apte legunt, *Et regem quem constitues super te*, omisso pronomine tuum, & coniunctivo verso in indicativum.

V. 40. *Quia defluent, & peribunt*. Sic legunt etiam antiqui codices simplex verbum *peribunt*, pro composito *deperibunt*.

V. 48. *Quem immittet tibi Dominus*. Non mutes *immittet* cum *emittet*, vocalem tertiam cum secunda.

V. 57. *Et illuvie secundarum*. Pro *secundarum* multi scribunt *secundinarum*, quæ non est vox latina, quod sciam.

## Lectionum Varietas.

V. 27. *Et partem corporis per quam stercora egeruntur*. Pro quarto casu *partem* quæ-

dam ex nostris insignibus manuscriptis habent sextum casum *parte*; *&* *parte*, supple *percutiat te*, & percutiat te ea parte corporis per quam stercora egeruntur, mariscis scilicet, hæmeroidibus, ficis.

V. 48. *Et omni penuria*. Verisimiliter coniiciunt quidam, pro ablativo singulari *omni*, legendum esse genetivum pluralem *omnium*: quo facit, quod in insigni manuscripto Clarimarisci sit, *Et omnium rerum penuria*, in alio quodam *omnium penuriarum*.

## NOTATIO.

V. 22. & seq. Multa eorum quæ Latini codices fere ut imprecantis verba hoc capite scribunt: *Percutiat te Dominus egestate*, *&* *persequatur donec pereas &c.* Rabanus futuro tempore ut prædicentis verba legit: *Percutiet te Dominus egestate & persequetur, donec pereas. Cælum, quod supra te est, æneum; & terra, quam calcas, erit ferrea. Tradet te Dominus. Per unam viam egredieris, & per septem fugies, & dispergeris. Percutiet te Dominus ulcere AEgypti, filii tui, & filiæ tradentur alteri populo*. Quibusdam partibus quædam scripta consentiunt. Hebraice nedum hæc, verum etiam universa huiusmodi, quæ hoc capite recensentur, tempore futuro, aut præterito in futurum convertendo, leguntur: sed ut prædicentis, & ut optantis verba reddi possunt. Hinc LXX. quædam hoc, quædam illo modo transtulerunt. Neque a sanctorum mansuetudine alienum est, hoc modo optare transgressoribus, quas merentur, pænas (id namque in Prophetarum libris non semel occurrit) non enim, quamvis similibus forte utantur verbis, quibus maledicis uti consuetudo est, male aut precantur, aut volunt: sed prædicunt id quod certo eventurum prævident, simulque ostendunt, non displicere sibi cognitam Dei sententiam, quam fixam, atque immobilem statuit. „ Propheta cum „ dicit, inquit Augustinus, *Sicut fluit cera* „ *a facie ignis, sic pereant peccatores a fa-* „ *cie Dei*, videt hoc certissime peccatoribus „ imminere, & placuit ei, quod Deus sta- „ tuit, ne Deo ipse displiceat. " Sermone XXVIII. de Diversis.

# COMMENTARIA

## S A.

*Vers.* 2. BENEDICTIONES, id est bona, scilicet quæ sequuntur.

*V.* 3. BENEDICTUS, id est felix.

*V.* 4. RELIQUIAE, id est fructus qui reponuntur, seu asservantur. Chald. *panaria*.

*V.* 6. INGREDIENS, ET EGREDIENS, id est in actionibus tuis.

*V.* 9. SUSCITABIT, id est eriget. Hebr. *statuet*. Chald. *constituet*.

*V.* 10. INVOCATUM SIT; quasi dicat, te Dei populum dici, & esse.

*V.* 12. FENERABIS; id est, mutuum dabis: sic inf. FENUS, id est mutuum.

*V.* 13. IN CAPUT, &c. quasi dicat: Faciet te primum, & non ultimum.

*V.* 14. NEC AD DEXTERAM, NEC AD SINISTRAM; id est, nec amore felicitatis, nec timore infelicitatis. August. quæst. XLVIII. in Deut.

*V.* 20. FAMEM ET ESURIEM. LXX. *egestatem & esuriem*. Alii *maledictionem & turbationem*. INCREPATIONEM, id est internecionem. LXX. *consumptionem*. AD-INVENTIONES TUAS PESSIMAS. Hebr. & Chald. *malitiam operum tuorum*.

*V.* 21. ADIUNGAT, pro adiunget: sic in seq. ut patet ex Hebr.

*V.* 22. EGESTATE. Alii, *tumore*, vel *phthisi*. FRIGORE: sic LXX. sed deest Hebr. & Chald. Nota, quod Hebr. Chald. & LXX. additur etiam *gladio*. RUBIGINE, scilicet segetes consumente.

*V.* 23. AENEUM, scilicet non dans pluviam. FERREA, scilicet non dans fructum.

*V.* 24. IMBREM, id est pro imbre.

*V.* 27. PARTEM CORPORIS, &c. scilicet *hæmorroidibus*, ut est Hebr. & Chald.

*V.* 28. FURORE. Hebr. *stupore*. Chald. *conturbatione*. Sept. *ecstasi*.

*V.* 29. DIRIGAS, id est prosperes. CALUMNIAM. LXX. *iniuriam*: sic & infra.

*V.* 31. IMMOLETUR, id est occidatur.

*V.* 32. AD CONSPECTUM; id est, aspiciendo an revertantur.

*V.* 35. SURIS, id est tibiis. Hebr. & Chald. *coxis*.

*V.* 40. DEFLUENT; id est, in nihilum abibunt.

V. 47.

*V.* 47. ABUNDANTIAM; quasi dicat, Cum te Deus faceret abundare omnibus rebus.

*V.* 50. PROCACISSIMAM, id est impudentissimam, inhumanissimam.

*V.* 53. VASTITATE. Hebr. *coarctatione*. LXX. *afflictione*.

*V.* 54. & 55. DELICATUS..... ET LUXURIOSUS. Hebr. Chald. & LXX. *tener & deliciosus*, seu *delicatus*, ut infra vertit Interpres de femina. INVIDEBIT... NE DET; id est, præ tenacitate non dabit.

*V.* 56. INVIDEBIT VIRO.... SUPER.... CARNIBUS; id est, negabit carnes.

*V.* 57. ILLUVIE SECUNDARUM. Chald. *filiis parvulis*. LXX. *intestinis*. ET SUPER; pro, id est super: est enim explicatio præcedentis. TUAS, id est urbis tuæ.

*V.* 62. SUMMITATE, id est extremitate.

*V.* 65. DEFICIENTES, scilicet præ expectatione.

*V.* 66. CREDES, id est fides; quasi dicat: Desperabis de vita. Nota, quod hunc locum ad Christum crucifixum, cui Iudæi non crediderunt, referunt Irenæus, Athanasius, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus.

*V.* 68. CLASSIBUS: scilicet post captivitatem Romanam. PER VIAM. LXX. *& per viam*. DIXIT. Hebr. Chald. & LXX. *dixi*.

## ESTII.

*Vers.* 12. ET FENERABIS GENTIBUS MULTIS, ET IPSE A NULLO FENUS ACCIPIES. A nonnullis illud hoc modo accipitur; quasi dicat: Tanta frueris bonorum abundantia, ut possis etiam exteris nationibus pecuniam dare ad usuram; ipse autem, utpote nullius indigens, a nullo ad usuram accipias. Quæ expositio etiam ex eo confirmari posse videtur, quod supra cap. XXIII. legimus permissum filiis Israel dare ad usuram alieno. Ceterum cum nec in Hebræo, nec apud Septuaginta ulla sit hic mentio usuræ, sed tantum mutui; tum etiam quod id quod peccatum est, divinæ benedictioni nullo modo videatur debere innecti; ideo rectius hoc modo simpliciter intelligitur sententia. Tanta omnium rerum copia affluens, ut multis gentibus mutuo dare pecuniam possis, ipse autem mutuo aliunde accepto non indigeas. Sic & Caietanus.

*V.* 63. SIC LAETABITUR, scilicet Dominus, DISPERDENS VOS ATQUE SUBVERTENS. At scriptum est Sap. I. *Deum non lætari in perditione vivorum*. Sed dicendum, Deum hoc sensu in perditione & afflictione hominum non lætari, quia non vult eam per se, sed tantum ut iusta supplicia peccatorum: qua ratione etiam dicitur: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam*: Psalm. LVII.

*V.* 66. ET ERIT VITA TUA QUASI PENDENS ANTE TE. TIMEBIS NOCTE ET DIE, ET NON CREDES VITAE TUAE. Sensus litteralis est: Eris in perpetuo discrimine vitæ tuæ, & in perpetuo metu vitæ amittendæ, immo de vita ac salute desperabis. Mystica autem explicatione satis apposite hoc explicant patres de Christo, qui est vita animarum, sicut de se in Evangelio dicit: *Ego sum via, veritas, & vita*: ut sit sermo ad Iudæos, tempore Christi, hoc sensu: *Vita tua*, id est Christus, per quem credendo vivere posses, *erit pendens in cruce ante oculos tuos*, & tamen non credes vitæ tuæ, id est non credes in Christum, per quem vitam consequi posses, ut hoc impletum sit in Iudæis, qua parte obdurati & excæcati fuerunt. Ita Augustinus Lib. XIX. contra Faustum cap. XII. Athanas. oratione de Humanitate Verbi: Tertullianus Lib. contra Iudæos: Lactant. Lib. IV. cap. XVIII. & Leo serm. VIII. de Passione Domini.

## MARIANAE.

*Vers.* 3. BENEDICTUS TU IN CIVITATE, ET BENEDICTUS IN AGRO. Commercio, & agricultura opes constant.

*V.* 4. CAULAE OVIUM TUARUM. Hebr. *hasteroth*: cur *greges ovium* sic vocentur, cap. VII. dictum est vers. 13.

*V.* 5. BENEDICTA HORREA TUA. Ex Sept. id sumpsit Hieronymus; alioqui cap. XXVI. vers. 2. & 4. pro טנא *tene*, quæ hic est, *cartallum* vertit: Sept. hic *horrea* dixerunt: Chald. *canistrum*. RELI-

QUIAE

QUIAE TUAE. Alii *panarium* vertunt, ut Chald. in quo ciborum reliquiæ asservantur.

*V.* 10. VIDEBUNTQUE..... QUOD NOMEN DOMINI INVOCATUM SIT SUPER TE, id est quod voceris populus Dei. ET TIMEBUNT TE. Hebr. *a te*; sed perinde est. Timebunt te tangere, ut qui sunt de familia Principis, eos pulsare nemo audet.

*V.* 12. THESAURUM SUUM OPTIMUM. Hic est distinctio. CAELUM, appositive: nempe e cælo veniunt omnia bona, quasi e thesauro.

*V.* 15. QUOD SI AUDIRE NOLUERIS; id est, si obedire nolueris.

*V.* 20. MITTET DOMINUS SUPER TE FAMEM ET ESURIEM, ET INCREPATIONEM. Hebr. *Maledictionem*, *conturbationem*, *increpationem mittet Dominus in te*.

*V.* 22. EGESTATE. Hebraica vox *macilentiam* potius significat morbum quo extenuatur corpus; alii *tumorem* putant. Verum ea voce & sequentibus significat varia genera morborum, de quibus non magis oportet laborare quam in nominibus lapidum, avium, animalium; quæ non minus Hebræis quam nobis sunt ignota. Antiquitas velum oculis prætendit.

*V.* 25. TRADAT TE DOMINUS CORRUENTEM. Hebr. *percussum*. ET DISPERGARIS PER OMNIA REGNA TERRAE. Hebr. *Et eris in commotionem omnibus regnis terræ*.

*V.* 26. ET BESTIIS TERRAE. Hebr. *Jumentis eris in escam*. Sed quoniam iumenta carnem non comedunt, vox *behemah* sumitur hic pro *bestiis*, pro *feris*.

*V.* 27. PERCUTIAT TE DOMINUS... ET PARTEM CORPORIS, PER QUAM STERCORA EGERUNTUR: nempe hæmorrhoides intelligit per duas voces sequentes, *scabiem viridem & siccam*, quæ חרס *heres* vocatur, quoniam *testa* (id ea vox significat) scalpitur.

*V.* 30. ET NON VINDEMIES EAM. Hebr. *Non profanabis eam*: scilicet facies communem; quod quinto anno fiebat.

*V.* 32. ALTERI POPULO. Hebr. *Populo alterius* (propter regimen, cuius indicium est Patach) *tradentur filiæ tuæ*; sed perinde est.

*V.* 40. ET NON UNGERIS OLEO. Hebr. *Et oleum non unges*; pro, oleo non unges corpus tuum. QUIA DEFLUENT, ET PERIBUNT. Alii: *Quia evelletur oliva tua*: sic Hebræi.

*V.* 42. RUBIGO CONSUMET. Alii: *Possidebit locusta arbores & fructus*. Id putant esse *zelazal*, genus locustæ urentis omnia.

*V.* 46. ET ERUNT IN TE SIGNA ATQUE PRODIGIA. Hebr. *in signa & portenta*: nimirum maledictiones quas posuit, erunt in signa.

*V.* 52. ET CONTERAT IN CUNCTIS URBIBUS TUIS. Hebr. *Et obsidebit te in omnibus portis tuis*; sed portas sumit pro urbibus: & Hieronymus hoc eodem versu vocem הצר *bezar* posuit in significatione obsidendi. ET DESTRUANTUR MURI TUI. Hebr. *Donec cadant muri tui*.

*V.* 53. IN ANGUSTIA ET VASTITATE. Hebr. *In obsidione & angustia*, scilicet comedes filios.

*V.* 54. UXORI QUAE CUBAT IN SINU SUO. In Hebræo & Sept. additur, *& reliquis filiis suis, quos reliquit*.

*V.* 56. INVIDEBIT VIRO SUO. Heb. *Habebit oculum nequam in viro suo*. SUPER FILII ET FILIAE CARNIBUS. Hebr. *in filio & filia sua*; supple, habebit oculum nequam. Vescentur scilicet carne filiorum, idque maligne.

*V.* 57. ET ILLUVIE SECUNDARUM. Alii: *Et in parvula quæ egreditur de inter pedes suos* (pro de suo semine) *& in filiis suis quos pariet*. In hos omnes habebit oculum nequam, quia aliorum comedet carnes, aliis partem denegabit. Porro שליה *sileiah*, id est *filia parvula*, deducitur a *siloh*, quæ significat *secundinas*, quibus fetus involutus e ventre egreditur.

*V.* 58. HOC EST DOMINUM. Vox *est* videtur redundare: nec in Hebr. est, nec in Septuag. neque satis congruit cum sententia. Itaque sic legerem: *Timueris nomen gloriosum & terribile hoc, Dominum Deum tuum*: sed codices in diversam lectionem consentiunt.

*V.* 59. AUGEBIT DOMINUS PLAGAS TUAS. Hebr. *Mirificabit*; id est, admiratione dignæ erunt præ aliis plagis: sic Chald. & Sept. Hebræi explicant, *separabit*, id est eximias præ omnibus faciet. Verbum פלא *pala* significat & *mirificare*, & *separare*.

*V.* 66. ET ERIT VITA TUA QUASI PEN-

PENDENS ANTE TE. Sept. *suspensa:* quod pendet, in periculo est: quotidie putabis te occidendum, quod proximo versu magis explicat.

*V.* 67. MANE DICES: QUIS MIHI DET VESPERUM? in horas singulas vives, metu solicitaberis.

*V.* 58. REDUCET TE DOMINUS CLASSIBUS. Sept. *Reducet te Dominus in Ægyptum in navibus:* sic captivi ducuntur; quippe non eunt sua sponte, sed coacti.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. UT FACIAS ATQUE CUSTODIAS. Hebr. *ad servandum, ad faciendum.* Observant quod quotiescumque verbum שמר *schamar, servare, observare,* cum verbo faciendi, aut alio quopiam verbo construitur, quod illud mox sequitur, tum idem valere quod Latinis *diligenter, & sollicite curare.* Sic hic. *ad observandum, ad faciendum;* id est, ut cum omni diligentia & sollicitudine, ac studio cures facere: sic infra vers. 13. 35. & 58. & supra cap. IV. vers. 6. Quidam reddunt: *Ut custodias faciendo.* Alii, *cum observantia faciendo.*

*V.* 3. BENEDICTUS TU IN CIVITATE, ET BENEDICTUS IN AGRO. Explicant: Omnia tibi prospere cedent, sive in urbe, sive in agro. Abundabis omnibus rebus necessariis sive urbem incolas, sive agrum. Aut felix, fortunatus, laudatus eris, sive res urbanas tractes, sive rusticas.

*V.* 5. BENEDICTA HORREA TUA ET BENEDICTAE RELIQUIAE TUAE Hebr. *Benedictus cophinus, corbis tuus, & reliquia tua.* Hispanicus Interpres: *Bendito tu canastillo, y tus sobras.* Huc respexisse videtur Matthæus XIV. vers. 20. *Et tulerunt reliquias* ( Græce, *redundans, superabundans* ) *fragmentorum duodecim cophinos plenos.* Alii: *Benedictum canistrum tuum.* in quo scilicet reponi solent fructus arborum, *& conspersio tua,* aut *pasta tua,* id est esca; vel *& reliquiæ tuæ.* Per istas reliquias alii cibos, sive panem in panariis; alii annonam & alimentum; alii fructus, puta vinum, oleum, mel, & reliqua; alii arcam, vel cistam panariam exponunt; quasi dicas: Calathi tui, in quibus reponere soles fructus arborum, benedicti erunt, numquam vacui: & semper erit panis in cista tua panaria. Nonnulli: *Benedictus corbis tuus,* id est panis tuus; pro quovis cibo, synecdochice: est autem metonymia continens pro contento, ut infra vers. 17. *& mactra tua.* Aliqui: *Benedictum canistrum tuum, & massarium tuum.* De voce משארה *mischarah,* quæ cum *massario* convenit, disseruimus Exod. VIII. 3.

*V.* 6. BENEDICTUS ERIS TU INGREDIENS ET EGREDIENS. Quidam hoc referunt ad bellum; quasi dicas: Cum egredieris ad bellum, & reverteris e bello, prospere tibi cuncta evenient, cum victoria redibis, & spoliis hostilibus onustus. Alii Hebraismum exponunt: Id est in omni administratione tua, domi & foris. Vide Num. XXVII. 18. Sic vers. 19.

*V.* 7. DABIT DOMINUS INIMICOS TUOS, &c. Hebr. quidam reddunt: *Exponet Iehovah inimicos tuos cæsos, qui insurgent adversum te.* Alii: *Efficiet Dominus, ut hostes tui, qui adversum te insurgunt, ante te corruant.*

*V.* 10. QUOD NOMEN DOMINI INVOCATUM SIT SUPER TE. Quidam exponunt: Te vocari de nomine Domini, vel *te vocari populum Dei.* Vide Exod. V. vers. 3. Alii: *Quod nomen Iehovæ invocetur in te;* id est, quod omnia facias in nomine Domini, ex eius iussu & mandato, seu voluntate: vel quod tu invoces in nomine Domini, vel nomen Domini; id est, quod tu rite ac sancte profitearis & exerceas cultum veri Dei, qui consistit in invocatione vera nominis eius, fide, sacramentis, gratiarum actione, prædicatione verbi Dei, confessione, &c. Vide Genes. IV. vers. 26.

*V.* 11. ABUNDARE TE FACIET. Verbo הותיר *hotir,* formulæ Hiphil hæc omnia subsunt, *Exuberare faciet te, superabundare faciet te, supersalire, supersaltare faciet te.* Hispanice, *te hara sobresalir;* singulari emphasi de nimia exuberantia: *excellere, præstare te faciet.* Quidam reddunt: *Et reliquum faciet te Dominus.* Alii: *Dominus quoque te reliqua faciet;* id est, cumulabit te reliquis omnibus bonis. Hispanicus Interpres: *Y hazerte Iehova que te sobre el bien.*

*V.* 12. THESAURUM SUUM. אוצר *otzar,*

otzar, proprie *theca*, *apotheca*, *thesaurus*, *penus*, *cella*, *promptuarium*, dici aiunt de omni loco abstruso & recondito, in quo aliquid reponitur: item de re qualibet quæ reponitur ut inde depromatur. ET FENERABIS GENTIBUS MULTIS. Carpunt plerique hic Nostrum quod verbum הלוה *hilvah*, formulæ Hiphil, *fenerari* verterit (cum inter benedictiones populi ponatur *fenerari* aliis, quasi fenus ex mutuo accipiatur: quod peccatum esse contra divini, naturalisque iuris æquitatem perspicuum est) cum *mutuare* reddere debuisset. Nonius Marcellus: *Mutuum a fenore hoc distat, quod mutuum sine usuris, fenus cum usuris sumitur: & est accepti fetus, unde & fenus dictum est, ut Græcis τόκος, quasi partus mutui sumpti*. Sed *fenerari* Latinis etiam *est mutuare*, & sine usura commodare. Plinius Lib. II. cap. 11. *Sol suum lumen ceteris quoque sideribus fenerat*, id est mutuat. Quo sensu proculdubio Noster *fenerandi* verbum accepit. Verbum *hilvah* aiunt proprie esse *addere*, *adiungere*, *obligare*, *obstringere*, *copulare*, *accommodare*, *mutuo dare*: quoniam ille qui mutuo dat, addit, adiungit, obligat, & devincit, & obstringit sibi alium, eiusque fidem, cui mutuum dedit.

*V*. 13. IN CAPUT, ET NON IN CAUDAM; id est, faciet te Dominus primum, præcipuum, & non ultimum, & abiectissimum. Translatio est a membris animalium, ut vers. 44. quam Isaias etiam accommodatissime usurpavit cap. IX. vers. 14. & 15.

*V*. 20. FAMEM. מארה *mearah*, plerique ab ארר *arar* deducunt, redduntque *maledictionem*, *execrationem*. Alii a מאר *maar*, exponuntque *arrosionem*, *corrosionem*, *ablationem boni*, *infortunium*: quidam *defectum*, *diminutionem*, *penuriam*, *egestatem*. Nonnulli ab ארה *arah* arcessunt *carptionem*, *decerptionem*, *discerptionem*, *avulsionem*, *convulsionem*. Nec desunt, qui a מרה *marah*, *mutationem in deterius*. ET ESURIEM. De voce מהומה *mehumah*, egimus supra cap. VII. vers. 25. hic varie reddunt, *contritionem*, *confractionem*, *turbationem*, *vexationem*, *perditionem*, *tumultuationem*, *rumorem*, *sonitum*, *concitationem tumultuosam*. Aiunt esse *strepitum terribilem & horrendum*, in quo omnia turbatione sint plena. Hispanicus Interpres, *quebranto*. PROPTER ADINVENTIONES TUAS. מעללים *maghalalim*, *cogitationes*, *adinventiones*, *studia*, *consilia*, *conatus*, *molimina*, *exercitia*, *opera*, *actiones*: proprie, *ludibria*, *illusiones*, *ludificationes*, *puerilitates*. Hispanice, *ninerias*, *rapazerias*, eiusdem significatus cum עלילות *ghaliloth*, supra cap. XXII. vers. 14. IN QUIBUS RELIQUISTI ME. Quidam: *Quia deseruisti me*, vel *quia deserueris me*; id est, defeceris a doctrina, & præceptis meis, quæ Dei verbis, & te postulante exposui tibi.

*V*. 22. EGESTATE. שחפת *schahephet*, enucleavimus hanc vocem Levit. XXVI. 16. Plerique hic *phthisim* exponunt; alii *tabem*; alii *tumorem*; nonnulli *maciem*: nec desunt, qui *hydropisim*. FEBRI. De קדחת *kaddachat* diximus Levit. XXVI. 16. Quidam hic reddunt: *ardore continuo*: alii, *inflammatione*: nonnulli *calidaque & æstuante*, *adurente febre*. Coniungunt duas voces sequentes. ET FRIGORE. דלקת *dalleket*, aiunt esse *æstuationem*, *& exurentem febrem*. Quidam hic reddunt, *ardore*, *inflammatione*, *ardenti febre*. Non alibi reperitur. ARDORE. חרחר *charchur*, aiunt esse *adustionem*, *accensionem*, *incensionem*, *inflammationem*, *exæstuationem*, *æstum*; *phlegmonem* Græci dicunt. Quidam hic vertunt, *& in ethica*. Non alias hæc vox legitur. ET AESTU. חרב *chereb*, anceps vox ad *siccitatem*, *exsiccationem*, *ariditatem*; *& gladium*, sic dictum quod exsiccet hominem sanguine. Unde quidam hic reddunt, *& in siccitate*: alii, *& in gladio*. ET AERE CORRUPTO. שדפון *schiddaphon*, aiunt esse *uredinem*, *ariditatem*, quæ efficitur vento typhonio, vel euro-austro adurente. Hebræi volunt esse percussionem segetum, vento orientali ingrediente spicas, adeo ut non perficiant suam maturitatem: *robiginem* exponunt, id est morbum segetum ex nimia ariditate flante vento orientali. Vide III. Regum VIII. vers. 37. & Amos IV. vers. 9. Vide etiam Genes. XLI. 6. Virgilius:

....... *ut mala culmos*
*Esset robigo*.

Servius: *Robigo autem genus est vitii, quo culmi pereunt: quod a rusticanis calamitas dicitur. Hoc autem genus vitii ex nebula nasci solet, cum nigrescunt, & consumuntur frumenta. Inde & Robigus deus, & sacra*

*cius*

*eius X. Kalend. Maias Rubiginalia appellantur. Sed hæc res abusive robigo dicitur: nam proprie robigo est, ut Varro dicit, vitium obscœnæ libidinis, quod ulcus vocatur: id autem abundantia & superfluitate humoris solet nasci, quæ Græce satyriasis dicitur.* Ex his verbis Servii colligimus robiginem, seu uredinem non ex vento orientali, sed ex nebulà nasci solitam, appellarique ab Hispanis *annublo*, vel *roia*. Fortassis hic *schiddaphon* sit *satyriasis*, obscœnum & turpe morbi genus. Inepte Hispanicus Interpres *hydropisim* reddit. AC RUBIGINE. ירקון *ierakon*, aiunt esse *morbum contrarium schiddaphon*, ex nimio humore nascentem. Quidam *flavedinem* reddunt, alii *auriginem*, seu *æruginem*, a colore, seu pallore auri. Quidam hic vitium segetum exponunt, cum flavescunt & pallescunt ex nimio humore, nec in solidum maturescunt. Alii morbum hominum esse volunt; quem medici *morbum regium*, vel *auriginem*, seu *arquationem*, aut *ictericiam* vocant.

*V.* 23. SIT CAELUM, &c. Vide hunc versum expositum Levit. XXVI. vers. 19. ubi cælum dicitur sicut ferrum, terra sicut æs: hic cælum æs, & terra ferrum.

*V.* 24. PULVEREM, &c. Hebr. *pulverem, & pulverem*. Sunt duo vocabula synonyma אבק ועפר *abak vegbaphar*: quidam exponunt, *pulvisculum, & pulverem*: alii, *terram minutam, & pulverem*: alii, *pulverem, & cinerem*: alii *arenam, & pulverem*: alii, *pulverem, & terram*: nec desunt qui, *nebulam, fumum, & pulverem*. Ita explicant: Vertet Iehova pluviam terræ tuæ in pulverem & cinerem; quasi dicas: Tanta erit ariditas, ut vice imbris & pluviæ descendat e cælo pulvis & cinis. Vis venti excitabit pulverem, qui postea vice imbris decidet e cælo. Alii vertunt: *Efficiet Iehova ut pluvia terræ tuæ sit pulvisculus aut pulvis*; id est, non magis fermentabit terram pluvia, quam si pulvis esset. Locutio hyperbolica respiciens ad illam AEgypti plagam, de qua Exod. IX. vers. 9. Geminatio duarum vocum synonymarum maximam vim pulveris denotat, ut quasi tota terra præ siccitate frietur in pulverem siccum ac tenuem instar cineris, nullis producendis frugibus aptum.

*V.* 25. EGREDIARIS CONTRA EOS. Heb. *Singulariter exibis contra eum*, scilicet inimicum, hostem; vel contra exercitum eorum. ET DISPERGARIS PER OMNIA REGNA TERRAE. Quam verum id hodieque cernimus! Tertullianus Apologetici cap. XXI. *Exitus hodiernus ipsorum, dispersi, palabundi, & cæli & soli sui extorres vagantur per orbem sine homine, sine Deo rege: quibus nec advenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.* Prudentius in Apotheosi:

> *...... extirpata per omnes*
> *Terrarum, pelagique plagas tua membra feruntur.*

Vide quæ de his fuse notamus Lib. XI. de Antichristo, cap. III. Hebr. *Et eris commotioni omnibus regnis terræ*. Quidam reddunt, *in commotionem, in terrorem*, vel *timorem*; quasi dicat: Visa, vel audita calamitate tua, commovebuntur & contremiscent omnia regna terræ. Hispanicus Interpres: *Y seras por estremecimiento a todos los reynos de la tierra*. Aliqui: *Erisque in commotionem omnibus, &c.* id est ut semper commovearis ab externa potentia: vel *eris in commotionem, &c.* id est, mobilis, vagus, palabundus, erro eris per universa regna mundi: quem sensum Noster expressit. Alii: *Erisque ut caput super te commoveant omnia regna terræ. Movere*, vel *commovere caput super aliquem*, interdum est, alienam calamitatem admirantis, vel obstupescentis: aut commiserantis & condolentis, ut Ieremiæ XVIII. 16. Iob XVI. 5. interdum insultantis & irridentis, ut Psal. XXI. vers. 8. Psal. XLIII. 15. Matthæi XXVII. vers. 29. & utrumque huic loco congruit. Vide in Ierem. XV. vers. 4. & cap. XXIV. vers. 9.

*V.* 27. ULCERE AEGYPTI. Plerique allusum putant ad plagam illam ulceris AEgyptiacam, de qua Exod. IX. vers. 9. Alii vero ulcus AEgypti intelligunt elephantiæ, seu elephantiasis morbum, AEgypto proprium & peculiarem. Lucretius Lib. VI.

> *Est elephas morbus, qui propter flumina Nili*
> *Gignitur AEgypto in media, neque præterea usquam.*

Plinius Lib. XXVI. cap. I. *AEgypti peculiare hoc malum: & cum in reges incidisset, populis funebre. Quippe in balneis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam.* Hunc morbum accurate descri-

bunt Plinius ibidem, & Cornelius Celsus Lib. III. cap. XXV. ET PARTEM CORPORIS PER QUAM STERCORA EGERUNTUR. Pro omnibus istis Hebr. tantum est una vox עפולים, vel עפלים *ghepholim*, *ghapholim*, de qua Forsterus hæc annotat: *Nomen pluralis numeri tantum, licet sit corrupte punctatum, quod maxima pars Iudæorum tuberculum natum in secretiore parte clunium, quem medici Latina lingua ficum, Germanica feigplatern appellant: nonnulli tamen morbum hæmorrhoidarum significare censent. Porchetus vir in Lingua Hebraica non vulgariter doctus scribit, morbum illum significare qui Græcis τεινεσμὸς dicatur, qui est irritus egerendi conatus, irritum egerendi studium & contentio, cum inflammatione ac tumore sedis, mucosa & sanguinolenta quædam egerentis. Ego significare existimo clausas, seu claustra podicis, sive ani, per quæ per contentionem egeruntur excrementa. Et quia illa pars corporis natura pudenda, & nomen eius adeo aures teneras ferit, Scribæ verecundius pro eo nomen* טחורים *techorim, quod Chaldæis angustiam, seu strictum meatum significat, substituerunt: sicut quoque in* חורא *chorah, & aliis dictionibus cernere licet: quas similiter quadam superstitione depravarunt*. Eadem habet Mercerus. Sexies hæc vox in Scripturis occurrit, hic, I. Samuel. v. vers. 6. 9. 12. II. Samuel. x. vers. 4. & 5. & semper Hebræi margini hisce locis adscribunt vocem *techorim*, volentes honestatis causa pro *ghepholim* vocabulo obscœno & impuro, honestius aliud & mundius *techorim*, legi, ac substitui; quapropter vocem *ghepholim* punctis vocis *techorim*, præter normam afficiunt, & insigniunt, istud pro illo legendum monentes. Ergo *ghapholim* aiunt proprie esse cognomen inferiorum partium corporis, nempe *anum*, *podicem*, *culum*, *pilas*, seu *clausas*, aut *claustra podicis*, *nates*, seu *clunes*: indeque significare morbum seu vitium podicis, nempe *ficos*, *mariscas*, *hæmorrhoidas*, *extantias*, *procidentias*, *tubercula*, seu *condylomata*, ut Plinius, & medici vocant, *ani*. Hebræi tradunt esse *morbum gravissimum*, *in quo egreditur sanguis multus*, maxime vero quando extraordinarie a Deo immissus est. Atque hæc est una de vocibus obscœnis, pro qua honestiorem aliam Hebrei pura puta superstitione substituunt; quasi vero mutare liceat quod Spiritus sanctus, qui ipsa est puritas, scripsit. Vide infra vers. 30. SCABIE QUOQUE. גרב *garab*: de hac voce vide Levit. XXI. vers. 20. ET PRURIGINE. חרס *cheres* cum Samech, aiunt esse genus *ulceris adusti & inflammati*; quasi dicas, *solare*. Alii scabiei speciem esse dicunt *pruriginem*. Nonnulli hic reddunt, & *coruscatione*, id est aurigine. Notant enim, *cheres* proprie esse *coruscationem*, voce colludente, & proprie dici de sole coruscante, quando suos radios dispergit: & figurate tribui ulceri intumescenti & coruscanti instar speculi, aut ollæ crustatæ, ut hoc loco; cognationem enim habere cum חרש *cheres* cum Scin sinistro, id est *testa fictilis*, quæ obducta est crustis. Alii genus esse volunt *scabiei siccæ*, instar testæ, vel quod eam testa scalpant, quæ dicitur *cheres*, Iob II. vers. 8. *impetiginem* vertunt, quæ coniuncta est pruritui. Hispanicus Interpres, *ronna*. Fortasse sit *sideratio*, voce consona cum sidere solis, quæ medicis est extinctio membri affecti, cum sensum omnem penitus pars amisit.

*V.* 30. ET ALIUS DORMIAT CUM EA. Verbum שגל *schagal*, aiunt proprie significare *volutationem quæ fit in actu venereo*, cum femina a viro subagitatur, sive in coniugio, sive extra coniugium: unde annotant, propriissime ipsum actum venereum cum muliere denominare; illudque vertunt, *pervolutare*, *subagitare*, *vitiare*, *violare*, *stuprare*, *lascivire*, *lascive se habere in coitu & re venerea*. Et quia verbum hoc visum fuit Hebræorum magistris obscœnius castis auribus, ideo ubicumque hoc verbum in Scriptura ponitur, ad marginem eius loco verbum שכב *schacab*, *cubuit*, *concubuit* substituerunt, paulo verecundius & honestius; volentes pro *schagal* legi *schacab*. Quater autem tantum reperitur verbum *schagal*; hic, Isaiæ XIII. vers. 16. Ierem. III. vers. 2. Zachariæ XIV. vers. 2.

*V.* 32. VIDENTIBUS OCULIS TUIS, ET DEFICIENTIBUS AD CONSPECTUM EORUM TOTA DIE. Hebr. *Et oculi tui videntes, & deficientes ad eos omni die*; id est, consumentur & deficient, expectando scilicet reditum eorum; quasi dicat: Tota die aspicies an revertantur: nec poteris eripere filios tuos & filias de

manu

manu illius gentis. Alii: *Oculis tuis aspicientibus, & deficientibus* attentione *ad eos tota die*; id est, præ eorum desiderio tota die intentos in eos habebis oculos, adeo ut præ attentione deficiant. Quidam: *Et oculi tui spectantes hoc tabescent super his tota die*. כלות *caloth*, *consumati*, *consumpti*, *finiti*, *deficientes*. Alii maiori emphasi substantive exponunt, *consumationes*, *consumptiones*, *defectiones*: & perperam istud nonnulli redarguunt. ET NON SIT FORTITUDO IN MANU TUA. Hebr. *& non* לאל ידך *leel iadecha*. Quidam reddunt: *Et non fortitudini*, *potentiæ*, *potestati*, *facultati manus tuæ*; vel *& non ad fortitudinem*, *potentiam*, *&c. manus tuæ*; id est, non erit in potestate, facultate tua, ad liberandum eos, vel liberare eos: non poteris liberare eos de illis gentibus. Quidam: *Tamen nihil erit in potestate manus tuæ*. Alii: *Nec erit tantum virium ut sis ferendo*. Vide Genes. XXXI. vers. 29. similem locutionem. Nonnulli hic haud absurde אל *el* pro Dei nomine accipiunt, id est *Potentissimum* & *Fortissimum*; redduntque: *Et non Deo*, vel *ad Deum manus tua*; id est, vel non extendes manum tuam supplex ad Deum, ab eo præsidium imploraturus; vel nihil apud Deum poterit manus tua, nempe conatus, & diligentia tua.

*V.* 37. AC FABULAM. שנינה *schebninah*, a שן *schen*, *dente*, vel a verbo שנן *schanan*, *acuere*, dictum videtur. Quidam *acuitatem*, *aciem*, id est *acute*, seu *acerbe dictum*, interpretantur. Et eodem modo dici hoc *acerbe dictum* volunt, quo חידה *chidah*, *acute dictum*; at non eadem ratione. Alii, *acumen*, *dicterium*, *acutum dictum*. Nonnulli, *iugem*, *& continuam narrationem*, *confabulationem*, *iterationem*, *inculcationem*. Nos *dentationem* diximus; quasi dicat: Dentes in te stringent, canino dente te rodent, dentes in te infigent, mordebunt te acriter. Quidam exponunt: *De te linguam acuent*. Vide in Ierem. XXIV. vers. 9.

*V.* 40. QUIA DEFLUENT, ET PERIBUNT. Heb. quidam reddunt: *Quia decidet oliva tua*. Alii: *Quia evellet se*, *extirpabit se oliva tua*. Aliqui: *Quia excutietur olea tua*. Nonnulli: *Quia deiiciet oleas oliva tua*. Nec desunt qui futurum ישל *iischschal* a שלל *schalal* deducant vicina radice: *Quia despoliabitur oliva tua*. Propius verbo nos: *Quia extrahet*, *decutiet*, *deiiciet olivam tuam*, nempe morbus, vel tempestas, vel Deus.

*V.* 42. RUBIGO CONSUMET. צלצל *tzelatzal*, *cicadam*, seu *locustæ speciem esse* volunt, sic dictam forte conficta voce a sono seu strepitu quem edit; vel a צלצלים *tzeltzelim*, *cymbalis*, quod strepitum edat cymbalorum more; aut a צל *tzel*, *umbra*, quia volatu suo umbram obducit, vel terram operit, aut strepitu obtundit. Visa sunt plerumque locustarum agmina solem obumbrantia, præsertim in AEthiopia, auctore Francisco Alvaresio in rebus AEthiopicis cap. XXXII. & XXXIII. Alii hic *rubiginem*, *eruginem* interpretantur: nonnulli *siderationem*, vertunt, vitium & morbum arborum, quem late describit Plinius Lib. XVII. cap. XXIV. Metaphorice hic aliqui exercitum hostium intelligunt arbores & fruges devastantem. Alibi vox ista non occurrit.

*V.* 43. ERITQUE SUBLIMIOR. Hebr. *supra*, *supra*; aut *superne*, *superne*; vel *sursum*, *sursum*. Geminatio vocis auget significatum; id est, per quam supreme, sublimissime, excellentissime. ET ERIS INFERIOR. Hebr. *Et tu eris deorsum*, *deorsum*, id est, per quam inferne, demississime: vide supra vers. 13. quasi dicat: Eris illi subiectus, subditus, inferior dignitate, fortuna, & reliquis donis.

*V.* 46. ET ERUNT IN TE SIGNA ATQUE PRODIGIA, &c. Hebr. *Et erunt in te pro signo atque prodigio*, seu *portento*; id est, præfatæ maledictiones, & infortunia erunt in te quasi signa quædam prodigiosa, & notæ impressæ portentosæ, omnis infamiæ atque dedecoris, inustæ tibi, & omni posteritati tuæ, indelebiles, & ineluibiles in sempiternum. Alii: *Et erunt tibi in signum*, *&c.* nimirum, quæ te commonefaciant præceptorum meorum, atque transgressionum tuarum.

*V.* 47. PROPTER RERUM OMNIUM ABUNDANTIAM. Hebr. *de multitudine*, *pluralitate*, *omnis*, vel *omnium*, subaudi rerum. Quidam elucidant, *præ copia* rerum *omnium*. Alii: *Cum tamen tibi omnia affluerent*. Possit esse sensus: Eo quod non colueris Dominum de copia & abundantia omnium, quæ Deus dedit tibi, id est, de tuis facultatibus & opibus, quæ tibi Deus liberaliter largitus est.

*V.* 48. IUGUM FERREUM, id est

duriſſimum, graviſſimum, & validiſſimum.

*V.* 50. GENTEM PROCACISSIMAM. Hebr. *Gentem fortem, robuſtam, obſirmatam, duram, condenſatam facierum*, vel *faciebus*, aut *facies*. Plerique intelligunt impudentem, procacem, inverecundam, &, ut Latini loquuntur, perfricta fronte. Similis phraſis eſt Proverb. XXI. verſ. 13. cap. XXI. verſ. 29. & Iſaiæ LVI. verſ. 11. Alii, *barbaram, inhumanam, feram, vultu rigido & torvo, quæ nullum blande aſpiciat, quæ nulla benignitate flectatur*. Hunc Hebraiſmum fuſe expoſuimus Lib. VII. de Antichriſto cap. III. QUAE NON DEFERAT SENI. Hebr. *Quæ faciem ſenis non reverebitur*. Alii: *Quæ ne* quidem *ſenis perſonam ſuſcipiet*. Proprie: *Quæ non acceptabit, præferet, anteferet perſonam ſenis; nullum ſenis reſpectum habebit*. Hebræa ambigua ſunt, poſſunt accipi: *Non levabit faciem ſuam ad ſenem*; id eſt, non blande eum aſpiciet, nullum eius reſpectum habebit, non dignabitur aſpicere ſenem, nulla erga eum miſericordia & pietate afficietur. Aut *non levabit faciem ſenis*; id eſt, non ſuſcipiet, acceptabit perſonam ſenis. Vel *non ſublevabit, eriget faciem ſenis*, non eum triſtem & demiſſo vultu, exhilarabit, aut conſolabitur. NEC MISEREATUR PARVULI. Varie converſatur: *Nec puero parcet*: vel *neque puero gratificabitur*, ſeu *gratiam faciet*; id eſt, puerum nulla gratia aut beneficio afficiet, aut proſequetur.

*V.* 53. ET VASTITATE. מצוק *matzok* exponunt *coactionem, compulſionem, coarctationem, anguſtiam, preſſuram, intortionem, extorſionem, torturam, tormentum, contortionem, compreſſionem, tribulationem*. Vide I. Samuel. XXII. verſ. 2. QUA OPPRIMET. Verbum צוק *Tzok*, a quo præcedens nomen *matzok*, aiunt eſſe *cogere, impellere, compellere, coarctare, premere, torquere, intorquere, extorquere, exprimere, angere, anguſtiare, tribulare*. Hic reddunt: *Quibus preſſuram faciet, inferet tibi*. Sed ea omnia ſignificata & nominis, & verbi recte huic loco conveniunt.

*V.* 54. HOMO DELICATUS IN TE, &c. Quidam hunc verſum ita ex Hebr. convertunt: *Oculus viri teneri, & valde delicatuli, qui in te eſt, invidebit fratri ſuo, atque uxori gremii ſui, & iis qui ex filiis eius reliqui ſunt*. Alii: *Viri mollis in te, & delicati plurimum, oculus erit nequam in fratrem ſuum, & in uxorem gremii ſui, & in reliquias filiorum ſuorum, qui ſuperfuerint, ne* ſcilicet *det alicui eorum de carnibus, &c.* id eſt, molliſſimus & delicatiſſimus quiſque, qui niſi lectiſſimis & delicatiſſimis cibis veſci conſuevit, invidebit fratri ſuo, & uxori ſuæ quæ dormit in ſinu ſuo, & reliquis ſuis liberis, ita ut illos non faciat participes carnium filiorum ſuorum, quibus in extrema neceſſitate veſci cogitur. Malignum & nequam eſſe oculum alicuius, eſt illum illiberalem eſſe, tenacem, invidum, immiſericordem. Vide ſupra cap. XV. verſ. 9. & hic infra verſ. 56. Alii: *Viri illius qui mollis* fuerat *in te, & qui* fuerat *delicatus valde, malignus erit oculus in fratrem ſuum, & in uxorem ſinus ſui*, id eſt ſibi cariſſimum, *atque in reſiduum filiorum ſuorum, quos reliquos fecerit: adeo ut non det ulli ex eis de carne filiorum ſuorum, &c.*

*V.* 55. EO QUOD NIHIL ALIUD HABEAT IN OBSIDIONE. Hebr. *De non reliquit ei omne in coanguſtatione, &c.* Quidam: *Eo quod non reliquerit illi aliud in obſidione*; id eſt, inimicus obſidens eum non reliquit ei aliud ad edendum. Alii: *Adeo ut non reliquum faciat illi quidquam in oppreſſione, &c.* Nonnulli: *Quandoquidem ex omnibus ſibi nihil reliquum eſt in obſidione, &c.* id eſt, eo quod omnia abſumpſerit premente obſidione.

*V.* 56. PROPTER MOLLITIEM. מהתענג *mehithghanneg*. Infinitivus Hithpahel magnam vim habet ex verbo: *Deliciare facere ſe ſe*. Quidam, *præ delicate gerere ſe ſe*, id eſt præ deliciis. Alii, *præ deliciando*, vel *præ deliciando*. Nonnulli, *præ oblectando ſe deliciis*, vel *præ delicias agendo*; quaſi dicat: Tenerrimæ & delicatiſſimæ mulieres, quæ antea præ deliciis & teneritudine atque mollitie vix terram attingebant pedibus ſuis, ne impingerent.

*V.* 57. ET ILLUVIE SECUNDARUM. שליה *ſchiliah*, aiunt eſſe *ſecundam*, vel *ſecundinam*, nempe membranam illam, qua fetus in utero involvitur, & ea obvolutus prodit: dictam ſic volunt a שלה *ſchalah*, quod in ea ſecure, ſecunde, tranquille embryo, ſeu fetus conquieſcat, iaceat, vivat, creſcat. Hic nonnulli Hebræorum metonymice pro filiis parvulis, ſeu

ſeu recens natis accipiunt, quaſi adhuc eſſent in ſecundinis. Hiſpanicus interpres vertit *ſu chiquita*, id eſt *parvulam ſuam*. Nonnulli annotant, per *ſecundas* figurate intelligi parvulos filios anniculos, bimos, aut trimos: *filios* autem *quos peperit*, intelligi grandiores & adultos, quos mulier in ſuprema fame interficiet, & ſibi eorum carnes ad comedendum reſervabit, neque illarum faciet participem maritum ſuum, nec filios aut filias. Quidam reddit, *Et in felicitate eius, exeunte pedes eius*; id eſt, invidebit felicitati exeunti de feminibus ſuis: nam filii ſunt felicitas ventris.

*V.* 59. AUGEBIT DOMINUS PLAGAS TUAS. Hebr. *Arduas, mirabiles, excelſas faciet IHUH percuſſiones*, ſeu *plagas tuas*. Quidam: *Omnino mirabiles efficiet Iehova*, &c. id eſt, adeo aggravabit & amplificabit, ut ſint omnes in admirationem traducturæ. ET PERSEVERANTES. נאמנות *neemanoth*, *fideles*, *certas*, *durabiles*, *ſtabiles*, *conſtantes*, *ſtatas*, *firmas*. Ita ſtatim maſculinum נאמנים *neemanim*.

*V.* 63. UT AUFERAMINI. Verbo paſſivo נסחתם *niſſachthem*, omnia iſta ſubſunt: *Et everremini*, id eſt ſcopis tamquam ſordes eiiciemini, *expurgabimini*, *amovebimini*, *convellemini*, *extirpabimini*, *evertemini*, *abripiemini*, *excidemini*, *transferemini*, *demoliemini*, *eruemini*, *deſtruemini*, *diruemini*.

*V.* 65. NON QUIESCES. Verbum רגע *ragah*, in Hiphil, hic omnes *quieſcere*, *quietum eſſe*, *quietari* vertunt. Quidam inanes vocum colluſiones venantes, *rigere*, *obrigere*, exponunt: *Non obrigeſces*, id eſt non manebis rigide, & ſtabiliter, ſive conſtanter. Æque inepte alii: *Non terminabis, non erit terminus tibi*, vel calamitatum, vel telluris, quia nihil poſſidebis. Formulam Hiphil hic puto ſignificatum intendere; quaſi dicat: Nullam omnino quietem invenies. Si in aſſonantiis vocum ludere libet, fortaſſe haud abſurde reddes: *Non ringes*; *non ringere facies*; *non rixabis*. Equidem Iudæi extorres, apud gentes inter quas diſperſi ſunt, ne mutire audent; quamvis interdum graviſſimos tumultus conciverint. Atqui ex altera verbi ſignificatione, in eumdem ſenſum reddi poteſt: *Non concitabis*; *non commovebis*; *non conturbabis*: quia miſerrime ſerviunt, nec inſurgere audent. Vide de hoc verbo in Iſai. XXXIV. verſ. 14. & cap. LI. verſ. 4. ET ANIMAM CONSUMPTAM MAERORE. Hebr. *& mœrorem animæ*. דאבון *daabon*, aiunt ſignificare *infirmitatem*, *debilitatem*, *languiditatem*, *imbecillitatem*, *tabitudinem*, *tabem*, *morbum tabificum*, *languorem*, *mœrorem*. Alii, *dolorem*, *cruciatum*.

*V.* 66. ET ERIT VITA TUA QUASI PENDENS ANTE TE, &c. Tertullianus adverſus Iudæos, cap. XI. legit: *Et erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos: & non credes vitæ tuæ*. Hunc locum ad Chriſtum æterni Dei vivum & unicum Filium, vitam noſtram in cruce pendentem, nec creditum a Iudæis, referunt Tertullianus ipſe ibidem, S. Cyprianus Lib. II. Teſtimoniorum adverſus Iudæos, cap. XX. Rufinus in Symbolum Apoſtolorum, S. Auguſtinus Lib. XVI. contra Fauſtum, cap. XXII. S. Leo ſermone VIII. de Paſſione Domini, Procopius Gazæus in hunc locum. Pie ſane, ac ſancte, &, ut reor, prophetico etiam ſpiritu Moſes illo reſpexiſſe eiuſmodi verborum contextura videtur. Hebr. pluraliter: *Et erunt vitæ tuæ ſuſpenſæ tibi de e regione*. Aleph interiectum in voce תלאים *teluim*, *ſuſpenſæ*, præter morem, vel myſterium, vel magnam ſuſpenſionem indicare videtur. Notant eſſe proverbialem locutionem, ſumptam a rebus corporis de filo tenui pendentibus, & iam ruituris, prout exponunt ſequentia: Pendebit in ambiguo vita tua, omni hora mortem adeſſe ſuſpicans. ANTE TE. Hebr. *de præſentia*, *de e regione*, *ex adverſo*; quaſi dicat, ſemper atque indeſinenter obverſabitur tibi ſollicitudo deſperanti de vita tua. ET NON CREDES VITAE TUAE. Hebr. *Et non credes in vitis tuis*. Quidam: *Et non confides in vita tua*; vel *nec fides vitæ tuæ*; id eſt, de vita tua deſperabis. Cur Hebræus ſermo nomen *vitarum* pluraliter de hominis vita uſurpet, expoſuimus in Geneſ. II. verſ. 7.

*V.* 68. CLASSIBUS IN ÆGYPTUM; nimirum per mare mediterraneum. DE QUA DIXIT TIBI; vel *dixeram tibi*; quaſi dicat: Ei terræ te rurſus ſubiiciam, abs qua perpetuam liberationem promiſeram, Exod. VI. verſ. 6. 7. 8. IBI VENDERIS INIMICIS TUIS. Verbum התמכרתם *bitmacartem*, formulæ Hithpahel, proprie eſt: *Et venumdare facietis vos ipſos ibi inimicis veſtris*. Alii: *Et venumdabi-*

*dabimini*. Nonnulli: *Et venum exponemini ibi*; vel *exponetisque vos ibi venales inimicis*. Quidam: *Et quæretis vos vendere ibi hostibus tuis*; id est, dabitis operam ut vendamini hostibus vestris: putabitis præclare agi vobiscum si vendamini hostibus vestris. Extrema calamitas! ET NON ERIT QUI EMAT. Exponunt, quasi dicat: Adeo neglecti eritis, & parvi æstimabimini, ut in catastis vitam miserrimam cogamini transigere. Cicero oratione de Provinciis Consularibus: *Iudæi & Syri nationes servituti natæ*.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. SI AUTEM AUDIERIS. Convenit materia huius capitis cum cap. XXVI. Levitici: in utroque enim & benedictiones legum observatoribus, & maledictiones violatoribus inferuntur. EXCELSIOREM CUNCTIS GENTIBUS, felicitate, opibus, imperio.

*V.* 3. BENEDICTUS TU IN CIVITATE, ET BENEDICTUS IN AGRO; hoc est, in omnibus bonis, seu quæ habueris in civitate, seu quæ in agro, prosperaberis.

*V.* 4. BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI; hoc est, feliciter liberos procreabis.

*V.* 5. RELIQUIAE TUAE: quæ ex bonis asservanda in futurum reposueris: hoc enim significare videtur proprie vox Hebræa, vel certe locum in quo ista reponuntur.

*V.* 6. INGREDIENS ET EGREDIENS, in omnibus actionibus, & negotiis tuis.

*V.* 7. PER SEPTEM FUGIENT, &c. His verbis significatur pavor, & perturbatio, cum scilicet sine consilio, & ordine res geritur, & quæ cuique sese obtulerit ad fugam via, sine ulteriori discussione arripitur.

*V.* 9. SUSCITABIT TE DOMINUS SIBI IN POPULUM SANCTUM: constituet, stare faciet; sive habebit te constanter pro populo suo; vel perget habere te pro populo electo suo.

*V.* 10. QUOD NOMEN DOMINI INVOCATUM SIT SUPER TE: quod populus Dei sis, & voceris.

*V.* 12. THESAURUM SUUM OPTIMUM: sic & Iob XXXVIII. 22. dicitur: *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?* FENERABIS, mutuum præ opibus dare multis poteris.

*V.* 13. CONSTITUET TE... IN CAPUT, ET NON IN CAUDAM. Hoc est quod dixerat num. 1. *Excelsiorem cunctis gentibus*: est forma dicendi adagialis.

*V.* 15. AUDIRE, obedire.

*V.* 16. MALEDICTUS ERIS IN CIVITATE, &c. Vide supra num. 3.

*V.* 20. FAMEM. Vocem Hebræam מארה meera alibi S. Hieronymus vertit *egestatem*, vel *penuriam*. LXX. alicubi verterunt κατάραν, *maledictionem*. Alii vertunt, *corrosionem*, sive *infortunium*. ESURIEM. Vocem Hebræam מהומה *mehuma* D. Hieronymus aliis locis vertit *interfectionem*, *cædem*, *interitum*, *pavorem*, *terrorem*, *tumultum*, *insaniam*. INCREPATIONEM. LXX. *consumptionem*: radix enim ex qua vox Hebræa deducitur, *increpare*, & *perdere* significat. Bene Noster vertit *increpationem*: nam increpatio Dei, qua in aliquem iratus insurgit, consumptionis causa est.

*V.* 22. ARDORE. LXX. ἐρεθισμὸν habent, quæ vox significat *irritationem*, *pruritum*, *rosionem*, quæ in corpore ex ardore provenire solet. AESTU. Vox Hebr. etiam *siccitatem* significat, & *gladium*. RUBIGINE, qui morbus est segetum, qui oritur vento orientali ingrediente spicas. LXX. ὤχραν, vel ὠχρίαν, id est *pallorem*, verterunt, alibi ἀνεμοφθορίαν, *venti*, sive *aeris corruptionem*.

*V.* 23. CAELUM... AENEUM, ut scilicet non pluat imbrem, quo sata rigentur, sed durum sit instar æris. TERRA... FERREA, dura, arida, sterilis, ac si esset ferrea.

*V.* 24. IMBREM TERRAE TUAE PULVEREM, ut cum aqua pluvia indigeas, qua mollescat solum, omnia contraria tibi contingant, arido pulvere, loco imbris, delato.

*V.* 26. SITQUE CADAVER TUUM IN ESCAM CUNCTIS VOLATILIBUS &c. Extremæ cuiusdam calamitatis apud Iudæos habebatur, sepulcro caruisse, & a bestiis devoratum fuisse.

*V.* 27. ULCERE AEGYPTI: de quo ulcere vide Exod. IX. 9. ET PARTEM CORPORIS, PER QUAM STERCORA EGERUNTUR. Hæmorrhoidas intelligit, vel alium

alium morbum. Videtur ille esse, quem passi leguntur Philistæi I. Reg. v. num. 6. 9. 12. quandoquidem omnibus iis locis eadem vox Hebræa habetur, quæ hoc loco est.

*V.* 28. AMENTIA, ET CAECITATE, cæcitate mentis.

*V.* 29. PALPES IN MERIDIE. Etiam hæc de mentis tenebris accipienda sunt. NON DIRIGAS VIAS TUAS: inopia consilii res tuas male, & imprudenter tractes, tibique proinde infeliciter omnia eveniant.

*V.* 30. ET NON VINDEMIES EAM. Hebr. *Et non profanes eam*. Vide supra cap. xx. num. 6.

*V.* 31. IMMOLETUR, mactetur, occidatur: ne itaque intelligas hoc de sacra aliqua immolatione.

*V.* 32. ET DEFICIENTIBUS AD CONSPECTUM EORUM; hoc est, ita ut oculi tui tabescant conspecta dura filiorum servitute. NON SIT FORTITUDO IN MANU TUA, ad eos eripiendos.

*V.* 36. SERVIES IBI DIIS ALIENIS, LIGNO, ET LAPIDI, sive exemplo indigenarum provocatus, sive Regum illius regionis imperio, ac terrore compulsus: quod Israelitis contigisse agnoscimus Dan. III.

*V.* 37. ERIS PERDITUS. Hebr. & Chald. *Eris in desolationem, proverbium, & fabulam*.

*V.* 40. DEFLUENT: decident ante maturitatem.

*V.* 43. ADVENA... ASCENDET SUPER TE. Hebr. *Advena ascendet super te sursum sursum, tu autem descendes deorsum deorsum*.

*V.* 44. IPSE FENERABIT TIBI, &c. ipse erit dives, tu pauper. IPSE ERIT IN CAPUT, TU IN CAUDAM. Vide supra num. 13.

*V.* 46. SIGNA ATQUE PORTENTA: insignes, atque portentosæ calamitates.

*V.* 47. PROPTER RERUM OMNIUM ABUNDANTIAM; id est, cum tamen Deus bona omnia affluenter suppeditaret, quæ res merito abs te, hoc in Deum obsequium deposcebat.

*V.* 48. IUGUM FERREUM, gravissimum, durissimum.

*V.* 49. IN SIMILITUDINEM AQUILAE VOLANTIS CUM IMPETU, quæ scilicet ut aquila celerrime, & violentissime advolat, ut te deprædetur. Innuitur hic dominatus Babyloniorum, & Nabuchodonosor, qui Ezech. XVII. 3. comparatur aquilæ.

*V.* 50. GENTEM PROCACISSIMAM. Hebr. *Gentem fortem facie*, perfrictæ frontis, barbaram, audacem, & inhumanam.

*V.* 53. COMEDES FRUCTUM UTERI TUI. Id factum est in excidio Ierusalem sub Tito.

*V.* 54. & 55. LUXURIOSUS, luxui, & deliciis deditus. INVIDEBIT... NE DET: negabit, vel abscondet reliquias filii præ fame devorati.

*V.* 57. ILLUVIE SECUNDARUM, membranarum, quibus fetus involvitur in matris utero. DE MEDIO FEMINUM EIUS, partem corporis significat ex qua fetus erumpit, cum in lucem prodit.

*V.* 64. A SUMMITATE TERRAE, ab extremitate.

*V.* 65. DEFICIENTES OCULOS, tabescentes præ tristitia.

*V.* 66. VITA TUA QUASI PENDENS. Eris semper de vita tua dubius.

*V.* 68. REDUCET TE CLASSIBUS IN AEGYPTUM, non iam terrestri itinere, ut aliqua spes sit elabendi, sed navibus, ut effugere non possis. ET NON ERIT QUI EMAT: tam multi eritis & tam vilia capita vos esse existimabunt. Hegesippus Lib. V. Excidii cap. XLVII. ita de Iudæis scribit post captam a Tito Hierosolymam: *Plurimi venales, sed pauci emptores: quia Romani in servitutem Iudæos dedignabantur, nec Iudæi supererant qui redimerent suos*.

## TIRINI.

*Vers.* 17. MALEDICTAE RELIQUIAE TUAE; hoc est, quæ ex bonis tuis asservanda in futurum reliquisti, vel seposuisti.

*V.* 22. PERCUTIAT TE AESTU: Græce φόνῳ, id est *cæde*: AC RUBIGINE, quæ est morbus segetum & herbarum, cum defectu humoris flavescunt & exsiccantur. Alibi tamen LXX. eamdem quæ hic est vocem Hebræam vertunt, ἴκτερον, qui in hominibus morbus est, & Latine *aurigo* vocatur; Gallice *la Iaulnisse*; Flandrice *de Geelsucht*.

*V.* 24. DE CAELO DESCENDAT CINIS.

nis. Eiusmodi cineris imber ad extremam terræ sterilitatem inducendam valet: & vel miraculo immittitur a Deo, vel ex montium exspirationibus etiam naturaliter provenit. Sic Seneca, Cicero, Plinius & alii meminerunt AEtnæ cineres evomentis; & totam circumquaque regionem desolantis, cinere in lapideam duritiem concrescente, omniaque adurente. Memorabilis item ille Vesuvii montis iuxta Neapolim Campaniæ expiratio, qui cinerem Romam, immo Constantinopolim usque evomuit. Et alias rursum Constantinopoli ex alterius montis vomitu cinerem tam copiosum pluisse, ut palmi prope minoris altitudine in tegulis iaceret, testes sunt Zonaras, Nicephorus *a* & Procopius. Et a paucis iam annis, ut Mexico scribitur, in Peruano regno ex simili monte erumpens, sed ope dæmonum dispersus, cinis ad quadraginta dies depluit, die in noctem verso, totamque regionem ad ducentas fere leucas texit, omniumque frugum proventum sustulit.

*V.* 36. Ducet te, et regem tuum in gentem quam ignoras. Ad litteram id contigit sub Manasse, Ioakim & Sedecia regibus Iuda per Nabuchodonosor in Babylonem; & regibus Israel cum decem tribubus per Teglatphalassar & Salamanassar in Assyriam abductis.

*V.* 49. Adducet super te gentem de longinquo, in similitudinem volantis cum impetu; quasi dicat, celerrime, derepente & improviso advolantis. Et vero Apuleius *b* aquilæ pernicitatem, qua superne in prædam ruit, fulmini comparat. Graphice hic depingit Chaldæos, de quibus Ieremias ad hunc locum alludens, in Thren. iv. *Velociores*, inquit, *fuerunt persecutores nostri aquilis cæli*. Et cap. iv. prophetiæ suæ, *Velociores aquili sequi illius*, Nabuchodonosoris, & hunc nominatim etiam Ezechiel aquilæ comparat capite xvii. Quamquam etiam dici possit Moysen hic quoque ad *Romanos* allusisse, aquilis suis notissimos. Neque enim ab his minus quam a Chaldæis passi sunt Iudæi, quæ infra *c* de comedendis propriis fetibus, de venditione in mancipia, & aliis horrendis afflictionibus proponuntur.

*V.* 66. Erit vita tua quasi pendens ante te, nempe periculo semper exposita, & quasi in dubio suspensa. Immo non credes, seu non fides, vitae tuae, sed de ea tuenda desperabis.

Allegorice, sanctus Augustinus, sanctus Leo *d*, & Procopius per vitam intelligunt hic Christum in Cruce appensum.

*V.* 68. Reducet te classibus in AEgyptum. Id factum esse sub Tito, docet Iosephus *e*, cum scribit Iudæos captos, qui minores essent septemdecim annis, in AEgyptum devectos, ibique venditos, sed vix inventos emptores.

Nota, hinc patere, classes iam tunc a tempore Moysis notas fuisse Hebræis: falsumque esse, quod fingunt Poetæ, primas naves fuisse Iasonis & Argonautarum, qui nonnisi quadraginta annis ante ultimum bellum Troianum in Colchum navigarunt: nam Moyses plus quam ducentis annis mortuus est ante illam Argonautarum in Colchum expeditionem.

(*a*) Zonar. in Leone I. Niceph. Lib. XV. cap. xx.
(*b*) Apul. Lib. I. Floridorum.
(*c*) Hic verf. 53. & Levit. xvi. verf. 29.
(*d*) August. XVI. contra Faustum cap. xxii. Leo serm. viii. de Passione.
(*e*) Ioseph. Lib. VII. Belli, cap. xvi.

## GORDONI.

*Vers* 5. Reliquiae tuae, id est fructus qui reservantur.

*V.* 6. Ingrediens, id est in actionibus tuis.

*V.* 12. Fenerabis. Mutuum dare poteris præ copia rerum tuarum; & ita ut non sit necesse tibi accipere mutuum ab alio. Itaque Deus hoc quidem loco non permittit usuras (minus certe præcipit) nec etiam vers. 44. utrobique sane est idem verbum לוה *lavah*, quod mutuum significat, non vero usuram. De usura vero permissa dixi cap. xxiii. vers. 19. ubi usura vocatur נשך *newech*: sicut etiam Septuaginta distinguunt ἐκτοκιεῖς, & δανιεῖς. Cælum thesaurum vocat, quod habeat quasi reconditas in se pluvias.

*V.* 13. Constituet... in caput, et non in caudam. Hebraismus est. Hoc & vers. 44. ut etiam hoc versu 13. designant, supra, & subter: caput enim designat superiorem, potiorem, dominatorem, e contra cauda.

*V.* 14. NEC AD DEXTERAM, nullo aut timore, aut amore.

*V.* 20. Quæ insequentibus versiculis sunt de fame, esurie ( quam Septuag. aliquando ἀπώλεια vertunt ) increpatione, pestilentia, egestate, febri, frigore, ardore, æstu, aere corrupto, rubigine, cinerum pluvia ( extremam designat sterilitatem ) iactura sepulcri, ulcere AEgypti, seu turgentium vesicarum, & similibus, quæ dant vers. 27. & 28. hæc, inquam, mala sunt, & maledictiones, quæ legis transgressoribus obvenient, ex vers. 15.

*V.* 23. AENEUM, non dando pluviam; aut ferreum, negando fructus.

*V.* 30. NON VINDEMIES EAM; sed facies communem: quod quinto anno fiebat.

*V.* 40. DEFLUENT. In nihilum ibunt: aut, ut alii, quia evelletur oliva tua.

*V.* 44. IPSE FENERABIT TIBI; hoc est, dives erit; tu vero pauper, non poteris fenerare, aut dare mutuum. IPSE ERIT IN CAPUT: ut dixi vers. 13.

*V.* 46. IN TE SIGNA: maledictiones, de quibus supra.

*V.* 56. CARNIBUS, scilicet lugebit; alii negabit carnes.

*V.* 57. SECUNDARUM. Membrana est, qua fetus in utero involvitur. DE MEDIO FEMINUM, seu inter femora: sic certabunt ipsi duo parentes de esu filii sic nascentis.

*V.* 66. PENDENS. Quæ pendent, obnoxia sunt casui, & periculo.

*V.* 68. REDUCET, more captivorum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 24. SUPER TE CINIS: loco pluviæ cadat super te pulvis.

*V.* 26. SITQUE CADAVER TUUM IN ESCAM CUNCTIS VOLATILIBUS CAELI... Carere sepulcro erat pro magno malo apud Iudæos.

*V.* 27. ULCERE AEGYPTI. Vide Exod. IX. 9.

*V.* 31. IMMOLETUR, occidatur ab hoste: non enim loquitur de immolatione sacra.

*V.* 32. DEFICIENTIBUS, tabescentibus oculis ad conspectum hunc filiorum;

*V.* 47. ABUNDANTIAM. Quamvis dedisset tibi Deus rerum abundantiam, qua te provocabat ad debitum ipsi cultum.

*V.* 48. & 50. Hæc gens, Chaldaica intelligi potest.

*V.* 53. COMEDES FRUCTUM UTERI TUI, ut accidit sub Tito Ierosolymis.

*V.* 54. INVIDEBIT. Negabit tibi, sibi reservat.

*V.* 64. SUMMITATE, extremitate.

*V.* 68. NON ERIT QUI EMAT. Tot ex vobis erunt captivi ut vix sit amplius qui emat.

# CAPUT XXIX.

*Fœdus & iuramentum Israelitarum cum Domino iuxta Dei beneficia, & comminatio adversus fœdifragos.*

1. HAEc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moysi ut
feriret cum filiis Israel in terra Moab: præter illud fœdus,
quod cum eis pepigit in Horeb. 2. Vocavitque Moyses
omnem Israel, & dixit ad eos: (*a*) Vos vidistis universa
quæ fecit Dominus coram vobis in terra AEgypti Pharao-
ni, & omnibus servis eius, universæque terræ illius, 3. ten-
tationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa, por-
tentaque ingentia, 4. & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos vi-
dentes, & aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem. 5. (*b*) Adduxit
vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec cal-

calcamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. 6. Panem non comedistis, vinum & siceram non bibistis: ut sciretis * quia ego sum Dominus Deus vester. 7. Et venistis ad hunc locum: (c) egressusque est Sehon rex Hesebon, & Og rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percussimus eos, 8. & tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse. 9. Custodite ergo verba pacti huius, & implete ea: ut intelligatis universa quæ facitis. 10. Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri, & tribus, ac maiores natu, atque doctores, omnis populus Israel, 11. liberi & uxores vestræ, * & advena qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, & his qui comportant aquas: 12. ut transeas in fœdere Domini Dei tui, & in iureiurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum: 13. ut suscitet te sibi in populum, & ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi, & sicut iuravit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob. 14. Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, & hæc iuramenta confirmo, 15. sed cunctis præsentibus & absentibus. 16. Vos enim nostis quo modo habitaverimus in terra AEgypti, & quo modo transierimus per medium nationum, quas transeuntes, 17. vidistis abominationes & sordes, id est idola eorum, lignum & lapidem, argentum & aurum, quæ colebant. Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cuius cor aversum est hodie a Domino Deo nostro: ut vadat & serviat diis illarum Gentium: & sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem. 19. Cumque audierit verba iuramenti huius, benedicat sibi in corde suo, dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in pravitate cordis mei: * & absumat ebria sitientem, 20. & Dominus non ignoscat ei: sed tunc quam maxime furor eius fumet, & zelus contra hominem illum, & sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine: & deleat Dominus nomen eius sub cælo, 21. & consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel, iuxta maledictiones quæ in Libro legis huius ac fœderis continentur. 22. Dicetque sequens generatio, & filii qui nascentur deinceps, & peregrini qui de longe venerint, videntes plagas terræ illius, & infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus, 23.* sulphure & salis ardore comburens, ita ut ultra non seratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum (d) subversionis Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, quas subvertit Dominus in ira & furore suo. 24. Et dicent omnes Gentes: (e) Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris eius immensa? 25. Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra AEgypti: 26. & servierunt diis alienis, & adoraverunt eos, quos nesciebant, & quibus non fuerant attributi: 27. idcirco iratus est furor Domini contra terram istam, ut induceret super eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine scripta sunt: 28. & eiecit eos de terra sua in ira & in furore, & in indignatione maxima, proiecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur. 29. Abscondita, Domino Deo nostro: quæ manifesta sunt, nobis & filiis nostris usque in sempiternum, * ut faciamus universa verba legis huius.

(a) Exod. XIX. 4. (b) Sup. VIII. 2. (c) Sup. III. 1. (d) Gen. XIX. 24. (e) III. Reg. IX. 8. Ier. XXII. 5.

BRU-

# BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 6. *Quia ego sum Dominus Deus vester*. Non substituas personam tertiam *ipse est* pro prima *ego sum*.

V. 11. *Et advena qui tecum moratur*. Retinendus est numerus singularis, quamvis positus pro eo quem alii legunt plurali, *& advenæ qui tecum morantur*.

V. 19. *Et absumat ebria sitientem*. Pro *absumat*, sive consumat, multi libri legunt assumat, quod est addat, seu adiungat sibi. Utrumque ex Hebræo verti potest; prius prætulerunt Romani Patres.

V. 23. *Sulphure, & salis ardore comburens*. Vocum affinitate decepti quidam supposuerunt nomen *solis* planetæ in locum nominis *salis*, qui ex igne & aqua concretus, habet & ipse ardorem suum: mutarunt, inquam, vocalem primam *a* in quartam *o*.

V. 29. *Ut faciamus universa verba legis huius*. Non omittas *τὸ verba*.

# COMMENTARIA

## SA.

*Vers.* 3. TENTATIONES: scilicet per illa Pharaonis animus explorabatur.

*V.* 4. OCULOS VIDENTES, ET AURES, &c. id est intelligere, & obtemperare; id vero ob illorum culpam. Aug. in Deuter. quæst. L. POSSUNT AUDIRE. Hebr. Chald. & LXX. *audientes*, seu *ad audiendum*.

*V.* 5. ADDUXIT: sic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *duxi*.

*V.* 6. PANEM, &c. cito consumpserant allatum ex AEgypto. Aug. quæst. LI. in Deuter. EGO SUM: LXX. *ipse est*: DOMINUS, scilicet qui curam vestri habeo.

*V.* 9. INTELLIGATIS UNIVERSA; pro, prudenter agatis in omnibus. FACITIS. Hebr. *facturi estis*.

*V.* 10. CORAM DOMINO, id est coram arca fœderis Domini, vel coram Deo, qui ubique est. VESTRI, ET TRIBUS. LXX. *vestrarum tribuum*: quo etiam modo possunt verti Hebr. DOCTORES. Hebr. & Chald. *Præfecti*.

*V.* 11. EXCEPTIS, id est præter; quasi dicat, etiam cæsores lignorum.

*V.* 12. FOEDERE; quasi dicat: Ut fœdus ineas cum Domino.

*V.* 13. SUSCITET, id est erigat. Hebr. & LXX. *statuat*.

*V.* 15. ABSENTIBUS, id est futuris, scilicet posteris.

*V.* 18. FEL, id est peccata gravia.

*V.* 19. BENEDICAT SIBI; id est, sibi promittat prosperitatem. ET AMBULABO; pro, etiam si ambulavero. PRAVITATE. Hebr. *obstinatione*. Chald. *cogitatione*. LXX. *errore*. ABSUMAT EBRIA SITIENTEM; id est, faciat animus quod optat, & sitim suam explens inebrietur; quasi dicat: Succedat siti ebrietas, id est cupiditati satietas. Hebr. *Ut addat ebriam sitienti*, id est satietatem cupiditati. Chald. *Ut addantur peccatis ignorantiæ peccata superbiæ*. Quidam ita interpretantur: *Et pereat impius doctor cum discipulo*.

*V.* 20. ZELUS, id est indignatio. OMNIA MALEDICTA, id est ex omnibus aliqua: omnia enim uni non possunt evenire. August. quæst. LII. in Deuter.

*V.* 23. IN EXEMPLUM, id est instar.

*V.* 24. IMMENSA. Hebr. Chald. & LXX. *magna*.

*V.* 26. ATTRIBUTI, id est dedicati. Hebr. *Qui nihil illis tribuerant*, id est a quibus nulla acceperant beneficia. Chald. *Qui non possunt eis benefacere*.

*V.* 28. MAXIMA. Hebr. & Chald. *magna*. LXX. *magna valde*.

*V.* 29. ABSCONDITA; scilicet reservantur punienda. NOBIS; quasi dicat: Ad nos pertinet punire peccata manifesta; vel quasi dicat: Quæ apud Deum erant occulta, nobis manifestavit. Chald. *Quæ occulta sunt, sint coram Domino; quæ autem manifesta sunt, nobis & filiis*, &c.

## ESTII.

*Verf.* 2. Vos vidistis universa quae fecit Dominus, &c. Et verf. 4. Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes. Verba exprobrantis sunt, & est sensus: Vidistis mirabilia quæ Dominus fecit coram vobis, & tamen ea oculis mentis non considerastis, neque ad ea attendistis, sic ut obediretis legi Domini. Quod autem addit Moyses, Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, &c. *nullo modo*, inquit Augustinus, *hoc diceret, nisi ad eorum quoque culpam id pertinere intelligi vellet, ne quisquam se ex hoc excusabilem putet. Simul enim ostendit, & sine adiutorio Domini Dei eos intelligere & obedire non posse oculis & auribus cordis; & tamen si adiutorium Dei desit, non ideo esse excusabile hominis vitium: quoniam iudicia Dei, quamvis occulta, tamen iusta sunt.* Hæc Augustinus.

*V.* 19. Et absumat ebria sitientem. Sic editio Clementina: pridem legebatur, *Assumat ebria sitientem*, scilicet velut sociam. Hebr. hoc modo habent, *Ut addat ebriam cum sitiente*. Versio apud Vatablum: *Ut finiatur ebria cum sitiente*. Ipse Vatablus hoc modo: *Ita ut anteponant ebria sitienti. Id est*, inquit, *non eveniant mihi istæ maledictiones, etiamsi fecero ea ad quæ animus meus inclinatus est, ita ut parti concupiscibili animæ det primas, quæ inebriatur rebus huius mundi, posteriores autem parti rationali*. Ita ille.

*V.*29. Abscondita Domino Deo nostro: quae manifesta sunt nobis, &c. Non est legendum, *Abscondita a Domino*: nihil enim ab oculis Dei absconditum est. Deinde, nec in Hebræo, nec apud Septuaginta additur præpositio illa *a*: sed *Abscondita Domino Deo nostro*. Varie autem exponitur. Verus sensus petendus est ex iis quæ supra cap. xxvii. & hoc capite dicuntur. Ibi inter alia sic dicitur: *Maledictus qui facit sculptile, ponetque illud in abscondito*: rursum, *Qui clam percusserit*, &c. idemque iudicium de immunditiæ peccatis ibi expressis. Similiter hoc capite dicitur: *Ne forte sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem. Cumque audierit, benedicat sibi in corde suo dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in pravitate cordis mei*; id est, occulte obsequar cupiditatibus meis. Propter huiusmodi ergo cogitationes occultas Moyses adiecit: *Abscondita Domino Deo nostro*; quasi dicat, per aposiopesim: Abscondita, scilicet illa, & illa occulta peccata (ne dubitate) ad iudicium Domini Dei nostri pertinent; sed ad nos nihilominus etiam pertinet, & ad filios nostros, punire semper quæ manifesta sunt, & notoria peccata, si velimus legem Dei implere, & maledictiones eius effugere.

## MARIANAE.

*Verf.* 3. Tentationes magnas: sic vocat plagas, quibus afflixit AEgyptum.

*V.*9. Ut intelligatis universa quae facitis. Hebræus, *Ut prosperemini in omnibus quæ facietis*: sed quoniam prosperitas admonere debebat Dei promissa vera esse, prosperitatem vocat intelligentiam; quasi dicat: Ut intelligatis Deum esse veracem, cum cuncta opera fluent ex sententia.

*V.* 10. Atque doctores. *Soterim* hoc loco vertit *doctores*, ut & Septuaginta: melius *præfecti*, sed parum interest.

*V.*11. Exceptis lignorum caesoribus. Non intelligas eos non interfuisse fœderi: nam Hebraica, & versiones aliæ adfuisse ostendunt: sed *exceptis*; id est, ut prætermittantur lignatores & aquatores. Itaque omnes nobiles & ignobiles interfuerunt cum fœdus fieret.

*V.*12. Ut transeas in foedere. Alludit ad ritum quo iungebantur fœdera, hostiam in partes divisam transeuntibus qui fœdus faciebant, addita execratione, ut discerperetur in partes qui prior fœdus violaret. Ritum hunc tangit Gen. cap. xv.

*V.* 17. Quae colebant. Hebr. *argentum & aurum, quæ cum eis*, vel *apud eos*: scilicet erant, id est idola vidistis: sed Hieronymus expressit sententiam.

*V.* 18. Radix germinans fel et amaritudinem. Hebr. *venenum & absynthium*. *Venenum* seu *toxicum* ראש *ros* vocabatur, id est *caput* (quod ex aspidis capite fieret) Hebræis.

*V.* 19. Benedicat sibi in corde

suo.

SUO. Benedictionem explicant proxima verba, PAX ERIT MIHI; pro sit mihi. Pax sit rebus, non eveniat mihi quod his execrationibus continetur. IN PRAVITATE CORDIS MEI. Alii, *in cogitatione*, ut Chald. alii, *in obstinatione*: nam vox Hebraica *seriruth* obscura, & parum nota est: eodem tamen redeunt omnia; quasi dicat: Obsequar cupiditati cordis mei. ET ABSUMAT EBRIA SITIENTEM: sic lege, non *assumat*: ספה *saphah* significat *addere*: hoc secutus est Pagn. Hebræi, & Chald. sed interpretatio obscura est, *Ut addat ebriam cum sitiente*: quid hoc? significat etiam *finire*, *consumere*: & hoc Hieronymus est secutus. Per *ebriam*, intellige carnem; per *sitientem*, mentem, quæ semper ad maiora contendit. Sententia loci erit: Obsequar meis cupiditatibus, mihi indulgebo, caro vincat, & primas partes teneat. Voces hominis desperantis salutem.

*V*.21. ET CONSUMAT EUM IN PERDITIONEM, &c. Hebr. *Et dividat eum in malum ex omnibus tribubus Israel*.

*V*. 27. SULPHURE ET SALIS ARDORE. Hebr. *Sulphure & sale incensa omnis terra eius* (scilicet gentis) *non seminabitur*, *& germinabit*. IN EXEMPLUM SUBVERSIONIS SODOMAE. Ex hoc loco colligunt, Deum pluisse super Sodomam non sulphure, sed etiam sale, argumento excidii perpetui. Sed & ex eo sale credam Mare mortuum, ex aqua, quamvis dulci, Iordanis effectum, salsum re & nomine evasisse; ex sulphure bitumen factum, quod innatat: unde lacus Asphaltites, id est bituminosus, est dictus.

*V*. 28. ET QUIBUS NON FUERANT ATTRIBUTI. Hebr. *Et non divisit eis*. Aliqui, ut Chald. *divisit* sumunt pro diviserunt; quasi dicat: Qui dii nihil diviserunt eis; nulla ii dii illis bona contulerunt. Hieronymus verbum *divisit* passive accipiens, *divisit* accepit, pro divisi sunt eis, scilicet homines illi diis illis attributi non sunt, non eos coluerant ante, sed postea degenerarunt, ideo puniti sunt.

*V*.29. ABSCONDITA DOMINO DEO NOSTRO, QUAE MANIFESTA SUNT, NOBIS. Relativum *quæ* non est in Hebræo. Sensus: Dei arcana nobis revelata sunt. Nimirum legit præcepta, & voluntas, & mysteria.

## MALVENDAE.

*Vers*. I. VERBA FOEDERIS, id est rationes, & conditiones fœderis. Hispanice, *los capitulos*, *o capitulationes*. Sic vers. 9. PRAETER ILLUD FOEDUS QUOD CUM EIS PEPIGIT IN HOREB. Quidam exponunt: Id est, præterquam quod id fœdus iam ante pepigerat in Horeb. Traiectio verborum, ut Genes. v. vers. 29. nam idem fuit fœdus substantia, sed ratione personarum & loci, ubi instauratum est, diversum erat.

*V*. 4. COR INTELLIGENS; quia nimirum tunc eratis adhuc parvuli. Quidam intelligunt voluntatem sciendi quæ Dei sunt. ET OCULOS VIDENTES, ET AURES, &c. Oculos, & aures mentis accipiunt. Alii exponunt, videntes & audientes cum fructu, id est ad res visas & auditas observandum.

*V*.5. NON SUNT ATTRITA VESTIMENTA VESTRA. Hebr. *Non veteraverunt vestimenta vestra desuper vos*; quasi dicat: Non ita vetustate sunt detrita, ut ea exuere aut abiicere oportuerit, aut ut e corporibus vestris deciderint. Alii: *Non inveteraverunt vestimenta vestra*, *quin tegumento essent vobis*. Sic statim *desuper pedem tuum*; id est, quin tegumento esset pedi tuo; quasi dicat: Divinitus factum est, ut tamdiu vestimentis vestris, & calceamentis vestris commode uteremini. Vide supra cap. VIII. vers. 4.

*V*. 6. UT SCIRETIS QUIA EGO SUM DOMINUS, &c. id est, ut experimento cognosceretis me esse IHUH, qui veritatem fœderis mei opere demonstraverim, cum cælesti man pascerem vos tanto tempore, sine pane aut vino. Vide Exod. XVI.

*V*. 7. AD HUNC LOCUM; nempe Campestria Moab, ubi Moses Deuteronomium promulgavit, & ista omnia loquebatur. Vide cap. I. vers. I. & cap. III. vers. 29. EGRESSUSQUE EST SEHON REX. Hanc pugnam Sehonis & Og fuse descriptam habes Numer. XXI. & supra cap. III. vers. I.

*V*. 9. UT INTELLIGATIS. De verbo שכל *sacal* cum *sein* sinistro in Hiphil, ut hic ponitur, disseruimus Genes. III. vers. 6. Aiunt hic figurate accipi pro *fortuna-*

*tunate*, *feliciter*, *prospere*, *secunde agere*, *facere*, seu *efficere*, ducta significatione ab altera eiusdem verbi, quæ est *considerate facere*; eo quod qui gnavus ac strenuus est in rebus gerendis, divinitus sibi demandatis, quique considerate facit, Dei benedictione prosperos successus habeat. Unde hic vertunt: *Ut feliciter faciatis quæ egeritis*. Alii: *Ut secundetis*, *prosperetis*, id est ut prospera & felicia reddatis, *omnia quæ facturi estis*. Nonnulli: *Ut prudenter*, *&* *considerate agatis*, *quæcumque facturi estis*. Ego ista omnia eo verbo complecti arbitror: *Propterea industrie*, *accurate*, *considerate*, *prudenter*, *intelligenter*, *gnaviter*, *strenue agetis omne quod facietis*.

*V.* 11. EXCEPTIS LIGNORUM CAESORIBUS, &c. Non excipit hos a fœdere, sed includit, ut ex Hebræo patet; sed illud *exceptis*, catechristice idem valet quod *præter*, *ultra*. Nisi forsan *Min* Hebraicum neget, ut Iob XXXIII. 18. Hebr. *a cæsore lignorum tuorum*, *usque ad haustorem aquarum tuarum*. Quidam, *ab eo qui cædit ligna vestra*, *usque ad eum qui haurit aquam vestram*, necessariam scilicet exercitui. Alii, *a lignatore tuo*, *usque ad aquatores tuos*, id est tam nobiles quam mediastini, tam servi quam domini. Nonnulli, *cum is qui putat ligna tua*, *tum qui haurit aquam tuam*; id est, etiam extraneus minimus quisque in ministerio vel sordidissimo occupatus.

*V.* 12. UT TRANSEAS IN FOEDERE DOMINI. Hebr. *ad transire te in fœdere IHUH*. Quidam, *ut transeas in fœdus Domini*; alii, *ad transeundum in fœdus*, vel *ad ineundum fœdus Iehovæ*. Nonnulli notant singularem esse phrasim: *Ut transeas in pacto Iehovæ*; id est, ut pergas tamquam intra metas; vel ut transigas. Sed recte Hebræorum nonnulli annotant, verbo *transeundi* alludi hic ad priscum morem sanciendi fœdera, cum scinderentur animalia in fœdere ineundo mactata, & fœderati inter dissectas & scissas animalium partes ritu solemni transirent: quem ritum explicavimus Genes. XV. vers. 18. ET IN IUREIURANDO. אלה *alah*, aiunt esse *iuramentum quo quis cum imprecatione mali adstringitur ad servandum pactum*, *iuramentum cum alterius partis quæ iuramentum violat*, *devotione*, *seu imprecatione*. Alii hic sumunt pro *deieratione*, *imprecatione*, *execratione*, *maledictione*; ut alludat ad imprecationes capitis præcedentis. Sic infra vers. 19. 20. & 21.

*V.* 15. SED CUNCTIS PRAESENTIBUS ET ABSENTIBUS. Hunc versum nos verbatim ex Hebræo reddidimus (*Quia ad cuius existentia eius hic cum nobis*, *stantem*, *die faciebus* IHUH ELOHIM *nostri*: *&* *ad quem non eum hic cum nobis*, *die*.) Dilucidius alii in hunc modum: *Sed cum eo*, *qui astat hic nobiscum hodie coram Iehova Deo nostro*: *&* *cum eo*, *qui non* est *hic nobiscum hodie*, id est vobiscum, & cum semine vestro: cum iam natis & nascituris.

*V.* 16. VOS ENIM NOSTIS QUO MODO HABITAVERIMUS IN TERRA AEGYPTI, &c. Notant esse ætiologiam, seu causæ redditionem, cur dicatur etiam ad posteros hoc fœdus pertinere: quia vos novistis, ac non illi; ac proinde nisi disertis verbis caveretur hoc; aut putarent, aut forte etiam obtenderent nihil ad se pertinere hanc institutionem fœderis.

*V.* FEL. ראש־ *rosch*. Quidam aiunt esse hic amaritudinem præcipuam & capitalem, quæ est in capite aspidis, id est *fel venenatum*, & bilis seu biliosum venenum, exitiale & capitale, ut infra cap. XXXII. vers. 33. *Et rosch venenum aspidum crudele*. Alii volunt esse nomen *herbæ venenatissimæ*, *quæ caput* *&* *præcipua sit inter venenatas herbas*, *quæ in agris copiosissime provenit*, istis nostris terris incognitæ. Nonnulli *cicutam* intelligi putant, vel *aconitum*, aut similem, *venenosissimam* *&* *lethalem herbam*, qua hausta periit Socrates. Alii *papaveris nigri silvestris caput*, de quo Virgilium IV. AEneidos dixisse aiunt:

...... *nigri cum lacte veneni*.

nam mortiferum esse docet Plinius Lib. XX. cap. XVIII. Plerique *toxicum* interpretantur. Nec desunt qui *colocynthidam*, seu *cucurbitam silvestrem* esse existiment, quam Persæ, teste Mesue, *fel terræ* appellant, propter nimiam amaritudinem. Annotarunt, Petrum Apostolum Actorum VIII. vers. 23. ad hunc locum respexisse, cum Simoni Mago dixit: *In felle amaritudinis*, *&* *colligatione iniquitatis video te esse*: ubi duas in Hebræo voces, *fel*, & *absynthium*, una, ut solet, explicat, signi-

gnificans illum prorsus infectum contagiosa impietate. Similiter Paulum Hebræor. XII. verf. 15. ita reddidiffe: *Curam gerentes, ne quis fit qui deficiat a gratia Dei, ne qua radix amarulentiæ fuppullulans obturbet, & per hanc inquinentur multi, &c.* Ergo hic plerique per fel, feu toxicum, & abfynthium graviffima peccata intelligunt, cuiufmodi eft defectio a Deo, & idololatria, quæ Deum amariffime iratum reddunt, & extremam amaritudinem, & exitiale venenum defectoribus important. Quidam hic reddunt: *Ne fit in vobis radix proferens cicutam, aut abfynthium*; id eft, ne animus vefter fit ullius idololatriæ, perditæve vitæ feminarium. Metaphora. Aliqui hic occultos apoftatas accipiunt, tamquam radices in terra demerfas, qui alios ad defectionem incitent.

*V.* 19. BENEDICAT SIBI. Hebr. *Et benedicere fe faciet*, vel *& benedicet fe*; id eft, & blandietur, vel applaudet fibi. Quidam: *Et felicitatem fibi promittet*: aut fe benedictum, fortunatum, felicem reputabit. IN PRAVITATE CORDIS MEI. Vocem שררות *fcheriruth*, diverfimode elucidant. I. *in cogitatione cordis mei*. II. *in vifione, afpectu, contemplatione, fpeculatione cordis mei*; id eft, iuxta libidinem cordis mei, ex fententia animi mei ambulabo; quafi dicat: Id exequar quod fpectabit animus meus, quod mihi vifum fuerit. III. *in duritia, fortitudine, tortione, obftinatione, perverfitate cordis mei*. IV. *in intentione cordis mei*. Aiunt effe *infidiofam, ac pravam cordis intentionem, feu obfervationem, infidias, feu machinationem, infidiofum & pravum confilium*. ET ABSUMAT EBRIA SITIENTEM. Hebr. *Ut addat ebriam fitienti.* Loci perdifficilis & permolefti varias interpretationes ex Hebræo, & explanationes exhibebo. I. Hebræorum nonnulli: *Ut addat ebriam fupra fitientem*; id eft, ut præferat, anteponat concupifcentiam, quæ terrenis defideriis inebriatur, rationi & parti fuperiori animæ, quæ ficca eft, & abftinet a carnalibus voluptatibus. II. Alii Hebræorum, *Ebriam*, pium & iuftum intelligunt; *fitientem*, impium & improbum; quafi dicat: Et impius apud fe cogitet multos effe præ fe iuftos, quorum merito pœnam ipfe evadat. III. *Ut addat fatiatam cum fitiente*: aiunt effe proverbialem locutionem; quafi dicat, ut promifcue congerat quævis mala, & peccata, & extrema impietatum coniungat. IV. *Ut addat ebriam fitienti*; id eft, ut latrantem & aridam confcientiam mulceat, & fopiat quafi ebrietate quadam: quafi blanditiis & adulationibus nobis imponere velimus, ut malum putemus ludricum effe: & nobis perfuadeamus nos pace potituros, quamvis nequiter & perdite vivamus: ut veluti ebrii, nullo tangamur fenfu malorum noftrorum. V. *Ut addatur ebria fitienti*, aut *ebrietas fiti*; quafi diceret: Ut avidiffime peffimos quofque errores imbibat, ut eius malefaciendi fitis fiat quædam ebrietas: inebrietur malefactis, quod tantopere prius cupiebat. VI. *Ut abfumat, confumat, confumet, ebria fitientem*; id eft, faciat animus quod optat, & fitim fuarum cupiditatum explens, inebrietur; quafi dicat, fuccedat fiti ebrietas, id eft cupiditati fatietas: vel *ut addat ebriam fitienti*, id eft fatietatem cupiditati. Hifpanicus interpres, *para annedir la embriaguez a la fed*; id eft, para entregarfe a todos los deffeos de fu corazon. VII. *Ex fententia animi mei ambulabo: quo addat ebriam fitienti*: puta animi fententiam; id eft, ut numquam peccandi finem faciat, aut fuum ad peccandum defiderium expleat: fed ut folent ebrii fitim provocare atque accendere; fic peccatorum fomites & irritamenta accerfat, & in peccatis occalefcat. Alias expofitiones ut minus probabiles omittimus, quas tibi Explanatores affatim fuppeditabunt. Verum varie alii hunc locum ex Hebræo convertunt. I. *propter affumere ebriam, ipfam fitientem*; id eft, ut affumat ebria fitientem: vel fic *ut abftrahat ebriam cum fitiente*. II. *ut auferatur madida cum fitiente*. III. *ad contrahendum riguam, ebriam, cum fitiente*. IV. *ut finiatur ebria cum fitiente*. V. *ut addat irriguam cum fitibunda*. Auctores harum interpretationum fenfum earum non non exponunt, ipfi viderint: & ego non divino. De fignificatione verbi ספה *fapbah* egimus Genef. XVIII. verf. 23.

*V.* 20. OMNIA MALEDICTA. Hebr. *omne iuramentum execratorium, imprecatorium, devotorium*. Quidam: *Incumbet ei omnis adiuratio*; id eft, reus erit totius fœderis violati, quod adiuratione fuerat confirmatum: nam qui tranfgreditur præceptum unum, eft totius legis reus, Iacobi

11. vers. 10. Sic accipitur idem adiurationis nomen infra cap. xxx. vers. 7. Alii hic: *Omnis execratio*, *imprecatio*, *maledictio*, *quae scripta est in libro hoc*; nimirum omnes maledictiones descriptae capite praecedenti.

*V.* 26. ET QUIBUS NON FUERANT ATTRIBUTI. Hebr. varie reddunt. I. *Et non impertitus fuit eis*: singulare pro plurali: & qui nihil impertiti fuerant illis, id est deos, quorum nullus eorum impertitus fuerat eis quidquam, deos a quibus nulla beneficia acceperant. Unde clarius reddunt: *Quorum nullus dispertivit illis*; subaudi, aliquid, vel terram promissam. II. *Et non assignavit eis*; id est, deos quos verus Deus non attribuit, non assignavit, non praefecit illis Israelitis. III. *Neque impertitus fuerat eis Deus*, subaudi, solum; quasi dicat: Quos Deus non eis solum sortis & portionis loco attribuerat, ut essent eis in deos; sed potius cunctis sub caelo nationibus, non colendos, sed utendos dederat: nempe solem, lunam, stellas, aurum, argentum, lapides, ligna, &c. quae gentilitas ut deos adorabat. Vide cap. IV. vers. 19.

*V.* 28. PROIECITQUE IN TERRAM ALIENAM. Hebr. *disiecit*, in futuro וַיַּשְׁלִכֵם *iisch lachem*, deiecit eos, Lamed est magnum: & est duodecima magna littera in Hebraico Scripturae. Fortasse ad indicandum horribile, & sempiternum exilium, quo nunc inde iam a Christo occiso premuntur. Vide supra cap. XVIII. vers. 13. SICUT HODIE COMPROBATUR. Hebr. *secundum diem hanc*, vel *sicut die ista*. Quidam, *sicut est hodie*, vel *sicut hodie res se habet*, aut *sicut dies haec testatur*. Insigne vaticinium de extirpatione, & dissipatione Iudaeorum per orbem extra patriam suam, usque ad finem saeculi.

*V.* 29. ABSCONDITA, DOMINO DEO NOSTRO. Optime vertit Hebraea. Alii sic: *Abscondita Iehovae Dei nostri sunt*: *& revelata nostra sunt*, *& filiorum nostrorum*, *&c.* vel *abscondita Domino Deo nostro*; *revelata vero ad nos & ad filios nostros attinent*, *dum durat saeculum*, *&c.* Quidam ita exponunt: Dei est punire idololatriam occultam; ad nos autem pertinet punire idololatriam apertam: neque solum ad nos, sed etiam ad posteros nostros usque in sempiternum: debemus autem haec facere, si velimus implere legem hanc. Alii: *Quae occulta sunt*, *penes Iehovam Deum nostrum sunto*: *at quae revelata*, *nobis & filiis nostris usque in saeculum*, revelata sunt, ut *faciamus omnia verba huius legis*. Sensum esse volunt: Ne sapiamus altum, neque Dei consilia, vias, & iudicia ulterius pervestigemus; sed his contenti, & acquiescentes voluntati eius, in hoc incumbamus, ut praescripto huius legis, quae nobis revelata, data, & exposita est, simplici animo pareamus. Nonnulli explicant: Secreta Iehovae Dei nostri revelata sunt nobis, & filiis nostris in sempiternum, &c. iuxta illud Psalm. CXLVII. vers. 9. *Non fecit taliter omni nationi*, *& iudicia sua non manifestavit eis*.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. VERBA FOEDERIS, innovati, instaurati, & iuramento firmati. Vide infra num. 12.

*V.* 2. VOCAVITQUE MOYSES OMNEM ISRAEL; hoc est, omnes rursus adesse iussit: neque enim verisimile, omnia quae hoc Libro habentur a Mose uno spiritu, nulla interposita quiete esse dicta.

*V.* 3. TENTATIONES MAGNAS: punitiones: & flagella AEgyptiorum.

*V.* 4. NON DEDIT VOBIS DOMINUS COR INTELLIGENS, &c. quia vos cor, aures, oculosque mentis clausistis, unde vitio factum est, ut non intelligeretis magnitudinem divinorum beneficiorum, & quaenam essent partes, officiumque vestrum erga Deum.

*V.* 5. NON SUNT ATTRITA VESTIMENTA. Vide dicta sup. cap. VIII. num. 4.

*V.* 6. PANEM NON COMEDISTIS, &c. quia manna fuit illis in cibum. Aliquando tamen edisse panem, & vinum bibisse credibile est, sed non frequenter, cum agerent in deserto. UT SCIRETIS QUIA EGO SUM DOMINUS DEUS VESTER: qui norim servos meos alere mirabili modo, etiam cum frugum aut carnium copia deest.

*V.* 9. UT INTELLIGATIS OMNIA QUAE FACITIS: prudenter agatis.

*V.* 20. VOS STATIS HODIE CUNCTI. Oportebat enim ut omnes ad susceptionem legis, & foederis convenirent; quia

quia quod omnes attingit, ab omnibus probari debet. PRINCIPES VESTRI: Principes tribuum. DOCTORES, quos supra cap. XVI. num. 18. appellavit magistros. Vide ibi dicta.

*V.* 11. ET ADVENA, &c. multi enim AEgyptii eos sequebantur. Alii etiam erant mancipia ipsorum Hebræorum. EXCEPTIS LIGNORUM CAESORIBUS, ET HIS QUI COMPORTANT AQUAS. Quos necessarium ministerium adesse non patitur. In Hebræo tamen, Chaldæo, & Septuaginta est: *A lignorum cæsore usque ad comportantem aquam tuam*: quasi nullus plane abfuerit. D. Hieronymus videtur particulam מן *min*, pro *præter* accepisse.

*V.* 12. UT TRANSEAS IN FOEDERE: ut fœdus ineas. Vox illa *transeas*, videtur indicare renovationem fœderis per transitum inter partes divisas victimarum, ut factum in fœdere Dei cum Abraham, Genes. XV. 10. Vide ibi dicta. ET IN IURE IURANDO. Septuaginta, *in imprecationibus*. Vide dicta eodem cap. XV. Genes. num. 10.

*V.* 13. SUSCITET TE SIBI IN POPULUM. Vide dicta cap. XXVIII. 9.

*V.* 16. PER MEDIUM NATIONUM: Idumæos, Madianitas, Ammonitas, Moabitas.

*V.* 18. SIT INTER VOS RADIX GERMINANS FEL, ET AMARITUDINEM: sit quispiam qui sibi & aliis sit causa idololatriæ, quæ fel, & amaritudo appellatur, vel quia Deo ingratissima, vel quia idololatris fructus amaros procreat, videlicet gravia supplicia.

*V.* 19. BENEDICAT SIBI IN CORDE SUO: falsa spe lactet se, & sibi cuncta prospera polliceatur, seque impunitum fore existimet. ET AMBULABO: licet ambulavero. ET ABSUMAT EBRIA SITIENTEM. Proverbium est. In Hebræo est: *Ut addatur ebria sitienti*. LXX. habent: *Ut non simul perdat peccator eum qui sine peccato est*. Cornelius particulam *Non*, a textu Septuaginta tolli posse putat, cum non sit in Hebræo; & sensus erit: Peccator sibi promittat impunitatem, & cum ipse sit ebrius iniquitate, integrum, & innocentem absumat; vel, ut alii legunt, assumat in communionem sui criminis, eum sollicitando, & trahendo ad idololatriam. Bonfrerius putat in hoc proverbio subintelligendam vocem substantivam, *Terra*. *Absumet terra ebria sitientem*; & sensum esse: Terra pluviis inebriata perdat seipsam, quæ prius sitiens erat. Habetque locum proverbium hoc quotiescumque quis quippiam desiderat, quod cum deinde illi conceditur, perniciem illi creat. Ad rem nostram applicando adagium, sensus erit: Qui sibi impunitatem promittit, sibique indulgendo sceleribus quodammodo, & idololatria, quam sitiebat, sese inebriat, grande malum sibi accerset, & se plane perdet.

*V.* 20. FUROR EIUS FUMET. Verti potest: *Nasus eius fumet*: vox enim אף *aph*, *iram*, & *nasum*, qui sedes est iræ, aut in quo eminet, significat. Loquitur de Deo, humano more.

*V.* 23. SULPHURE, ET SALIS ARDORE COMBURENS. Hæc enim sterilem terram faciunt. Sic Iudic. IX. 45. Abimelech Sichimam destructam sale seminat, ut sterilis efficiatur. AD EXEMPLUM, ad similitudinem.

*V.* 26. QUOS NESCIEBANT: quos antea non colebant, nec agnoscebant pro diis. QUIBUS NON FUERANT ATTRIBUTI: quibus non fuerant ipsi tamquam pars, possessio, hereditas, vel proprium peculium attributi.

*V.* 29. ABSCONDITA DOMINO DEO NOSTRO, QUAE MANIFESTA SUNT NOBIS, ET FILIIS NOSTRIS USQUE IN SEMPITERNUM; quasi dicat: Hæc flagella futura, prævisa & decreta a Deo, ut scilicet ea non norit ut infligat nobis; hæc, inquam, flagella, quæ minitans intentavit, & prænuntiavit nobis, & filiis vestris, ut eorum metu legem eius servemus in sempiternum.

## TIRINI.

*Vers.* 4. NON DEDIT VOBIS DOMINUS, propter vestra demerita & peccata, COR INTELLIGENS, divinorum beneficiorum magnitudinem & præstantiam: neque animi vestri OCULOS, vel AURES aperuit, quibus attenta consideratione penetraretis eadem beneficia, monitaque divina, & iisdem obediente aure obsecundaretis: nempe lumini

interno & gratiæ vos excitanti semper rebelles obstitistis.

*V.* 19. ET AMBULABO; pro, licet ambulavero; quasi dicat: Licet transgrediar mandata Dei, maledictiones hæ mihi non nocebunt. ET ABSUMAT EBRIA SITIENTEM. Proverbium est Hebræis familiare: quod Septuaginta vertunt, *Perdat peccator innocentem*, dum scilicet ebrius idololatria alios quoque seu suasione, seu exemplo suo in idem scelus, & consequenter in eamdem secum ruinam trahit. Vide Delrionem *a* in Adagiis sacris. Nisi forte malis *b* ad unam eamdemque personam peccantem utrumque referre, quæ sitire dicitur, cum aliquid vehementer appetit; ebria vero esse, cum quod appetivit, abunde consecuta est: tum vero absumit ebria sitientem, cum quod appetiit, & iam consecuta est, illi causa est ruinæ. Sic enim, inquit Moyses, continget idololatris, cum vehementer desiderarint solvi legibus divinis, & idolis prostitui, compotes iam facti votorum & sceleribus ebrii, sentient se sibi extremam perniciem accersivisse.

*V.* 29. ABSCONDITA, supple, O utinam æternum sint DOMINO DEO NOSTRO, hæc quæ ante minatus est supplicia! ita nempe, ut numquam cogatur ea inferre; quasi dicat Moyses: Precor ut populus ita legibus Dei custodiendis insistat, ut numquam cogatur Deus supplicia quæ transgressoribus minatus est, de facto infligere; sed ita se gerat ac si ea omnia mala ignoraret. Interim MANIFESTA sint hæc NOBIS ET FILIIS NOSTRIS: ut eorum metu a transgressione legum arceamur. Ita Caietanus.

(*a*) Delrio adagio CXXXVIII.
(*b*) Cum P. Bonfr.

## GORDONI.

*Vers.* 3. TENTATIONES sunt plagæ AEgypti: per has enim explorabatur animus Pharaonis.

*V.* 4. ET NON DEDIT VOBIS DOMINUS COR INTELLIGENS, &c. Designat hic populum huc usque fuisse ingratum, & immemorem divinorum beneficiorum. Deus autem dicitur non dedisse gratiam uberem ut bene sentirent de Deo, quia obstabant eorum demerita.

*V.* 5. & 6. NON SUNT ATTRITA VESTIMENTA. Vide cap. VIII. vers. 4. Qui putant, crescentibus parvulis, excrevisse vestes, miraculum dant sine necessitate. Unde ergo puerorum vestes? Sane partim ex spoliis AEgypti, partim ex vestibus morientium, partim ex lanificio: nam linum & lanam tractabant, ne essent per quadraginta annos otiosi; nec pelles animalium inutiles erant ad vestimentum. Interdum etiam a vicinis emere aliquid poterant. De cibis, & carne, vide cap. II. vers. 6. Ait vero vers. 6. panem comedisse victu ordinario: nam interdum præter mannam poterant apud vicinas gentes panem invenisse.

*V.* 11. EXCEPTIS; quasi dicat: Etiam interfuerunt fœderi lignatores, seu tam nobiles quam hi ignobiles.

*V.* 15. ABSENTIBUS, id est futuris, & posteris.

*V.* 18. FEL, peccata, & dissentiones.

*V.* 19. ET ABSUMAT EBRIA SITIENTEM, &c. Non convenit inter tot nunc Interpretes, quæ sit huius proverbii vis. Magnam rerum perturbationem designat in familiis, & civitatibus, ubi magna sunt peccata, cum magna inopia; & præsertim quando peccatores velut ebrii grassantur in debitores, & alioqui iam satis miseros: sic sane ebrius devorat esurientem.

*V.* 23. SALIS ARDORE, &c. Sal & salsugo sterilitatem designant, Psalm. CVI. vers. 34. Et passim salsugo opponitur fertilitati. Hæ quatuor civitates Pentapoleos periere Genes. cap. XIX.

*V.* 26. SERVIERUNT DIIS ALIENIS...QUIBUS NON FUERUNT ATTRIBUTI: ad quos colendos non fuerunt designati a Deo suo, sed potius per leges Dei sui prohibiti ne id facerent.

*V.* 29. ABSCONDITA DOMINO DEO NOSTRO: QUAE MANIFESTA SUNT NOBIS, &c. Obscure dictum. Existimo optime intelligi ex Hebræo, ubi non est particula *quæ*: quamvis enim relativum hoc variet sensum, & possit retineri; tamen reddit obscuriorem versum. Sensus ergo est: Quæ erant Deo abscondita, & arcana, scilicet præcepta hæc, & æterna eius voluntas, sunt nobis revelata, ut serventur, & faciamus eius voluntatem.

CA-

# CAPUT XXX.

*Vera pœnitentia Deum placat: præceptum nobis datum, non longe à nobis separatur: proponitur bonum & malum: ut ultro bonum eligentes, vivamus; & non pereamus, malo adhærentes.*

1. CUm ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo: & ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, 2. & reversus fueris ad eum, & obedieris eius imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, & in tota anima tua: 3. * reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit. 4. Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, 5. & (a) assumet, atque introducet in terram, quam possederunt patres tui; & obtinebis eam: & benedicens tibi, maioris numeri te esse faciet quam fuerunt patres tui. 6. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui: ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere. 7. Omnes autem maledictiones has convertet super inimicos tuos, & eos qui oderunt te & persequuntur. 8. Tu autem reverteris, & audies vocem Domini Dei tui: faciesque universa mandata quæ ego præcipio tibi hodie: 9. & abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in sobole uteri tui, & in fructu iumentorum tuorum, in ubertate terræ tuæ, & in rerum omnium largitate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis: 10. si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris præcepta eius & cæremonias, quæ in hac lege conscripta sunt: & revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua. 11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, 12. nec in cælo situm, ut possis dicere: (b) Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, * & audiamus atque opere compleamus? 13. Neque trans mare positum, ut causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre: ut possimus audire & facere quod præceptum est? 14. Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. 15. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum: 16. ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & custodias mandata illius ac cæremonias atque iudicia: & vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in terra ad quam ingredieris possidendam. 17. Si autem aversum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris deos alienos, & servieris eis: 18. prædico tibi hodie quod pereas, & parvo tempore moreris in terra ad quam, Iordane transmisso, ingredieris possidendam. 19. Testes invoco hodie cælum & terram, * quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictio-

nem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum: 20.
& diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas
( ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum ) ut habites in terra pro
qua iuravit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob, ut daret eam
illis.

(a) II. Mach. 11. 29. (b) Rom. x. 6.

## BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 3. *Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam*. Alii scribunt: *Reducet te Dominus Deus tuus* de captivitate tua; qui sensus est prioris lectionis.

V. 12. *Et audiamus*. Non mutes *&* in *ut*.

V. 19. *Quod proposuerim vobis vitam, & mortem*. Pro voce *mortem*, quidam substituerunt vocem *bonum*, male imitati locum supra vers. 15.

## COMMENTARIA

### S A.

*Vers.* 4. CARDINES CAELI, id est extrema orbis, scilicet ubi cælum videtur terræ coniungi.

*V.* 6. CIRCUMCIDET, id est purgabit.

*V.* 8. REVERTERIS; pro, si reverteris; vel revertere ergo.

*V.* 9. REVERTETUR. Chald. *convertetur*, scilicet ab ira.

*V.* 11. MANDATUM, id est præcepta Decalogi. TE, id est captum tuum. PROCUL POSITUM; quasi dicat, ignotum, aut difficile cognitu, ut te proinde excuses.

*V.* 12. QUIS NOSTRUM. Hebr. & Chald. *quis nobis*, seu *pro nobis*: sic & infra.

*V.* 13. EX NOBIS, pro nobis.

*V.* 14. IN ORE: scilicet sæpe a levitis docebatur & inculcabatur. CORDE: scilicet sæpe audiebant, adeoque cogitabant.

*V.* 15. VITAM ET BONUM, &c. LXX. *vitam & mortem*, *bonum & malum*.

*V.* 16. UT DILIGAS. Hebr. Chald. & LXX. *Præcipiens, ut diligas*.

### E S T I I.

*Vers.* 11. MANDATUM HOC... NON SUPRA TE EST, NEQUE PROCUL POSITUM, NEC IN CAELO SITUM. Sensus est: Iam tibi mandatum hoc a Domino in monte datum est, & rursum a me propositum, recitatum ac prolixe declaratum, nihil est quod iam excuses. Restat, ut supra dixit, *Ut audiamus atque opere compleamus*: & iterum: *Ut possimus audire & facere quod præceptum est*. Quomodo autem ad hoc, auxilium a Deo esset petendum, declaravit capite superiori, cum exprobando dixit: *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, &c.* quod ostendimus ex eorum culpa accidisse: non enim alioqui Dominus eis hoc recte exprobraret. Tum idem etiam ostenditur cap. VIII. his verbis: *Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt. Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit*. Nam si in corporalibus nihil poterant, nisi Deo vires suggerente, multo magis ergo in spiritualibus. Vide Commentar. nostrum ad Rom. x. ubi hic locus ab Apostolo citatur.

*V.* 15. CONSIDERA QUOD HODIE POSUERIM IN CONSPECTU TUO VITAM ET BONUM, ET E CONTRA MORTEM ET MALUM: & infra vers. 19. ELIGE ERGO VITAM, &c. Vita & bonum vita beata intelligitur, bonumque non morale, sed quod appetitur ut finis & beatitudo: & similiter mors & malum, nempe malum miseriæ: quod ex eo liquet, quia exponit illa Moyses per benedictionem & maledictionem. Item quia in tex-

textu dicitur: *Et vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi*; & rursum: *Ipse est enim vita tua, & longitudo dierum*. Nec obstat quod subiungit: *Elige ergo vitam, &c.* quasi proponat circa hæc electionem, cum circa beatitudinem, quæ habet rationem ultimi finis, non versetur electio. Quod enim dicit, *Elige vitam*, sensus est: Fac ea per quæ vitam a me tibi propositam consequaris, & mortem propositam evadas. Proposuerat scilicet illa, & ante oculos posuerat, cum longo ordine recitavit benedictiones & maledictiones.

## MARIANAE.

*Vers.* 4. SI AD CARDINES CAELI. Hebr. *in finibus cæli*; pro, si ad fines ultimos terræ fuerit eiectio tua, inde reducet te Deus.

*V.* 9. IN PATRIBUS TUIS. Hebr. *Ut super patres tuos gavisus est Deus, sic in te gaudebit*.

*V.* 11. MANDATUM.....NON SUPRA TE EST. Hebr. *Non est mirabile a te*; sed vox Hebraica significat etiam, *non est separatum*, ut Chald. posuit, nimirum quod mox repetit: NEQUE PROCUL POSITUM. Ego potius verterem: *Non est supra tuas vires*, quod posuit Hieronymus: id est enim, *Non est mirabile*.

*V.* 12. NEC IN CAELO SITUM; quasi dicat: Non est de rebus quæ sunt in cælo: non præcipitur, ut inde solem deducas.

*V.* 13. NEQUE TRANS MARE: ut inde elephantos, gemmas, aromata comportes. De rebus quæ in usu quotidiano sunt, tibi præcipitur.

*V.* 14. SED IUXTA TE EST SERMO VALDE. Hebr. *verbum*; quasi dicat: In ore & corde positum est, ut facias. Voluntate opus est, cetera sequentur. Hunc locum citat Paulus ad Rom. x. vers. 8. ut probet legem Evangelicam facilem esse. Nam si lex Moysis, alioqui multiplex & gravis, facilis erat, multo magis lex fidei, & verbum quod nobis præcipitur.

*V.* 15. CONSIDERA. Hebr. *vide*; sed ea vox accipitur sæpe pro *ecce*, atque ita Septuag. *Ecce dedi* (sive *proposui*) *in conspectu tuo hodie vitam & mortem*.

*V.* 17. ATQUE ERRORE DECEPTUS ADORAVERIS DEOS ALIENOS. Heb. *Et expuleris te*; id est, perverteris, & adoraveris deos alienos.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. VENERINT SUPER TE OMNES SERMONES ISTI. Notant esse iam hic transitionem a minis legalibus ad promissiones Evangelicas, & instaurationem futuram per Christum. BENEDICTIO, SIVE MALEDICTIO, QUAM PROPOSUI. Quas duas partes ordine in præcedente capite eventuras populo prophetavit.

*V.* 3. ET RURSUM CONGREGABIT TE. Recte Hebraismum exposuit: *Et revertetur, & congregabit te*. Notum est, verbum *revertendi* cum construitur cum altero verbo sequente, adverbiascere, & idem esse quod *denuo, rursum, iterum*.

*V.* 4. SI AD CARDINES CAELI. Elegans hyperbole, quam habes quoque Nehemiæ 1. vers. 9. Vide supra cap. IV. vers. 32. FUERIS DISSIPATUS. נדח *niddach* plerique pro participio Niphal capiunt: *Si fuerit expulsus tuus*, vel *depulsus tuus*; vel *etiam si quis ex tuis depulsus esset*. Alii nomen substantivum faciunt: *Si fuerit expulsio, depulsio, propulsio tua, exilium tuum*: quod rectius puto.

*V.* 6. CIRCUMCIDET DOMINUS, &c. Exponunt: Id est, repurgabit vos vi sui spiritus, & ad suum obsequium reformabit. Metaphora, de qua supra cap. x. vers. 16. S. Augustinus in hunc locum quæstione LIII. *Evidens pollicitatio gratiæ: promittit enim Deus se esse facturum quod solet iubere ut fiat*. UT POSSIS VIVERE. Hebr. *propter vitam tuam*: ut vivas.

*V.* 7. OMNES AUTEM MALEDICTIONES HAS. Hebr. *omnes adiurationes istas*; id est, omnia mala in fœdere cum gravi adiuratione denuntiata. Synecdoche, ut supra cap. XXIX. vers. 20. Alii simpliciter execrationes, maledictiones intelligunt, cap. XXVIII. denuntiatas.

*V.* 8. TU AUTEM REVERTERIS, &c. Notant, hanc deinceps summam esse doctrinæ Evangelicæ, & promissionum in Chisto factarum, cum veræ pœnitentiæ, tribus versibus; tum vero fidei Christianæ, vers. 11. & seqq.

*V.* 9. REVERTETUR ENIM DOMINUS

NUS UT GAUDEAT SUPER TE IN OMNIBUS BONIS. Heb. *Revertetur IHUH ad lætandum de te in bonum*. Quidam: *Nam rursus Iehova lætabitur de te, benefaciendo tibi*. Alii, *bono tuo*; id est, in utilitatem tuam, ita ut felix ab omnibus dicaris.

*V.* 10. QUAE IN HAC LEGE CONSCRIPTA SUNT. Hebr. singulariter, *scriptum in libro legis huius*; id est, unumquodque præceptum & statutum scriptum in libro legis istius: quæ sententia maiorem emphasim habet. Quidam: *Præcepta eius, & statuta eius, quidquid scriptum est in libro hoc legis*.

*V.* 11. MANDATUM HOC QUOD EGO PRAECIPIO TIBI HODIE. Heb. *Quia præceptum hoc, quod &c.* Hunc versum annectunt immediate versui 8. ut 9. & 10. sint interiecti per parenthesim; quasi dicat: *Faciesque universa mandata quæ ego præcipio tibi hodie: nam mandatum hoc quod ego præcipio tibi, &c.* Locum hunc Hebræi proprie ad legem referunt, exponuntque: Lex non est tibi occulta, aut ardua, nec longinqua aut remota a te, seu in cælo procul, aut ultra mare in locis difficilimis; sed tibi propinqua in ore tuo, & in corde, quæ tibi a levitis frequenter recitatur, & in os, & in cor ingeritur, infra cap. XXXIII. vers. 10. & a sacerdotibus tibi continenter explicatur, Malachiæ II. vers. 7. Vide Actorum XV. vers. 21. Alii volunt Mosen per præceptum non solam hic Legem designasse, sed totam in genere, Dei, & fidei Christianæ doctrinam, quæ Evangelium præcipue in se comprehendit. Atqui doctissimi quique Hebræorum hoc caput ad regnum Christi pertinere tradiderunt, sub quo omnibus qui de fœdere sunt, promissio gratiæ obtingeret. Versat hunc locum mirifice Paulus Romanorum X. vers. 6. ac de verbo fidei seu Evangelio interpretatur. Quidam volunt, Paulum, quæ Moses hic de lege dixit, allegorice de Evangelio exposuisse. Alii aiunt, Paulum hunc locum perite ad causam suam accommodasse: nam cum proprie pertineat ad decalogum, transtulisse eleganter & erudite ad fidem & Evangelium. Verum non dubito Mosen & Paulum de una & eadem re locutos, nempe de doctrina Dei, & verbo fidei, seu Evangelio, & neminem meliorem quam Paulum optari posse Mosis interpretem: sensumque utriusque esse, gratiam Spiritus, iustificationis, Evangelii per sanguinem Christi prope nos esse, & in promptu omnibus propositam, si fide viva & plena per caritatem operante credamus in Christum, & ore eum confiteamur. Aliqui *mandatum hoc*, seu *præceptum*, de quo hic loquitur Moses, singulariter intelligunt mandatum pœnitentiæ, resipiscentiæ, seu internæ conversionis ad Deum, quo anima iustificatur apud Deum iustitia fidei, spei, & dilectionis divinæ: atque ad discrimen innumerorum præceptorum legis scriptæ, dixisse Mosen, *Quia præceptum hoc, &c.* NON SUPRA TE EST. Participio נפלאת *niplet* omnia ista comprehenduntur: *Non arduum, mirabile, excelsum, excellens, separatum, occultatum, absconditum, velatum, difficile, impossibile ipsum de a te*, vel *præ te*. LXX. *Non est supra modum*. Qua etiam ratione legit S. Augustinus quæst. LIV. id est, quod non apte possit tibi accommodari, & cui non tu possis recte accommodari.

*V.* 15. CONSIDERA QUOD HODIE PROPOSUERIM, &c. Notant esse denuntiationem eventus ex rebus antecedentibus secuturi: quia denuntiatione aperiatur via ad illam contestationem quæ est in versu 19.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. BENEDICTIO, SIVE MALEDICTIO: benedictio, si legem servaveris; maledictio, si violaveris.

*V.* 4. SI AD CARDINES CAELI FUERIS DISSIPATUS. Cæli cardines sunt poli arcticus, & antarcticus, vel quælibet mundi extrema plaga.

*V.* 6. CIRCUMCIDET DOMINUS.... COR TUUM: cordis mala & desideria noxia auferet.

*V.* 8. REVERTERIS, vel ad terram tuam, vel ad Deum.

*V.* 9. REVERTETUR DOMINUS: qui antea per peccata aversus fuerat, eosque deseruerat. UT GAUDEAT SUPER TE IN OMNIBUS BONIS: ut delectetur tibi beneficia præstando.

V. 11.

*V.* 11. MANDATUM HOC, tota hæc Deuteronomii lex. NON SUPRA TE EST, &c. ut possis te excusare, quasi nequeas & nosse quæ præcipiuntur, & effecta dare.

*V.* 14. SED IUXTA TE EST SERMO, &c. hoc est, habes legem Dei ad manum, ut in corde, ac memoria habere discendo, & ore pronuntiare possis.

*V.* 15. PROPOSUERIM IN CONSPECTU TUO VITAM ET BONUM, ET E CONTRARIO MALUM ET MORTEM. Huc allusit Ecclesiasticus xv. 17. *Apposui tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum.*

*V.* 19. TESTES INVOCO, &c. Sic & Isaias suam prophetiam a simili invocatione exorditur, & paulo post Moses cap. XXXII. suum canticum.

*V.* 20. IPSE EST ENIM VITA TUA, ET LONGITUDO DIERUM TUORUM: ipse est qui hæc tibi largitur.

## TIRINI.

*Vers.* 11. MANDATUM HOC, toto Deuteronomio contentum, NON SUPRA TE EST, SED IUXTA TE EST VALDE; hoc est, ad manum tibi est, & admodum facile, ut, si velis vel tantillam adhibere diligentiam, possis illud *& in corde*, seu memoria discendo habere, *& ore* pronuntiare, &, ut addunt Septuaginta, *in manibus* quoque *tuis* habere; hoc est, opere complere. Neque enim defutura erat illis divina gratia, qua etiam totam legem implere possent.

Dices. Actorum xv. Petrus ait: *Iugum legis neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Respondeo: Significat illis verbis non impossibilitatem (nam teste sancta Scriptura semper aliqui reperti qui totam legem impleverunt) sed solum magnam difficultatem; tum ob præceptorum multitudinem, & gravitatem; tum ob gratiæ parcitatem: neque enim ex opere operato annexa hæc erat sacramentis aut sacrificiis veteris legis, ut iam contigit in nova lege; sed internis fidei, spei, contritionis, caritatisque actibus emendicanda erat a Deo. Quod quia pauci constanter præstabant, hinc factum, quod reipsa pauci quoque legem totam impleverint: & verum esset quod scribit Apostolus ad Roman. III. *Omnes sub peccato fuisse*, etiam Iudæos, & eguisse *gloria Dei & gloria Christi*. Et hæc erat ratio præcipua cur Deus illos tanto tempore in sua infirmitate egestateque hærere permiserit: nempe ut imbecillitatem legis suæ qua plusculum superbiebant, & auxilii divini, gratiæque necessitatem agnoscentes, utpote experimento edocti, promptius ardentiusque ad Deum confugerent, & ad promissum Messiam suspirarent; cuius opera meritoque & legem perfectiorem, & auxilia ampliora certo sibi obventura præscirent.

Obiicit secundo Brentius: ex hoc loco saltem constare, tam claram esse ubique Scripturam, ut nullo nobis sit opus Interprete; multo minus trans mare aut alpes Romam hoc nomine mittendum. Respondeo. Nego consequentiam, quia hic nulla fit mentio reliquarum Scripturarum, sed solius Deuteronomii, seu legum illarum divinarum quæ omnem populum concernebant. Sed quid hæ tantillæ ad omnes reliquas Scripturas? quæ ut numero plurimæ sunt, ita plurimis locis admodum obscuras esse, ipsi quoque hæretici tot tamque variis suis commentariis aperte demonstrant.

## GORDONI.

*Vers.* 4. SI AD CARDINES CAELI, aut sub polis mundi positus sis, aut in loca remotissima abductus, aderit Dominus. Inepte Iudæi dicunt hic designari captivitatem, ac dispersionem, in qua nunc sunt; & proinde in hac ultima captivitate expectandum Messiam. Sed non advertunt ex Nehem. I. vers. 6. & 9. hanc huius loci promissionem impletam esse per reditum a captivitate Babylonica.

*V.* 6. CIRCUMCIDET, purgabit.

*V.* 8. REVERTERIS. Hoc intelligi potest vel de reditu a peccato ad Deum per pœnitentiam, vel de reditu a captivitate.

*V.* 11. MANDATUM HOC .... NON SUPRA TE EST. Certe affirmat mandatum hoc, & legem ita esse in potestate hominis, ut possit legem & scire, & facere quod iubet; & præsertim hoc secundum

dum de executione: nam ad hoc hortatur toto hoc Libro, & clare habetur verſ. 14. Hoc autem poterant omnes, quamvis vires has non haberent ex ipſa lege, & ſterilibus illorum temporum ſacramentis, ſed ex gratia per Chriſtum venturum, & ſpiritu fidei. Difficilis quidem ex Act. xv. verſ. 10. erat conſtans legis illius obſervatio, in tanta præceptorum multitudine; at non omne difficile eſt impoſſibile. Non eſt ſupra hominem hæc obſervatio, inquit Moſes: ut tamen eſſet, ſi vel eſſet impoſſibilis, quod fingunt Novatores; vel (quod aliqui docent Theologi) ſi neceſſario requireret gratiam prædeterminantem, & quam habere non ſit in noſtra poteſtate: ſic enim executio eſſet ſupra vires hominis. Ceterum Paulus Rom. x. aliquo modo accommodat hæc verba Moſis ad ſuum inſtitutum, ut declaret poſſibile homini eſſe aſſequi eam iuſtitiam quæ ex fide eſt.

*V.* 19. TESTES INVOCO... CAELUM ET TERRAM, &c. Omnia tacite obediunt Deo; conſentiunt & atteſtantur quæ Deus iubet, ut præcones verbi Dei; ita ut ſi vocem haberent, damnarent impios. Ceterum בחרת *bacharta*, *eliges*, inſignis locus eſt pro libero arbitrio.



# CAPUT XXXI.

*Moyſes Ioſue ſibi ſufficit in ducem, Deuteronomium ſcribi iubet, & in arca ſervari.*

1. O Biit itaque Moyſes, & locutus eſt omnia verba hæc ad uni-
verſum Iſrael, 2. & dixit ad eos: Centum viginti annorum
ſum hodie, non poſſum ultra egredi, & ingredi, præſertim
cum & Dominus dixerit mihi: (*a*) Non tranſibis Iordanem
iſtum. 3. Dominus ergo Deus tuus tranſibit ante te: ipſe de-
lebit omnes gentes has in conſpectu tuo, & poſſidebis eas:
& Ioſue iſte tranſibit ante te, ſicut locutus eſt Dominus. 4.
Facietque Dominus eis (*b*) ſicut fecit Sehon & Og regibus Amorrhæorum, &
terræ eorum, * delebitque eos. 5. Cum ergo & hos tradiderit vobis, ſimiliter
facietis eis ſicut præcepi vobis: 6. (*c*) Viriliter agite, & confortamini: nolite ti-
mere, nec paveatis ad conſpectum eorum: quia Dominus Deus tuus ipſe eſt du-
ctor tuus, & non dimittet, nec derelinquet te. 7. Vocavitque Moyſes Ioſue, &
dixit ei coram omni Iſrael: (*d*) Confortare, & eſto robuſtus: tu enim introdu-
ces populum iſtum in terram quam daturum ſe patribus eorum iuravit Dominus,
& tu eam ſorte divides. 8. Et Dominus, qui ductor eſt veſter, ipſe erit tecum:
non dimittet, nec derelinquet te: noli timere, nec paveas. 9. Scripſit itaque Moy-
ſes legem hanc, & tradidit eam ſacerdotibus filiis levi, qui portabant arcam
fœderis Domini, & cunctis ſenioribus Iſrael. 10. Præcepitque eis, dicens: Poſt
ſeptem annos, anno remiſſionis, in ſolemnitate tabernaculorum, 11. convenien-
tibus cunctis ex Iſrael, ut appareant in conſpectu Domini Dei tui, in loco quem
elegerit Dominus, leges verba legis huius coram omni Iſrael, audientibus eis,
12. & in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis,
& advenis qui ſunt intra portas tuas: ut audientes diſcant, & timeant Domi-
num Deum veſtrum, & cuſtodiant, impleantque omnes ſermones legis huius:
filii quoque eorum qui nunc ignorant; ut audire poſſint, & timeant Dominum
Deum

Deum suum cunctis diebus quibus versantur in terra ad quam vos, Iordane transmisso, pergitis obtinendam. 14. Et ait Dominus ad Moysen: Ecce prope sunt dies mortis tuæ: voca Iosue, & state in tabernaculo testimonii, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses & Iosue, & steterunt in tabernaculo testimonii: 15. apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi. 16. Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra ad quam ingreditur ut habitet in ea: ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. 17. Et irascetur furor meus contra eum in die illo: & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in devorationem: invenient eum omnia mala & afflictiones, ita ut dicat in illo die: Vere quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala. 18. Ego autem abscondam, & celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala quæ fecit, quia secutus est deos alienos. 19. Nunc itaque scribite vobis canticum istud, & docete filios Israel: ut memoriter teneant, & ore decantent, & sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel. 20. Introducam enim eum in terram pro qua iuravi patribus eius, lacte & melle manantem. Cumque comederint, & saturati, crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, & servient eis: detrahentque mihi, & irritum facient pactum meum. 21. Postquam invenerint eum mala multa & afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio * ex ore seminis sui. Scio enim cogitationes eius, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum. 22. Scripsit ergo Moyses canticum, & docuit filios Israel. 23. * Præcepitque Dominus Iosue filio Nun, & ait: Confortare, & esto robustus: tu enim introduces filios Israel in terram, quam pollicitus sum, & ego ero tecum. 24. Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque complevit: 25. præcepit levitis qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: 26. Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium. 27. Ego enim scio contentionem tuam, & cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me, & ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum: quanto magis cum mortuus fuero? 28. Congregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras, atque doctores, & loquar audientibus eis sermones istos, & invocabo contra eos cælum & terram. 29. Novi quod post mortem meam inique agetis, & declinabitis cito de via, quam præcepi vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum. 30. Locutus est ergo Moyses, audiente universo cœtu Israel, verba carminis huius, & ad finem usque complevit.

(a) Sup. III. 21. Num. XXVII. 13. (b) Num. XXI. 24. (c) Sup. VII. 2. (d) Iof. 1. 6. III. Reg. II. 2.

## BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Delebitque eos*. Alii scribunt præteritum *Delevitque*, quod Hebræo conforme est.

V. 21. *Ex ore seminis sui*. Non mutes tertiæ personæ pronomen *sui* cum secundæ *tui*.

V. 23. *Præcepitque Dominus Iosue filio Nun*. Non iudicarunt Romani Patres omittendam vocem *Dominus*, tametsi a multis libris Hebræo consentaneis ommittantur.

# COMMENTARIA.

## SA.

*Verſ.* 2. EGREDI, ET INGREDI; id eſt, fungi ducis munere.

*V.* 3. EAS, id eſt earum terram.

*V.* 7. ROBUSTUS, id eſt forti animo. SORTE DIVIDES: ſic LXX. at Hebr. & Chald. *Facies illas hereditare*, ſeu *poſſidere*.

*V.* 9. SCRIPSIT ITAQUE; pro, iam vero ſcripſerat. Hebr. Chald. & LXX. *Et ſcripſit*. LEGEM HANC, ſcilicet Deuteronomium. PORTABANT, ſcilicet humeris, cum caſtra movebantur.

*V.* 10. POST SEPTEM ANNOS, ANNO; pro, ſeptimo anno, qui eſt.

*V.* 14. TABERNACULO, ſcilicet atrio tabernaculi. PRAECIPIAM; id eſt, dem præcepta aliqua.

*V.* 19. CANTICUM, ſcilicet de quo inf. INTER FILIOS. Chald. *contra filios*.

*V.* 20. DETRAHENTQUE, id eſt ſpernent. Hebr. Chald. & LXX. *Irritabunt me*.

*V.* 21. RESPONDEBIT.....PRO TESTIMONIO; id eſt, teſtificabitur contra illos. FACTURUS SIT. Hebr. Chald. & LXX. *Faciat etiam*. POLLICITUS SUM. Hebr. Chald. & LXX. *iuravi*: ſic etiam infra.

*V.* 26. IN LATERE; id eſt, prope latus, ſed extra. IN TESTIMONIUM: ſcilicet legebatur omnibus ſeptimo quoque anno in feſto tabernaculorum a ſummo Sacerdote, ſecundum Ioſephum. Vide Lib. IV. Antiq. cap. VI.

*V.* 27. CONTENTIONEM. Hebr. *rebellionem*. Chald. *contumaciam*. DURISSIMAM, id eſt impatientem iugi, ſeu imperii. CONTENTIOSE EGISTI. Hebr. & Chald. *Rebelles fuiſtis*. LXX. *ad iram provocantes*, ſeu *irritantes*.

*V.* 28. DOCTORES. Hebr. & Chald. *præfectos*.

*V.* 29. CITO: id additum ab Interprete.

*V.* 30. CARMINIS. Hebr. Chald. & LXX. *cantici*.

## ESTII.

*Verſ.* 2. CENTUM VIGINTI ANNORUM SUM HODIE: NON POSSUM ULTRA EGREDI, ET INGREDI. Quæritur, quomodo hoc conſiſtat cum eo quod dicitur de eo cap. ult. huius Libri: *Non caligavit oculus eius, nec dentes eius moti ſunt*; quibus verbis ſignificari videtur eum in tanta ſenectute adhuc fuiſſe bona & firma valetudine: quidam, quod hic dicitur, *Non poſſum ultra egredi, & ingredi*, tantum referunt ad Dei prohibitionem, de qua ſequitur. PRAESERTIM CUM ET DOMINUS DIXERIT, &c. Sed huic ſententiæ obſtat illud *præſertim*; vel, ut eſt in Hebræo, *præ*, per quod ſignificantur duæ rationes, cur alius ſit ſufficiendus in eius locum. Proinde etiam omnino una cauſa ponenda eſt in eius ſenili ætate. Etſi enim non caligaret eius oculus, nec dentes illius eſſent moti, ut dicitur capite ultimo; hoc eſt, etſi bona adhuc eſſet valetudine & vivacitate ſenſuum, non obſtat tamen quin ei deeſſet robur corporis ad tantum onus ducatus diutius ferendum, nempe ad quamvis occaſionem paratum eſſe, ut loquitur, *ingredi, & egredi*.

*V.* 28. CONGREGATE AD ME MAIORES NATU, ET INVOCABO CONTRA EOS CAELUM ET TERRAM. Invocare non ita hic accipitur, ſicut ibi: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* aut rurſum, *Quicumque invocaverit nomen Domini, &c.* nempe quia talis invocationis cælum & terra non ſunt capacia, cum ſint res quædam inanimatæ. Sed intelligitur invocatio in teſtimonium, ut ſenſus ſit: Invocabo cælum & terram teſtes contra prævaricatores. Quod ipſum tamen etiam improprie dicitur, quia res inanimatæ proprie teſtes eſſe non poſſunt; ſed teſtari ſcilicet dicuntur, tamquam ſigna quædam perpetuo obvia, quæ rei memoriam innovent. Vocantur ergo cælum & terra in teſtimonium, quia cum ſint res ſtabiles & perpetuæ, ſemper ex eis ſumi poterat teſtimonium contra tranſgreſſores.

MA-

## MARIANAE.

*Verſ.* 2. NON POSSUM ULTRA EGREDI, ET INGREDI; pro, verſari vobiſcum, ſuſtinere onus, quod hactenus feci, non poſſum amplius.

*V.* 4. DELEBITQUE EOS. Lege *delevit*, ut eſt in Gotth. & in Sept. Hebr. *Quos delevit eos*. Chald. *Quia diſperdidit eos*. Iam Sehon & Og victi erant.

*V.* 6. ET NON DIMITTET. Hebr. *Non laxabit, non debilitabit te*. Vinces hoſtes.

*V.* 10. ANNO REMISSIONIS. Hebr. *in tempore anni remiſſionis*: ſic Sept & Chald. IN SOLEMNITATE TABERNACULORUM. Id feſtum celebrabatur quintadecima die menſis Tiſri: unde intelliges, remiſſionis annum tunc inchoari; quoniam is menſis initium anni erat quoad commercia & contractus. Tunc legem populo legi vult.

*V.* 11. LEGES. Vox תקרא *thikra* ſignificat potius *proclamabis, contenta voce pronuntiabis*, ſcilicet verba legis.

*V.* 12. INTRA PORTAS TUAS. Sept. & Chald. *in urbibus tuis*. Iam diximus portas ſæpe pro urbibus ſumi; quaſi dicat: Congregatis omnibus qui tecum habitant, legem leges.

*V.* 16. FORNICABITUR POST DEOS ALIENOS IN TERRA. Hebr. *Poſt deos alienigenæ terræ*, vel *ignotæ terræ*: a נכר *nachar*, quod eſt *cognoſcere*, venit נכר *nechar*, contrariæ ſignificationis: ſignificat enim *ignotum, alienum*.

*V.* 18. QUIA SECUTUS EST DEOS ALIENOS. Hebr. *reſpexit*, vel *converſus eſt ad deos alienos*: ob id abſcondam faciem, non favebo illi populo.

*V.* 20. DETRAHENTQUE MIHI. Hebr. *Irritabunt me*: ſic Septuag.

*V.* 22. SCRIPSIT ERGO. Hebr. *Et ſcripſit*, ſcilicet Moyſes canticum quod ponitur cap. XXXII.

*V.* 26. IN LATERE ARCAE. Non intra arcam: ibi enim fuere tantum tabulæ legis: II. Paral. v. verſ. 10. Aut cum illis etiam urna, in qua erat manna, & virga Aaron: ad Hebr. IX. verſ. 4. UT SIT IBI CONTRA TE. Hebr. *in te*; ſed bene *in* ſumitur pro *contra*.

*V.* 27. CERVICEM TUAM, ſcilicet novi. Qui vocanti reſpondent, cervicem vertunt; qui nolunt, non flectunt, & dura vocatur: inde ducitur ſimilitudo.

*V.* 28. ET INVOCABO CONTRA EOS. Hebr. *Teſtificabor*, aut *conteſtabor contra eos cælum & terram*. Volo eas teſtes eſſe eorum quæ dicam.

## MALVENDAE.

*Verſ.* 1. ABIIT ITAQUE MOSES, ET LOCUTUS EST. Diſquirunt quo abiit. Quidam, e domo ſua in ſuggeſtum, unde alloqui ſolebat populum. Alii, *Abiit*, id eſt addidit loqui. Hebr. *Et ambulavit Moſeh*; id eſt, perrexit in cœpto ſermone, tetendit in exorſa oratione ulterius, inceſſit in eloquio. Nonnulli aliud ſermonis initium alio die factum, inſinuari exiſtimant. OMNIA VERBA HAEC; ſcilicet quæ ſequuntur. Alii ad præcedentia referunt, redduntque: *Deinde veniens Moſeh, cum elocutus eſſet verba iſta*; nimirum quæ habentur ſupra cap. XXIX. & XXX. cum de legis argumento, tum etiam de Evangelio & promiſſionibus eius.

*V.* 2. NON POSSUM ULTRA EGREDI, ET INGREDI: vel *non poſſum deinceps procedere & venire*; id eſt, conſueto munere fungi. Vide Numeror. XXVII. verſ. 17.

*V.* 5. ET HOS TRADIDERIT VOBIS. Hebr. *Et dabit eas IHUH faciebus veſtris*. Quidam: *Nam exponet eas Iehovah vobis*; id eſt, tradet pleniſſime in poteſtatem veſtram.

*V.* 6. VIRILITER AGITE. חזקו *chizku*, *Obtinete, apprehendite vos, eſtote obfirmati, fortes, roboramini*.

*V.* 11. LEGES VERBA LEGIS HUIUS. Intelligunt, tu ſacerdos, ut demonſtrant adiuncta omnia. Ioſephus Lib. IV. Antiq. cap. VI. *Septimo quoque anno, quando per ſcenopegiæ feſta convenitur, pontifex e ſublimi ſuggeſto, unde a tota multitudine exaudiri poſſit, legem pro concione legat*.

*V.* 14. ET STATE IN TABERNACULO TESTIMONII. Hebr. *Et ſiſtite vos in tentorio conventus*: nempe ut Deus ſigno aſpectabili vocationem Iehovæ teſtatam faceret. UT PRAECIPIAM EI. Quidam: *Ut mandata dem ei*. Alii: *Ut mandatis inſtruam eum*.

*V.* 17. ET ERIT IN DEVORATIONEM. Hebr. *Et erit ad comedendum*: quidam, *ad perdendum*; id est, devorabitur & absumetur, sinam eum absumi ab aliis. Alii: *Ut sit esui*; id est, ut ab hostibus suis comedatur veluti panis, quemadmodum prophetæ loquuntur passim.

*V.* 19. UT MEMORITER TENEANT, ET ORE DECANTENT. Hebr. *inde illud ori ipsorum*; id est, sæpius inculca eis, ut ipsi quoque illud sæpius recantent.

*V.* 21. RESPONDEBIT EI CANTICUM ISTUD PRO TESTIMONIO. Hebr. *Et respondebit canticum istud in conspectu eius, in testem*. Exponunt: Id est, tunc hoc carmen testabitur illos deliquisse, & a me desciviſſe, cum viderit sibi ea mala accidisse, quæ in ipso prædicuntur desertoribus meis. Quidam reddunt: *Ut testatur canticum hoc in faciem eius loco testis*. SCIO ENIM COGITATIONES EIUS. Hebr. *figmentum eius*; id est, ingenium, intentionem, propensionem, indolem, affectum, imaginem. Vide Genes. VI. vers. 5.

*V.* 25. PRAECEPIT LEVITIS QUI PORTABANT ARCAM. Munus arcæ deferendæ non ad levitas, sed ad sacerdotes pertinebat, supra vers. 9. videntur tamen initio eam detulisse, cum pauci essent sacerdotes, donec ii numero aucti eam portare potuissent. Vide quæ notavimus Numeror. IV. vers. 15. Quidam hic Levitas non ordinis aut gradus nomen, sed tribus intelligunt, ac sacerdotes ipsos accipiunt, quibus incumbebat ingredi tabernaculum: alioqui levitæ arcam tangere non poterant nudam, nec prope altare, Numer. IV. vers. 15.

*V.* 26. ET PONITE EUM IN LATERE ARCAE FOEDERIS. Notant, positum librum legis non intra arcam, sed extra arcam in sanctuario: atque hunc esse librum, quem sacerdos Helcias invenit Iosiæ regis temporibus, IV. Regum XXII. vers. 8. nam alioqui tabulæ ipsæ fœderis in arca fuerunt repositæ, Exod. XXV. vers. 21. Qui autem hoc libro solum Deuteronomion; id est, τὴν δευτέρωσιν τȣ̃ ό μ contineri pųtant, ii angustiorem quam par est, ad hunc locum interpretationem afferunt. Nam iniquum foret sive hanc Deuterosin, sive Canticum ipsius ita commendari, omissa lege ipsa, & toto libro Mosis: & certum est hoc demum a Mose sacerdotibus imperatum esse, cum exaravisset omnia, quæ fuerunt opus in illo ipso libro fœderis authentico, cuius sæpe mentionem fecit, ut Exod. XVII. & XXIV. & alibi passim. Ita nonnulli. Nec dubito hic integrum volumen legis a Mose conscriptum intelligi, nempe autographum ipsum Pentateuchi. CONTRA TE IN TESTIMONIUM. Apostrophe ad populum.

*V.* 28. OMNES MAIORES NATU. Hebr. *omnes senes*, vel *seniores*. Intelligunt senatores, & patres conscriptos: ut alibi passim, *seniores Israel*.

*V.* 29. ET OCCURRENT VOBIS MALA. Hebr. *Et vocabit vos malum*. Quidam: *Et obveniet vobis hoc malum*. PER OPERA MANUUM VESTRARUM. Hebr. *in factura, opere, manuum vestrarum*; id est, pravis factis & operibus vestris. Quidam, *In idolis vestris, quæ sunt factura manuum vestrarum*: Psalm. CXIII. vers. 12.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. ABIIT ITAQUE MOYSES, ET LOCUTUS EST; id est, addidit ergo, vel cœpit loqui Moses verba quæ sequuntur. Hebræi enim per *egredi*, *abire*, *surgere*, sæpe intelligunt, *incipere*.

*V.* 2. EGREDI, ET INGREDI, ducem agere.

*V.* 3. DEUS TUUS TRANSIBIT ANTE TE; hoc est, arca Dei præcedet te, sicut & postea factum Iosue III. immo & Deus invisibiliter præibit, ut inimicos tuos prosternat. IOSUE TRANSIBIT ANTE TE, præcedet, ducis munus exercens.

*V.* 9. LEGEM HANC: Deuteronomium. ET TRADIDIT EAM SACERDOTIBUS. Horum enim erat legem scire, ac populum docere, & in anno remissionis populo prælegere. QUI PORTABANT ARCAM: qui portare poterant, si volebant: de facto aliquando studio pietatis, & religionis contestandæ, & exercendæ causa portabant; cum alioqui hoc munus levitarum esset. Additur hoc de arca, quia Liber hic, ut infra habetur numero

mero 26. in latere arcæ poni debebat.

*V.* 10. ANNO REMISSIONIS, septimo quoque anno. De anno remissionis vide Exod. XXIII. 11.

*V.* 13. FILII QUOQUE EORUM, &c. Parvuli, qui nihil adhuc noverunt, ideoque pariter ignorant hanc Dei legem.

*V.* 14. STATE IN TABERNACULO TESTIMONII: in atrio ante ostium tabernaculi, quia tabernaculum ingredi soli poterant sacerdotes. UT PRAECIPIAM EI: ut rerum gerendarum præcepta illi tradam.

*V.* 17. ABSCONDAM FACIEM MEAM AB EO: vultum benevolum, protectionem, aliaque beneficia subtraham.

*V.* 19. CANTICUM ISTUD, quod sequenti capite describitur. SIT CARMEN ISTUD PRO TESTIMONIO: quod scilicet vel eorum improbitatem, & ingratitudinem coarguat, vel punitionem infligendam contestetur, ne se vel non de flagitio admonitos, vel de suppliciis non præmonitos queri possint.

*V.* 20. DETRAHENT MIHI: spernent me, contumeliis afficient. In Hebr. Chald. & Septuaginta habetur, *Exasperabunt me*.

*V.* 21. RESPONDEBIT EI CANTICUM ISTUD PRO TESTIMONIO. Eos de improbitate redarguet, & merito puniri ostendet. SCIO ENIM COGITATIONES EIUS. LXX. *malignitatem*; vox Hebræa animi figmentum, & imaginationem significat; quasi dicat: Scio non deesse qui mala cogitent, non obstantibus tot maledictionibus, admonitionibus, contestationibus. HODIE, iunge cum *Scio*. *Scio hodie*.

*V.* 23. PRAECEPITQUE DOMINUS IOSUE. Hoc loco primum incipit Dominus alloqui Iosue, ut ei auctoritatem apud populum adiungat, & ut iam Mose morituro, ei populi præfecturam confirmet.

*V.* 26. IN LATERE ARCAE, non tamen intra arcam.

*V.* 27. CONTENTIONEM TUAM, rebellionem, contumaciam, cervicis duritiem.

*V.* 28. INVOCABO CONTRA EOS CAELUM ET TERRAM, testes futuros tantæ impietatis.

*V.* 29. PER OPERA MANUUM VESTRARUM: actiones vestras.

*V.* 30. AUDIENTE UNIVERSO COETU. Domino senilem vocem adaugente, ut ad omnium aures deferri posset. VERBA CARMINIS HUIUS: sequentis cantici.

## TIRINI.

*Vers.* 2. NON POSSUM ULTRA EGREDI, ET INGREDI; hoc est, non possum deinceps fungi officio supremi ducis, partim præ senio, cum iam centum viginti sim annorum; partim voluntate & nutu Dei vetantis mihi diutius in vivis esse.

*V.* 14. STATE IN TABERNACULO, hoc est in atrio ante ostium tabernaculi, ubi Deus in columna nubis sese manifestabat: neque enim licebat Iosue intrare intus in Sanctuarium: UT PRAECIPIAM EI; hoc est, ut supremam populi præfecturam, & aliarum rerum gerendarum præcepta, quæ per te hactenus tradidi Iosue, iam ipsemet per me eidem tradam. Ita enim fecisse narratur infra vers. 23. Et hæ sunt primæ voces quibus Deus locutus est Iosue, ut morituro iam Moyse, auctoritatem illi apud populum conciliaret.

*V.* 25. PRAECEPIT LEVITIS, hoc est *sacerdotibus filiis Levi*, ut dicitur vers. 9. Horum enim erat ex officio deferre arcam, ut fecerunt in transitu Iordanis, Iosue III. in eversione murorum Ierichuntinorum, Iosue VI. in dedicatione templi Salomonici III. Reg. VIII. & in quavis alia actione celebriore. Licet possent in hoc munere etiam ab inferioribus levitis, puta Caathitis, tamquam ab ordinariis ministris suis adiuvari, ut frequentius factum in delatione arcæ per desertum.

*V.* 26. TOLLITE LIBRUM ISTUM, scilicet Deuteronomium, ET PONITE IN LATERE ARCAE, scilicet extra arcam, ubi etiam reposita erat urna aurea plena manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, ut habetur ad Hebræos IX. Et constat ex III. Regum VIII. 9. nihil aliud in ipsa interiore arca fuisse, nisi duas tabulas lapideas, quibus arcæ impositis a Moyse, verosimilius est eam occlusam fuisse, neque umquam deinceps reclusam. Quin & ex IV. Reg. XXII. & II. Paralip. XXXIV. colligitur, hunc librum Deuteronomii, non amplius in Sancto sanctorum, sed neque in Sanctuario adservatum, sed in gazophylacium relegatum fuisse, ubi thesauri asservabantur: nam expresse dicitur *reper-*

*pertus in gazophylacio*, & inde *ad regem delatus*.

## GORDONI.

*Verf.* 9. SCRIPSIT ITAQUE MOYSES LEGEM HANC, &c. Scriptum Deuteronomium Moses tradit sacerdotibus, filiis levi; utpote quorum erat legem & scire, & docere populum. Ceterum dubium esse non debet, quin potuerint sacerdotes portare, ut hic dicitur, arcam, & id interdum fecerint: tamen ex peculiari officio id incumbebat inferioribus levitis, seu Caathitis. Vide III. Reg. VIII. & Iosue VI.

*V.* 10. POST SEPTEM ANNOS, computandos a die pacificæ possessionis terræ, & fine bellorum. Vide Exod. XXIII. verf. 11. ubi de anno fabbatico.

*V.* 11. CONVENIENTIBUS. Contingebat festum tabernaculorum 15. die Tisri: tunc erat initium mensis fæcularis: & vult tunc legi populo legem.

*V.* 16. ALIENOS. Heb. *ignotæ terræ*: נכר *cognoscere*; unde נכר *necbar* contrarium est. & *ignotum* signat.

*V.* 19. & 20. Canticum hoc proponitur hic cap. XXXII. ET SIT, inquit, PRO TESTIMONIO, ne scilicet queærantur [illegible] non fuisse a me [illegible] & malo eventu. Et arguit populum impietatis, quoties recesserit a Deo, ut subdit verf. seq.

*V.* 21. QUAE FACTURUS SIT HODIE. [illegible] ad *scio*.

*V.* 23. PRAECEPITQUE DOMINUS IOSUE, &c. Deus hic incipit loqui duci Iosue, ut præsente Mose adderet auctoritatem illi coram populo. Vox, *Dominus*, non est in Hebræo, & Septuag. videntur hoc referre ad Mosen loquentem; tamen ex ipso Hebraico textu, ex Hieronymo, & vulgato palam est Deum hic loqui.

*V.* 26. IN LATERE ARCAE, non quidem intra arcam. Nam magna quæstio est, an in ea fuerint virga & manna; seu an tantum tabulæ legis, ex III. Reg. cap. VIII. verf. 9. Ergo extra arcam ad latus in loco sinuoso arcæ, positus hic Liber est. Vide quæ dicam III. Reg. VIII. citato versu 9.

*V.* 27. CONTENTIONEM, rebellionem.

*V.* 30. AUDIENTE UNIVERSO COETU; hoc est, vel cœtu universo in suis principibus astantibus congregato; vel (quod aliqui magis probant) per miraculum, audita voce Mosis ab omnibus; ita ut duo vel tres hominum milliones (tot putantur fuisse) non tantum astarent, sed etiam audirent.

### Ex EIUSDEM AUCTARIO.

*V.* 14. STATE, scilicet ante tabernaculum: nam soli sacerdotes ingrediebantur tabernaculum.

*V.* 17. FACIEM, vultum benevolum, & beneficia.

*V.* 28. INVOCABO, ut testes.

*V.* 30. CARMINIS, capite insequente.

CA-

# CAPUT XXXII.

*Canticum Moysi quo Dei refert beneficia, populique ingratitudinem sæpius a Domino castigatam: iubetur Moyses montem Abarim ascendere, ut promissam terram contempletur.*

1. AUdite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.
2. * Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.
3. Quia nomen Domini invocabo: date magnificentiam Deo nostro.
4. Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, iustus & rectus.
5. Peccaverunt ei, & non filii eius in sordibus: generatio prava atque perversa.
6. Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te.
7. (a) Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.
8. Quando dividebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.
9. Pars autem Domini, populus eius: Iacob funiculus hereditatis eius.
10. Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis: circumduxit eum, & docuit: & custodivit quasi pupillam oculi sui.
11. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.
12. Dominus solus dux eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus.
13. Constituit eum super excelsam terram: ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.
14. Butyrum de armento, & lac de ovibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan: & hircos cum medulla tritici, & sanguinem uvæ biberet meracissimum.
15. Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo.
16. Provocaverunt eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.
17. Immolaverunt dæmoniis & non Deo, diis quos ignorabant: novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.
18. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.
19. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est: quia provocaverunt eum filii sui & filiæ.
20. Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum: generatio enim perversa est, & infideles filii.

21. Ipsi

21. Ipſi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus ſuis: & (*b*) ego provocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos.

22. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima: devorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.

23. Congregabo ſuper eos mala, ſagittas meas complebo in eis.

24. Conſumentur fame, & devorabunt eos aves morſu amariſſimo: dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium.

25. Foris vaſtabit eos gladius, & intus pavor, juvenem ſimul ac virginem, lactentem cum homine ſene.

26. * Dixi: Ubinam ſunt? ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.

27. Sed propter iram inimicorum diſtuli: ne forte ſuperbirent hoſtes eorum, & dicerent: Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia.

28. Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia.

29. (*c*) Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.

30. * Quo modo perſequatur unus mille, & duo fugent decem millia? nonne ideo quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?

31. Non enim eſt Deus noſter ut dii eorum: & inimici noſtri ſunt iudices.

32. De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, & botri amariſſimi.

33. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.

34. Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?

35. (*d*) Mea eſt ultio, & ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum: iuxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora.

36. Iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſervis ſuis miſerebitur: videbit quod infirmata ſit manus, & clauſi quoque defecerunt, reſiduique conſumpti ſunt.

37. * Et dicet: (*e*) Ubi ſunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?

38. De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum: ſurgant, & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant.

39. (*f*) Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me: ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego ſanabo, & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.

40. Levabo ad cælum manum meam, & dicam: Vivo ego in æternum.

41. Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam ultionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam.

42. Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus devorabit carnes, de cruore occiſorum, & de captivitate, nudati inimicorum capitis.

43. (*g*) Laudate gentes populum eius, quia ſanguinem ſervorum ſuorum ulciſcetur: & vindictam retribuet in hoſtes eorum, & propitius erit terræ populi ſui.

44. Venit ergo Moyſes, & locutus eſt omnia verba cantici huius in auribus populi, ipſe & Ioſue filius Nun.

45. Complevitque omnes ſermones iſtos, loquens ad univerſum Iſrael.

46. & dixit ad eos: Ponite corda veſtra in omnia verba, quæ ego teſtificor vobis hodie: ut mandetis ea filiis veſtris cuſtodire & facere, * & implere univerſa quæ ſcripta ſunt legis huius: 47. quia non incaſſum præcepta ſunt vobis, ſed ut

ſingu

ſinguli in eis viverent: quæ facientes longo perſeveretis tempore in terra ad quam
Iordane tranſmiſſo, ingrediemini poſſidendam. 48. Locutuſque eſt Dominus ad
Moyſen in eadem die, dicens: 49. Aſcende in montem iſtum Abarim, id eſt
tranſituum, in montem Nebo, qui eſt in terra Moab contra Iericho: & vide
terram Chanaan, quam ego tradam filiis Iſrael obtinendam, & morere in mon-
te. 50. Quem conſcendens iungeris populis tuis, * [i] ſicut mortuus eſt Aaron
frater tuus in monte Hor, & appoſitus populis ſuis: 51. (k) quia prævaricati
eſtis contra me, in medio filiorum Iſrael, ad Aquas contradictionis in Cades de-
ſerti Sin: & non ſanctificaſtis me inter filios Iſrael. 52. E contra videbis terram,
& non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Iſrael.

(a) Iob. VIII. 8. (b) Rom. X. 19. Ierem. XV. 14. (c) Ierem. IX. 1. (d) Eccli. XXVIII. 1. Rom. XII. 19. Hebr. X. 30. (e) Ierem. II. 28. (f) I. Reg. II. 6. Tob. XIII. 2. Sap. XVI. 13. (g) Iob X. 7. (h) II. Mac. VII. 6. (i) Num. XXVII. 13. & XX. 26. (k) Num. XX. 4. & XXVII. 14.

## BRUGENSIS

### ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Concreſcat ut pluvia doctrina mea*. Ita ſcribendum eſt, *ut pluvia*, non *in pluvia*, aut *pluviam*.

V. 6. *Dixi: Ubinam ſunt?* Non præponas *&* coniunctionem: *Et dixi*.

V. 30. *Quomodo perſequatur unus mille, & duo fugent decem millia?* Non ſunt modi potentiales *perſequatur*, & *fugent*, commutandi cum indicativi præterito imperfecto *perſequebatur*, & præſenti optativi *fugarent*.

V. 35. *Mea eſt ultio, & ego retribuam in tempore*. Non addas pronomen: *Retribuam eis in tempore*.

V. 37. *Et dicet: ubi ſunt?* Præferendum eſt ſingulare *dicet* plurali *dicent*.

V. 46. *Et implere univerſa quæ ſcripta ſunt legis huius*. Non addas *in volumine*, ante *legis huius*.

### NOTATIO.

V. 30. *Quomodo perſequebatur unus mille, & duo fugarent decem millia?* Huic lectioni id incommodi eſt, quod partes non apte ſibi reſpondeant. Antiqui codices Correctoris legunt: *Quomodo perſequatur unus mille, & duo fugent decem millia?* His noſtrorum codicum unus dumtaxat utraque parte conformis eſt: plures priori parte conveniunt; poſteriori, voce diſcrepant, ſenſu conſonant; nam *fugarent* legunt. Hebraice, & Chaldaice futura leguntur, ſed quæ variis modis reddi poſſint. Quidam transferunt: *Quomodo perſequebatur unus mille, & duo fugabant decem millia?* Alii, inter quos LXX. *Quomodo perſequetur unus mille, & duo fugabunt decem millia?* Nonnulli: *Quomodo perſequatur* [id eſt perſequi poſſit] *unus mille, & duo fugent* [id eſt fugare poſſint] *decem millia?* Intelligunt autem hunc locum quidam de Iſraelitis inimicos expugnantibus; alii de inimicis Iſraelitas ſuperantibus. Prima autem interpretatio acciddiſſe ſignificat; ſecunda futurum prænuntiat; tertia anceps eſt, ut & factum intelligi poſſit, & futurum.

## COMMENTARIA

### S A.

*Verſ.* 1. AUDITE: ſcilicet ut teſtes ſitis. CAELI, id eſt cæli incolæ. TERRA, id eſt homines.

*V.* 2. UT PLUVIA, id eſt more pluviæ; quaſi dicat: Corda auditorum irriget, & fecundet. Hebr. *Stillabit ut pluvia*. LXX. *Expectetur ut pluvia*. Chald. *Suavis ſit ut pluvia*. ROS, ſcilicet qui terram fecundare ſolet.

*V.* 3. MAGNIFICENTIAM, id eſt gloriam.

*V.* 4. IUDICIA, id eſt iuſtæ. FIDELIS, id eſt verax in promiſſis.

*V.* 5. NON FILII, ſcilicet non ſe geren-

rentes ut filios decebat. In sordibus, scilicet se contaminantes. LXX. *vituperabiles*. Chald. *Servierunt idolis*.

*V.* 6. Possedit, scilicet ut peculium. Fecit, scilicet corpus. Creavit, scilicet animam.

*V.* 7. Dicent, scilicet Dei opera, & beneficia.

*V.* 8. Separabat, scilicet in varias regiones. Adam, id est hominis. Chald. *hominum*. Populorum, scilicet habitantium terram promissionis. Iuxta numerum. &c. quasi dicat: Quantum sufficeret Hebræis, tantum illis dedit habitandum. Filiorum Israel. LXX. *Angelorum Dei*.

*V.* 9. Funiculus, id est portio: funibus enim dividebatur hereditas.

*V.* 11. Eum, pro eos, scilicet pullos: de aquila enim loquitur. In humeris. Hebr. *super alas*. Chald. *in fortitudine pennarum*.

*V.* 12. Solus dux eius fuit. Chald. *Collocabit eos seorsum in sæculo illo, quod ipse renovaturus est*.

*V.* 13. Excelsam, id est montosam, seu excellentem fertilitate soli, & amœnitate. Chald. *fortem*. Petra, id est saxosis locis; quasi dicat: Etiam rupes abundant melle & oleo.

*V.* 14. Filiorum Basan, id est pinguium, ut quos alit Basan regio fertilissima.

*V.* 15. Dilectus: forte *directus*: nam Hebr. *rectus*. Chald. *Israel*. Salutari. LXX. *Salvatore*. Chald. *Redemptore*.

*V.* 16. Provocaverunt, scilicet ad indignationem. Abominationibus, id est idolis.

*V.* 17. Deo, scilicet vero; quasi dicat, iis qui non sunt veri Dii. Venerunt; id est, exorti sunt, vel reperti ad colendum.

*V.* 18. Dereliquisti: sic etiam LXX. at Hebr. *oblitus es*.

*V.* 20. Faciem. Chald. *Maiestatem*. Novissima; quasi dicat, quid eis tandem sim facturus. Chald. *Notum est coram me, quid erit in novissimis eorum*.

*V.* 21. Provocabo, &c. quasi dicat: Faciam, ut gentium felicitate conspecta, invideant, vel indignentur.

*V.* 22. Succensus est, pro succendetur. Inferni. Hyperbole; quasi dicat, Omnia consumet. Novissima, id est inferiora. Hebr. & Chald. *usque ad infernum inferiorem*: ut plane hic videatur significari inferni ignis, quo damnati cruciantur.

*V.* 23. Sagittas. Chald. *plagas*. Complebo, id est consumam; quasi dicat: Omnes in eos mittam.

*V.* 24. Morsu amarissimo. LXX. *morsu immedicabili*. Chald. *vexatione spirituum malignorum*. Cum furore trahentium. Hebr. *cum veneno serpentium terræ*, seu *in terra*.

*V.* 25. Vastabit. Hebr. Chald. & LXX. *filiis orbabit*. Intus, id est intra domum.

*V.* 26. Ubinam sunt? Hebr. *Exterminabo eos*. Chald. *Consummabo eos*, id est perdam. LXX. *Dispergam eos*.

*V.* 30. Mille, id est multos. Decem millia, id est multo plures.

*V.* 31. Iudices; quasi dicat: Satis advertunt Deum nostrum esse potentiorem suis diis.

*V.* 32. Suburbanis, scilicet agris. Fellis. Hebr. *veneni*: sic infra proxime.

*V.* 34. Condita, id est reposita; quasi dicat, parata illis mala. Thesauris, id est occultis dispositionibus. Aug. cont. Adversf. leg.

*V.* 35. Tempora, scilicet perditionis eorum.

*V.* 36. Iudicabit, id est puniet, scilicet impios. Miserebitur. LXX. *consolabitur*. Chald. *Servorum suorum ultionem ulciscetur*; quasi dicat: Cum ad iudicandum steterit, tum ulciscetur suorum hostes. Manus, id est potentia, scilicet hostium, vel impiorum. Clausi, id est arcium, vel urbium custodes, aut qui se in tuta loca incluserant.

*V.* 37. Eorum, scilicet hostium, vel impiorum Iudæorum.

*V.* 39. Solus, scilicet verus Deus. Hebr. & Chald. *Quod ego, ego sum*, scilicet solus Deus.

*V.* 40. Levabo: scilicet iurans.

*V.* 41. Arripuerit, &c. quasi dicat, si cœpero facere iudicium.

*V.* 42. De cruore, scilicet inebriabo. Captivitate, id est captivis; quasi dicat, sumens de captis hostibus pœnas, qui nudo capite abduci solent, &

et-

etiam radi. Chald. *Auferam coronas de capite hostium*.

*V.* 43. LAUDATE, &c. LXX. *Lætamini cæli cum ipso, & adorent eum omnes Angeli Dei. Lætamini gentes cum populo eius* (quod citatur Rom. XV.) *& roborentur in ipso omnes filii Dei.* EIUS, scilicet Dei.

*V.* 49. NEBO pars est montis Abarim. CONTRA, id est e regione.

*V.* 52. E CONTRA, id est e regione.

## E S T I I.

*Vers.* 8. QUANDO SEPARABAT FILIOS ADAM, CONSTITUIT TERMINOS POPULORUM IUXTA NUMERUM FILIORUM ISRAEL. A quibusdam sic exponitur: Tot constituit gentes seu populos per universum mundum, quot numero erant capita hominum in populo Israel, vel saltem quot ingressæ sunt animæ cum Iacob seu Israel in AEgyptum, nempe septuaginta. Et hinc videntur fundamentum suæ opinionis accipere qui dicunt, in septuaginta gentes, & septuaginta linguas divisos fuisse eos qui ædificabant turrim Babel. Sed sciendum est, non esse dictum: *Constituit* numerum populorum, sed *terminos populorum*. Proinde hoc modo rectius & simplicius intelligitur: Quando Altissimus divisit regiones, & eas assignavit cunctis gentibus, ita tamen terminos assignavit, ut certam terræ portionem servaret, quæ abunde sufficeret pro numero filiorum Israel. Quamvis enim terram promissam aliæ gentes incoluerunt, illæ tamen mox ad introitum filiorum Israel deletæ sunt, velut alienam, populoque Dei assignatam terram incolentes. Significatur ergo summa cura & dilectio Dei erga populum Israel. Septuaginta hic legunt: *Statuit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei*. Sed sensus litteralis idem est, quia per Angelos Dei filii Israel intelliguntur, quia a Deo in terram Chanaan destinati. Unde non omnino certum est, quod quidam inde colligere conantur, tot esse electos ad societatem Angelorum assumendos, quot in cælo remanserunt Angeli boni, ut Gregor. Hom. XXXIV. & alii nonnulli.

*V.* 29. UTINAM SAPERENT, ET INTELLIGERENT, &c. Vide supra cap. V. vers. 29. & cap. X. vers. 12.

*V.* 31. NON ENIM EST DEUS NOSTER UT DII EORUM: ET INIMICI NOSTRI SUNT IUDICES. Quæritur cuius rei iudices? Quidam sic: *Inimici nostri sunt iudices*; id est, principes filiorum Israel dominantur eis, & pro arbitrio sæpe de eis iudicant. Sed hic sensus cum iis quæ præcedunt, vel sequuntur, non satis cohæret. Unde rectius refertur ad id quod proxime antecessit: *Non enim est Deus noster ut dii eorum*; ut sit hic sensus: Etiam ipsi hostes nostri, & cultores idolorum iudices sunt huius rei, quod Deus noster non sit ut dii eorum, quoad potentiam & vindictæ severitatem: nempe ipsa experientia edocti erant Deum propter peccata populum suum sæpe gravissime punire, & rursum eumdem pœnitentem e manibus hostium mirabiliter eripere, maximeque id confessi erant AEgyptiorum Magi, dicentes: *Digitus Dei est hic*; ipseque Pharao cum suis dicens: *Fugiamus Israelem: Deus enim eorum pugnat pro eo*.

*V.* 36. ET CLAUSI QUOQUE DEFECERUNT, RESIDUIQUE CONSUMPTI SUNT. Clausi intelliguntur arcibus, & munitionibus: nempe quod omnes arces expugnatæ sunt, nullusque relictus sit qui non in potestatem venerit. Hic sensus est apud Vatablum, idemque mihi magis placet. Nam quod alii exponunt de clausis carcere, ex IV. Regum XIV. sciendum est ibi in Hebræo non addi illud *carcere*.

## M A R I A N AE.

*Vers.* 1. AUDITE CAELI. Hebr. *Audite o cæli*: propter articulum ה *Ha* vocativum. QUAE LOQUOR. Et loquar. CAELI, qui in cælis estis Angeli. TERRA; id est, homines qui sunt in terra.

*V.* 2. CONCRESCAT UT PLUVIA. Hebr. *Stillet ut pluvia verbum meum*. QUASI IMBER SUPER HERBAM. Hebr. *quasi pluvia minuta* (id est *sehirim*) *super herbam teneram* (id est *de se*.) ET QUASI STILLAE. Hebr. *& quasi imber fortior* (id est *rebibim*.) SUPER GRAMINA. Hebr. *super herbam adultam* (id

 est

est *heseb* ) quod alii *fenum* vertunt. Ergo ut herba imbre crescit, sic vestræ mentes ex meis verbis proficiant.

*V.* 4. DEI PERFECTA SUNT OPERA. Hebr. *Petræ perfectum opus eius*: sed petram pro Deo sumit propter soliditatem.

*V.* 5. IN SORDIBUS. Hebr. *sordibus eorum*, pro in sordibus. Porro *in sordibus* iunge cum *peccaverunt*.

*V.* 6. CREAVIT TE. Hebr. *Stabilivit te, formavit te*.

*V.* 8. QUANDO DIVIDEBAT ALTISSIMUS. Hebr. *Quando hereditare fecit Altissimus gentes*. IUXTA NUMERUM FILIORUM ISRAEL. Hoc est, numerum populorum, quos Iudæi subiugare debebant, constituit, designavit iuxta numerum & multitudinem gentis quæ debebat succedere. Sept. *iuxta numerum Angelorum Dei*, sic Gotth. Unde colligunt cuilibet genti & provinciæ suum Angelum custodem destinatum, & iuxta illorum numerum, gentes & populos in varias provincias dissipatos. Sed verior nostra lectio & superior sententia.

*V.* 9. PARS AUTEM DOMINI. Causaliter est Hebr. *Quia pars Domini*; quasi dicat: Non est mirum si divisit gentes iuxta numerum filiorum Israel, quia pars Domini populus eius.

*V.* 10. INVENIT EUM IN TERRA DESERTA, post egressum de AEgypto: tunc eum in populum suum adoptavit. IN LOCO HORRORIS, ET VASTAE SOLITUDINIS. Hebr. *& in vastitate ululatus deserti*: ubi ululant sive venti sive aves. CUSTODIVIT QUASI PUPILLAM OCULI. Quem? filios Israel. *Pupilla* & κόρη Græce est *puella*; dicitur autem sic pupilla, ab imagine quæ in oculo apparet. Hebr. אישון ab איש *ison* ab *is*, quod est *vir*, propter eamdem viri imaginem, quæ in oculo cernitur.

*V.* 11. SICUT AQUILA PROVOCANS: Hebr. *sicut aquila excitans nidum suum*, id est pullos nidi sui: ET SUPER EOS VOLITANS. Bene exprimit vim vocis ירחף *ierahepb*, quæ *se movere* significat; sicut & illis verbis, *Spiritus Domini ferebatur*, id est movebat se, *super aquas*.

*V.* 13. CONSTITUIT EUM SUPER EXCELSAM TERRAM. Hebr. *Equitare fecit eum super excelsa terræ*; id est, omnia illis filiis Israel pervia fecit. Aut super cacumina montium: eo aquila defert pullos suos.

*V.* 14. BUTYRUM DE ARMENTO; ET LAC DE OVIBUS, scilicet dedit. Hebr. *butyrum bovis* ( pro bovium ) *& lac ovis* ( pro ovium ) CUM ADIPE AGNORUM. *Adeps* in carne est optimum; sic per adipem, agnos gregesque optimos intelligit. FILIORUM BASAN, ibi erant lætissima pascua, greges lectissimi. CUM MEDULLA TRITICI. Hebr. *cum adipe renum tritici*: grana vocat *renes*. ET SANGUINEM UVAE. Vinum rubrum sanguinem vocat ob colorem.

*V.* 15. INCRASSATUS EST DILECTUS. Suspicor Hieronymum posuisse *directus*: nam Hebr. est ישרון *iesurun*, id est *rectus*; quasi dicat: Qui erat rectus, copia rerum pinguis factus recalcitravit: sic solent iumenta pinguia, equi, muli. DILATATUS, coopertus es, nempe pinguedine.

*V.* 16. PROVOCAVERUNT. Hebr. *Zelare fecerunt eum*, scilicet Deum: ergo provocaverunt eum ad zelum. IN DIIS ALIENIS. *Diis* non est in Hebr. sed bene suppletur.

*V.* 17. NOVI RECENTESQUE VENERUNT. Hebr. *Novi de propinquo venerunt*, scilicet dii de propinquo loco, quia coluerunt deos terræ: aut de propinquo tempore, quos Hieronymus & Sept. *recentes* dixere. QUOS NON COLUERUNT. Hebr. *timuerunt*: sed cultus ex timore venit, & quidam timor est.

*V.* 20. ET CONSIDERABO NOVISSIMA EORUM, id est mala in quæ præcipitabunt. ET INFIDELES FILII. Hebr. *Non est veritas in eis*: sententia non alia.

*V.* 21. IPSI ME PROVOCAVERUNT IN EO QUI NON ERAT DEUS. Hebr. *Zelare fecerunt in non deo*; quasi dicat: Adulterantes cum non deo, zeli mei causa fuerunt. ET EGO PROVOCABO EOS IN EO QUI NON EST POPULUS. Hebr. *Et ego zelare faciam eos in non populo*. Cum eiecero eos a me, & repudiaro quasi non sit populus meus, illis zeli causa existam; ut mulier a viro repudiata, zelum in illum concipit.

*V.* 22. IGNIS SUCCENSUS EST IN FURORE MEO. Hebr. *in naso meo*: sed ira in naso apparet. ET ARDEBIT USQUE

QUE

QUE AD INFERNI NOVISSIMA. Heb. *infernum novissimum*: sic Sept. Quo loco *infernum* pro sepulcro accipitur; quasi dicat: Non quiescet ira, antequam illos sepulturæ tradam. Aut loquitur de vero inferno, quem *novissimum* vocat, quod sit ultimum supplicium.

*V.* 23. SAGITTAS MEAS COMPLEBO. Hebr. *consumam*: ne una quidem sagitta in pharetra supererit.

*V.*24. CONSUMENTUR FAME. Hebr. *combusti fame*. ET DEVORABUNT EOS AVES. Hebr. *Et comesti pruna*, *&* *excidio amarissimo*; quasi dicat: Morbis ardentibus consumentur. Avium non est mentio in Hebræo, sed רשף *resepb* quibusdam Hebræis est *avis*, quod Hieronymus, & Sept. sunt secuti: sic & Chald.

*V.* 26. DIXI: UBI NAM SUNT? Hebr. non est interrogatio, sed: *Et dixi*, *In angulos dispergam eos*.

*V.* 27. SED PROPTER IRAM INIMICORUM DISTULI. Hebr. *Nisi iram inimici* (pro inimicorum) *timerem*. NE FORTE SUPERBIRENT. Hebr. *se alienarent hostes*. Chald. *Ne forte magnificaretur inimicus*.

*V.*30. QUOMODO PERSEQUATUR UNUS MILLE. Iunge hæc cum *utinam intelligerent*, vers. 29. quasi dicat: Qui factum est ut unus fugaret mille? nonne mea ope, qui conclusi illos hostes, nempe vestros.

*V.* 32. DE VINEA SODOMORUM. Hebr. *de vite Sodomæ vitis eorum*, *&* *de vitibus Gomorrhæ*; quasi dicat, ex pravis maioribus pravi filii. UVA FELLIS. Heb. *Uva toxici*, *&* *botri amarissimi*.

*V.* 33. FEL DRACONUM. Sic Sept. & Chald. Alii, ut Pagn. *venenum draconum*. ET VENENUM ASPIDUM INSANABILE. Hebr. *crudele*. Hic Hieronymus pro *ros*, posuit *venenum*, qui pro eadem voce ante aliquoties *fel* reddiderat. Sed parum refert, nam per *fel* etiam *venenum* intelligit.

*V.* 36. VIDEBIT QUOD INFIRMATA SIT MANUS. Hebr. *Abiit manus*; quasi dicat: Prævaluit manus, & ultio. ET CLAUSI QUOQUE DEFECERUNT, RESIDUIQUE. Hebr. *&* *nihil clausum* *&* *derelictum*: nempe relictum ultioni. Nullo fonte relicto, quiescet ira Dei, & miserebitur suorum.

*V.* 38. ET IN NECESSITATE VOS PROTEGANT, scilicet dii quos coluistis. Hebr. *Sit super vos absconsio*: sententia eadem.

*V.* 41. SI ACUERO UT FULGUR. Hebr. *Si acuero fulgur gladii mei*, id est fulgur, quod gladii instar est.

*V.* 42. ET DE CAPTIVITATE, NUDATI INIMICORUM CAPITIS. Hebr. *de capite ultionum inimici*; quasi dicat: Inebriabo sagittas, gladius meus devorabit carnes, de capite ultionum inimici, id est, de summa ultionum, de ultionibus quas sumam. *Nudati*, iunge cum *capitis*. Captivorum capita nudabantur.

*V.* 43. LAUDATE GENTES POPULUM EIUS. Hebraica sic reddi possunt: *Laudate gentes populus eius*, appositive, scilicet Deum: sicque explicat Hebræus.

*V.* 46. UNIVERSA QUAE SCRIPTA SUNT LEGIS HUIUS, scilicet in volumine. Hebr. *omnia verba legis huius*: sic Sept. facite ut filii vestri custodiant.

*V.* 48. IN EADEM DIE. Hebr. *In corpore diei huius locutus est Moysi Dominus*. Quid dixit? *Ascende*.

*V.* 49. ET MORERE; pro, morieris: imperativum pro futuro.

*V.* 52. E CONTRA VIDEBIS TERRAM. Sept. *Quoniam e regione*: quod vim vocum Hebr. melius exprimit: & iunge cum illo, *Ascende in montem*.

## MALVENDAE.

*Vers.* 1. AUDITE CAELI, &c. האזינו *haazinu*, verbum effictum ab אזן *ozen*, *aure*; quasi dicas, *Auriculate*, *aures accommodate*, *præbete*, *aures arrigite*. Formula Hiphil significatum intendit, quam maxima attentione audite, auscultate. Mira de hoc Cantico Hebræi prædicant: aiunt esse summarium totius legis. Facit enim, inquiunt, mentionem de magnificentia Dei, de creatione mundi, de Domino Deo colendo, de generatione diluvii, de divisione linguarum & nationum, de electione populi Israelitici, de beneficio in deserto ei exhibito, de futura mortuorum resurrectione, &c. Quidam totum hoc Canticum in quatuor potissimum partes distribuunt, Exordium, versibus tribus: Narrationem, ad versum 19. usque: Propositionem rerum deinceps eventurarum

ex

ex iusto iudicio Dei, usque ad versum 43. & Conclusionem laudativam, vers. 43. & deinceps. Quod vero Moses initio statim cælos & terram auditores & testes invocet, hoc fieri observant ex affectu exuberantissimo, idque duabus rationibus: altera, quod cælum & terra perpetuo durent, homines autem pereant, & moriantur: altera, ut innuit, quod si non essent servaturi præcepta Dei, fore ut cælum non daret pluviam suam, terra non daret fruges suos: secus vero si legem Dei servarent, cælum & terram effusuros in eos omnia bona. Notant etiam, gravissimam sane hanc esse contestationem: nam perinde est ac si hominibus nullæ essent aures, proinde ad elementa muta confugiendum fuit. Sic enim loquitur Moses ut de re prodigiosa & stupenda, quæ mutis etiam elementis horrorem incutere debeat, quod Israelitæ defecturi sint a Deo, a quo tot beneficiis ornati erant. Simili præfatione usus est & Isaias cap. I. vers. I. Alii metonymiam esse putant, *Cæli*, id est Angeli qui in cælis estis; *Terra*, id est homines in terra habitantes. Sed prior sensus est rectior, e cap. XXXI. vers. 28. QUAE LOQUOR. Hebr. *Et locutus fui*. Sic in præterito frequenter loquitur Scriptura ob certitudinem rei, & celeritatem; quasi dicas: Non vos diu detinebo, quam primum aures præbueritis, putate me iam totam meam orationem absolvisse: uno, celerique cursu sermonem meum complebo. Alii, *ut loquar*, vel *& loquar*.

*V.* 2. CONCRESCAT UT PLUVIA DOCTRINA MEA. Verbum ערף *gharaph*, a עורף *ghoreph*, *cervice*, conflatum exponunt, *decervicare*, *cervicem incidere*, *decollare*, *cervicem secare*. Observant vero, quod quando hoc verbum non legaliter de victimis dicitur, quarum incidebantur cervices, sed pluvia, seu rore, tum figurate & prophetice significet *influere*, seu *distillare*, metaphora sumpta a cervice, per quam medulla e cerebro d fluit in spinam dorsi, & exinde in cetera ossa, ut ea alat, & irriget: & sic congruit significatione cum verbo רעף *raghaph*, litteris transpositis. Alii, quod incisa, vel amputata cervice animalis sanguis copiose ex omnibus venis fluat. Unde vertunt: *Decervicet sicut pluvia doctrina mea*. Ego metaphoricam hanc verbi significationem haud absurde a *cervice* deduxerim, non in *decervicandi* ratione, sed *cervicandi*, ut indicet pluviam cervicosam, obstipam, densam, crassam, uberem, quod Noster dixit: *Concrescat ut pluvia*, *&c.* unde non aliene verterim: *Cervicet sicut pluvia*, *&c.* id est, obstipet, denset, &c. Vide cap. XXXIII. vers. 28. DOCTRINA MEA. לקחי *likchi*, *acceptio mea*. *Doctrina accepta*, *perceptio*, *institutio*, *disciplina*, qua quis capitur, vel quæ accipitur a discipulo ex ore præceptoris; vel *assumptio mea*; id est, argumentum a me assumptum, assumpta a me oratio. FLUAT UT ROS ELOQUIUM MEUM. Sensum huius versus hunc esse volunt: Utinam doctrina mea efficiat in cordibus Israelitarum, quod in agris pluvia & ros, quæ terram irrigant, & fecundant. Utinam eum fructum efferat oratio mea in vobis, quem proferunt pluvia & ros in terra. QUASI IMBER SUPER HERBAM. שעירים *seghirim*, aiunt esse *tenues imbres* instar pilorum, seu capillorum. Alii volunt esse *stillas pluviæ densas & instar pilorum tenues*. Nonnulli, *pluviam subtilem*; aliqui, *aspersiones*. Quidam notant, semel hic tantum accipi de pluviis, seu stillis, quæ continue decidentes super aliquem, afferunt horrorem, horripilationem propter humiditatem & frigus. Unde hic vertunt, *& sicut pluviæ horridæ*. Vox dicta est a pilo, seu horripilatione. ET QUASI STILLAE. רביבים *rebibim*, pluralis numeri, *distillationes*, *stillæ*, *depluitiones*, quæ neque ros sunt, neque pluvia densa, & præceps; sed quæ lente & assidue cadunt, & earum guttæ cerni possunt: a multitudine nomen dicitur. Quidam, *densum & minutum imbrem*, alii, *pluviam vehementem* exponunt, qualis mense Octobri cadere solet.

*V.* 3. QUIA NOMEN DOMINI INVOCABO. Invocatio numinum poetis familiaris: atque a Mose Græci & Latini poetæ morem invocandi numen initio carminis accepisse videntur. Aratus initio Phænomenῶν, interprete Cicerone: *Ab Iove Musarum primordia*. Et Germanicus Cæsar:

> *Ab Iove principium magno deduxit Aratus.*
> *Carminis*, *&c.*

Alii: *Nomen Domini vocabo*; id est, prædica-

dicabo, celebrabo, laudibus efferam, cantabo; id est, meum carmen erit de uno vero colendo, contra idolorum vanitatem. Alii exponunt: *Quoniam*, vel *quando nomen Domini decanto*, interim vos *magnificate Deum nostrum*.

*V.* 4. DEI PERFECTA SUNT OPERA. צור *Tzur*, proprie *petra*, *rupes*, *saxum*. Interdum est proprium Dei epitheton; propter firmitatem, stabilitatem, immutabilitatem, perseverantiam, quia stat promissis suis: & quia Deo fidimus & nitimur, in quo contra omnes adversitates & iniurias hostium tuti consistimus, tamquam in firmo perfugio omnium ad ipsum recurrentium. Quidam hic vertunt: *Ipse est petra*, *integrum est opus eius*: vel *petræ integrum est opus eius*. Alii: *Rupis illius opus est perfectum*. Nonnulli: *Opus petræ illius solidum est*. Hispanica Translatio: *Del fuerte*; subaudi *e de hablar*; *cuya obra es perfecta*; quasi dicat: Hic erit mihi carminis auctor. In voce TZUR, Tzade est magnum, & est tertia decima magna littera Hebraica quæ in Scriptura occurrit. Hic perspicuum est mysterium, quod hic primum Deus vocetur *Petra*, *Rupes*, ad indicandam æternam eius & constantissimam firmitudinem & stabilitatem. Vide supra cap. XXIX. vers. 28. Vocatur autem Deus Petra etiam infra vers. 15. 18. 30. 31. OMNES VIAE EIUS IUDICIA. Hebr. *iudicium*, *ius*; id est, omnes actiones eius, omnes rationes agendi sunt summum ius, summa æquitas & iustitia: quidquid agit, iustissimum & æquissimum est. DEUS FIDELIS. אמונה *emunah*, *fides*, *fidelitas*, *constantia*, *certitudo*, *veritas*, *firmitas*, *stabilitas*. Abstracta hic magnam vim habent.

*V.* 5. PECCAVERUNT EI, &c. Versum difficilem in Hebræo nos verbatim reddimus (*Funditus perdidit ei non filii eius*, *macula eorum*: *generatio hypocrita*, *&* *distortissima*.) Alii diversimode expresserunt. I. *Corrupit sese illi*, *non filii eius*, *macula eorum*: *generatio prava*, *&* *perversa*. Notant ordinem dictionum inversum, atque ita construendum: *Generatio prava atque perversa*, *qui non sunt filii eius*, *in ignominiam suam corrupit sese illi*, id est Deo; quasi dicas, ignominiose & probrose defecit a Deo. II. *Perversa hæc & detorta generatio corrupit sibi*, *non filii eius in maculis suis*. III. *Corrupit sibi*, *non filii eius*, *macula eorum*, *generatio perversa & contorta*. IV. *Corrupit se*, *vitium ipsius non est filiorum eius*: *generatio perversa & contorta est*; id est, vitiositas illorum aliena est a filiis Dei, qui iustus & rectus est, vers. 4. PRAVA. עקש *ghikkesch*; id est, *perversa*, *versuta*, *fallax*, *falsa*, *quæ simulat & dissimulat*, *& specie recti*, *& veritatis fallit*. Notant Matthæi Interpretem cap. XVII. vers. 17. reddidisse ἄπιστος, id est *infidelis*, *incredula*, quæ scilicet deflexit a fide, & specie sanctitatis fallit. Et Paulum Philippens. II. vers. 15. σκολιᾶς vertisse, quod non simpliciter malum significat, sed *pravum*, *& tortuosum*: & contrarium fecisse nomini ἀκέραιοι, id est sinceri, & sine fuco. ATQUE PERVERSA. פתלתול *petaltol*, non alibi hæc vox reperitur, reddunt *retortam*, *distortam*, *versutam*, *vafram*, *variam*, *subdolam*. Nomen est geminatum, notantque ea duplicatione significari versutiæ duplicationem, seu multiplicationem, id est distortissima, versutissima. Putant, Matthæi XVII. vers. 17. & Philipp. II. vers. 15. verti διεστραμμένη, ut etiam Actor. XX. vers. 30. id est *distorta*, *prava*, *obliqua*, *implicata*.

*V.* 6. HAECCINE. In nota interrogationis Hebraica ה *Ha*, est He magnum, & est quartadecima littera magna quæ in Hebraicis Bibliis ponitur: mysterium facile augurari possumus, ad significandum scilicet immanem & plusquam feralem populi Iudaici ingratitudinem. Vide supra cap. hoc vers. 4. POPULE STULTE. Voci נבל *nabal*, hæc omnia subsunt, *popule defluens*, *marcide*, *languide*, *fatue*, *insipiens*, *insipide*, *flaccide*, *exhauste*, *defecte*, *casse*, *fluite*, *nebulo*, *abiecte*, *perdite*, *caduce*, *insulse*, *vilis*, *carens & destitute ratione*, *cerebro*, *vigore ingenii*, *acredine*, *sapore*, *virtute*, *intellectu*, *sapientia humana*, *& spirituali*, qui facis opera tua vitio aut morbo quodam animi depravatus; contra publicam honestatem, vel manifestum verbum Dei peccans: *popule nihil*, *amens*, *asynetos*, *in quo ne mica quidem sit bonæ mentis*, *in quo nihil succi est*, *&c.* Quidam, *popule ingrate*; alii, *flagitiose*, vel *nequam*. QUI POSSEDIT TE. Hebr. *emens*, *comparans tuus*. Alii, *possessor*, vel *emptor tuus*: sed quia de singulari possessione Dei fit sermo, ad assertionem ex AEgypto verbis

bis accomodantes, vertunt, *redemptor tuus*, qui non pecunia, sed pretio miraculorum ex AEgyptiaca servitute te redemit, atque in libertatem asseruit. קנך *kanecha*, quidam a קין *kien* deducunt, exponuntque, *nidificator tuus*; qui nidum tibi posuit terram promissam, vel qui te in nido exclusit, fovit, aluit, servavit: metaphora, ut infra vers. 11. ET FECIT. Hebr. *ipse factor tuus*. Quidam reddunt: *Nonne fecit te?* id est, magnificavit te. Sic verbum facere pro *magnificare*, *magnifare*, *ornare*, accipi notant, infra vers. 15. & I. Samuel. XII. vers. 6. ET CREAVIT. ויכונך *vaiconecha*, reddunt *confirmavit*, *constituit*, *stabilivit*, *ratificavit te*: proprie, *apparavit*, *præparavit*, *concinnavit*, *ordinavit*, *adaptavit*, *instruxit*, *disposuit te*; recte & perfecte curavit te, arte scilicet indicibili.

*V.* 7. DIERUM ANTIQUORUM. Hebr. *dierum sæculi*. Alii, *dierum perpetuorum*: intelligunt antiqua tempora, prisca sæcula, tempora præterita & elapsa, quæ olim fuerunt.

*V.* 8. QUANDO DIVIDEBAT ALTISSIMUS GENTES, QUANDO SEPARABAT FILIOS ADAM. Recte putant indicare primævam gentium distributionem, quando Deus orbem terræ divisit & partitus est in filios Adam, & variis gentibus varias terras & regiones possidendas & incolendas attribuit, Genes. x. & XI. Vide singulariter Genes. x. vers. 5. & Genes. XI. vers. 8. & Actor. XVII. vers. 26. CONSTITUIT TERMINOS POPULORUM IUXTA NUMERUM FILIORUM ISRAEL. Id est, iam tum decrevit dare filiis Israel terram illorum populorum, quos sub adventum ipsorum Israelitarum eiecit e terra Chanaan: vel tum dedit, Amorrhæis scilicet, & Hevæis, & aliis Chananæorum populis, tantum terræ portionem, quanta numerorum filiorum Israel, seu tribuum Israeliticarum sufficeret. Et hoc est maximum beneficium, quod Israelitis nondum natis, aut existentibus, iam tum initio mundi possessiones designarit: deinde, quod cum Deus sit, & omnium gentium Dominus, illisque orbem terrarum inhabitandum, & possidendum distribuerit, unicuique genti suam portionem & terminum assignans; tamen non omnes elegit sibi in populum, quorum peculiariter esset Deus vero & legitimo cultu; sed posuit limites, ut solum ubi filii Israel essent, ibi esset populus Dei; ubi vero finiretur terminus filiorum Israel, ibi cessaret populus Dei, & inciperent termini gentium, ut versu sequenti apertius explicatur.

*V.* 9. IACOB FUNICULUS HEREDITATIS EIUS. חבל *chebel*, Hebræis proprie est *funis*; sed figurate interdum & metonymice ponitur pro *sorte*, *portione*, *possessione terræ*: nam possessiones funiculis metiebantur & distribuebantur, Psalm. LXXVII. vers. 54. & Psalm. XV. vers. 6. quos Romani *arvipendia* appellarunt. Glossæ veteres, *Arvipendia*, *schœni*, seu *funiculi Geometrici*. Quin & σχοῖνος Græcis, id est *funis*, seu *funiculus* certum mensuræ genus. Herodotus Lib. II. num. 6. *Constat autem parasanga tricenis*, *schœnus* (*qui mensura est AEgyptiaca*) *sexagenis stadiis*. Plinius Lib. VI. cap. XXVI. *Inconstantiam mensuræ diversitas auctorum facit*, *cum Persæ quoque schœnos & parasangas*, *alii alia mensura determinent*. Et Lib. V. cap. x. *Schœnumque stadia triginta*. Et Lib. XII. cap. XIV. *Schœnus patet Eratosthenis ratione stadia* XL. *hoc est*, *passuum quinque millia*. Alii, XXXII. *stadia singulis schœnis dedere*. Vide Adagium: *Hirundo totos schœnos anteibit*. Chiliade IV. Centuria III. Adagio XXII. Ergo hic *Iacobus* dicitur *funiculus hereditatis Domini*, id est peculiaris possessio eius.

*V.* 10. INVENIT EUM IN TERRA DESERTA. Quidam exponunt: *Deprehendit*, *apprehendit eum*, curam eius gessit, ascivit sibi in populum, vel apparuit ei in nube. Alii, quia verbum *inveniendi* minus huic loco convenire videtur, quia Deus non invenit Israelem in deserto, sed potius eum ipse in desertum adduxit; exponunt: *Sufficit ei in terra deserti*; id est, sufficientissime providit populo de victu & vestitu & necessariis vitæ quadraginta annis in deserto. Verbum enim מצא *matza*, in *sufficiendi* significatione interdum usurpari, notavimus Numeror. XI. vers. 22. Est autem hic futurum *inveniet*, vel *sufficiet*, vel more poetico, vel respectu non temporis quo hoc scribebat Moses, sed divini decreti. Sic in sequentibus futuris. VASTAE SOLITUDINIS. ילל ישמן *ielel*, *ieschimon*. Existimant aliqui *Ielel* nomen

men esse proprium alicuius loci, seu deserti, sic dicti ab ululatu ventorum, seu ferarum. Alii, voce colludente *eiulatum*, seu *ululatum* ,exponunt *eiulatu*, vel *ululatu solitudinis*. hypallage, pro *solitudine eiulatus*; id est, ubi audiri solent eiulatus, seu ululatus ferarum. Quidam reddunt, *ululatæ solitudinis*; alii, *ululatus desolationis*; non nemo, *solitudine ululæ*. *Ieschimon* horribilem solitudinem, & afflatu abominabilem significat. Vide Numeror. XXI. vers. 20. ET DOCUIT. יבוננהו *iebonenehu*, futurum quadratum auget significatum; id est, *intelligere faciet*, *intellectificabit*, *erudiet*, *instruet*, *accurate & plene docebit eum*. QUASI PUPILLAM OCULI SUI. אישון *ischon*, quidam ab איש *isch*, *vir*, deducunt ceu denominativum, & *on*, esse terminationem diminutivorum: & sic appellari *pupillam* oculi, quod in ea virunculi imago resplendescat: vel forsan ab אישה *ischschah*, *vira*, quod pupilla sit quasi pupula, a pupa, virguncula, seu imaguncula puellari, quod in nigro oculi eiusmodi imagunculæ conspiciantur. Sed refutant id etymon alii, quod *ischon* dicatur de *nigredine* noctis, Proverb. VII. vers. 9. & cap. XX. 20. in qua tamen nulla virunculi imago resplendeat, aut conspiciatur. Nonnulli notant, *nigroris*, & *obscuritatis* significationem esse genuinam & propriam huius vocis, e locis illis Proverbiorum; *pupillæ* vero metaphoricam: unde hic reddunt, *sicut nigredinem*, *nigrorem*, *nigrum oculi*. Arbitrantur autem nomen esse substantivum pupillæ, sic dictæ a nigrore, quia cum nigerrima sit, ex ea tamen elucet virtus visiva & scintilla illa luminis. Et ut Deus ex tenebris produxit lucem mundi, cum diceret, *Fiat lux*; ita ex illa oculi caligine produxit lucem corporis. Transfertur postea etiam hoc denominativum ad tenebras, quæ nigredine pupillam oculi referunt, Proverb. VII. vers. 9. *In crepusculo diei vespertino*, *in pupilla noctis & caligine*, id est in nigerrima nocte. Et Proverb. XX. vers. 20. legitur אישון *eschun*: *Qui maledixerit patri suo, aut matri suæ, extinguetur lucerna eius in pupilla tenebrarum*, id est in nigerrimis & densissimis tenebris. Postremo observant, quod ad illud mirandum Dei opus quod Deus fecit, quod ex tenebris lucem, & ex caligine pupillæ visum produxerit, alludant postea tam prophetæ, quam apostoli, atque ad res alias accommodent, sicut Isaias cap. XXIX. 18. *Et audient in die illa surdi verba libri, & de caligine & de tenebris oculi cæcorum videbunt*. Et Paulus II. Corinth. IV. vers. 6. *Deus est qui iussit de tenebris lucem illucescere, qui illuxit in cordibus nostris, &c.* Et Petrus II. Epistola cap. I. vers. 19. *Et habemus firmiorem sermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, recte facitis, donec dies elucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris*. Quinimmo Christus ipse, cum Matthæi VI. vers. 22. *Lucerna corporis est oculus. Si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: quod si oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit: & si lumen quod est in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ?* Hæc sunt a Forstero, deinde a Mercerio, haud absurde & aliene observata.

*V.* 11. SICUT AQUILA PROVOCANS, &c. Hebr. *Sicut aquila excitabit nidum suum*. Notant esse futurum pro præsenti, excitat, provocat nidum suum: metonymia, id est pullos suos, qui in nido sunt. Vide Exod. XIX. vers. 4. Sic Latinis nidus. Nonius cap. VII. §. 63. *Nidos non solum domicilia avium, sed etiam fœtus earum Virgilio auctore dicere possumus Georgic. Lib.* IV.

...... *Ipsæque volantes*
*Ore ferunt dulcem nidis immitibus escam.*

*V.* 13. CONSTITUIT EUM SUPER EXCELSAM TERRAM. Hebr. *Equitare faciet eum super excelsa terræ*. Quidam: *Invexit eum in sublimitatibus terræ*; id est, in regione excelsa & alta, qualis erat terra Amorrhæorum, qui habitabant in montanis: & alioqui terra sancta sublimior est AEgypto. Alii: *Vexit eum super excelsa terræ*; id est, fecit ut penetraret civitates munitissimas. UT SUGERET MEL DE PETRA. Poetice, & figurate dictum volunt de maxima abundantia mellis in ea terra; quasi dicat:

.... *Et rupes sudabunt roscida mella*.

OLEUMQUE DE SAXO DURISSIMO. Quidam reddunt, *& pinguedinem de silice petræ*; alii, *& oleum de petra adamantina*: hyperbole. Vel in locis saxosis & petricosis provenient ubertim oleæ.

*V.* 14. Agnorum. כרים *carim*, singulare est כר *car*, aiunt, primo significare *locum pascuum, qui vel falce secatur, vel animalibus pascendo abscinditur*. A verbo כור *cur, excidere*; ut Isaiæ xxx. vers. 23. Psalm. lxiv. vers. 14. interdumque poni pro pabulis camelorum, & stramentis desectis, ut Genes. xxxi. vers. 34. Vide Notas nostras ibidem. Secundo significare *arietem, qui vel exsectus est, & Latinis vervex dicitur: vel qui adultior iam est, & pascua abscindit & depascitur*; quasi dicas, *pascualis*. Unde hic varie reddunt: 1. *cum adipe arietum pascualium*; 2. *cum adipe vervecum*; 3. *cum adipe arietum saltantium, subsilientium in pascuis*, e verbo כרכר *carcar*; 4. *cum adipe pratorum, pascuorum, camporum*. Et arietum. אילים *elim, arietes cicures & gregarios* exponunt; alii, *verveces*. Quidam hic reddunt, *& ducum inter oves*; alii, sine syntaxi, *& arietes filios Basan*. Filiorum Basan; seu natorum Basan, id est natorum, enutritorum, educatorum in regione Basanitide, quæ famosissima, & pinguissima erat, ita ut eius fertilitas & ubertas proverbio in sacris litteris celebretur. Vide Numer. xxi. vers. 33. & Numeror. xxxii. vers. 4. Cum medulla tritici. Hebr. *cum adipe*, seu *pinguedine renum tritici*. De voce כליות *celaioth, renes*, disseruimus Exod. xxix vers. 13. Notant figurate poni pro tritico optimo & pinguissimo, eadem ratione, qua illi adeps tribuitur: nam in optimo tritico extuberant genicula, forma renibus persimili. Metaphora ab animantibus sumpta; cuiusmodi fuit illa priscorum metaphora, qui κριθῆς λέπυρον, id est *hordei corticem*, vel *glumam*, auctore Festo vocabant *clunar*, a clunium similitudine. Sed Festus tantum habet, *clumæ folliculi hordei*. Et Glossarium vetus: *Clunar* κριθῆς λέπυρον. At Bonaventura Vulcanius, non *clunar*, sed *clumarum*, aut *cluma*, quæ & *gluma* dicitur, legendum in Glossis existimat. Quidam exponunt, *cum adipe granorum tritici*. חלב *cheleb, adeps*, metaphorice in Scriptura generaliter plerumque dicitur *de omnibus fructibus & frugibus, quæ sunt lacteæ, medullatæ, pingues, & succulentæ*. Sic Numeror. xviii. vers. 12. adipis nomen oleo & musto accommodatur, & Psalm. lxxx. vers. 17. frumento. Aliqui sine syntaxi legunt, *& hircos cum adipe*, & interposito commate, *renes tritici*; ut grana tritici illius magna tamquam renes laudentur. Meracissimum. חמר *chemer*, aiunt esse *turbidum, turbulentum, tumidum, fervens*, appellativum nomen vini rubri, quod turbidum est, & non modo in fusione, sed & bibitum efferveat, & cerebrum perturbet; merum, vinum meracum, rubens: sic dictum, quasi lutulentum & turbidum. Hic vinum densum, compactum, rubrum intelligunt, quod Hispanice dicimus *vino de cuerpo, de humos*, id est generosum.

*V.* 15. Dilectus. Non desunt qui in Nostro *directus* scribendum putent, quod cum Hebræo convenit. Sed proculdubio secutus est LXX. qui habent ἠγαπημένος, id est *dilectus*. ישרון *ieschurun*: quater tantum hæc vox in Scriptura occurrit, hic, & cap. xxxiii. vers. 5. & 26. & Isaiæ xliv. vers. 2 quibus tribus locis *rectissimus* vertit Noster. Deduxit a ישר *iaschar*, ut plerique etiam Hebræorum: cognomen esse Israelis omnes consentiunt, sic dictum quod recta iudicia Dei, rectam fidem & religionem haberet; licet ipse quam longissime a rectitudine abesset. Noster formam *ieschurun* vim superlativam habere existimavit; alii diminutivam, unde putant minutive & blanditiæ causa appellatum Israelem, quasi *rectulum*, allusione ad nomen ipsius: etsi unum per Scin dextrum, alterum per Scin sinistrum scribatur. Vide Genes. xxxii. vers. 28. Aliqui Hebræorum a שור *schur, aspicere*, derivant, quod Israel viderit gloriam præsentiæ divinæ in promulgatione legis. Quidam volunt esse denominativum a שור *schor* derivatum: est autem *schor bos nunc crassior & habitior, quique ad perfectam ætatem & magnitudinem corporis excrevit, distenditque cutem & corpus, habens corpus distentum*, compactum, plenum, qui Chaldaice dicitur תור *tor*, unde Græci & Latini vocem *taurus* mutuati sunt. Nam *schur* quoque *intendere, & extendere*, seu *distendere*, interdum significat. Ergo ex *schor, tauro*, factum existimant nomen *ieschurun*: deinde multas alias allusiones ad ista duo nomina factas esse arbitrantur; quasi dicat, populus in unum corpus coalitus, & compactus, tamquam taurus: ut hic etymon, & allusio satis innuitur: *Impinguatus autem Iescurun recalcitravit, impin-*

pin-

*pinguatus*, *incrassatus*, *adipe obductus dereliquit Deum factorem suum*. Quo loco, ut etiam aliis, constat pro Israele, seu populo Israelitico esse positum, allusione sumpta a tauro, sive corpore, per commissuras & compages completo, augmento Dei. Hinc cap. XXXIII. vers. 17. Ioseph comparatur tauro pulcherrimo: & familiæ & cognationes Israel dicuntur אלפים *alaphim*, a numero quasi taurino, seu bovino, id est pleno & compacto, nempe mille. Huc respexisse aiunt Isaiam cap. I. vers. 3. *Cognovit taurus possessorem suum*, *& asinus præsepe domini sui: Israel autem non cognovit*, *populus meus non intellexit*. Sic Paulus I. Corinth. IV. vers. 8. *Iam saturati estis*, *iam ditati estis*, *absque nobis regnastis*. Similiter Ephesior. I. vers. 22. *Et dedit eum caput super omnia ipsi Ecclesiæ*, *quæ est corpus illius*, *complementum*, *omnia in omnibus adimplenentis*. Et cap IV. vers. 15. *Ut augescamus in illum per omnia*, *qui est caput Christus*, *in quo totum corpus coaugmentatur*, *& compingatur per omnem commissuram suppeditationis*, *secundum operationem in mensura uniuscuiusque membri*, *augmentum corporis facit*, *&c.* Et Coloss. II. vers. 19. *Obtinens caput*, *ex quo totum corpus per commissuras & compages subministratum & compactum augescit augmento Dei*, *&c.* Non igitur, inquiunt, a verbo *Iaschar* est formatum *Iesurun*, ut quidam volunt, *rectissimum* vertentes; sed pro populo Israelitico capitur, qui fuit similis corpori per commissuras & compages, bene compacto & adimpleto, ut taurus, cuius caput est Christus. Alii a tauro quidem significatum *ieschurun*, accersunt, sed alia ratione, ut aliquid dicere videantur: aiunt enim primæva significatione notare taurum ducem, qui in armento præcedit veluti dux; unde sumpta metaphora, significat primogenitum, qui maiorem partem hereditatis accipit, seu qui ceteros fratres velut dux præcedit: est enim pater in domo veluti pastor, primogenitus autem veluti dux gregis: cum igitur Deus Israelem suum primogenitum appellet, hoc nomine Ieschurun merito appellatur, quod in hac magna Dei domo inter ceteros populos primum sibi locum vendicaret. A præeundo itaque hoc nomen dici putant: neque *Schor* bovem simpliciter significare, sed præcipuum bovem, seu taurum a præeundo; similiter & Ieschurun eum qui præeminet, præcedit, & veluti dux armento præest, ceteris maior. Quoniam autem primogeniti solent esse magis dilecti, non mirum si animadvertentes Græci ex contextu esse nomen dignitatis ac favoris, *dilectum* verterint. Non desunt tamen qui hæc omnia etsi subtilia, aliena nihilominus putent: & satius esse *rectum* interpretari, quasi Deo directum, id est paratum, destinatum, delectum. Aliqui ironiam hic esse putant, *rectus*, id est nihil minus quam rectus. ET RECALCITRAVIT. Verbum בעט *bagbat*, aiunt esse proprie *in acceptis beneficiis cum iniuria lascivire*, *ferocire*, *recalcitrare*: neque id alibi inveniri nisi I. Samuel. II. vers. 29. Nec dubitant Paulum vim verbi huius expressisse I. Timoth. V. vers. 11. cum de viduis inquit: *Cum enim lascivierint in iniuriam Christi*. DILATATUS. כשית *casita* cum Scin sinistro, *cooperuisti*, scilicet adipe seu pinguedine renes tuos, aut carnes tuas. Quidam intransitive, *tectus*, *opertus*, seu *obductus es*, nimirum adipe. Alii: *Adipem obduxisti*. Aliqui exponunt: *Operuisti pinguedine cor tuum*, seu *animum tuum*, qui pene suffocatus fuit, adeo ut nihil intelligas. Hispanica translatio recte Hebraismum Hispanismo convertit, *Tuviste cubierto el rinnon*. Similis locutio est Iob XV. vers. 27. & Psalm. XVI. vers. 10. DEUM. Hic primum occurrit Dei nomen אלוה *Eloah*, quod aiunt esse singulare nominis *Elohim*, & utrumque derivari a nomine אל *El*. Notant idem omnino esse Hebræis quod Græcis θεός, & Latinis *Deus*, a maiestate, fortitudine, potentia quam exerit, & ostendit quaque locorum, & super omnes creaturas quæ sunt in cælo & in terra, & habent aliquam potentiam & potestatem, facultatem & virtutem: & propter hæc dona & beneficia quæ ab ipso acceperunt, & habent, ipsi tamquam iuramento astricti sunt illi præstare cultum, obedientiam, timorem, fidem, invocationem & gratitudinem, & tribuere illi hunc honorem, quod invocantes iuvare, defendere, & adversa declinare possit: qualem etiam gentes notitiam de Deo, & commentitiis suis numinibus habuerunt: quare non tantum de vero & æterno Deo conditore cæli, & terræ dici, sed etiam de falsis gentium diis, quosim-

pii Dei nomine appellarunt. Deducunt ab אלה *ala, iuramento obstringi*, & ab איאל *eial*, fortem & prævalidum esse, ut etiam nomen אל *El*, de quo diximus Genes. XIV. vers. 18. ET RECESSIT A DEO. וינבל. *vaienabbel*, varie reddunt. I. *Et despexit*, *floccifecit*, *vilipendit*, *petram*. II. *Et contumelia*, *ignominia*, *turpitudine affecit petram*. III. *Et cadere fecit*, *deiecit*, *depressit*, vel *deprimere conatus est petram*; subaudi, a magnitudine sua: aut depressit dignitatem Dei. IV. *Et infatuavit*, *pro fatua habuit*, *petram*. V. *Et defluere fecit*, *flaccescere fecit*, *emarcessere fecit*, *petram*; id est, nullam vim, robur, aut præsidium existimavit esse in petra. VI. *Et deturpavit*, *et vituperavit petram*. VII. *Et ingratus fuit petræ*.

*V.* 19. VIDIT DOMINUS. Observant iam hic esse propositionem rerum eventurarum populo Dei, cum ad impiorum castigationem severissimam usque, ad vers. 35. tum ad reliquiarum sanctarum consolationem, vers. 36. & seqq. propter Dei gloriam, ad quam conclusio pertinet. ET AD IRACUNDIAM CONCITATUS EST. De significatione verbi נאץ *naatz*, egimus Numer. XIV. vers. 11. Varie hic exprimunt. 1. *Et sprevit*, *contempsit*: 2. *Et abominatus est*: 3. *Et exacerbatus est*: 4. *Et iratus est*. 5. *Et incessivit*, *lacessivit*, *insectatus est*: quidam passive, *Et lacessitus est*: 6. *Et reprobavit*. QUIA PROVOCAVERUNT EUM FILII SUI, ET FILIAE. Quidam Hebr. reddunt, *præ ira in filios suos*, *&* *filias suas*. Alii, *præ indignatione a filiis suis*, *&* *filiabus suis* commota. Nonnulli, *propter provocationem filiorum suorum*, *&* *filiarum suarum*. Filios vocat respectu vocationis, quos ratione vitæ appellavit non filios supra vers. 5.

*V.* 20. ET CONSIDERABO NOVISSIMA EORUM. Hebr. *Videbo quid posterioritas eorum*. Quidam: *Videbo quid in novissimo eorum*; subaudi, futurum sit: vel, quid in fine suo, subaudi, patientur. Alii: *Spectabo quid tandem facturi sint*. Nonnulli: *Videam quis erit finis illorum*. GENERATIO ENIM PERVERSA EST. Heb. *quia generatio versionum*, *subversionum*, *perversionum*, *perversitatum*, *ipsi*; id est, perversissima natio, perversitatibus penitus dedita, animo versatilis, quæ non perstat in vero Dei cultu, inconstans, desultoria. ET INFIDELES FILII. Hebr. *filii*, *non fides in eis*: אמן *emun*, *fides*, *fidelitas*, *constantia*, *certitudo*, *veritas*, *firmitas*, *stabilitas*; ut אמונה *emunah* vers. 4. Notant Paulum hunc locum & phrasim imitatum Ephesior. II. vers. 2. cap. V. vers. 6. Colossens. III. vers. 6. cum vocat, & interpretatur *filios diffidentiæ*, seu *incredulitatis*; id est, nulla urbanitas, civilitas, nihil frugi aut boni, nullius profectus in eis.

*V.* 21. IN EO QUI NON ERAT DEUS. Hebr. *in non Deo*; id est, in idolis quæ coluerunt, quæ non erant Deus: vel, ne essem eis in Deum. Quidam hunc versum ita reddunt: *Ipsi zelare fecerunt me in re quæ non est Deus*, *&c.* *&* *ego zelare faciam eos in eo qui non est populus*, id est, quemadmodum novis diis inductis, me ad zelum provocaverunt; ita ego quoque novum mihi populum suscitabo, quo ipsi zelo accendantur. Alii: *Ipsi me invidere fecerunt ei qui non est Deus*; id est, non stetit per eos quin inviderem iis qui non erant Deus, cum eos ipsi in deos sibi asciverint, &c. *&* *ego quoque invidere faciam eos in non populo*; id est, faciam ut invideant populo ei, qui non est populus Dei: nam faciam ut ii qui non sunt populus Dei, feliciter vivant; ipse autem populus Dei affligatur, & male habeat. Nonnulli: Ipsi commoverunt me ad zelotypiam per ea quæ non sunt Deus Fortis, &c. ego quoque ad zelotypiam commovebo eos per eum qui non est populus, nimirum peculiaris Deo, ut hic fuit. Vide Oseę I. vers. 10. & Roman. IX. vers. 26.

*V.* 22. USQUE AD INFERNI NOVISSIMA. Hebr. *usque ad infernum subteriorem*; quidam, *usque ad imum sepulcrum*; alii, *usque ad voraginem inferiorem*; nonnulli, *usque ad infimos inferos*; id est, usque ad ima terræ penetralia; ac si dicat, supra & infra conflagrabit, ut præsentibus futurisque fructibus priventur nihil reliquum super terram erit vel ædificii, vel germinis; sed & ipsum solum, & terræ viscera usque ad radices arborum, & ima quæque telluris exurentur; quasi ignis deorsum per terram velit ad infernum usque ardere; quasi dicat: Etiam profunda, & infima terræ loca vertam in sterilitatem. Sequentibus se ipsum exponit.

*V.* 23. CONGREGABO SUPER EOS MALA. Verbo ספה *saphah* cum Samech omnia

omnia ista includuntur: *Contraham*, *congregabo*, *colligam*, *consummam*, *consummabo*, *addam*, *impendam*, *accumulabo super eos mala*. COMPLEBO IN EIS. Hebr. *consummabo*, *consummam*; id est, omnes ad unam eiaculabor; exhauriam pharetram sagittis in eos; quasi dicat: Expendam in eos omnes calamitates & infortunia.

*V.* 24. CONSUMENTUR FAME. מזה רעב *meze ragbab*. Quidam ex significatione Chaldaica, quia vox *meze* nusquam alibi legitur, substantive exponunt, *adustiones famis*. Alii adiective, *adusti*, *combusti*, *consumpti*, *exhausti famis* (nam est regimen) seu *fame*. Nonnulli, *attenuationes famis*. Alii inepte a זוה *zavah* deducunt, *angulati fame*; id est, prae fame in angulum, in angustias redacti. Quidam ex assonantia verbi Graeci μεστόω, *impleo*, & μεστός, *plenus*, & Germanici *mesten*, reddunt *repleti*, *impleti*, *referti fame*. Quem sensum suppeditari aiunt ex verbo adiuncto *& comesti prestere*, seu *uredine*: quod etiam impletionem significat, seu cibo esse infertum, ita uredine & fame resarcientur. Chaldaeus, *& inflati fame*. ET DEVORABUNT EOS AVES MORSU AMARISSIMO. Hebr. *& comesti*, *exesi*, vel *comestiones*, רשף *reschepb*. Sexies haec vox in sacris litteris ponitur. Noster hic, & Iob v. vers. 9. *aves* & *avem* interpretatur; Psalm. LXXV. vers. 4. *potentias*; Psalm. LXXVII. vers. 48. *ignem*; Canticor. VIII. vers. 6. *lampades*; Habacuc III. vers. 5. *diabolum*. Hebraeorum nonnulli monent, generaliter hac voce intelligi quidquid volitat, sive aves sint, sive sagittae, sive scintillae, sive fulgetra, sive ignes. Alii notant *reschepb* congruere significatione cum transposito שרף *saraph*, *comburere*, & significare generaliter quidquid volando adurit, incendit, & inflammat. Plerique aiunt proprie esse *prunam*, *carbonem ignitum*: & metaphorice *ferrum sagittae*, *& aegritudinem calidam instar prunae*, quae cito interficit, ut pestis. Nonnulli notant, *reschepb* per transpositionem litterarum esse *presterem* caelestis flammae genus, quae quidquid attingit, amburit, & atterit: de quo Plinius Lib. II. cap. XLVIII. & XLIX. & Seneca Lib. V. Quaestionum Naturalium, cap. XIII. quo dicitur igneus turbo. Iam mirum quam diverse hunc locum reddant; sed in eumdem fere sensum. Aben-Ezra: *& comesti aere calido, ut pruna*. Rabbi Scelemoh: *Et daemones devorabunt eos*; sive *pugnabunt cum eis*. Steuchus: *Et devorationibus carbonis igniti*, vel *exustionis*, vel *daemonis urentis*, aut *pestilentiae ardentis*. Caietanus, *& debellati calore intenso*. Sanctes, *& comesti avibus*. Et in Thesauro, *& comesti*, *consumpti*, *aegritudine calida ut pruna*. Forsterus, *& devorationes ardoris*. Leo Iudas, *Et consumpti ardente lue*; Vatablus: *& devorabuntur carbunculis*: vel *caumate*, sive *morbo calido*, *febre ardenti*, *& pestifera absumentur*. Oleastrius, *& comesti ardore*, seu *pruna ardenti*, aut *fulgure*. Pomarius, *& devorati a morbo adurenti*. Marinus, *& comestiones prunae*: aegritudinem quamdam aduentem innuit poetice. Tremellius & Iunius & Buxstorfius: *& exesi*, vel *& exesis anthrace*. Est autem *anthrax*, *carbunculus*, malignum morbi genus, quale pestilenti in lue grassatur. Montanus, *& comesti pruna*. Avenarius, *& comesti*, id est consumpti, *prestere*. Schindlerus, *& devorati peste*. Hispanicus Interpres: *Y comidos de fiebre ardente*. LXX. Chaldaeus, Noster, & plerique Hebraeorum, hic significatum *avis* amplexi sunt. MORSU AMARISSIMO קטב מרירי *keteb meriri*. Aiunt *keteb* proprie esse *avulsionem*, *convulsionem*, *evulsionem*, *excisionem*, *incisionem*, *succisionem*, *excidium*, seu *exitium*, hoc est luem subito evellentem, qualis est aut febris, aut pestis, aut apoplexia, & id genus morbi, qui subito mortem affert, & avellit vitam, nempe mors subitanea. Aliqui *contagium*, *exterminium*, exponunt. Consentiunt omnes, esse *excidium*, *seu exitium repentinam*, *luem subito excidentem*, *& perimentem*, *aegritudinem potentissimam & repentinum*. Nonnulli, *contritionem*, *confractionem*, *devastationem*, *afflictionem*, *concussionem* interpretantur. Hebraeorum aliqui nomen proprium cuiusdam daemonis meridie grassantis esse existimant, vel *daemonium devastans*, e Psalm. XC. vers. 6. Ter tantum haec vox in Scriptura legitur. Noster hic *morsum*: Psalm. XC. 6. *daemonium*, Isaiae XXVIII. 2. *confringens* vertit. *Meriri* vero quidam substantive exponunt, *amarorem*, *amaritudinem*: alii adiective, *amarum*, *acerbum*. Nonnulli Hebraeorum nomen proprium esse volunt cuiusdam daemonis, ab amaritudine quam in-

infert, sic dicti. Nec desunt, qui velint esse *venenum mortiferum*. Iam varie locum convertunt. 1. *& incisionem amaram*, vel sævitiæ brutalis, vel humanæ, incidendo: 2. *& evulsione amaritudinis*; 3. *& ægritudine, lue, peste, amara*, id est morbo exitiali, amaro & diro, qui cito enecat: 4. *& exterminio amaro*: 5. *& exitio venenato* ( Hispanicus Interpres, *y de pestilencia emerga*; vel *y de talamiento, o cortamiento amargo*; seu *y de mortandad amarga*: ) 6. *& dæmonio meridiano amarissimo & virulentissimo*. Vide Paradisum Nostrum, cap. LXXVI. CUM FURORE TRAHENTIUM SUPER TERRAM, ATQUE SERPENTIUM. Hebr. *cum calore* זוחלי *zochale pulveris*. Verbum זחל *zachal* aiunt esse *pavere*, *timere*, *absterreri*, *vereri*, Iob XXXII. vers. 6. item *repere*, *subrepere*, *reptare*, *serpere*: inde *zochale* participium, seu nomen participiale status regiminis, quo veniunt *serpentes*, *viperæ*, *lacertæ*, *adeoque cuncta reptilia*, *quæ ad conspectum hominum absterrentur*, *& expavescunt*, *seque in cavernas & loca abdita proripiunt*. Seu potius eo nomine *reptilia venenata* intellexerim, ad quorum conspectum homines terrentur & expavescunt: unde hic *terrentium*, seu *terribilium pulveris* exposuerim, nempe *serpentium*.

*V.* 26. DIXI. Ita ex Hebr. Alii per imperfectum, vel plusquam perfectum, *Dicerem*, vel *dixissem*; coniunguntque cum futuro sequentis versus, quod etiam vertunt *timuissem*, hoc sensu: Sane dixissem, statuissem, decrevissem apud me disiicere eos, nisi timuissem, &c. Sed nos tempora ut ponuntur, accipimus. UBINAM SUNT? אפאיהם *aphehem*, eisdem litteris, sed aliis litterarum punctis legit אַפְאֵיהֶם *ephohem*, *ubinam ipsi*? vel *ubinam sunt*? Sed plerique capiunt pro futuro irregulari & defectivo primæ personæ singularis verbi פאה *paah*, in Hiphil, אפאיהם *aphehem*, quasi pro אפה איתם *ephe otam*, reddunt-que: *Extremare faciam eos*, vel *angulare faciam eos*; *angulabo eos*; id est, dispergam, disiiciam, profligabo eos per angulos terræ: vel in angulos, & extremitates terræ relegabo eos; aut ex omnibus angulis eiiciam, extrudam eos: vel in angulos detrudam eos, ut non audeant, nec possint in publico comparere. Quidam: *Extremabo, exterminabo eos*. Irregularitas verbi indicat magnam, longinquam, & calamitosam Iudæorum dispersionem, & disiectionem per angulos & extremitates orbis. Hebræorum nonnulli subtilius dividunt in tres dictiones. *Dixi*: אף *aph*, *in ira*; mea; אי *e*, pro איה *aieh*, *ubinam*; הם *hem*, *ipsi*, vel *sunt*? quasi dicat: Adeo puniam eos, ut non sint, ut omnes dicant: *Ubinam sunt*? Delebo eos, ut non sint. Sed id curiosius & coactius est.

*V.*27. SED PROPTER IRAM INIMICORUM DISTULI. Sapientissime Hebræa reddidit, quæ habent: *Nisi provocationem inimici metuerem*; id est, sarcasmum & risum, quo insultando irritabunt. Verbum גור *gur*, quod proprie *trahere*, *contrahere*, *migrare*, *peregrinari* significat, notant interdum e contrario esse *retrahi ab aliquo*, *migrare*, *peregrinari ab aliquo*, *averti ab eo*, *eum timere & expavescere*, *illum aversari*. Vide Numer. XXII. vers. 3. unde hic reddunt: *Nisi indignationem inimici expavescerem*, vel *timerem*: alii, *Nisi ferociam hostis veritus essem*: nonnulli, *Nisi indignationem ab inimico metuissem*. Possis vertere: *Si non ob iram inimicorum traham*, vel *differam*: qui est sensus Nostri, Aut *si non ob indignationem*, vel *indignationem inimici retrahar*: vel *nisi indignationem inimici aversabor*. Plerique hunc versum cum præcedenti nectunt. Sed possit per se stare, aposiopesi commoti animi, hoc sensu: Nisi indignationem inimici metuerem; subaudi, illud quod præcedenti versu dixi, iam opere complevissem; vel grande aliquod malum in eos iam immisissem. Sed abstinui, *ne forte superbirent hostes eorum*, *&c.* ut illud Virgilii I. AEneidos:

*Quos ego*.. ( subaudi ulciscar. ) *Sed motos præstat componere fluctus*.

NE FORTE SUPERBIRENT HOSTES EORUM. Verbum ינכרו *ienacceru*, diverse convertunt. I. *Ne forte extraneent sese*; id est, extranee se gerant, vel alienos se ostendant a cognitione & professione veri, tribuentes sibi quod proprie meum est in supplicio Israelitarum. II. *Ne forte occultarent*; id est, ne abnegarent veritatem. III. *Ne forte alienos se faciant*; id est, ne simulent se non agnoscere. IV. *Ne forte non agnoscant*; id est, ne eant infitias id factum esse a me; sed sibi tribuant.. V. *Ne forte sibi arrogarent*. VI. *Ne ignorent hostes illorum*.. VII. *Ne quando extra-*

*riabunt*, *externabunt*, id est extraneum facient: quod verbum est in Glossis Isidori; id est, ne opus divinæ iustitiæ ad extraneum trahant, & quod Dei est, sibi arrogent. VIII. *Ne forte cernerent*, *discernerent*, *iudicarent*, *&c.* Proprie: *Ne quando notificabunt*; id est, nothum & adulterinum reddent, adulterabunt, depravabunt, nimirum opus divinæ vindictæ, ascribendo illud notho & ignoto, seu alieno, extraneo, & adulterino parenti vel auctori; & abstrahendo seu alienando a vero & genuino auctore Deo. Hispanicus Interpres: *porque no enagenen* mi gloria *sus adversarios*.

*V.* 28. GENS ABSQUE CONSILIO EST. Hebr. *Gens ablata*, id est privata consiliis. Alii, *periens consiliis*, seu *perdita consiliis*; id est, *perditi consilii*, sive inconsulta. Quidam, *perdens consilia*. Ex verbo, *periens consiliorum*. Nam אובד *obad* cum Patach, aiunt esse in regimine. Quidam hunc & sequentem versum de inimicis populi Israelitici intelligunt; alii melius de populo ipso Israelitico accipiunt. Aiunt enim duas causas exponere Deum, cur fuisset perditurus Israelitas, nisi rationem hostium suorum habuisset: unam, amentiam, hoc & seq. versu; alteram, perfidiam, vers. 32.

*V.* 29. UTINAM SAPERENT, &c. Aliqui versum hunc ita reddunt: *Utinam sapuissent*, *prudenter egissent in hoc*, *intellexissent novissimum suum*; id est, finem suum, nempe quis eos finis maneret. Alii: *Utinam saperent*, *intelligerent ista*: *animum adverterent ad finem suum*. Nonnulli: *O si saperent*, *intelligerentque hoc*, *expenderentque quid tandem futurum sit ipsis*. Quidam: *Utinam sapientes essent*, *& strenue facerent hoc*, *&c.*

*V.* 30. QUOMODO PERSEQUATUR UNUS MILLE, &c. Quidam sensum huius versus hunc esse aiunt: Qui fieri potuisset ut hostis unicus persequeretur mille Israelitas, &c. si non quia petra eorum vendidisset eos, &c. Aliqui per futura, ut est in Hebræo, exponunt, quod prophetiam contineant nondum impletam. *Quomodo persequetur* olim *unus* gentilis *mille* Israelitas, *& duo vertent in fugam decem millia*; *nisi quod Deus eorum vendet eos*, *& Dominus tradet eos*? Volunt hæc intelligi prophetice de supplicio, quod Deus de Israelitis impiis sumet? Nonnulli ita interpretantur: *Quomodo persequeretur unus mille*, *& duo fugarent myriadem*? *si non*, fieri, *quia rupes eorum dedit eos*, *& Iehova tradidit eos*. Illud *Si non*, volunt esse elipsim: si unus Israelita non persequitur mille, &c. sed contra funduntur ab hostibus, fit quia rupes eorum, &c. NONNE IDEO. Hebr. *si non quia*. Elegans Hebraismus, & Hispanismus, *sino porque su Dios los vendio*, *&c.* VENDIDIT EOS; id est, dedidit, subiecit, aliis dominis tradidit. CONCLUSIT ILLOS. Hebr. est coniugatio Hiphil, quæ significatum intendit: *Valide conclusit eos*. Quidam reddunt: *Et Iehova resignavit eos*, vel *fecit resignare eos*; & singulariter hunc versum exponunt: Quomodo persequetur unus Israelita mille hostes, & duo Israelitæ fugabunt myriadem hostium, nisi quia Deus hostium resignaret suos, & in prædam restitueret Israelitis?

*V.* 31. NON ENIM EST DEUS NOSTER UT DII EORUM. Notant esse apostrophem Mosis, qua causam deditionis in servitutem explicat, quod Deus opem ferat suis, adversetur desertoribus: quorum neutrum fictitiis deis adscribi debet. ET INIMICI NOSTRI SUNT IUDICES. Nimirum, qui hoc ipsum experientia comprobarunt, AEgyptii, Hamalekitæ, Seon & Og reges Amorrhæorum, qui vim nostri Dei vivi & veri, & suorum deorum imbecillitatem suo damno experti sunt, a nobis ope divina fusi, profligatique.

*V.* 32. DE VINEA SODOMORUM VINEA EORUM, &c. Illud *eorum* quidam referunt ad gentes & hostes populi Dei; quasi dicat: Ut dii eorum non sunt conferendi cum Deo nostro, ita ipsi non sunt nobis comparandi, qui de semine Sanctorum sumus; illi vero nati ex germine pessimo, & parentibus impiis, quales erant Sodomitæ & Gomorrhæi. Nonnulli exponunt: Ex eo quod tales deos habeant, provenit ut ipsi sint filii corruptionis, & in se corruptissimi, & patres totius corruptionis, simillimi Gomorrhitis, & Sodomitis. Alii rectius, *eorum* ad Israelitas desertores referunt: sunt corruptissimi moribus, pravitatem & improbitatem insitam seu innatam habent, ut propemodum ex germine Sodomorum & Gomorrhæorum procreati videantur; a germine & radice nequi-

quitiam ducunt, vitem Sodomorum insitam habent, ut nonnisi genimina uvarum fellis, amaritudinis, veneni producant. Aliqui reddunt: *Nam præ vite Sedomi est vitis eorum, & præ vitibus Hamoræ*: vel *nam superat vitem Sedomi vitis eorum, & superat vites Hamoræ*; id est, fructum deteriorem edit. Quam sint autem mali fructus in lacu Asphaltite nascentes, exponunt Iosephus, Tacitus, & alii. Vide quæ notavimus ea de re Genes. XIX. vers. 25. Sic metaphorice vitam male actam hic describi notant. ET DE SUBURBANIS GOMORRHAE, שדמות *sedemoth* cum Scin dextro, interpretantur *campestria, campos, regiones, agros, arva, rura, planities, ariditates, vastitates*. Aiunt significare loca arida, ut sunt arva, quæ aratro sulcantur, ut frumenta, & alia legumina in illis crescant ac proveniant; ea autem quæ aratro sunt proscissa, non sunt humida, nec graminosa, ut horti & prata: ideo commode vertere licebit arva. Disseruimus de significatione huius vocis etiam in Antichristo Lib. XI. cap. VIII. Quidam hic *vites* exponunt: *Et de vitibus Hamoræ*.

*V.* 33. FEL DRACONUM. Hebr. *calor, æstus, furor, ardor draconum*. De voce תנינים *tanninim* disputavimus Genes. I. vers. I. Quidam hic reddunt, *venenum draconum*. Sed dracones veneno carere, auctor est Plinius Lib. XXVIII. cap. IV. quamvis is multa remedia indicet contra morsus draconum: & Scaliger Exercitatione 183. numero 9. dracones Atlanticos solo contactu interficere tradat. *Æstus, ardor draconum*, recte congruit: nam dracones, æstu torrente, appetere frigidissimum elephantorum sanguinem, Plinius Lib. VIII. cap. XXII. scribit. ASPIDUM. פתן *peten*, aiunt esse serpentis genus venenatissimum & rabiosissimum, quod LXX. & Noster, & plerique omnes *aspidem* vertunt. Dictum volunt a פתה *patah, persuadere*, per antiphrasim, quod minime sit persuasibilis, nec possit ab incantatore persuaderi, aut incantari, ut Psal. LVII. vers. 5. dicitur. Sed Plinius Lib. XXI. cap. XX. & cap. XXXI. remedia indicat ad mitigandas, & sopiendas aspides. *Venenum aspidum*, Heb. *caput aspidum*: quod iis præcipuum virus sit in capite. Plinius Lib. VIII. cap. XXIII. *Colla aspidum intumescere, nullo ictus remedio, præterquam si confestim partes contactæ amputentur*. Ælianus Lib. I. cap. LIV. *Solum aspidis morsum negant curari posse, esseque omni medicina superiorem*. Aristoteles VIII. Hist. Animalium, cap. XXIX. *Aspis in Lybia nascitur, cuius morsui nullum est remedium*. INSANABILE. אכזר *aczar*, exponunt, *audax, ferox, immite, crudele, sævum, atrox*, ἄσοργος, & ἄκρατος. Quidam substantive, *crudelitas, sævitia*: unde reddunt, *venenum aspidum crudelitas ipsa*. Nicander in Theriacis:

> *Aspida crudelem, cuius super omnia morsus*
> *Immedicabilis est*.

Audacia quoque mire aspidi convenit, de qua Plinius ibidem: *Incredibilis ultionis cura: persequitur, perrumpit omnes difcultates, permeat spatia, nec nisi amnibus arcetur, aut præceleri fuga*.

*Vers.* 34. NONNE HAEC CONDITA SUNT APUD ME. Hebr. *Num non istud absconditum apud me*? Quidam explicant: An non hæc impia omnia facinora novi, & secreta teneo penes me, licet foris cogar benefacere impiis illis desertoribus propter nomen meum, & hostium indignationem: ipsi autem non vident quid apud me super eos statuerim, ideo securi sunt. Affirmant pœnas ac supplicia impiorum iusto Dei iudicio immitti, ac dispensari pro loco, tempore, &c. & quasi ex penu & arca in qua ea Deus recondita & reposita habet, depromi, cum opus fuerit. Alii: *Nonne istud* venenum, aut vinum, *conditum est apud me*? idest, hæc omnia novi, & eorum memor ero suo tempore; quasi dicat: Iam iam compertum habeo qualis fueris hactenus, atque futurus sis.

*V.* 35. MEA EST ULTIO, ET EGO RETRIBUAM IN TEMPORE, UT LABATUR PES EORUM. Quidam vertunt: *Mea est ultio, & retributio, tempore quo nutabit pes eorum*; idest, ego ulciscar, & retribuam, cum corruere debebunt. Alii: *Ultio enim mihi est, & repensio ad tempus, labetur pes eorum*. Nonnulli: *Mea est ultio & retributio, tempore suo vacillabit pes eorum*; idest, non evadent iudicium, etiam si differatur, sed suo tempore incipient labare ac ne ii quidem solum labescent, sed etiam adversarii longe gravius, vers. 40. & seqq. UT LABATUR PES EORUM. Verbo מוט *mut*

(quod

(quod cum *movere* Latino congruit, & ex Hebræo factum Latinum plerique putant) omnia ista complectitur, *movebitur*, *amovebitur*, *declinabit*, *nutabit*, *vacillabit*, *labescet pes eorum*. Vide de verbi notione Levit. XXV. 35. PERDITIONIS. איד *ed*, interiecto Iod, aiunt, proprie esse *vaporem*, *fumum humidum*, *evaporationem*, *nebulam*, *nubem*: inde transumi in malam partem, a compluitione illa roscida, quæ floribus & terræ nascentibus nociva est, ad significandum quamlibet calamitatem, quæ de improviso causatur. Ex vicinis nominibus אוד *ud*, *torris*, *titio*, & ex אודות *odot*, *caussis*, *occasionibus*, exponunt *calamitatem*, *interitum*, *perditionem*, *exitium*, *perniciem*, *infortunium*, *adustionem*, *contritionem*, *confractionem*, *lethalem evaporationem*, quod quæ intereunt evaporant, & spiritum emittunt. ET ADESSE FESTINANT TEMPORA. עתדות *ghatidot*, quod Noster hic *tempora* dixit, Isaiæ X. vers. 13. *principes* vertit; varie alii interpretantur. I. *Et festinat dies eventorum*, vel *eventurorum illis*: vel *& festinant quæ futura sunt eis*. II. *Et festinat multitudo imminentiarum illis*; id est, eorum quæ illis imminent. III. *Et festinat reposita*, *parata eis*; id est, quæ eventura sunt ipsis. IV. *Et festinat promptuaria*, *repositoria eis*, sive *thesauri eis*; nimirum de quibus supra vers. 34. V. *Et festinabit*, pro festinabunt, *ordinata*, *decreta eis*, scilicet a divina iustitia & providentia. Constructio verbi singularis cum nomine plurali supposito: *Et festinabit imminentia*, *incumbentia eis*; id est, festinabit unumquodque incumbentium, & imminentium eis: pleniore sensu; quasi dicat: Propediem interibunt, cito evenient eis imminentia mala. Nisi *festinabit* active accipiamus, nempe Deus.

*V.* 36. IUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM. Futuro ידין *iadin*, hæc omnia subsunt, *iudicabit*, *gubernabit*, *sustentabit*, *suffulciet*, *stabiliet*, vel *puniet*. ET IN SERVIS SUIS MISEREBITUR. Hebr. *Et super servos suos consolabitur seipsum*, vel *pœnitere faciet se*, aut *pœnitentia*, *compatentia afficietur*, *mutabit affectum animi sui*. Hunc versum varie elucidant. I. *Quoniam iudicabit Iehova populum suum*; id est, tuebitur causam populi sui, vel ulciscetur populum suum de inimicis suis: aut ius dicet, ius reddet populo suo, exercendo vindictam in hostes eius: *Et super servis suis compatientia afficietur*, vel *misericordia movebitur*. Hac sententia putant usum Christum Lucæ XVIII. vers. 7. & Lucam vertisse verbum נחם *nacham*, per μακροθυμεῖ commutata tantum orationis forma, cum inquit: *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad eum die ac nocte*; *& patiens*, seu *longanimus* erit *super illos? Etiam dico vobis quod faciet vindictam illorum cito*; id est, compassione afficietur super illis. II. *Cum iudicaverit Iehova populum suum*; id est, cum iudicia sua in eum exercuerit, cum punierit & castigaverit populum suum propter peccata eius; *tunc propter servos suos pœnitebit ipsum*, ut Genes. VI. vers. 3. III. *Cum puniet Iehova populum suum*, *tunc in servis suis*, professione, non merito, *consolabitur seipsum*; id est, ex satietate vindictæ consolationem capiet, explebit cupidinem vindictæ. Similis locutio Isaiæ 24. & Ezech. V. 13. Hunc versum habes quoque Psal. CXXXIV. vers. 14. QUOD INFIRMATA SIT MANUS. Hebr. Verbum אזל *azal*, diversimode reddunt: *Quia ambulavit*, *ivit*, *abiit*, *recessit*, *celeravit*, *abrepta subito est*, *raptim ablata est*, *manus*, id est robur, potentia, vires. Nimirum cum viderit robur & vires populi sui abiisse atque evanuisse; & populum destitutum esse viribus. Hispanicus Interpres: *Que la mano se fue*; id est, *que al ivizio humano todo esta desesperado*. ET CLAUSI QUOQUE DEFECERUNT, RESIDUIQUE CONSUMPTI SUNT. Particula אפס *ephes*, magnam vim habet, & varie exponitur, uti Numer. XIII. vers. 29. & Deuteron. XV. vers. 4. observavimus. Hic I. *& defectus conclusi*, *& directi*. II. *& non retentus*, *& derelictus*; hoc est, cum præterea videbit neminem item derelictum, aut superfuisse, qui non sit adductus in captivitatem. III. *& in nihilum abiisse conclusum & derelictum*. IV. *& nihil conclusum & derelictum*; id est, nihil pretiosum & vile, custoditum & neglectum, subaudi superfuisse. V. Quidam collective per עצור *ghatzur*, intelligunt *eos qui belli tempore domi relinquuntur*, *& concluduntur*, ut mulieres, pueri, senes, quorum cura & ratio habetur, & id genus; vel eos qui se receperint & concluserint in arces, aut loca munitissima; per עזוב *ghazub*

*ghazub* vero, *neglectos*, qui non concluduntur, nec ratio eorum habetur; vel reliquias belli, eos qui ex bello evaserunt, & relicti fuerunt. Alii *ghatzur* retentum exponunt, id est eum qui in societate & cœtu aliorum retinetur; *derelictum* vero, infimum & eum qui extra cœtum abiectus est. VI. Hebræorum plerique *conclusum* intelligunt divitias, aurum, argentum, &c. quæ domi clauduntur; *derelictum* autem, greges & armenta, quæ in agris aut montibus relinquuntur. VII. Aliqui *clausum* accipiunt *claudum*, aut mancum, seu membris debilitatum & inutile; *derelictum* vero vile & abiectum. VIII. *& conclusum cum derelicto nihil esse*; id est, & captivum, & eum qui evaserat hostium manus, nihil posse. IX. *& finis conclusi, & derelicti*. X. *& non rex, & auxiliator*. עצר *ghatzar*, pro *regere* poni notant, I. Samuel. IX. vers. 17. & עצר *ghatzar*, pro *auxiliari*, Exod. XXIII. vers. 5. Hanc interpretationem quidam Hebræorum probant. XI. *& solummodo, tantummodo conclusus & derelictus*; id est, tantum supererunt inutiles & neglecti. Videtur Hebræis fuisse proverbialis formula, *clausus & derelictus*, pro imbecillibus, inutilibus, debilitatis, vilibus, abiectis, neglectis; pro inutilissimo quoque & abiectissimo: quam reperies I. Regum XIV. vers. 10. & cap. XXI. vers. 21. & II. Regum IX. vers. 8. cap. XIV. vers. 26. & I. Paralip. XII. vers. 1.

*V.* 38. SURGANT, ET OPITULENTUR VOBIS. Notant esse sarcasmum gravissimum illudentem optioni idololatrarum credentium deos suos & sacrificiis pasci, & ipsis adiumento fore. Similem vide Iudicum X. vers. 14. ET IN NECESSITATE VOS PROTEGANT. Hebr. *Sit super vos absconsio*. Quidam: *Sint vobis in latibulum*. Alii: *Sit vobis latebra rupes illa*. Nonnulli: *Sint super vos protectio*.

*V.* 40. LEVABO AD CAELUM MANUM MEAM; id est, *iurabo*. Vide Genes. XIV. vers. 22. Humanitus dictum.

*V.* 41. SI ACUERO UT FULGUR GLADIUM MEUM. Hebr. *Quia exacui fulgur gladii mei*; id est, laminam gladii mei, ut aliqui exponunt, quæ speciem fulguris habet: vel *aciem gladii mei*. Quidam, *corruscationem gladii mei*; id est, *corruscantem gladium meum*. Alii, *fulgorem gladii mei*; id est, gladium meum fulgentem. Possis reddere, *fulgetrum*, *fulmen gladii mei*: poetice, ut Virgilius IV. AEneidos:

> ...... *vaginaque eripit ensem*
> *Fulmineum*.

vel ut sit hypallage, & appositio, gladium fulminis mei, id est gladium meum, qui est ipsum fulmen.

*V.* 42. DE CRUORE OCCISORUM, ET DE CAPTIVITATE. Quidam reddunt, *propter sanguinem interfectorum & captivitatem*; seu *propterque captivos*; id est, propter sanguinem popularium meorum, quem effuderunt interficiendo eos, & propterea quod eos captivos abduxerunt. Alii subaudiunt ex priore membro: *Inebriabo, inquam, sagittas meas sanguine confossorum, & captivorum*. NUDATI INIMICORUM CAPITIS. Hebr. *de capite nudationum inimici*. Locus obscurus, quem varie reddunt & elucidant. I. *de capite in ultiones inimici*; ut illud *de capite*, nectatur præcedentibus: *& captivitatis*, seu *prædæ de capite*. Captivitatem, seu prædam de capite appellat prædam hominum seu animalium, id est de capitibus, ut dicere solemus: eritque sensus: Inebriabo sagittas meas de sanguine occisorum, scilicet in prælio, & etiam de sanguine hominum, & animalium captorum in præda: idque faciam in ultiones inimici, ut sumam ultiones de inimicis populi mei. II. *de capitibus in ultionibus inimici*; id est, gladius meus devorabit carnes de capitibus inimicorum; id est, ense rotabo capita hostium meorum *in ultionibus*, nimirum ut in eos ulciscar mala quæ intulerunt populo meo. III. *de capitibus cum ultionibus inimici*, id est de regibus, principibus, ducibus, ut solent esse ultiones inimicorum graves & crudeles; id est, hostiliter agam in principes & reges eorum, more hostili, sævo & truci eos tractabo. Hispanicus Interpres, *de las cabeças, con venganças de enemigo*, id est *de los reyes, y principes*, como suelen los enemigos vengarse. IV. *ut hosti summatim ultiones rependam*. *De capite*, id est summatim: nam *caput* pro *summa*, sæpius in Scriptura. V. *de capite ultionum inimici*: hypallage, do ultionibus capitis, id est capitalibus & lethalibus, inimici. VI. *in*, vel *a principio ultionum*, seu *vindictarum inimici*; id est,

cum

cum primum sumam pœnas de inimicis meis. VII. *inde a principio ultiones inimici* futuræ sunt; id est, cum ultionem sumam de inimicis, nihil impunitum relinquam eorum quæ inde a principio contra me, & populum meum commiserunt. VIII. *a capite privationum*, id est denudationum inimici; hoc est, gladius meus privabit, seu nudabit, & sauciabit capita inimicorum. IX. Ceterum quia *ulciscendi* significatio verbi פרע *paragh*, Chaldaica potius quam Hebraica est, quidam reddunt *propter capitis liberationes inimici*, id est ab inimico. Vocat autem *capitis liberationes* nudationem capitis, id est regni & sacerdotii ablationem: voluntque sensum esse: Ulciscar me gravissime, propterea quod inimicus vacuaverit, otiosum fecerit, nudaverit, liberaverit, feriaverit, privaverit populi mei caput, vel populum meum capite; id est, abstulerit ei regnum, & sacerdotium. Præclarus sane & sublimis sensus, quem quia Mercerus non intellexerit, reiecit. De significatione verbi *paragh* egimus plenius Exodi v. vers. 4. & Exod. xxxii. vers. 25. Illud Nostri *nudati inimicorum capitis*, exponunt quod captivis & servis soleant capita nudari & abradi. Unde Romanis pileus erat insigne libertatis; & servi vocabantur ad pileum, cum manumittebantur.

*V.* 43. LAUDATE GENTES POPULUM EIUS. Varie Hebr. reddunt. I. *Laudate, o gentes*, quæ estis *populus eius*; subaudi, Iehovam. II. *Cantate, gentes, & populus eius*, vel *cum populo eius*, ut Romanor. xv. vers. 10. Notant esse conclusionem laudativam ad piorum reliquias ex Iudæis, & Gentibus in Ecclesia Christi adunatas. III. *Excitate, o gentes, ad iubilum populum eius*. IV. *Personate, exclamate, acclamate, gentes, populum eius*. Verbum רנן *ranan*, *ovationis, & acclamationis gratulandi causa*, vim habere aiunt, & coniugatio Hiphil hic magnam ovationem, acclamationem, gratulationem designat. Hucusque Canticum Mosis, de quo Iosephus Lib. IV. Antiquitatum cap. VIII. *Deinde carmen hexametrum eis recitavit, quod scriptum reliquit in sacro volumine, continens prædictionem futurorum, iuxta quam omnia facta sunt, atque fiunt, eventis nusquam non congruentibus.*

*V.* 47. QUIA NON IN CASSUM PRAECEPTA SUNT VOBIS. Hebr. *Quia non verbum vacuum, inane, ipsum de vobis.* Quidam: *Non enim est verbum inane*, ut contemni debeat *a vobis*. Alii: *Non enim est res vilior*, id est minoris momenti, *vobis*, quam ut eam audiatis. Nonnulli: *Nam non est res inanior præ vobis*, vel *quam ut suscipiatis illam*. Alii: *Nec sit vobis hic sermo vanus.*

*V.* 49. ASCENDE IN MONTEM ISTUM ABARIM. Vide Numer. XXVII. vers. 12. & infra cap. XXXIV. vers. 1. Quinam autem esset is mons Abarim, explicavimus Numeror. XXI. vers. 11. ET MORERE IN MONTE. Hebr. etiam est imperativus, ut paulo inferius: *Et iungeris*, pro & iungere; utrobique autem volunt positum imperativum pro futuro, & morieris, & colligeris, aggregaberis, adiungeris *ad populos tuos*: de qua phrasi vide Numer. XX. vers. 24. & XXVII. vers. 13.

## MENOCHII.

*Vers.* 2. CONCRESCAT, defluat, distillet: nam vox Hebræa proprie stillare significat. Porro D. Hieronymus vertit *concrescat*, quia ut e cælo stillent pluviæ, necesse est prius vapores concrescere. UT PLUVIA. Quemadmodum enim pluvia plurimis minutis guttis defluens terram infundit; ita cantici huius plures sententiæ sæpius repetitæ, & cantatæ, corda Hebræorum molliant, penetrent, ac bene afficiant.

*V.* 3. DATE MAGNIFICENTIAM: magnificate, magnitudinem eius prædicate.

*V.* 4. OMNES VIAE EIUS IUDICIA. Omnia quæ agit, iusta sunt.

*V.* 5. ET NON FILII EIUS, id est facti sunt, IN SORDIBUS, propter sordes, peccata scilicet, & idololatriam.

*V.* 6. QUI POSSEDIT TE, tamquam propriam hereditatem, & peculium.

*V.* 7. MEMENTO DIERUM ANTIQUORUM. Hebr. *dierum sæculi*. Revoca in memoriam dies, ex quo mundus esse cœpit. COGITA GENERATIONES SINGULAS: quæ sibi successerunt, illas percurrendo, & quid in illis acciderit deputando. DICENT TIBI, beneficia scilicet, quæ in sequentibus commemorantur.

*V.* 8. QUANDO DIVIDEBAT GENTES, in Babel, hominibus in varias ter-

ræ plagas divisis. QUANDO SEPARABAT FILIOS ADAM, aliis alio dimissis. CONSTITUIT TERMINOS POPULORUM. Iam tunc cogitavit de populo Israelitico, & decrevit illi attribuere terram populorum Chananæorum. IUXTA NUMERUM FILIORUM ISRAEL; quæ regio numero filiorum Israel par esset, illisque alendis sufficeret.

V. 9. PARS... DOMINI POPULUS EIUS; quasi dicat: Nec hoc contentus, voluit sibi populum hunc peculiariter eligere quem foveret, & ornaret. FUNICULUS HEREDITATIS: portio peculiaris Dei. Alluditur ad modum dividendæ, & mensurandæ terræ, ductis funiculis, ut olim fiebat.

V. 10. INVENIT EUM IN TERRA DESERTA, non fortuito, sed ex destinato, ut eum sibi adiungeret, & perpetuo fœdere devinciret. CIRCUMDUXIT EUM, per desertum. ET DOCUIT, dando legem, & vitæ præcepta, vel castigationibus erudiendo. QUASI PUPILLAM OCULI, diligentissima, & intentissima cura.

V. 11. SICUT AQUILA PROVOCANS AD VOLANDUM, docens, & instituens ad volatum. ET SUPER EOS VOLITANS, ut exemplo proposito volare condiscant. Sic Hebræi in AEgypto quasi nidulo conclusi, non audebant egredi; Deus vero illos excitavit, ut inde quodammodo evolarent. PORTAVIT IN HUMERIS SUIS. Peculiare hoc est aquilis: aliæ enim aves cum pullos suos transferunt, unguibus apprehendunt.

V. 12. DOMINUS SOLUS DUX EIUS FUIT, per columnam nubis, & ignis.

V. 13. SUPER EXCELSAM TERRAM, non situs eminentia, sed soli fertilitate. Loquitur Moses de re futura tamquam de præterita, respiciens tempus quo canticum hoc erat ab Israelitis decantandum. MEL DE PETRA: apes enim in cavis petris, & cavernulis in topho excavatis sponte mellificant, & in Palæstina, & alibi. OLEUMQUE DE SAXO DURISSIMO: oleis etiam in confragosis locis feliciter provenientibus, & magnam baccarum copiam fundentibus.

V. 14. CUM ADIPE AGNORUM, agnis optimis & pinguissimis. ET ARIETUM FILIORUM BASAN, arietum pinguium in regionis Basan pascuis inerrantium. CUM MEDULLA TRITICI, tritico electissimo, & præstantissimo. SANGUINEM UVAE: vinum rubore sanguinem referens.

V. 15. INCRASSATUS EST DILECTUS, opibus, deliciis, luxu. SALUTARI SUO. Hebr. *salute sua*.

V. 16. IN DIIS ALIENIS, eos scilicet colendo.

V. 17. DAEMONIIS, ET NON DEO, id est dæmoniis, qui non sunt Deus. DIIS QUOS IGNORABANT: qui ante ignoti illis erant. NOVI RECENTESQUE VENERUNT. Dii novi humana adinventione introducti sunt.

V. 19. FILII SUI ET FILIAE: Israelitæ, & Israelitides.

V. 20. ABSCONDAM FACIEM MEAM AB EIS: misereri, & benefacere desinam. ET CONSIDERABO NOVISSIMA EORUM. Exitus calamitosissimos eis immittam, & eorum interitu me pascam.

V. 21. IN EO QUI NON ERAT DEUS, idolum colendo, quod divinitate carebat. IN VANITATIBUS SUIS, idolis, quæ vanitates, & mendacia passim in Scriptura appellantur. IN EO QUI NON EST POPULUS. Provocabo eos ad invidiam, & zelotypiam, eligens mihi Ecclesiam ex Gentibus, quas Hebræi ne populi quidem nomine dignantur. Vel *qui non est populus*, scilicet Dei.

V. 22. IGNIS SUCCENSUS EST IN FURORE MEO: ira mea supra modum exarsit. ET ARDEBIT USQUE AD INFERNI NOVISSIMA; quasi dicat: Nihil relinquet intactum, ad ipsas etiam extremas inferni regiones perveniet. Sunt locutiones metaphoricæ, & hyperbolicæ. MONTIUM FUNDAMENTA COMBURET, montium profundissimas radices comburet, easque in sterilitatem vertet.

V. 23. SAGITTAS MEAS, plagas, quibus eos quasi sagittis configam. COMPLEBO IN EIS. Hebr. *consumam*, vel *exhauriam*. Tam multas calamitatum sagittas immittam, ut pharetra mea quodammodo exhauriatur.

V. 24. DEVORABUNT EOS AVES. Sermo est de hominibus viventibus, qui ab avibus quamtumvis rapacibus, devorari non solent; quamquam carnivoras aliquas, ut aquilas & vultures, aliquando in homines involasse incredibile non est, & si

Deus immittat, sane proclive. CUM FURORE. Pagninus vertit, *cum veneno*. TRAHENTIUM SUPER TERRAM, trahentium se: quod reptilia faciunt, serpentes scilicet.

V. 26. DIXI: UBINAM SUNT? Heb. *Exterminabo eos*. LXX. *Dispergam eos*, ut scilicet de eis quæri possit, Ubinam sunt? CESSARE FACIAM MEMORIAM: delebo memoriam.

V. 27. SED PROPTER IRAM INIMICORUM DISTULI. Distuli propter inimicos iratos, & vindictæ cupidos, quibus si iustitiæ meæ ministris in hac ultione usus fuissem, eam non mihi, ut sequitur, sed sibi arrogarent, quasi suis viribus effecissent.

V. 28. GENS ABSQUE CONSILIO EST. Qui sibi victorias tribuunt, absque consilio, & prudentia sunt.

V. 29. UTINAM SAPERENT, &c. divinam in hoc manum agnoscentes. AC NOVISSIMA PROVIDERENT: quid scilicet ipsis tandem propter superbiam hanc, aliaque scelera eventurum sit.

V. 30. QUOMODO PERSEQUATUR UNUS MILLE? &c. qui fieri hoc possit, nisi divina virtute, cui proinde victoria ascribenda est. VENDIDIT EOS. *Vendere* in Scriptura, non infrequenter significat tradere. CONCLUSIT ILLOS, in manibus scilicet inimicorum suorum.

V. 31. NON ENIM EST DEUS VESTER UT DII EORUM: qui scilicet peccata dissimulet, & non puniat. ET INIMICI NOSTRI SUNT IUDICES; quasi dicat: Cuius rei inimici nostri testes esse possunt, qui divinæ ultionis vim experti sunt ipsi, & quid peccantes Israelitæ passi sint, non ignorant.

V. 32. DE VINEA EORUM, ET DE SUBURBANIS GOMORRHAE. Populus hic qui fuerat mihi vinea electa, factus est vinea Sodomorum, degenerans in vitia, & pessimus evadens. UVA EORUM UVA FELLIS. Fructus quos producunt, opera scilicet eorum fellea sunt, amara, pessima.

V. 33. FEL DRACONUM VINUM EORUM, ET VENENUM ASPIDUM INSANABILE. Non tantum sunt mala eorum opera, sed venenata, & præsentissimam afferentia perniciem, alios scilicet inficiendo, & ad impietates trahendo.

V. 34. NONNE HAEC CONDITA SUNT APUD ME, ET SIGNATA IN THESAURIS MEIS? Non propterea quod ultionem differo, scelerum populi oblitus sum: hæret memoria illorum, & tandem in vindictam erumpet.

V. 35. MEA EST ULTIO, ET EGO RETRIBUAM IN TEMPORE. Meum est, qui iustus sum, hæc ulcisci, quod faciam suo tempore. UT LABATUR PES EORUM: ut corruant, & pereant.

V. 36. IUDICABIT: ulciscetur, & puniet. ET IN SERVIS SUIS MISEREBITUR. Puniet noxios; puros a scelere, & integros non eodem cum impiis excidio involvet. Vel quos punivit, pœnitentia tandem ductos, iterum fovebit, quippe servos ac filios suos. VIDEBIT QUOD INFIRMATA SIT MANUS: videbit eos omnem plane potentiam defecisse ad resistendum, scilicet inimicis. ET CLAUSI QUOQUE DEFECERUNT, mænibus, & arcibus inclusi. RESIDUIQUE CONSUMPTI, ad paucitatem redacti.

V. 37. ET DICET, per Prophetas suos: UBI SUNT DII EORUM? idola Gentilium, in quibus sperastis.

V. 38. DE QUORUM VICTIMIS COMEDEBANT ADIPES. Insultando hoc dicit: nam in vero, & ordinato Dei cultu omnis adeps victimarum a nemine comedi, sed soli Deo adoleri debebat; ut patet Levit. III. 17. ET VINUM LIBAMINUM, quod scilicet soli Deo libari, & effundi debebat.

Vers. 39. EGO OCCIDAM, ET EGO VIVERE FACIAM, quos scilicet voluero.

V. 40. LEVABO AD CAELUM MANUM MEAM; id est, iurabo. Hæc & sequentia usque ad vers. 43. videntur dirigi ad hostes populi Iudaici. VIVO EGO IN AETERNUM; id est, per vitam meam, quæ æterna est, iuro.

V. 41. SI ACUERO UT FULGUR GLADIUM MEUM. Cum paravero gladium ultionis meæ, ut sicut fulgur terreat, & citissime penetret. ET ARRIPUIT IUDICIUM MANUS MEA; id est, cœpero exercere iudicium, & ultionem.

V. 42. INEBRIABO SAGITTAS MEAS SANGUINE: omnino sanguine imbuam.

De

De cruore occisorum, et de captivitate, nudati inimicorum capitis, puniam gentes propter fusum cruorem occisorum Israelitarum, & propter eosdem Israelitas in captivitatem abductos, & propter nudata capita rasione in morem mancipiorum, eorumdem Israelitarum gentibus inimicorum.

*V.* 43. Laudate gentes populum eius; quasi dicat: O gentes, dum hæc intelligitis, laudate populum Domini, eo quod tam propitium & iustum habeat Dominum. Sanguinem servorum tuorum, &c. Siquidem & boni cum malis in communi plaga affligebantur, & cædebantur. Vel per servos, intelligit resipiscentes, quos tamen inimici vexare pergebant.

*V.* 44. Ipse et Iosue: ita ut in canendo adiutorem haberet Moses Iosuam, iam in imperio collegam, & successorem; idque eo fine ut Iosue condisceret officii sui esse, populum ab omni idololatria avertere.

*V.* 46. Ponite corda vestra: animum advertite. Quae ego testificor: serio prædico, adhibitis testibus cælo, & terra.

*V.* 47. Ut singuli in eis viverent: per eorum observationem feliciter viverent.

*V.* 49. Abarim, id est transituum. Vox *transituum* a D. Hieronymo addita est, ut explicaret quid significaret *abarim*. In montem Nebo. Nebo erat iugum vel cacumen montis Abarim.

*V.* 50. Iungeris populis tuis: morieris, congregaberis ad populum tuum, ut alibi loquitur Scriptura.

*V.* 51. Quia praevaricati estis, &c. Vide Num. cap. xx.

*V.* 52. E contra, e regione.

## TIRINI.

*Vers.* 8. QUANDO DIVIDEBAT ALTISSIMUS GENTES, in Babylonica linguarum confusione; QUANDO per varias orbis regiones, diversas *filiorum Adæ* familias iuxta linguarum varietatem ab invicem, SEPARABAT, iam tum, etsi Israeliticus populus necdum existeret, de eo Deus cogitabat, & commodam ei habitationem præparabat, certosque TERMINOS & terræ fines, qui a Chananæis populis habitari cœperunt, CONSTITUIT destinavitque, IUXTA NUMERUM FILIORUM ISRAEL; hoc est, tot & tantos, quot & quanti necessarii essent ad omnes Israelitas excipiendos, cum eo habitatum venissent. Ita fere Oleaster. Et causam tam citæ, tam singularis providentiæ mox subnectit, quia ex tunc erat Israel a Deo delectus ac signatus in *partem* seu *funiculum* Dei, id est in portionem eius hereditariam: quæ quia funibus dividi solebat, *funiculus* seu funis sæpe vocatur in Scripturis *a*. Sensus ergo est, Israelem e tot populis unicum a Deo electum iam inde ab initio fuisse, qui esset quasi proprium Dei peculium, regnum, & hereditas: ut ceteri populi præ Israelitico videri possint quasi a Deo relicti, & idololatriæ ac falsis diis tamquam domini permissi.

*V.* 13. Mel de petra, oleumque de saxo. Indicat, montes Palæstinæ tam fertiles esse, ut apes etiam in petris sponte mellificent, & olivæ inter saxa mire fructificent; adeoque nulla terræ pars fertilitate careat, quandoquidem quæ loca alibi fere sunt infecunda, ibi eximia fecunditate præstent.

*V.* 14. Cum adipe agnorum. Adipem separatim comedere numquam poterant Iudæi, lege *b* id vetante. Sed hic nomine adipis, ut & alibi passim, intelligitur quidquid in quaque re est pinguissimum, & optimum. Ergo adeps agnorum, idem est atque agni pinguissimi, optimi. Et arietum filiorum Basan, hoc est arietum electissimorum, præstantissimorum. Nam in Basan regione trans Iordanem, quæ olim Og regis Basan fuerat, & postmodum cessit dimidiæ tribui Manasse, erant uberrima & pinguissima pascua; ut proinde qui ibi pascebantur greges & armenta, ceteris pinguiores essent. Hinc *taurus c*, *vacca d*, *aries Basan*, uti passim est in Hebræo, Latini & LXX. vertunt fere semper, *Pingues* tauros, vaccas, arietes.

*V.* 20. Abscondam faciem meam ab eis, scilicet in bonum; hoc est, desinam misereri & benefacere illis, sed non abscondam in malum eorum: quia considerabo novissima eorum, non pure speculativa consideratione, sed

etiam

etiam practica, disquirendo mecum, quonam supplicii & calamitatis genere eos perdam; quasi dicat: Calamitosissimos exitus eis immittam, & eorum interitu contemplando me pascam.

*V.* 21. PROVOCABO EOS ad iram & indignationem IN EO QUI NON EST POPULUS MEUS. Id est, Iudæos indignari & invidia tabescere faciam super Gentilium populo, qui nunc non est meus populus, immo est populus stultus & fatuus ob cultum idolorum; sed quem ego, reiectis Iudæis, in populum meum assumam, & faciam longe doctiorem ac sapientiorem quam umquam Iudæi fuerint. Ita exponit hunc locum S. Paulus ad Rom. x. ver. 19.

*Vers.* 24. TRAHENTIUM se SUPER TERRAM. Periphrasis est serpentium, ut sequitur.

*Vers.* 28. GENS ABSQUE CONSILIO EST, ET SINE PRUDENTIA. Spectant hæc ad hostes Israelis, quibus Deus usurus esset ad puniendum Israelem; quasi dicat: Stulte sibi arrogant eiusmodi ultionem de Israelitis sumptam, quasi suis viribus, & non meo iussu ac permissu. Quam vero stulte id sibi arrogent, vel ex ipso successu ac fine colligant licet; qui enim naturaliter fieri posset, ut unus ex hostibus mille Iudæos persequeretur ac superaret, & duodecim millia fugarent? Quod si suis id viribus factum arbitrentur, verbi gratia Assyrii, & Chaldæi, cur sese iisdem adversus suos quoque hostes tutati non sunt? Nam & Assyrii mox a Chaldæis, & Chaldæi a Persis pari facilitate devicti, fugati & absorpti sunt.

*V.* 32. DE VINEA SODOMORUM, &c. Hic redit ad Israelitas, causamque reddit cur iussu Dei sint tam graviter puniendi: quia nempe *vinea*, *uva*, *&* *vinum* omne, hoc est omnis illorum vita, omnia studia, & actiones, quibus Deum oblectare deberent, & homines, iam execrationi sunt omnibus & horrori, quia sunt similes Sodomitarum, ac Gomorrhæorum vitæ, studiis & actionibus, hoc est turpissimæ & fœdissimæ.

*V.* 34. NONNE HAEC CONDITA SUNT APUD ME? quasi dicat: Ne idcirco, quia ultionem differo, existimate me scelerum vestrorum oblitum esse. Sunt enim omnia in mente mea recondita, & quasi sigillo SIGNATA IN THESAURIS MEIS, seu in gazophylaciis divinæ providentiæ & iustitiæ meæ: unde cum præfinitum vindictæ tempus adfuerit, oportune depromam.

*V.* 36. & 37. ET IN SERVIS SUIS MISEREBITUR. Hoc est, ita puniet noxios, ut tamen innoxiorum rationem sit habiturus, & aliorum quoque, si resipiscere & pœnitere voluerint: alioqui, si pergant esse noxii, perget & ipse punire, nec commiseratione vel tantilla movebitur, quin potius, quando VIDEBIT QUOD INFIRMATA SIT MANUS, seu quod penitus afflicti sint & prostrati, & viribus ad resistendum destituti: ET CLAUSI QUOQUE DEFECERUNT; hoc est, quod etiam milites & nobiles, qui se urbium & arcium muris tutabantur, perierint: & his pereuntibus, RESIDUI quoque de imbelli populo (quos hi ante protexerant) CONSUMPTI sint; insultabit tum rebellibus & idololatris Deus; ET DICET: UBI iam SUNT DII vestri? adsint nunc vobis si possint. Pro *miserebitur* LXX. verterunt *consolabitur*: & ita citatur hic versiculus II. Mach. VII. vers. 6. id est, subsidio, & solatio ipsis erit. Vel si malis passive accipi, *consolabitur*, idem erit quod *recreabitur*, nempe beneficentia servis suis exhibenda, ex hostibus vero vindicta sumenda. Sequitur.

*V.* 42. ET GLADIUS MEUS, seu vindicta mea, DEVORABIT CARNES, hoc est evertet, absumet omnes: neque tamen uno omnes modo, sed partim DE CRUORE OCCISORUM, hoc est cruenta occisione, confossione, iugulatione: partim DE CAPTIVITATE, idest abductione in captivitatem, exilium, carcerem; partim NUDATI INIMICORUM CAPITIS, hoc est denudatione & decalvatione capitis hostilis. Solebant enim olim victores victis domini mancipiis, capita in ludibrium decalvare; unde illud de Scipionibus dictum: *Sub quorum titulis Africa tonsa iacet*. Et Prophetæ *e* toties minantur Israelitis calvitium, tamquam extremum ludibrium.

*V.* 50. IUNGERIS POPULIS TUIS; hoc est, morieris: quia morientes aggregantur aliis qui prioribus temporibus e populo vixerunt. De montibus Abarim & Nebo, ubi mortuus est Moyses, vide Numer. XXVII. 12. De prævaricatione vero

ro & peccato, ob quod exclusus est a terra sancta, vide Numer. xx. 12.

(a) Psal. xv. 77. &c.
(b) Levit. III. 17. & VII. vers. 23.
(c) Psal. XXI. vers. 13.
(d) Amos IV. vers. 1.
(e) Michææ I. vers. ult. Isaias, Ierem. &c.

## GORDONI.

*Vers.* 2. CONCRESCAT UT PLUVIA DOCTRINA MEA, &c. Exordium hunc habet sensum: Quando hic de Dei magnitudine, perfectione, & operibus sermo futurus est, opto ut eloquium hoc concrescens gravitate sententiarum, fluat suaviter ut pluvia, & cum fructu audientium. Sumit autem initium Cantici a vers. 3. & 4. DATE MAGNIFICENTIAM DEO, qui perfectus in omnibus est.

*V.* 5. & 6. Populi peccata & ingratitudinem componit cum Dei beneficiis, qui populum velut hereditatem, voluit amanter possidere: & hinc initio revocat in mentem vers. 7. & subinde, antiquiora Dei magnalia. DICENT, inquit, TIBI: narrabunt Dei opera.

*V.* 8. QUANDO DIVIDEBAT ALTISSIMUS GENTES in regiones: QUANDO SEPARABAT FILIOS ADAM: Chald. *hominum*: & constituebat, quantum sufficeret filiis Israel.

*V.* 9. FUNICULUS: pars vel portio. Fune dividebatur hereditas.

*V.* 10. CUSTODIVIT QUASI PUPILLAM: post exitum de AEgypto. *Pupilla*, κορή, *puella*, sic dicta ab imagine quæ apparet in oculo. Hebr. אישון *iwon*.

*V.* 13. UT SUGERET MEL DE PETRA. Ponitur sæpe deinceps præteritum pro futuro, prophetice. Terra vero promissa tam fertilis erat, ut apes in petris mellificarent, & inter saxa fructificarent oleæ.

*V.* 14. Pergit narrando Dei beneficia: & hic quidem de terræ fertilitate, ut Exod. III. vers. 8. *Excelsa petra*, fortitudinem, & fertilitatem designat. Per *filios Basan*, arietes pingues notat in pascuis Basan, trans Iordanem, antea Og Regis, & cessit dimidiæ tribui Manasse; sicut *medulla tritici*, pro optimo tritico, ut medulla rei præstat ceteris partibus. *Sanguis uvæ*, est periphrasis vini.

*V.* 15. Iam de ingratitudine; proinde obtenditur illis ira Dei, & pœnarum acerbitas sub varia metaphora sermonis. RECALCITRAVIT, ut pingue iumentum.

*V.* 17. NOVI, scilicet dii de propinquo loco, nuper inventi, falsi.

*V.* 22. INFERNI NOVISSIMA. Chal. *infernum infernorum*. Hebr. *infernum novissimum*: sic. & Sept. Locus est damnatorum.

*V.* 24. AVES MORSU AMARISSIMO, &c. Aliqui hic intelligunt, quidquid volando nocet acerbe, ut basiliscus, fulgetra, & aves rapaces. Nec deerit venenum serpentium.

*V.* 26. UBINAM SUNT? Chald. *Consummabo*, Sept. *Dispergam*.

*V.* 28. GENS ABSQUE CONSILIO EST, &c. Epiphonema est in Iudæos, post mentionem beneficiorum, & pœnarum. Nec recte illi, ut puto, qui hoc referunt ad Gentes, quasi abrupto sermone, & sine nexu ullo. Huc spectat interrogatio illa exaggerans, vers. 30. quasi diceret, tam absque consilio, ut ne quidem recordarentur rerum insolitarum, quando unus fugavit mille, hoc est multos.

*V.* 32. Causam dat cur puniantur; nempe ob scelera. Et hæc ipsa allegorice recenset sub metaphoris vineæ, & vini impiissimorum hominum, quorum mores Iudæi imitantur, & actiones habent similes. Et hæc, inquit, omnia (vers. 34.) condita sunt in thesauro apud me, ut memor sim in die ultionis.

*V.* 36. IUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM, &c. Fiet ergo ut exigente iustitia, infligatur pœna; tamen etiam ex parte aliqua miserebitur tandem Deus servorum suorum, seu eorum qui inter malos convertentur ad pœnitentiam. Hos vocat servos.

*V.* 40. LEVABO AD CAELUM MANUM MEAM, &c. Hactenus de Iudæis: nunc de hostibus Iudæorum pœnitentium quid sit acturus, docet: quod magis explicat, & concludit vers. 43. *Levare manum ad cælum*, est iurandi formula.

*V.* 42. DE CAPTIVITATE, idest de captivis: dum sumuntur de hostibus captis pœnæ, qui solent nudo capite duci.

*V.* 49. ABARIM (ID EST TRANSITUUM.) In Hebræo non est hæc parenthesis:

sis: explicatio est vocis *Abarim*, addita ab interprete. עברים *hhabarim*, radix עבר, *transivit*. Hac transibant homines ex Moab in Chanaan. Et Moses ex hac vita in Lymbum. De verbo *Morere*, vide III. Reg. XXII. De montibus Nebo, & Abarim, vide Num. XXVII. vers. 12.

## BOSSUET.

*Vers.* 1. AUDITE CAELI ..... AUDIAT TERRA: sic enim prædixerat: *Invocabo contra eos cælum, & terram*, Deut. XXXI. 28. quod & Moyses, & alii Prophetæ sæpe faciunt; ut populi rebellantis pectus, rebus quoque inanimis durius emolliant; tum ut universa rerum natura in impios & contumaces insurrectura esse videatur.

*V.* 2. CONCRESCAT UT PLUVIA.... FLUAT UT ROS, &c. tanto impetu, tanta suavitate, & copia.

*V.* 5. ET NON FILII EIUS, &c. peccavit ei, non filii eius, macula eorum. Hebr. *Moumam*: paternæ bonitatis obliti; a patre deserti; nec iam filii, sed inimici: quo eis dedecoris sempiterni nota inuritur.

*V.* 6. NUMQUID NON IPSE EST PATER TUUS, QUI POSSEDIT TE? genuit: quo sensu Heva dixit, edito partu: *Possedi hominem per Deum*, Gen. IV. 1. ET FECIT ET CREAVIT TE. Commemorare incipit, quot nominibus parens: ac primum creatione, hic; tum electione & adoptione singulari præ ceteris gentibus; amore, bonitate, cura, assignata hereditate: quod exequitur vers. 7. 8. 9. & seqq.

*V.* 8. QUANDO DIVIDEBAT ...... QUANDO SEPARABAT FILIOS ADAM. Iam inde ab initio, cum filiis Adam, & Noe, eorumque nepotibus terram distribueret, in animo habebat filios Israelis electi sui: itaque CONSTITUIT TERMINOS POPULORUM, Chananæorum, IUXTA NUMERUM FILIORUM ISRAEL: septem illos populos Chananæos donavit regione idonea ad capiendum alendumque populum suum, in eam regionem divina pollicitatione transferendum.

*V.* 10. CIRCUMDUXIT EUM: non statim, ac directa via in terram promissam duxit. ET DOCUIT: in deserto circumactum per viarum ambages, quo eum ut puerum indisciplinatum, per quadraginta annos & monitis, & castigationibus erudiret. ET CUSTODIVIT QUASI PUPILLAM, &c. matris instar sedulæ, quæ cum nec virgis parcat, tamen puerum & sinu fovet, & oculis cariorem habet, nec umquam a pectore, visuque dimittit.

*V.* 12. DOMINUS SOLUS, &c. recte inculcatum, ne ad alios deos mens cæca defluat.

*V.* 14. ET ARIETUM FILIORUM BASAN: quorum erant uberes campi & pinguissima pascua: mons Basan, mons pinguis. Psal. LXVII. 16. 17.

*V.* 15. INCRASSATUS EST DILECTUS: alii, *rectus*. Populus Israel summa cura ad veri rectique studium institutus, commemoratis hactenus beneficiis iam ad flagitia transit.

*V.* 19. ET AD IRACUNDIAM CONCITATUS EST. *Et reprobavit præ indignatione filios suos & filias*: Hebr. Post beneficia & flagitia immemoris populi, ad Dei minas ultionemque transgreditur.

*V.* 20. ABSCONDAM FACIEM MEAM, &c. Iterat Domini dicta ita comminantis: *Abscondam & celabo faciem meam ab eo.... in die illo*: Deut. XXXI. 17. 18.

*V.* 21. IPSI ..... IRRITAVERUNT IN VANITATIBUS SUIS, in idolis, in falsis diis: ET EGO PROVOCABO EOS IN EO QUI NON EST POPULUS: erigam enim super eos gentes, quæ non sunt populus meus: ET IN GENTE STULTA, quæ Deum ignorat; sensusque est: Quemadmodum illi, mihi Deo vero, falsos deos; ita ego illis in verum populum electis, populos alienos, neque a me adoptatos anteponam: quod recte traducit Paulus ad vocationem gentium, Rom. X. 19. PROVOCABO... IRRITABO... *ad æmulationem vos adducam*: ut recte LXX. vertunt, ac Paulus. En Dei bonitas: gentes enim inimicas suorum humeris victrices imponit; ut si non voluntate, certe æmulatione ac pudore victi, ad Deum redeant: quod imitatus Apostolus ostentat Iudæis effusas in Gentes divinæ misericordiæ divitias: *Si quo modo*, inquit, *ad æmulandum provocem carnem meam* (Iudæos cognatos meos) *& salvos faciam aliquos ex ipsis*: Rom. XI. 14.

*V.* 24. CUM FURORE TRAHENTIUM SUPER TERRAM, ATQUE SERPENTIUM: *cum veneno serpentium terræ*: Heb.

*V.* 25. Foris ... gladius, et intus pavor: nullum ab armis; nullum ab animi virtute præsidium. *Intus pavor*, etiam absistente gladio: *fugietis* enim *nemine persequente*, Levit. xxvi. 17. Terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium: cadent nullo persequente: *Et corruent singuli super fratres suos, quasi bella fugientes*: ibid. 37. Iuvenem simul ac virginem, &c. fortes æque ac imbelles: omnes exanimati metu, iamque in corde victi, anteaquam manus conserant: quo nihil est miserabilius aut abiectius.

*V.* 26. Dixi: Ubinam sunt? quasi non videret, & adhuc quæreret, ad supplicium: ut dato, dum minatur, pœnitendi spatio, resipiscant: unde sequitur:

*V.* 27. Sed propter iram inimicorum distuli: ne ferociant hostes facili victoria. Vide autem ut ultro quærat ignoscendi causas. *Distuli* autem; non omnino sustuli gladium ab Israelitis, ne veluti certa iam venia insolescant.

*V.* 30. Et Dominus conclusit illos, in angustias, in insidias, in carceres.

*V.* 31. Et inimici nostri sunt iudices, Dei vindictam, ac deorum suorum vanitatem experti toties.

*V.* 32. De vinea Sodomorum, &c. magna spe, nullo fructu: igne consumente *omnem* circumquaque *regionem, & cuncta terræ virentia*: Gen. xix. 25. spemque omnem vindemiæ. De suburbanis, de vicinia, Gomorrhae, solo arido & exusto exsuccas inanesque fruges proferente. Vinea eorum, Israelitarum rebellium.

*V.* 34. Nonne haec, flagella supra memorata, condita sunt apud me? penes me sunt: tamquam in penu mea sunt, unde promam.

*V.* 35. Ego retribuam in tempore. Non statim, ut dem locum pœnitentiæ; sed velut victa, & exhausta patientia: ut labatur pes eorum: ita retribuam ut labatur pes eorum, neque ullo loco possint consistere. *Ego retribuam .... labetur pes eorum*: Hebr. statim atque aggrediar, nulla mora in exitium ruent.

*V.* 36. Iudicabit Dominus populum suum, summa benignitate, ut inflectat ad pœnitentiam: unde subdit: Et in servis suis miserebitur: quæ ultima pars erat Cantici: ut scilicet, commemoratis beneficiis, flagitiis, suppliciis, in consolationem ac misericordiam, uti solet, prophetica oratio desineret: quanta autem misericordia! Videbit enim: nihil opus admoneri aut excitari eum: ipse ultro respiciet miseros. Videbit quod infirmata sit manus. *Cum videbit quod abierit manus:* Hebr. seu vires ceciderint. Et clausi quoque defecerunt: capti bello, & ex bello relicti deficient in carcere; neque ulla spes gentis.

*V.* 41. Reddam ultionem: castigato misericorditer populo, hostes eorum ad internecionem insectatur: quod est divinæ beneficentiæ in suos miraculum vel maximum: hostibus meis: non populi, sed *meis* inquit, ad benevolentiæ testificationem.

*V.* 42. De cruore occisorum; supple, inebriabo sagittas. Et de captivitate: siquidem nec captivis parcet. Nudati .... capitis, in captivitate, ad ignominiam.

*V.* 43. Sanguinem servorum suorum ulciscetur. Vide autem unde incipiat, quo assurgat, ut denique desinat divini Vatis oratio. Nempe, ut prædiximus, a beneficiis ad flagitia, atque inde ad supplicia conversus: postquam eo devenit, ut ira velut in immensum exaggerata nullam spem veniæ reliquisse videretur; ex improviso ostendit, misericordiæ ac veniæ non posse oblivisci Deum: quin potius inter ipsa supplicia miserescentem inducit ac veluti pœnitentem, idque ultro & sola visa miserrimæ plebis calamitate incitatum: quo statim non modo repressa ira, verum etiam in hostes versa sit: qua beneficentia cum nihil maius cogitari possit, in ea quoque desini oportebat.

# CAPUT XXXIII.

*Benedicit Moyses moriturus duodecim tribubus Israel.*

1. HAEc est benedictio, qua benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israel ante mortem suam.

2. Et ait: Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia. In dextera eius ignea lex.

3. Dilexit populos, (*a*) omnes sancti in manu illius sunt: & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.

4. Legem præcepit nobis Moyses, hereditatem multitudinis Iacob.

5. Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israel.

6. Vivat Ruben, & non moriatur, & sit parvus in numero.

7. Hæc est Iudæ benedictio: Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum: manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra adversarios eius erit.

8. Levi quoque ait: Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, & iudicasti ad Aquas contradictionis. 9. Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos; & * fratribus suis, Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt, 10. iudicia tua o Iacob, & legem tuam o Israel: ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum.

11. Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum eius: & qui oderunt eum, non consurgant.

12. Et Beniamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.

13. Ioseph quoque ait: De benedictione Domini terra eius, de pomis cæli, & rore, atque abysso subiacente. 14. De pomis fructuum solis ac lunæ: 15. de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum: 16. & de frugibus terræ, & de plenitudine eius. Benedictio illius (*b*) qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem nazaræi inter fratres suos. 17. Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit Gentes usque ad terminos terræ. Hæ sunt multitudines Ephraim: & hæc millia Manasse.

18. Et Zabulon ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis. 19. Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas iustitiæ. Qui inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.

20. Et Gad ait: Benedictus in latitudine Gad: quasi leo requievit, cepitque brachium & verticem. 21. Et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus: qui fuit cum principibus populi, & fecit iustitias Domini, & iudicium suum cum Israel.

22. Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan.
23. Et Nephthali dixit: Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: mare & meridiem possidebit.
24. Aser quoque ait: Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, &
tingat in oleo pedem suum. 24. Ferrum & æs calceamentum eius. Sicut dies iuventutis tuæ, ita & senectus tua. 26. * Non est Deus alius ut Deus rectissimi:
ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificentia eius discurrunt nubes, 27. habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna: eiiciet a facie tua inimicum, dicetque: Conterere.
28. Habitabit Israel confidenter, & solus. Oculus Iacob in terra frumenti & vini, cælique caligabunt rore.
29. Beatus es tu Israel: quis similis tui popule, qui salvaris in Domino? scutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.

(a) Sap. III. 1. (b) Exod. III. 2.

# BRUGENSIS

## ROMANAE CORRECTIONES.

V. 9. *Et fratribus suis: Ignoro vos*. Non mutes secundæ personæ pronomen *vos* cum tertiæ *illos*.

V. 26. *Non est Deus alius ut Deus rectissimi*. Quidam tollunt prius *Deus*, alii vertunt secundum casum *rectissimi* in primum *rectissimus*: utrumque primæ lectioni non absque causa postposuerunt Correctores Romani.

V. 27. *Dicetque: Conterere*. Nec hic sine causa prætulere passivum activo *Contere*.

# COMMENTARIA

## S A.

*Vers.* 1. HOMO DEI, id est servus Dei, vel Propheta.

*V.* 2. DE, pro in. VENIT, scilicet cum legem dedit. DE, pro in. SEIR est in finibus Idumæorum. Vide Num. XXI. NOBIS. Hebr. *eis*. PHARAN. Vide Num. XI. SANCTORUM, scilicet Angelorum, ut explicant LXX. MILLIA. Hebr. *decem millia*, id est plurimi. IGNEA, id est cum igne data, vel quia præcipue caritatem docet.

*V.* 3. PEDIBUS, scilicet supplices.

*V.* 4. HEREDITATEM; pro, velut hereditatem ad posteros transituram.

*V.* 5. APUD RECTISSIMUM, scilicet Deum; quasi dicat: Fuit Moyses loco Dei, populi princeps. Chald. *in Israel*; quasi dicat, Israelis Rex, id est princeps, & dux.

*V.* 6. VIVAT RUBEN, &c. Chald. *Vivat Ruben in vita æterna, & non moriatur morte secunda, & accipiant filii eius hereditatem suam iuxta numerum eorum*. ET SIT; pro, & non sit: repetitur enim negatio præcedens more Scripturæ; quasi dicat: Sit eius posteritas innumerabilis. LXX. *Et Simeon sit multus in numero*.

*V.* 7. VOCEM, id est deprecationem. AD POPULUM, id est simul cum populo, scilicet ad terram promissionis; vel ad populum reduc ipsum ex bello redeuntem, ut interpretatur Chald. EO, scilicet Iuda, vel populo. ERIT. Hebr. Chald. & LXX. *eris*, scilicet o Deus.

*V.* 8. PERFECTIO, &c. quasi dicat: Tu Domine dedisti Aaroni vestem in qua Urim & Thummim, scilicet sacerdotalem dignitatem: est enim hic Hebr. pro *perfectio* & *doctrina*, *Thummim* & *Urim*. VIRO, scilicet Aaroni. IUDICASTI. Chald. *probasti*.

*V.* 9. QUI DIXIT PATRI, &c. quasi dicat: Propter te reliquit omnes cognatos, vel pro nullo cognato pervertit iudicium.

V. 10.

*V.* 10. IUDICIA TUA, &c. Hebr. Chald. & LXX. *Docebunt iudicia tua Iacob, & legem tuam Israelem*. Quamquam potest eodem sensu accipi, quasi dicat: Te, o Iacob, docebunt iudicia, &c. IN FURORE TUO, id est ad te placandum. Loquitur de Moyse, & Aaron, & praeterita pro futuris. Hebr. *in naribus tuis*. Chald. & LXX. *coram te*. Nota, quod omittitur Simeon, forte quia cum Levi intelligitur, nam cum eo simul a Iacob benedictus; quamquam LXX. Simeonis etiam meminerunt. Vide sup.

*V.* 12. CONFIDENTER, id est secure, seu in pace. IN EO, id est apud Dominum, vel in Beniamin Dominus, id est in templo quod in sorte Beniamin. QUASI IN THALAMO. Heb. Chald. & LXX. *protegente se*: scilicet Deo. INTER HUMEROS, id est in medio, scilicet in medio tribus Beniamin templum aedificatum.

*V.* 13. TERRA: scilicet fecundata. POMIS CAELI, id est fructibus e caeli virtute provenientibus. ABYSSO, id est aquis.

*V.* 14. SOLIS, AC LUNAE. Luna fructus humectat, sol coquit.

*V.* 15. AETERNORUM, id est a mundi, adeoque temporis universi principio.

*V.* 16. NAZARAEI, id est separati: fuit enim solus in AEgypto diu. Chald. *dedicati*, scilicet Deo: LXX. *glorificati*.

*V.* 17. CORNUA ILLIUS. Cornu pro robore; quasi dicat, fortis ut rhinoceros.

*V.* 18. EXITU, scilicet in bellum; quasi dicat: Victor eris.

*V.* 19. POPULOS, id est alias tribus. VOCABUNT, scilicet aliae tribus; quasi dicat: Invitabunt, ut se comitentur. MONTEM: scilicet ubi templum. IUSTITIAE, id est debitas secundum legem. INUNDATIONEM MARIS, id est opes per mare advectas. Hebr. *affluentiam maris*. LXX. *divitias maris*. ARENARUM, id est fodinarum. LXX. *habitantium prope mare*.

*V.* 20. IN LATITUDINE, id est amplitudine; quasi dicat, maxime. BRACHIUM ET VERTICEM, scilicet hostium; quasi dicat, fortes & principes.

*V.* 21. PARTE SUA, scilicet terra sibi data. DOCTOR, scilicet levita, qui legem doceret. Levitae enim distributi per omnes tribus. Chald. *Quod in hereditate sua Moyses scriba magnus & princeps sepultus esset*. IUSTITIAS, id est praecepta, scilicet de comitando reliquas tribus in terram promissam. Quod si de Moyse intelligatur, iustitias quidem, id est mandata Dei fecit. IUDICIUM, id est quod aequum erat.

*V.* 22. CATULUS; pro, ut catulus. FLUET LARGITER, id est, fortiter progredietur. Hebr. & LXX. *saltabit*. Chald. *Terra eius irrigatur torrentibus fluentibus ex Basan*. DE BASAN; id est, ut solent leones ex Basan.

*V.* 23. MARE, id est occidentem.

*V.* 24. SIT PLACENS; pro, erit placens, id est gratus. TINGAT pro tinget; quasi dicat: Tanto abundabit oleo, ut possit eo pedes lavare.

*V.* 25. CALCEAMENTUM; quasi dicat: Calcabit terram, ubi metalla ferri & aeris. SENECTUS: scilicet felix; quasi dicat: Dum vives, felix eris, seu fortis.

*V.* 26. RECTISSIMI, id est Israelis, scilicet populi Israelitici. Chald. *Israel*. LXX. *dilecti*. ASCENSOR, id est habitator, seu sedens.

*V.* 27. BRACHIA, id est vires. SEMPITERNA, id est infatigabilia.

*V.* 28. SOLUS, id est non admixtus aliis gentibus. OCULUS, id est fons; quasi dicat: Qui a Iacob ut fonte originem ducunt. LXX. *fons*. Chald. *iuxta benedictionem, qua benedixit eis Iacob*. CALIGABUNT; quasi dicat, copia roris, velut caligine obducentur.

*V.* 29. IN DOMINO, id est Domini virtute. SCUTUM, scilicet est Dominus. NEGABUNT TE, scilicet detrectantes tuum imperium. Hebr. & Chald. *mentientur tibi*.

## ESTII.

*Vers.* 1. HAEC EST BENEDICTIO QUA BENEDIXIT MOYSES ... FILIIS ISRAEL ANTE MORTEM SUAM. Mirum videri potest quare Moyses solam tribum Simeon omiserit, nullam ei attribuens benedictionem. Respondent quidam, Simeonem comprehendi simul cum benedictione Levi, sicut & Iacob in suis benedictionibus eos coniunxit. Sed frivolum id est: nam quae hic dicuntur, manifestum est ad solam tribum Levi pertinere. Alii volunt Simeonem omissum,

sum, quod ille auctor fuerit Iosephi vendendi. Verum & Levi in eodem crimine fuit. Proinde alia ratio quærenda est. Et sunt hæ duæ. Nempe una, quia princeps tribus Simeon nomine Zambri fornicatus est manifeste cum Madianitide, quando in totum populum ira deſæviit, quem una cum scorto Phinees ex tribu Levi interfecit. Altera, eaque præcipua, quia per idololatriam, & murmurationem nulla tribus gravius deliquisse videtur. Cuius rei hoc est argumentum, quia in prima numeratione erant quinquaginta novem millia trecenti; in postrema vero, post annos quadraginta, tantum viginti duo millia.

*V.* 2. DOMINUS DE SINAI VENIT... ET CUM EO SANCTORUM MILLIA. Hebr. est: *Et venit cum decem millibus sanctitatis*, id est sanctorum. Hos Septuag. Angelos interpretati sunt. Nec male. Alibi enim quoque lex data dicitur per Angelos, ut Act. VII. ad Galat. III. Hebr. II. nempe quia unus primarius Angelus (quem fuisse puto Michaelem principem populi Dei, ut vocatur Dan. IX.) repræsentabat in legislatione Dei personam; ceteri autem Angeli illi adsistebant. Vide Nostra Hebr. II.

*V.* 6. Septuaginta legunt: *Vivat Ruben, & non moriatur, & Simeon sit multus in numero*. Sed nomen Simeonis hic ab aliquo sciolo insertum est, ut patet ex Hebr. Chald. & Latinis.

## MARIANAE.

*Verſ.* 2. DOMINUS DE SINAI; pro, *gloria Domini de Sina revelata est, & venit ad Israel*: sic Hebræus. ET CUM EO SANCTORUM MILLIA; supple, sunt. Hebr. *Et venit a decem millibus sanctitatis*, pro sanctorum: certe a cælo, ubi Angelis stipatur. IGNEA LEX. Legem igneam vocat, quod splenderent tabulæ, ut & Moysis facies; aut quod igne micante lata esset: sic Chald. & R. Selomo.

*V.* 3. OMNES SANCTI IN MANU ILLIUS SUNT: scilicet ut eos protegat. ET QUI APPROPINQUAT PEDIBUS EIUS; id est, qui sunt coniuncti: instar discipulorum qui ad pedes magistri sunt.

*V.* 5. ERIT APUD RECTISSIMUM REX. Hebr. *Et erit in rectitudine* (pro, recto) *Rex*. Per *rectum* intelligit Israel, ut Chald. *Itaque & erit in Israel Rex*: hoc contigit in Saule.

*V.* 6. ET SIT PARVUS IN NUMERO, scilicet Ruben. Alludit ad Iacob maledictionem, qua dixit filio Ruben, *Non crescas*. Hebræus tamen Aven Ezra negatione repetita, quod sæpe alias fit, intelligit, *Et non sis parvus in numero*. Et sane Numer. I. Rubenitæ ad quadraginta millia numerantur. Hebr. *Et sint homines eius numerus*.

*V.* 7. ET AD POPULUM SUUM INTRODUC EUM. Ad partem terræ illi, scilicet Iudæ, destinatam. MANUS EIUS, nimirum Dei.

*V.* 8. PERFECTIO TUA ET DOCTRINA TUA. *Thummim* & *Urim*. Hebraice, quæ erant in Rationali, ait datas viro vere sancto & miti, nempe Aaroni, cum reliquo scilicet ornatu sacerdotali. ET IUDICASTI. Hebr. *Litigare fecisti eum ad aquas contradictionis*. Ea fuit eius noxa.

*V.* 9. QUI DIXIT PATRI SUO. Hoc accidit quando propter vitulum iussu Moysis sævierunt Levitæ in impios.

*V.* 10. IUDICIA TUA O IACOB. Hebr. *Docebunt iudicia tua Iacobum, & legem tuam Israelem*; supple, o Deus.

*V.* 11. FORTITUDINI EIUS. חיל *haiil* multa significat, *fortitudinem*, *substantiam*, *exercitum*: & forte id significat hoc loco *benedic*. Multiplica eorum turmas venientes ad ministeria tua. PERCUTE DORSA INIMICORUM EIUS, ET ..... NON CONSURGANT. Hebr. *qui consurgunt*, scilicet qui oderunt & consurgunt: nam מן *min* sumit pro אשר *aser*. Hactenus benedictio Levi; mox Beniamin.

*V.* 12. QUASI IN THALAMO. Hebr. *Teget super eo omnibus diebus*, scilicet Deus: sic Sept. ET INTER HUMEROS ILLIUS REQUIESCET. Hoc refertur ad templum, quod erat in parte Beniamin. Ergo vel Deus requiescet inter humeros Beniamin: & vocat *humeros*, montes. Vel Beniamin requiescet inter humeros Dei: & sic templum vocavit *humeros*, propter firmitatem, & sublimitatem.

*V.* 13. DE POMIS CAELI. Multis verbis significat fertilitatem terræ Ioseph, quæ fertilitas provenit a cælo, a rore, id

est

est pluviis; ab abysso, id est aquis inferioribus, a sole & luna. Provenitque in montibus, in collibus, in terra, id est planis. Hæc omnia Dei benedictione indicat contineri; sed pro *pomis*, Hebraice est מגד *Megbed*, quod *delicias* significat. Ergo in his omnibus cæli deliciis erit Iosephi benedictio. Quod dixit Isaac Esau *in pinguedine terræ*, &c.

*V.* 16. Et super verticem Nazaraei inter fratres suos. *Nazaræi* alibi laudantur a pulchritudine: sic Ioseph vocat *Nazaræum*, sive propter has dotes terræ illi datæ; sive quia dum viveret, erat pulcherrimus inter fratres. Sic ait benedictionem habitantis in rubo venturam *super verticem Nazaræi*, quod ante dixerat *super caput Ioseph*.

*V.* 17. Hae sunt multitudines Ephraim. Hebr. *Et isti decem millia Ephraim, & isti millia Manasse*. Alludit ad magnum numerum tribus Ioseph, qui Num. I. ad septuaginta millia ascendit, quantum virorum nulla alia tribus numeravit: sed numerus certus pro incerto ponitur hic.

*V.* 8. Laetare Zabulon in exitu tuo. Zabulon habitavit ad mare, sic ad commercia egrediebatur. Id *in exitu* significat. Issachar in tabernaculis tuis, scilicet habitabit: non egredietur ad commercia. Quod Iacob dixit: *vidit requiem quod esset bona*.

*V.* 9. Populos vocabunt ad montem: scilicet ad templum, quod in monte erat, deducent gentes, quæ ad eos confluent. Inundationem maris quasi lac sugent. Hebr. *Affluentiam marium sugent*, propter commercia. Et thesauros absconditos arenarum; nempe propter secturas metallorum, vel in eorum regione, vel in iis ad quas navibus ibant. Salomonis tempore navigationes Ophir, & Tharsis celeberrimæ fuerunt.

*V.* 20. Cepitque brachium. Hebr. *Rapuit brachium & caput*. Indicat fore in tribu Gad prædones, qui non contenti parte, totum rapient.

*V.* 21. Et vidit principatum suum. Hebr. *Et vidit principium sibi*: sed bene potest *principium* sumi pro *principatu*, ut & Sept. fecerunt. Quod in parte sua doctor esset, Hebr. *quod ibi pars scribæ*; sed vox *Mehokek* sumi potest pro *Principe*, & hoc putant impletum in Ieroboam altero, qui fuit ex tribu Gad: sed quomodo fecit iustitias Domini?

*V.* 22. Fluet largiter de Basan. Sep. *Saltabit ex Basan*: silvæ, & feræ erant in Basan. Ergo Dan fore venatorem indicat, atque ex eo astutum. Consentit vaticinium Iacob, Gen. XLIX. *Fiat Dan ut cerastes in via*, quod refertur ad insidias.

*V.* 23. Nephthali abundantia perfruetur. Hebr. *Nephtalim satiatus voluntate* (id est pro voluntate) *& plenus benedictione Domini*. Mare et meridiem. *Mare* ponitur pro Occasu, quoniam Palæstina ab Occasu mari nostro finitur; quasi dicat: *Occasum & Meridiem posside*: sic est in Hebr. pro possidebis.

*V.* 24. Et tingat in oleo. Indicat abundantiam olei. Quod Iacob dixit: *Aser pinguis est panis eius*. Ut quod sequitur, Ferrum et aes calceamentum eius, significat in ea parte ferri multum & æris fodi, atque adeo ut ex eo calceamenta possint facere; vel calcabit ut calceos, quia ubique occurrent.

*V.* 25. Sicut dies iuventutis tuae, ita et senectus tua. Hebr. *& sicut dies tui*; id est, pro ætate quacumque robur manebit.

*V.* 26. Non est Deus alius ut Deus rectissimi. Hebr. *rectitudo*, pro rectus: quo nomine putant vocari Israel. Ergo non est alius ut Deus, o Israel. Vel si Hieronymum sequimur, o *rectissimi*, scilicet Israelitæ. Ascensor caeli auxiliator tuus. Hebr. *Equitans cælos in auxilium tuum, & in magnificentia sua cælos*. Hieronymus dixit *nubes*: *Magnificentia eius discurrunt nubes*.

*V.* 27. Habitaculum eius sursum. Hebr. קדם *kedem, oriens*. Et subter brachia sempiterna; hoc est, sub cœlo habitat in brachiis sempiternis: sic videtur elementa vocare. Ergo in cælo, ad orientem; sub cœlo, in elementis. Vel *brachia*, montes quibus catenantur provinciæ, in quibus Deus videtur habitare. Vel iuxta Hieronymum, *habitaculum eius in cælo*, ut ibi tegat te: & inferius habet *brachia sempiterna*, id est virtutem & opera quibus pugnet pro te.

*V.* 28.

*V.* 28. CALIGABUNT RORE. Id propter nubes dicit, quibus cælum obducitur. Hebr. *Stillabunt rore*; hoc est, terra, ad quam aspirat Israel, fert frumentum, & vinum, tum e cælis suppetunt pluviæ.

*V.* 29. NEGABUNT TE INIMICI TUI. Sic Sept. & Pagn. Hebr. *Mentientur inimici tui tibi*. Hoc est timoris indicium, ut servi solent mentiri. Id etiam est *negare*. Sed & כחש *chaſas*, *negare*, & *attenuare* significat: *Attenuabuntur inimici tui*. EORUM COLLA CALCABIS. Hebr. *Super excelsa eorum calcabis*, sed bene per *excelsa*, *colla* intelligunt cum Hieronymo Sept. & Chald.

## MALVENDAE.

*Verſ.* 1. MOYSES, HOMO DEI. Heb. *vir Dei*, id est Propheta Dei, ut plerique intelligunt: nam prophetico spiritu, ac non simpliciter, vel civili atque humano studio benedicit, & res eventuras precatur: vel *vir Dei*, id est homo divinissimus & clarissimus, Deo carus & gratus.

*V.* 2. DOMINUS DE SINAI VENIT, &c. Annotant esse hic perpetuam metaphoram a sole sumptam, qui initio lucem præmittit, postea oritur ipse, tandem terras illustrat; sic gradatim Deus præsentiam suam in populo declaravit, quacumque iter fecerunt; quasi dicat: Inde a termino proximo AEgypti, usque dum perventum est ad Idumæos finitimos terræ promissæ. Ergo volunt hoc versu significari adventum Dei gloriosum & splendidum in terram promissam, quo Israelitas deduxit. *Dominus de Sinai venit*, id est prodiit incipiens a monte Sinai: ibi enim cœpit exercere vires suas, & ostendere virtutem suam, cum in Sinai dedit legem suam, Exod. XIX. & seqq. & XXIV. Alii: *Dominus in Sinai venit*. Sic capiunt *de* in sequentibus. ET DE SEIR ORTUS EST NOBIS. Hebr. *Et de Seir exortus est eis*, scilicet Israelitis. Seir mons in finibus Idumæorum, de quo vide Notas Genes. XIV. verſ. 6. Exponunt: In monte Sehir, qui est in regione Idumææ, ortus est Dominus tamquam sol, ubi ostendit claritatem suam, tamquam novo regno illustraturus terram illam: in quo monte putant erectum serpentem æneum, & patratum illud clarissimum miraculum, Numeror. XXI. APPARUIT DE MONTE PHARAN. הופיע *hophiagh*, aiunt proprie esse *inclaruit*, *splenduit*, *exercuit claritatem*, *splendorem*, *fulgorem*, *magnificentiam*, *gloriam*, *maiestatem*, *potentiam*; *fulsit*, *effulsit*, *affulsit*, *refulsit*. Coniugatio Hiphil significatum intendit, & ingentem vim luminis & claritatis demonstrat; quasi dicat, fulgentissime inclaruit. Quidam ex more huius coniugationis vertunt, *inclarescere fecit*, vel *illucescere fecit*. Explicant, quod in deserto Pharan mirabilia multa operatus est Dominus in gratiam Israelitarum, & illis favere perrexit, etiam post defectionem a reditu exploratorum, ut late narratur Numeror. XIII. & XIV. Plerique putant ad hunc locum respexisse Habacuc III. 3. *Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan*: ubi *Theman austrum*, regionem Idumeæ accipiunt, ut est hic Seir. CUM EO SANCTORUM MILLIA. Hebr. *Et veniet*, seu *venit*, *ex*, vel *cum multis myriadibus sanctitatis*; id est, & venit stipatus multis myriadibus sanctorum Angelorum. Vide Psalm. LXVII. verſ. 18. Actorum VII. verſ. 53. & ad Galat. III. verſ. 19. Quidam Hebraice ellipsim esse putant: *Et venit turba e myriadibus sanctorum*. IN DEXTERA EIUS IGNEA LEX. Exponunt: Lex dextera eius scripta, in medio ignis, uti diserte scribitur Exod. XIX. verſ. 18. & cap. XXIV. verſ. 17. Hebr. *de a dextera eius ignis*, *lex eis*; subaudi, processit, emanavit. אשדת *eſchdat*, varie reddunt: 1. *ignis*, *mandatum ad eos*; 2. *ignis edicti*, vel *edictalis*, *fuit eis*; id est, ignis ex quo singula ipsis facienda, omittendave edicebat. Quidam elucidant: *A dextera eius ignis*, *lex eis*. Non quod ipse ferret in dextera legem, & ignem; sed quod in morem magni principis, a dextris eius gestaretur ignis, & lex a ministris, tradenda Israelitis. *Dat* aiunt esse *legem*, *mandatum*, *edictum*, *statutum*, *decretum*, *ordinationem*, *ius*: ac vocem esse potius Babylonicam seu Chaldaicam, quam Hebræam, cuius usus frequentior in libris captivitatis. Hebræorum nonnulli, אשדת *eſchdath* unam dictionem faciunt, redduntque, *a dextera eius effusio*, subaudi bonorum omnium. Sed id futile est.

*V.* 3. DILEXITQUE POPULUS. חובב *cho-*

*chobeb*, participium, nec ullibi alibi id verbum reperitur. Plerique deducunt a nomine חובא *choba*, id est *sinus*, *gremium*, Iob xxxi. vers. 33. aiuntque esse *in sinum abdere*, *insinuare*, *complecti amore*. Quidam hic vertunt: *Etiam valde*, *vehementer diligit populos*; vel *complectitur amore populos*, id est tribus Israelis: sic enim tribus Israeliticæ appellantur Iudic. v. vers. 14. Alii a חבא *chaba*, vel חבה *chabah*, mutuantur significationem, *etiam abdens*, *obtegens*, *protegens populos*. OMNES SANCTI IN MANU ILLIUS SUNT. Hebr. *omnes sancti eius in manu tua*. Illud *eius*, exponunt, id est populi Israelis. Possit esse mysterium sacræ Trinitatis: *Eius*, Patris; *in manu tua*, Fili, qui dedisti legem, & fuisti Mediator & Angelus fœderis: *in manu tua*; id est, sub cura & protectione tua, qui illos protegis ac tutaris, ut supra cap. xxxii. vers. 11. ET QUI APPROPINQUANT PEDIBUS EIUS. תכו *tuccu*, est coniugationis Puhal, verbi תכה *tacca*, quod varie convertunt. I. *Et ipsi adiuncti fuerunt*, *coniuncti fuerunt*, *adiunxerunt sese*, *associati fuerunt pedibus tuis*; id est, insecuti sunt gressus tuos, sectati sunt vestigia tua. Quidam volunt hic indicari illud quod Exod. xix. vers. 17. scriptum est, quando in datione legis populus stetit ad radices, seu in subiecto montis, quasi adiunctus pedibus Dei. II. deducunt a תוך *toch*, *medium*, & volunt verbum significare, *in medio esse*, *mediare*, *medium interseri*, *medium introduci*; unde reddunt: *Et ipsi medii facti sunt*, vel *medii inserti sunt*, *pedibus tuis*; id est, sederunt inter pedes tuos, factique sunt tui discipuli, & redditi sunt tibi morigeri, subiecti, obedientes, sicut discipuli solent ad pedes præceptorum suorum sedere: quemadmodum eadem quoque phrasis legitur Genes. xlix. vers. 10. *Et legislator ab intra pedibus tuis non auferetur*; & Paulus simili phrasi dicit se educatum in Tharso Ciliciæ ad pedes Gamalielis, Actorum xxii. vers. 3. III. *Et ipsi mediatores effecti fuerunt pedibus tuis*. Insignis locus pro intercessione Sanctorum, qui Dei pedibus substrati pro nobis exorant, & sunt nostri mediatores. Alias Hebræorum interpretationes ut minus aptas prætermittimus. ACCIPIENT DE DOCTRINA ILLIUS. Hebr. *Levabit*, *feret*, *auferet*, *portabit de verbis*, *eloquiis tuis*. Quidam exponunt: Id est, feret ante se, præseferet, & ante oculos habebit quod præcepisti illis. Verbum singulare *levabit*, seu *accipiet*, emphasim habet; idest, unusquisque eorum per se accipiet. Volunt hoc amoris Dei pignus fuisse, quod ministerium verbi in hoc populo instituisset, ubi licebat ad pedes eius auditores sedere, & audire verbum eius, in tabernaculo, in templo, in synagogis. Quidam reddunt: *Suscipiet* quisque *e verbis tuis*, dicens, ex sequenti versu. Nonnulli exponunt: *Levabit de sermonibus tuis*; id est, loquetur de sermonibus, quos ex te audivit & didicit. Notant enim, ut Hebræi peculiari phrasi dicunt, *ascendere super cor*, pro eo quod nos dicimus cogitare; ita similiter dicere *Levare super labia*, seu *os*, pro eloqui, proloqui, edicere: & interdum sine adiuncto absolute legi *levare*, pro loqui, ut Isaiæ iii. vers. 7. *Levabit in die illa dicens: Non ero medicus*, Iob xxi. vers. 12. *Et levabunt ad tympanum*, *& citharam*; id est, loquentur, cantabunt.

*V.* 4. LEGEM PRAECEPIT NOBIS MOYSES, nimirum, Exod. xix. Notant hæc verba esse piorum Israelitarum ad legis eloquium se comparantium. HEREDITATEM MULTITUDINIS IACOB; id est, quæ quasi iure hereditario transiret ad posteros Iacob: quam servaret sibi synagoga tamquam ad se pertinentem iure hereditario: nempe observandam præsentibus & futuris Iahakobi posteris, supra cap. xxix. vers. 29.

*V.* 5. ERIT APUD RECTISSIMUM REX. Hebr. *Et fuit in Iesurun rex*. De Iesurun diximus supra cap. xxxii. vers. 15. est epitheton Israelis; unde hic reddunt: *Et fuit in Israel rex*. Aliqui exponunt: Lex ipsa, seu Deus ipse fuit rex, regnavit in Israel, absque rege homine, quamdiu Israel rectus fuit & probus, nec est abreptus pravo studio habendi regem hominem sub Saule. Nonnulli: Et Deus ipse se regem declaravit in Israel, cum legem promulgavit eis. Sed melius alii ad Mosen referunt; id est, *Et fuit* Moses *in Israel rex*; id est, regis munus obiens populum gubernabat, ideoque legem illis tulit. Vide Genes. xxxvi. vers. 31. Nec desunt, qui per futurum legentes, *Et erit in*

*in Israel rex*, putent vaticinium esse de Saule; quasi dicat: Habebit hic populus tandem regem, quod impletum primum est in Saule.

*V.* 6. ET NON MORIATUR: ET SIT PARVUS IN NUMERO. Hebr. *Et non morietur: & erit virorum eius numerus:* vel *& erit viri eius numeri*. Plerique negationem ex præcedenti membro subaudiunt: *Et non erit virorum eius numerus*, more Scripturæ usitato, ut Psalm. I. vers. 5. Psalm. IX. vers. 19. uti fuse notamus in Antichristo Lib. VII. cap. XXVI. id est, *nec sit parvus in numero*. *Viri*, seu *homines numeri*, Hebraica phrasi, sunt pauci, quod facile numerari possunt. Vide Genes. XXXIV. vers. 30. Quidam præter morem Hebraicæ phrasis, exponunt: *Et non sit hominum eius numerus*; id est, sint innumerabiles. Vel affirmative: *Et sit hominum eius numerus*, id est multus & grandis: quod secuti sunt LXX. Noster recte, & Hebraismo congruenter: *Et sit virorum eius numerus*; id est, sit parvus, seu *paucus in numero*: in quo etiam more Hebraico possit subaudiri præcedens negatio, *Et non sit parvus in numero*. Sed in Hebræo, & in Nostro sensus affirmans simplicior & verior apparet: *Et sit paucus numero*. Aliqui: *Sintque homines illius pauci numero*; ut congruat cum vaticinio Iahakob Genes. XLIX. vers. 4. *Effusus es sicut aqua, non crescas*. Quia in his Patriarcharum benedictionibus nulla fit diserta mentio Simeonis, in aliquibus LXX. Interpretum exemplaribus, ut in Complutensibus, Roberti Stephani, & aliis hic inseritur: *Et Simeon sit multus in numero*. At plerique LXX. codices Simeonis nomine carent; & adscititium plerique putant. Cur autem Simeon in his benedictionibus prætermissus fuerit, Explanatores rationes aliquot afferunt, quas nunc non expenderim; nonnulli tamen suspicantur, factum id ob facinus Zambri, ob quod etiam maxime ea tribus imminuta fuit. Vide Numer. XXV. vers. 14. vel quod benedictio Levi fratris eius ad eum quoque pertinuerit: nam etiam Iacob simul cum Levi ei benedixit Genes. XLIX. vers. 5. Alii tamen non omissam volunt, sed cum Iuda coniunctam, ut versu sequenti.

*V.* 7. HAEC EST IUDAE BENEDICTIO. Hebr. *Et ista*, vel *istud ipsi Iudæ*. Quidam: *Hæc autem ipsi Iehudah*; subaudi, fuit benedictio; id est, sic autem benedixit Iehudæ. Alii: *Idem quoque Iehudæ precatus, amplius dixit*. Addunt: *Idem quoque Iehudæ precatus, & Schimhoni*: synecdochice: nam Schimhon accensitus est Iehudæ, & possessio eius per tribum Iehudæ diffusa, Iosue XIX. I. & I. Paralip. IV. vers. 24. unde factum est, ut expeditiones inter has tribus communes essent, Iudicum I. vers. 3. ET AD POPULUM SUUM INTRODUC EUM. Quidam exponunt: Id est, ad portionem quam iure hereditario sortiturus est te iubente. Alii: *Et ad populum suum reduc eum*; id est, quia eius est præire ceteris tribubus ad expeditiones, precor ut victor domum reducatur. Hebr. ex verbo: *Et ad populum eius venire facies eum*: vaticinium & votum volunt esse de Messia venturo; quasi dicat: Audi IHUH desiderium & votum Iudæ, & fac venire ipsum Iudam, nempe Messiam filium Iudæ, ad populum Iudæorum. MANUS EIUS PUGNABUNT PRO EO. ידיו רב לו *iadau rablo*. *Rab* potest esse præteriti tertia persona, vel participium verbi רוב *rub*: *Manus eius litigavit*, *contendit*, *disceptavit ei*, vel *sibi*; id est, suis viribus pugnavit cum hostibus suis. Vel potest esse nomen a verbo רבב *rabab*: *Manus eius multa ei*, vel *sufficiens ei*, *satis ei*; id est, satis per se erit fortis, & prævalida: vel multæ ei erunt manus & copiæ militares, quod verissimum fuit; aut: *multa erit ei manus*, id est ingens potentia, auctoritas, dignitas. Aliqui reddunt: *Manibus eius satis sit ei*. Posteriorem hunc sensum nonnulli præferunt, quod verbum רוב *rub* non nisi fere de verbali litigio & contentione dicatur. De Christo exponunt, quod manus eius, id est opera eius, & miracula fuerunt ei causa mortis; & quod eius miracula multa fuerunt.

*V.* 8. PERFECTIO TUA, ET DOCTRINA TUA. Hebr. *Thummim tui, & Urim tui*; de his diximus copiose Exod. XXVIII. vers. 30. Notant esse apostrophen Mosis ad Deum; & sub his duobus præcipuis nominibus intelligi synecdochice totum ministerium & apparatum sacerdotalem, quem Deus instituit, & quo colitur. VIRO SANCTO TUO. Nomini חסיד *chasid* hæc omnia insunt, *Benigno*

*pio*,

*pio*, *misericordi*, *gratioso*, *benefico*, *probo tuo*. Est enim proprie is qui pius est cum erga Deum patrem misericordiarum, tum etiam erga homines affectu præditus, qui fidit in misericordia Dei & eius bonitate. Quidam reddunt: *Penes virum tuum*, *quem beneficio prosequeris*; id est, Aaronem, penes quem depositum est sacerdotale munus continuandum in posteris. QUEM PROBASTI IN TENTATIONE. Hebr. *quem probasti* בְּמַסָּה *bemassah in massah*. Sic fere omnes reddunt, ut alludatur ad historiam Exod. XVII. vers. 7. Sed quia nihil ibi de singulari aliqua Aaronis probatione scribitur, simplicius quibusdam visum est appellative accipere, *quem probasti probatione*; id est, quem exactissime probasti, ut dignus esset sacerdotio. Nonnulli hic non Aaronem, sed Mosen ipsum intelligunt, cui viro sancto ac benigno Deus tribuerit totum ministerium sacerdotale conficiendum, & apparandum, & in cuius gratiam, eius tribui, & Aaroni, ac posteris eius concesserit sacerdotium, qui gravem tentationem expertus fuerit in Massah. ET IUDICASTI. Quidam ex Hebr. vertunt: *Contendere*, vel *purgari fecisti eum*; id est, permisisti ut contenderet cum filiis Israel. Alii: *Contendebas cum eo*, vel *provocabas eum*. Nonnulli: *Ad contentionem provocasti eum*. Melius: *Obiurgabis eum*: est enim futurum pro præterito, & vim magnæ & continuæ obiurgationis, seu iurgii & litigii continet. AD AQUAS CONTRADICTIONIS. Hebr. *super aquis Meribah*; id est, litis, iurgii, rixæ, contentionis. Vide Numer. XX. & & supra cap. XXXII. vers. 51.

*V.* 9. NESCIO VOS. Hebr. *Non vidi eum*, pro eos. Quidam respectum putant ad legem Levitici XXI. vers. 10. & 11. qua prohibetur sacerdos summus interesse funeri patris aut matris, aut propinquorum, aut cuiusvis alterius: qua in re taliter se exhibet, ac si non novisset eos, aut ad eum non pertinerent. Alii potius volunt significari Aaronis, seu summi sacerdotis integritatem & constantiam animi in iudicando, qui æquissimus & incorruptissimus esse debeat iudex, qui nullo humano affectu iudicium inflectat, qui nullam rationem habeat personæ litigantis, sed causæ tantum; ut in iudicio nec patris, nec matris, nec fratrum, nec filiorum respectu ducatur. Nonnulli reddunt: *Non respicio eum*: exponuntque quasi dicat: Neque personis, neque rebus humanis studiosius inhæret; sed in hoc unum incumbit, ut Deum colat, & alios retineat in cultu eius: quod ostenderunt Levitæ gladium stringentes in idololatras ad mandatum Mosis, non habita propinquitatis ratione, ut Deo manus suas consecrarent, Exod. XXXII. vers. 26. & seqq. abstinendo a propinquorum luctu, Levitici XXI. vers. 10. & 11. hereditatique terrenæ renuntiando, Numer. XVIII. vers. 20. CUSTODIERUNT ELOQUIUM TUUM, ET PACTUM TUUM SERVAVERUNT. Aliqui reddunt: *Quia servarunt dicta tua*, *ideo pactum tuum conservabunt*; id est, ministerium tuum seu sacerdotium obtinebunt impofterum.

*V.* 10. IUDICIA TUA, O IACOB. Hebr. *Docebunt iudicia tua ipsum Iahakob*. Exponunt, nimirum omnes e genere Levitico docebunt, &c. ideo dispersi habitabant in Israele, ut omnes docerent. PONENT THYMIAMA; scilicet sacerdotes soli. IN FURORE TUO. Heb. *in naso tuo*: ut suffitus scilicet sit gratissimus odor naribus tuis, ut Scriptura loqui solet. *Nasum* hic pro ira & furore Noster accepit, ut alibi sæpe sumi consuevit, quia sacris istis suffitibus furor Domini placabatur. Quidam reddunt: *Apponunt suffitum ad faciem tuam*. ET HOLOCAUSTUM. De voce כָּלִיל *calil* disseruimus Levitici VI. vers. 23. & supra cap. XIII. vers. 16. Hic varie interpretantur. 1. *sacrificium totum consumendum igne*; 2. *&* *prorsus consumptum*; 3. *&* *incensum totaliter concremandum*. Discrimen assignant inter עוֹלָה *gholah*, *holocaustum*, & כָּלִיל *calil*, *consummatum*: quod *holocaustum* tantum esset de sacrificiis animalium, *consummatum* vero etiam de *minchah*, id est farina, pane, oleo, sale, & spoliis; ut Deuter. XIII. vers. 16. & Iudicum XX. vers. 40. Utrumque tamen totum cremabatur, ut nihil sacerdoti, aut alteri cederet.

*V.* 11. FORTITUDINI EIUS. Heb. *virtuti eius*. Quidam, *exercitui*, *militiæ*, *copiis eius*; id est, militiæ sacræ, qua in templo militabant Domino, nimirum diversis ministeriis eorum in servitio Domini, Numer. IV. vers. 3. ET OPERA MANUUM ILLIUS SUSCIPE. Est hic ver-

verbum רצה *ratzah* amplissimæ significationis, cui hæc omnia subsunt: *Et opus manuum eius voles*, *acceptabis*, *beneplacitum*, *gratum*, *& acceptum habebis*. Quidam: *Et in opere manuum eius complacebis tibi*. Alii: *Et opus manuum illius grato animo suscipies*: vel *& opus manuum illius approbabis*, *amore*, *benevolentia*, *& prona voluntate prosequeris opus manuum eius*, id est ministerium.

*V.* 12. AMANTISSIMUS DOMINI; ut patri singulariter fuit, Genes. xliv. vers. 20. HABITABIT CONFIDENTER IN EO; puta cum Iehovah, ut olim cum patre. QUASI IN THALAMO TOTA DIE MORABITUR, ET INTER HUMEROS ILLIUS REQUIESCET. Hebr. *protegens*, *inumbrans*, *obtegens*, *cooperiens super eum*: *& inter scapulas eius scenitavit*. Suppositum verbi *protegens*, & *scenitavit*, proprie intelligitur Deus, non ipse Beniamin: unde quidam vertunt: *Habitabit secure cum eo*, *protegente eum quotidie*, *& inter humeros eius habitante*. Intelligunt, id est habitante, seu tabernaculante Ierosolymis in metropoli possessionis eius. Metaphora, qua tota possessio Beniaminis cum corpore confertur, & metropolis cum capite humeris imposito. Sic Isaiæ VIII. vers. 8. Templum enim situm fuisse volunt in sorte Beniamin. Quidam reddunt; *pectens eum*, vel *poliens cum tota die*, id est mundans, illustrans, ornans.

*V.* 13. DE POMIS CAELI. מגד *meged* aiunt significare omne *pretiosum & optimum*, tam in fructibus, quam in auro, argento, lapidibus pretiosis, sive gemmis, ac vestibus: & unumquodque horum pro loci circumstantia intelligendum, & exponendum. Alii generaliter ea voce comprehendi volunt quidquid in re quapiam *eximium & optimum* est, & velut in deliciis habetur, *deliciam*, *delicatum*, *dulce*, *suave*, *nobile*, *excellens*, *exquisitum in opibus esse*, quod Græci κειμήλιον appellant. Nonnulli putant esse *aroma*, *aromaticum odorem*, cuius fragrantia in longum & latum, seu transversum, id est circumquaque diffunditur. Et ut בגד *beged*, *vestis* dicitur quæ texta est, & constat stamine & subtegmine; ita *meghed* dicitur de aromate, cuius odor passim spirat, ac penetrat. Sunt enim Beth, & Mem litteræ eiusdem instrumenti, & symbolicæ; ideo voces modo tantum differentes significandi, non ipsa significatione. Sed remotæ nimis sunt hæ collationes, seu allusiones. Quidam, colludente voce, meghed hariolantur esse *meditum*, vel *citreum pomum* præstantissimum. Hic varie convertunt, 1. *de optima* pluvia *cæli*, quæ scilicet non ledit, sed prodest; 2. *de præstantia cæli*, id est præstantissima ubertate, quam præstant cæli; 3. *de dulcedine*, *delicia cæli*; 4. *de eximio cælorum*; 5. *a delicatissimis & dulcissimis fructibus cæli*; 6. *a rebus pretiosis cæli*; 7. *ab aromate*, *seu odore cæli*. A *meghed* volunt quidam esse plurale מגדנות *migdanot* inserto Nun, de quo diximus Genes. xxiv. vers. 53. quamvis alii nomen diversum existiment, nec derivari a *meghed*, neque cum eo significatum communicare. Vide ibi. ATQUE ABYSSO SUBIACENTE, id est aquis inferne fermentantibus, vel fontibus, rivis, venis, pinguedine soli. Vide Genes. xlix. vers. 25.

*V.* 14. AC LUNAE. Hebr. *& de eximio eiectivi lunarum*. גרש *geresch* cum Scin dextro, quod *eiectionem* vertimus, non alibi in Scripturis reperitur. Aiunt esse *eiectionem*, *extrusionem*, *protrusionem*, scilicet florum ac fructuum: fructum protrusum, & expulsum a lunationibus, seu lunis. Sunt enim quædam terræ nascentia, quæ ad lunæ dominium in nocte felicius proveniunt. Fructus, qui extruduntur, & florent, ac maturescunt virtute lunæ, quod luna foras illos protrudat, & operatione sua & influxu producat, & ad maturitatem perducat. Quanta sit vis lunæ in ratione seminum, & insitione arborum, qui res naturæ executi sunt, seorsum Plinius, abunde docent, qui Lib. XVIII. cap. xxx. inquit: *Crescente enim luna frumenta grandescunt*. Ergo hic exponunt, a præstantissimis fructibus protrusionis lunarum, seu lunationum; id est, quos quæque luna aut lunatio protrudit. Non placet quod quidam גרש *geresch* cum Scin dextro, de quo hic, & *Gheres* cum Scin sinistro, vel Samech, de quo Levit. II. vers. 14. confundant, & unum & idem nomen faciant, forte ab scribentibus imperite punctatum cum Scin sinistro: cum illud Levitici *excussionem granorum e folliculis*, *& contusionem* significet; istud vero ei-

*ejectionem*, *seu protrusionem* fructuum, cum primum protruduntur, erumpunt, ac maturescunt, designet. Aliqui vertunt, *& ob delicias influentiæ lunæ*. Alii, *& a delicatissimis & dulcissimis fructibus mensium:* quod suis quibusque mensibus sui quoque peculiares fructus fere proveniant.

*V.* 15. DE VERTICE, seu *cacumine*. Hebr. *de capite*. Quidam subaudiunt, *& de* eximio, vel delicia *capitis montium*, id est delicatis & opimis fructibus, qui proveniunt in cacuminibus montium. Alii, *de capite montium*, id est de præstantissimis rebus montium. Sic *caput* pro re præstantissima accipitur Exod. XXX. vers. 23. ANTIQUORUM MONTIUM. קדם *kedem*, hic varie vertunt. I. *Montium anterioritatis*, *antiquitatis*, *originis*, *principii*, *seculi*; id est, montium antiquissimorum, qui ab origine mundi creati sunt. II. *Montium orientis*, sive *orientalium*; id est, tam felices ac beati sint montes tribus Ioseph, ut sunt montes Orientis, qui ob fertilitatem & abundantiam frugum, & rerum omnium pretiosissimarum sunt celeberrimi, fere proverbio iactati.

*V.* 16. BENEDICTIO ILLIUS QUI APPARUIT IN RUBO. Hebr. *& de beneplacito*, *gratia*, *favore*, *bona voluntate*, *acceptatione*, *benevolentia*, *propenso animo* (Hæc enim omnia complectitur vox רצון *ratzon*, quam Noster hic *benedictio* vertit:) *scenitantis*, *tabernaculantis*, *cohabitantis rubi*, seu *rubum*, vel *in rubo*. In שוכני *schocheni*, quidam Iod volunt esse paragogicum, pro שוכן *schochen*, ob mysterium admirandæ illius apparitionis Dei in rubo, Exodi III. vers. 2. Alii putant adiectum Iod, ut esset id attributum Dei proprium. Nonnulli affixum esse existimant, *habitatores mei*. Unde quidam convertunt: *Et beneplacito Dei mei inhabitantis rubum*; quasi dicat: Nam superiora omnia effecta sunt manifeste procedentia ex beneplacito Dei, qui mihi primum apparuit in rubo. VENIAT SUPER CAPUT IOSEPH. Futurum תבואתה *tabothah*, præter morem duplicem habet paragogem, Thau, & He; cum dicendum esset *Thabo*. Hebræi, & Nostri notant utramque paragogem ad auxesim valere: nam perinde est ac si dixisset: *Benedictio veniet*, *veniet*: certissime, proculdubio quævis benedictio veniet copiose, abundanter, ubertim.

*V.* 17. QUASI PRIMOGENITI TAURI PULCHRITUDO EIUS. Hebraica diversimode reddi possunt. I. *Primogenitus bovis eius*, *decor ei*. Quidam exponunt: Primogenitus bovis eius, id est tribus eius (bovem pro tribu accipiunt) princeps ac præcipuus Iehosuagh, decorus atque inclytus fuit, atque tribui Ioseph magno decori & ornamento fuit. Aliqui reddunt: *Primogenitus bovis sui*, id est armenti sui, seu tribus. II. *Primogenitus bos eius*, *decor ei*. Ut sit vaticinium de Ephraim, qui oraculo divino in primogenitura prælatus fuit fratri suo maiori Menaseh, & illustrissimus fuit: ut videatur facta allusio ad nomen Ephraim, quod verbum affine פאר *peer*, *decorem*, *ornatum*, *gloriam* designet. III. *Primogeniti bovis illius decor est ei*; id est, duabus dignitatibus excellit, quod est primogenitus, & bos Dei: nam translatum est, quod ad possessionem attinet, primogenitorum ius a Reuben in Iosephum, I. Paralip. V. vers. I. deinde bovis officio (de quo Prover. XIV. vers. 4.) functus est, cum familiam paternam in AEgypto sustentavit: quamobrem dicuntur AEgyptii simulacrum Ioseph statuisse, eo quod bos agricultura cooperatur viro, ut scribitur Lib. I. de Mirabilibus sacræ Scripturæ, cap. XV. qui Liber S. Augustino vulgo inscribitur. Ioseph bovem, vel taurum appellatum, & AEgyptiis Apim, vel Serapim creditum, annotavimus in Genes. XLIX. vers. 6. HAE SUNT MULTITUDINES EPHRAIM: ET HAEC MILLIA MANASSE. Hebr. *Ea sunt multa decem millia Menaseh*: vel *eæ myriades Ephraim*, *& ea chiliades Menaseh*. Myriades Ephraim assignat, & millia Menaseh: quia Ephraim in iure primogenituræ prælatus ipsi Menaseh natura maiori, maiorem divina benedictione adeptus est sobolis copiam. Vide Genes. XLVIII. vers. 19.

*V.* 18. IN EXITU TUO. Hebr. *in exire te*, vel *in egredi tuo*; id est, cum exibis ad bellum: significat enim futurum eum bellicosum; quasi dicat: Promitte tibi victoriam cum ad bellum egredieris. Alii, *in exitu tuo*, id est in negotiatione tua: maritimam enim regionem habuit navigationibus aptam, Genes. XLIX. vers. 13. IN TABERNACULIS TUIS; id est, amabis vitam rusticanam tranquille & quiete in tentoriis habitans, & agriculturam exer-

exercens. Aiii: *Terra tua contentus esto*. Vide Genes. XLIX. vers. 14. & 15.

*V.* 19. POPULOS. Cum Israelitas, tum exteros, quod ii facilius facere poterant, quod remotiores a Ierusalem viciniores essent gentibus, & quod littus mediterraneum incolentes, commercia cum aliis gentibus exercerent. VOCABUNT; id est, invitabunt exemplo suo, qui licet remotissimi ab eo loco essent, studiose tamen ex lege, ac minime vacui ad templum confluebant; & ad confluendum eo alios hortabantur. AD MONTEM. Sionen intelligunt, vel Moriam, ubi extruendum erat Templum, & Deus colendus. VICTIMAS IUSTITIAE; id est, sacrificia eucharistica, seu pacifica, quæ secundum legem, seu ut ius requirit, fieri debent, nimirum rita & legitima. Quidam existimant, quod quia Zabulonitæ mercatores erant, ac divites, admoneri eos ut sacrificent sacrificia iustitiæ; id est, non ex rapinis, aut male partis. ET THESAUROS ABSCONDITOS ARENARUM. ושפני טמוני חול *usphune temune chol*. Duo sunt Pahulim, seu participia passiva syntactica, id est duplex regimen, nempe regimen regimini additum. Diversimode reddunt. 1. *& tecta*, *operta absconditorum arenæ*; 2. *& tegumenta thesaurorum arenæ*, id est tectos thesauros in arena; 3. *& cuneata thesaurorum arenæ*, id est thesauros arenæ quasi in cuneos compactos (Hispanice dicimus *thesoros encunnados*) 4. *& operta*, *occulta*, thesauros arenæ, hoc est maris: metonymia. Ego ad verbum reddiderim, *& tecti*, *operti*, id est Zabulonitæ operti, referti, pleni *absconditorum*, seu *occultorum*: nempe thesaurorum, sic appellatorum quod abscondantur & occultentur, *arenæ*, hoc est maris: nam opes multas ex navigatione, & commerciis comparabunt. Nonnulli exponunt, *& thesauros absconditos arenæ*; id est, terræ arenosæ, subaudi, sugent, seu effodient; id est, habebunt multas auri & argenti fodinas, unde ditissimi evadant.

*V.* 20. BENEDICTUS IN LATITUDINE GAD. Hebr. *Benedictus dilatans*, aut *dilatare faciens Gad*. Exponunt: Id est qui cesserit illi locum, & non restiterit ei dilatanti fines suos: seu qui Gad ab angustia liberat, efficitque ut commode habitet (Vide Genes. XLIX. vers. 19.) Nam sors Gad fuit confinis alienigenis, cum quibus bella gessit, & se dilatare potuit. QUASI LEO REQUIEVIT; id est, fortis & prævalidus in sorte sua habitabit, vicinis & circumiectis gentibus formidabilis, non aliter ac leo, quem cetera animalia timent. CEPITQUE BRACHIUM ET VERTICEM. Metaphoram esse volunt; id est, interficiet principes, & reges: hi enim per brachia, & vertices, sive capita designantur. Quidam exponunt quasi dicat: Iam possessio ei attributa est, ex qua tamquam leo commode potest in hostium prædam irruere. Vide I. Paralip. VI. vers. 18. & seqq.

*V.* 21. ET VIDIT PRINCIPATUM SUUM. Hebr. *Et vidit principium sibi*. Quidam reddunt. I. *Et vidit primitias sibi*; hoc est, iam petivit a me primitias terræ promissæ, & prima, seu principia terræ, quæ armis subiugavimus, nempe dari sibi in portionem & hereditatem terræ quam inhabitaret, regnum Sehon regis Amorrhæorum, & regnum Og regis Basan, Numer. XXXII. vers. 4. & 5. & 33. & seqq. II. *Et vidit principium sibi*; id est, præcipuam & meliorem seu præstantiorem partem terræ. prospexit sibi. III. *Qui prospexit de principiis ei*; id est, qui Deus tribuens ei possessionem ante reliquos fratres, iussit eum in prima acie contra Chananæos procedere, Numer. XXXII. vers. 16. & res suas interea, dum domo aberit, Deo committere. Vide Exodi XXXIV. vers. 24. & Iosue 1. vers. 13. 14. IV. *Primum sibi prospexit*; id est, primus petivit sibi possessionem, & a me accepit. Chaldæus: *Et accepit in principium partem suam*. V. *Et vidit principium sibi*; id est, proposuit sibi Deum, vel Filium Dei, cuius nomen est *Principium*: curavit religionem & cultum Dei, rationem Dei habuit præcipuam: nam possessionem optavit eo in loco ubi Moses vir Dei sanctissimus sepultus fuit, qui legem Dei proposuit & promulgavit. Interim recte Noster vertit *principatum*, quod ראשית *reschit* id quoque significet Numer. XXIV. vers. 20. ut etiam *principium*, Eccl. XI. vers. 3. QUOD IN PARTE SUA DOCTOR ESSET REPOSITUS. Hebr. *quia ibi portio Legislatoris absconditi*. Hebræi, & plerique Nostrorum intelligunt, quod in sorte Gaditica absconditus, seu reconditus, scilicet sepultus fuerit Moses legislator

tor; quasi dicat: Gad optavit portionem illam terræ amore religionis, quod illic sepelliendus esset Moses divinus legislator. Vel *Et vidit possessionem suam primatum & principatum obtinere inter alias, quod ibi conditus sit Moses*. Chaldæus: *Et accepit in principio partem suam, quoniam ibi in hereditate sua Moses scriba magnus & princeps Israel sepultus est*. Nonnulli Hebræorum, & aliqui Nostrorum vertunt: *Quod illic esset portio legislatoris tecta*. Ceterum חלקת *chalkat*, *portio*, est femineum; & ספון *saphun*, *tectus*, masculeum, unde non bene cohærent *portio, & tectus*: aiunt tamen potius hic habitam rationem synonymi חבל *chebel*, vel חלק *chelek* eiusdem radicis, quæ sunt mascula, in eodem significato *portionis*, aut *partis*; exponuntque, portionem esse principalem, & legislatoris, seu dominatoris terræ similem, ubi omnia sunt laqueata, & magnifice contacta. Notant ספן *saphan* proprie esse *superne obtegere*, *laqueare*, *contignare*, *cuneare*, *contabulare*, *concamerare*, *connectere tigna cuneolis intermediis*: unde Græcis σφὴν, *cuneus*; & *legislatorem*, pluraliter capiunt pro *legislatoribus*, seu principibus, redduntque: *Quod ibi esset portio principum*, & magnatum *tecta lequeata*, *contignata*, *&c.* id est, quod illic essent arces, & palatia principum & magnatum tecta, & laqueata materia nobili & pretiosa. Innuit civitates munitas & opulentas Amorrhæorum, quas ceperunt, ultra Iordanem. Alli convertunt: *Quia ibi in portione legislatoris protectus est*; atque explicant: quia in possessione, quæ ei per Mosen divino iussu attributa est, loco firmo ac munito situs & protectus est. Aliqui vertunt: *Quia ibi esset portio legislatoris laqueati*, vel *concamerati*, id est reconditi, & sepulti. QUI FUIT CUM PRINCIPIBUS POPULI. Hebr. *Et venit* ad *capita populi*. Quidam: *Ideo veniet cum primoribus populi*. Alii: *Et ibit*, pro ibunt, *capita populi*, nempe principes tribus Gad. Sensum esse aiunt: Non habitabit autem Gad illic in possessione sua antequam veniat ipse cum principibus aliis Israelitarum, ad subiugandam terram promissam. Vide Numer. XXXII. vers. 52. ET FECIT IUSTITIAS DOMINI, ET IUDICIUM SUUM CUM ISRAEL. Aliqui exponunt: Fecit quod ex iure & iustitia tenebatur facere, quod ei Dominus præcepit, & ipse promisit, nempe comitari filios Israel, & pergere cum eis in expeditionem ultra Iordanem ad occupandam terram Chanaan. Vide Num. XXXII. & Iosue I. vers. 12. & cap. IV. vers. 12. Alii explicant: *Fecit iustitiam & iudicia Iehovæ*: nimirum executus est iudicia Domini in exscindendis & exterminandis Chananæis.

*V.* 23. DAN CATULUS LEONIS: robore, & felicitate successus. FLUET LARGITER DE BASAN. Notant, in Basan fuisse leones fortissimos, & Basan fuisse sortem tribus Dan: falso addunt, id dictum propter Iordanem fluvium, qui flueret ex urbe Dan in terra Basan. Sed constat urbem Dan, unde fluebat Iordanis, non pertinuisse ad regionem Basan, quæ erat in regno Amorrhæorum ultra Iordanem. Plerique exponunt, futurum Dan fortissimum, ut leones Basanitidis, ubi optima erant pascua, & pecora saginabantur, in quæ leones insilirent. Verbum זנק *zanak*, quod Noster dixit *fluet largiter*, nuspiam alibi in Scriptura reperitur. Recentiores summo consensu vertunt, *saltabit*, *subsiliet*, *prosiliet*, *exiliet*: quo significatu passim utuntur Hebræi. Quidam vel de tribu, vel singulariter de Samsone hanc benedictionem accipiunt, eo modo quo alteram illam Iacobi de Dane explicavimus, Gen. XLIX. vers. 16.

*V.* 23. MARE ET MERIDIEM POSSIDEBIT. Mare seu lacum Genezereth, vel Tiberiadis intelligunt, cui adiacens terra fertilissima & amœnissima fuit, ut hic a Mose prædicatur: quamque Iosephus a præstantia & bonitate mirifice commendat Lib. III. Belli, cap. XVIII. Vide Numer. XXXIV. vers. 10. alii Mediterraneum supra Sidonem: nonnulli *Occidentem* reddunt.

*V.* 24. BENEDICTUS IN FILIIS ASER. Hebr. *Benedictus de filiis*. Quidam, *Præ filiis*; id est, præ copia filiorum, ac nepotum, præ abundantia sobolis, id est habebit amplissimam posteritatem. Nonnulli intelligunt Aser beatum in filiis, & filiabus, quod eos præ aliis tribus pulcherrimos & optimos haberet. Alii, *A filiis*; id est, a reliquis filiis Israel, fratribus suis, ut statim eos appellat, quibus e terra sua res optimas suppeditaturus est. ET TINGAT IN OLEO PEDEM SUUM; id est, tanta erit abundantia olei in terra eius, aut rerum pinguium, ut iis pedem suum lavare possit. Vide Gen. XLIX. vers. 19.

Simi-

Similis hyperbole est Gen. XLIX. verf. II.

*V.* 25. FERRUM ET AES CALCEAMENTUM EIUS. מנעלך *minghalecha*, & potest esse plurale, nam in plerisque exemplaribus habet Iod notam pluralis, *calceamenta tua*; vel singulare, *calceamentum tuum*. מנעל *minghal*, quæ vox alibi non legitur, quidam *compedem*; alii *seram*, *pessulum*; nonnulli *calcationem* interpretantur. Unde hic vertunt: *Ferrum & æs compedes tui*, seu *seræ*, aut *calcationes tuæ*. Quidam *Mem* faciunt præpositionem; *de calceo tuo*, aut *sub calceo tuo*; quasi dicat: Quidquid calcaveris calceamentis tuis, erit ferrum & æs; id est, in regione tua erunt multæ fodinæ ferri & æris terra, quam calcabis abundat fodinis ferri & æris. Vide supra cap. VIII. verf. 9. In sorte Aser fuit Tzarepta Sidoniorum, quæ a conflandorum metallorum officinis dicta videtur. Aliqui reddunt: *Ferrum & æs clausura tua*; id est, hæc sors erit munitissima, ac si claustris ferreis & æreis esset obserata: portæ ferreæ & æreæ munient eam. Nonnulli indicari putant ferreas ac pertinaces barbarorum vires, quas Aseritæ frangere non potuerunt. Quis enim nescit Tyrum ac Sidonem, & Galilæam gentium, multis infidelibus abundasse, quos Aseritæ expugnare non potuerunt, cum tamen in eorum sorte essent? SICUT DIES IUVENTUTIS TUAE, ITA ET SENECTUS TUA. Hebr. *& sicut dies tui*, דבאך *dabeecha*, vocem דובא *dobe*, litterarum transpositione deducunt a דאב *daab*, *debilitari*, & interpretantur *senectam*, seu *senectutem*, sic appellatam a debilitate; redduntque: *Et sicut dies tui, ita senectus tua*; id est, senectus tua erit tam firma & læta, ut fuerunt dies, scilicet boni iuventutis tuæ. Alii: *Et sicut dies tui, robur, fortitudo tua*; nimirum per antiphrasim a *daab*; id est, iuxta annos vitæ tuæ, semper idem erit robur tuum: ut iuventutis, ita senectutis robur firmum erit: quamdiu vixeris, eris fortis: vires tuæ tamdiu durabunt, quamdiu vives: ita eris fortis in senectute, atque in adolescentia. Aliqui: *Et longævus eris in senectute tua*. Nonnulli a דבב *dabab* derivant: *Et sicut dies tui, sermo, rumor tuus*, vel *sermones tui*; id est, quamdiu durabunt dies tui, sermones habeantur de te: vel quamdiu vives, tamdiu sermo de te erit, & sermone hominum celebraberis; hoc est, laus soli tui commendet nomen tuum in perpetuum. Frigide quidam: *Et sicut dies tui, tepor*, vel *tepiditas tua*, id est senecta: quia illis visum דובא *dobe*, & *tepor*, sono convenire. Prædicit, hominum huius tribus futurum longum vigorem, & vividum, vegetumque senectæ robur. Quidam: *Et quot dies tui, tot ærumnæ tuæ*; quasi dicat: Tibi certamen perpetuum est futurum cum veteribus tuarum possessionum colonis, a quibus tamquam ferreis & æneis claustris submoveberis.

*V.* 26. MAGNIFICENTIA EIUS DISCURRUNT NUBES. גאוה *gaavah*, *superbia*, *elatio*, *excellentia*, *magnificentia*, *gloria*. Nec Latinis *superbiæ* nomen Deo indignum, quibus id nomen interdum *altum*, *elatum*. Virgilius VII. AEneidos:

.... *Tyburque superbum*:

aliquando *ornatum*: AEneidos II.

*Barbarico postes auro, spoliisque superbi*

quandoque *opulentum*: AEneidos III.

.... *ceciditque superbum*
*Ilion* .....

id est, nobile, inclytum, opulentum, magnificum. Vide Nonium cap. IV. §. 420 NUBES. שחקים *schechakim*, a levitate & tenuitate dicuntur. *Cælos* plerique exponunt: alii *nubes levissimas*: nonnulli *æthera*: aliqui *superiores nubes*. Quidam vertunt: *Et magnificentia eius æther est*.

*V.* 27. HABITACULUM EIUS SURSUM. Hebr. *Habitaculum*, *cavea*, *receptaculum*, vel *mansio*. (מענה *meghonah* enim id significat, ut notavimus supra cap. XXVI. verf. 15.) *Deus ante*, seu *anterioritatis*, *sæculi*; idest, Deus habet suum habitaculum seu mansionem æternam. Quidam: *Qui* (æther) *iam olim habitatio Dei est*. Alii: *Ut habitaculum est Deus æternus*; id est, Deus æternus erit populo suo Israeli protectio, vel *protectio Deus sempiternus*. Melius: *Habitaculum Deus ante*; id est, ante ipsum Israel, seu supra, sursum ipsum Israel; id est, superne Deus protegit Israelem; est quasi habitaculum Deus supra caput Israelis, quo ipsum protegit ac defendit ab iniuriis cæli. Aliqui vertunt: *Habitaculum Deus orientis*: nam id קדם *bedem* quoque significat; quasi dicat, Deus orientis, seu Deus cælorum est Israeli veluti habitaculum, in quo tuto degat. ET SUBTER BRACHIA SEMPITERNA. Hebr. *& desubtus brachia æternitatis*, nempe

pe brachia æterna Dei, quæ fulciunt ipsum Israelem; scilicet omnipotentia sempiterna eius; quasi dicat, a vertice ad calcem diligenter custodit totum Israelem Deus: vel supra & infra eum habet protectorem. Nonnulli reddunt: *Et inferne brachia in mundo* extendit; quasi dicat: Deus superne in cælis seu æthere habitat, & inferne brachia in mundo extendit: adeo immensus est, & omnia pertingit. Aliqui hæc brachia, elementa intelligunt, vel montes, vel orientem, & occidentem. DICETQUE: CONTERERE. Facile crediderim Nostrum scripsisse, *Contere*: nam est imperativus Hiphil: nisi intransitive quoque vertissent LXX. sed est activum: *Disperde*, *dissipa*, *abole*; id est, instruet te mandato, & viribus ad perdendum eum. Faciet, iubebit ut deleas eum. Quidam reddunt: *Vastato*.

*V.* 28. OCULUS IACOB. Quidam putant esse blandientis, ut Latini dicunt *meus ocellus*, seu *ocelle mi*: Iacob, qui est Dei ocellus, illi carissimus. Alii *oculus Iacob*; subaudi, spectat, respicit, spirat ad terram frumenti, &c. Nonnulli reddunt: *fons Iacob*: appositive, Israel, qui est fons Iacob; id est, populus Israeliticus, qui est veluti rivus deductus a Iahakobo quasi a fonte; Aliqui, *fonte Iahakobi*; id est, perenni ortu, & flumine exundante benedictionem Dei in terra eorum qui manarunt ex Iahakobo.

*V.* 29. BEATUS ES TU ISRAEL. אשרי *aschre*, forma pluralis syntactica, quæ tamen numquam variatur: *Beatitudines*, *beatitates*, *felicitates* exponunt, forma emphatica, quasi multifariæ beatitates, vel multifariam beatus. Alii putant ubique adverbialiter poni, & esse particulam invariabilem instar אחלי *achale*, *utinam*, & אחרי *post*; & commodissime verti: *beate*, *bene*, *feliciter*, *prospere*, *præclare*: vel exclamative: *O quam beate*, *quam bene*, *quam feliciter*, *quam prospere*, *quam præclare est*, vel *agitur tecum o Israel*! vel *beate*, *feliciter tibi continget Israel*. ET GLADIUS GLORIAE TUAE; id est, quo tibi paratur gloria, maiestas & splendor: vel quo gloriaris & triumphas. Quidam: *Cuius gladius est excellentia tua*. NEGABUNT TE INIMICI TUI. De significatu verbi כחש *chachasch*, quod hic in futuro Niphal ponitur, diximus Levit. VI. vers. 2. Hic diversimode convertunt & exponunt. I. *Et abnegati sunt inimici tui tibi*. II. *Et studio maximo negabunt hostes tui tibi*; hoc est, contendent verbis ut convincant se non fuisse hostes. III. *Et mentientur inimici tui tibi*; id est, affingent sese, ficte se tibi submittent: vel cum se tibi submiserint, multa mentientur, ut se tibi excusent, & approbent. IV. *Et mendaces fiant inimici tui tibi*; id est, priventur facultate exequendi quod magnifice sibi pollicebantur. V. *Et humiliabuntur*, *subiicientur inimici tui tibi*. VI. *Et frustrabuntur inimici tui tibi*; id est, negabit illis Deus votum suum, in cassum evadent eorum in te conatus & prava studia. VII. *Et attenuabuntur*, *emaciabuntur*, e Psalm. CVIII. vers. 24. *inimici tui tibi*; id est, robore privabuntur & viribus. VIII. *Et debilitati sunt inimici tui erga te*. IX. *Et reddentur abiecti inimici tibi*. X. melius: *Et denegati fuerunt*, *mentiti fuerunt*, *defecerunt inimici tui tibi*; id est, præ robore & felicitate victoriarum tuarum hostes tui deficient, mentientur, id est extinguentur, consummabuntur, perdentur, frustrabuntur omnibus suis viribus & conatibus. *Mentiri*, *denegari*, pro *deficere*, phrasi Hebræa & Hispanica, ut Oseæ IX. vers. 2. *Et mustum mentietur*. Habacuc III. vers. 17. *Mentitum fuit opus olivæ*; id est, defecit, fefellit agricolam, nullum fructum tulit. Sic Horatius:

*Spem mentita seges*:

Virgilius:

*Et victum seges ægra negabant*.

Item Horatius:

..... *fundusque mendax*;

id est, qui votis aut spei non respondet agricolæ. Hispanice dicimus, *Mentio la annada*. Similem locutionem habes II. Samuelis XXII. vers. 45. Psalm. XVII. vers. 45. Psalm. LXV. vers. 16. *Inimici Domini mentiti sunt ei*; id est, defecerunt, evanuerunt, consumpti sunt. Quidam illud ad Gabaonitas arctant, qui mentiti sunt Israeli, se non esse de terra hostium illius, Iosue IX. EORUM COLLA CALCABIS. Hebr. *super excelsa eorum calcabis*; vel super capita & colla eorum, ut Iosue X. vers. 24. vel urbes eorum munitissimas & altissimas penetrabis, & obtinebis, supra cap. XXXII. vers. 13. aut aras, & delubra divum illorum pessundabis & demolieris.

MENOCHII.

*Verf.* 1. HOMO DEI, homo divinus, homo totus ad Dei voluntatem factus.

*V.* 2. DOMINUS DE SINAI VENIT, cum inde nobis legem dedit, & promulgavit. DE SEIR ORTUS EST NOBIS: APPARUIT DE MONTE PHARAN. Dicitur de Seir ortus, & de Pharan apparuiffe, quod ab ea parte in qua ad montem Sinai exiftentibus Hebræis cernebantur iuga montis Seir, & Pharan, quæ in eadem eremo confpicua erant, vifus fit primo divinus fplendor apparere, & paulatim ad montem Sinai accedere, ubi tandem refederit, totumque montem nebula, fumo, igne compleverit. SANCTORUM MILLIA, Angelorum fcilicet. IGNEA LEX, quia Deus eam ex igne feu monte igneo, & ardente dedit Ifraeli. Dicitur lex ifta in dextera eius effe, ad modum fcilicet dantis, vel eam dare volentis.

*V.* 3. DILEXIT POPULOS. Vel pofitus eft numerus pluralis pro fingulari, vel per *populos* intelligit Ifraeliticas tribus, quarum unaquæque integri populi inftar habebat. Hæ tribus vocantur populi, & gentes, Genef. XLVIII. 19. OMNES SANCTI IN MANU ILLIUS SUNT: totus populus Dei cultui dedicatus, illique fepofitus, & fanctificatus. *Sunt in manu*, id eft poteftate, & gubernatione Dei. ET QUI APPROPINQUANT, verti poteft, *Qui appropinquaverunt*. PEDIBUS EIUS, ad radices montis, ex quo a Deo lex dabatur. ACCIPIENT DE DOCTRINA ILLIUS: verti poteft, *Acceperunt de doctrina illius*, fanctam fcilicet legem; qua ad omnem honeftatem, vitam componerent.

*V.* 4. HEREDITATEM MULTITUDINIS IACOB; hoc eft, quæ quafi hereditario iure fit ad Iacobi pofteros tranfitura, & in eo populo permanfura.

*V.* 5. ERIT APUD RECTISSIMUM REX: verti poteft, *Fuit apud dilectum Rex*, & fenfus erit: Habuit dilectus populus Regem, hoc eft ducem, gubernatorem, ac legislatorem Mofen, qui ut Rex monarchico modo Ifrael gubernavit. Vel fenfus eft: Habebit Reges populus dilectus, quod factum eft in Saule, & aliis deinceps.

*V.* 6. VIVAT RUBEN, ET NON MORIATUR. Allufum eft ad prædictionem Iacob, qui de Ruben dixerat: *Effufus es ficut aqua, non crefcas*: Gen. XLIX. 4. Confirmat hoc Mofes docens non fore quidem delendam tribum illam de populo Ifrael, fed numero capitum non admodum augendam.

*V.* 7. AUDI DOMINE VOCEM IUDAE, tribu Iudæ precantis, ut promiffa terra potiri liceat. ET AD POPULUM SUUM INTRODUC EUM: & ad terram quam occupatura eft, introduc eam. MANUS EIUS PUGNABUNT PRO EO, populo fcilicet expellendo, & ineunda poffeffione terræ. ET AUDITOR ILLIUS, Deus fcilicet.

*V.* 8. PERFECTIO TUA, ET DOCTRINA TUA VIRO SANCTO TUO; fupple, data eft. Virum fanctum appellat Aaronem, quia fanctificatus per confecrationem in Pontificem. Huic data *perfectio*, & *doctrina*, quæ geftabat in Rationali, ut habemus Exodi XXVIII. 30. Laudat ergo Mofes tribum Levi a Pontificatu illi conceffo. QUEM PROBASTI IN TENTATIONE. Deus Aaron, & Mofen, eorumque fiduciam tentavit, & exploravit, cum populus in Cades propter aquæ defectum murmuravit: de quo vide Num. XX. 12. & ibi dicta. ET IUDICASTI AD AQUAS CONTRADICTIONIS. Iudicatus eft Aaron, quia terra promiffionis propter illud peccatum exclufus eft, ut etiam Mofes. *Ad aquas contradictionis*: ubi contradixit, & murmuravit populus.

*V.* 9. QUI DIXIT PATRI SUO, ET MATRI SUAE: NESCIO VOS, &c. quafi dicat: Levitæ in punitione idololatrarum, qui vitulum adoraverant Exod. XXXII. 28. non funt miferti amicorum, cognatorum, fratrum, ac filiorum, matrum, aut patrum, fed eos æque ac alios idololatras occiderunt. HI CUSTODIERUNT ELOQUIUM TUUM, ET PACTUM TUUM SERVAVERUNT: pactum cum Deo initum Exod. XXIV. 8.

*V.* 10. IUDICIA TUA O IACOB, ET LEGEM TUAM O ISRAEL. Nectenda hæc cum fuperioribus per appofitionem; quafi dicat: Hi cuftodierunt pactum, & eloquia tua, quæ nihil aliud funt, quam iudicia, & lex tua. PONENT THYMIAMA IN FURORE TUO, ad te fcilicet pla-

placandum: quod & fecisse Aaronem legimus Num. xvi. 47.

℣. 11. Benedic Domine fortitudini eius. Laudatur bellica fortitudo Levitarum, quæ maxime enituit in Machabæis.

℣. 12. Amantissimus Domini. Quemadmodum Iacob Beniamin eximie dilexit, ita & Dominus; quare ex hac tribu primus Rex Israeli datus est Saul, & in finibus Beniamin ædificatum est templum. Habitabit confidenter in eo. Hebr. *super eum*, Dominum scilicet, cum ut dixi, intra fines suos templum haberent Beniamitæ, & Dominum in eo habitantem. Quasi in thalamo tota die morabitur, Dominus scilicet in templo. Et inter humeros illius requiecet. Chaldæus vertit: *Et in terra eius habitabit maiestas Domini*. Dicitur Deus super humeros Beniamin requiescere, quia futurum erat ut templum Dei super edito monte Moria extructum, ad eum modum emineret, quo caput eminet super humeros.

℣. 13. De benedictione Domini terra eius; hoc est, terra eius a Deo erit benedicta, mire fertilis & amœna. Convenit tota hæc benedictio utrique tribui, Manassis scilicet & Ephraim, sed præcipue Ephraim. De pomis caeli, optimis fructibus, & plane deliciosis ob clementiam cæli, & benignos in terram illam influxus. Et rore, atque abysso subiacente. Facit enim ad fertilitatem ros decidens in sata, & fructus, & aquarum profunda fluenta iuxta arbores decurrentia, iuxta illud Psalm. I. *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*.

℣. 14. De pomis fructuum solis, ac lunae: hæc enim duo astra ad bonitatem, & maturitatem fructuum maxime concurrunt; luna de nocte humorem subministrando, sol diurno calore humorem excoquendo.

℣. 15. De vertice antiquorum montium, et pomis collium aeternorum. Laudat fructus a soli bonitate: meliores enim sunt ii qui in supinis collibus, quam qui proveniunt in planitie. Colles dicuntur æterni, & montes antiqui, quia cum ipsa terra a Deo creati sunt.

℣. 16. Et de frugibus terrae, campestris scilicet & planæ, et de plenitudine eius, abundantia scilicet & copia. Et super verticem Nazaraei. Ioseph, qui cur dictus sit Nazaræus, vide supra cap. xlix. Genes. ad num. 26.

℣. 17. Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius. His verbis regni Israelitici, quod in tribu Ephraim præcipuam sedem habuit, gloria, & fortitudo describitur. Taurus qui in armentio dominatur, Regis symbolum est: dicitur primogenitus, ut alludatur ad primogenitorum ius, quod ablatum a Ruben, consecutus est Ioseph. Cornua rhinocerotis cornua illius. Cornua in Scriptura sæpe sunt fortitudinis symbolum: hinc Psalm. lxxiv. extollere, & confringere cornua, est potentiam extollere, & deprimere. Nominatim vero rhinocerotis cornua celebrantur, ut cum dicitur Num. xxiii. 22. *Cuius fortitudo similis est rhinocerotis*. Hae sunt multitudines Ephraim, et haec millia Manasse: quibus scilicet hæ benedictiones conveniunt.

℣. 18. Laetare Zabulon in exitu tuo, occasione exportationis mercium: nam Zabulon proximus mari, mercaturæ addictus fuit. Et Issachar in tabernaculis tuis: tentoriis, casis, mapalibus agricolarum, ac pastorum, vitam securam, & quietam ducentium.

℣. 19. Populos vocabunt ad montem. Lætæ, & alacres hæ duæ tribus, quippe divitiis, & terræ fructibus abundantes, adscendent statis temporibus ad templum, & sua alacritate alias tribus ad idem officium religionis provocabunt. Victimas iustitiae, quæ immolantur ut legis præscripto satisfiat. Inundationem maris quasi lac sugent: opibus, & deliciis externis, quæ navibus invehuntur, affluent. Convenit hoc etiam Issachar, quæ tribus, dato Zabuloni frumento, &c. opes illas marinas vicissim accipiebat. Thesauros absconditos arenarum. Vel aurifodinas intelligit, vel thesauros, ac gemmas ab exteris allatas, quæ e terra, vel arenis extrahi, & colligi solent.

℣. 20. Benedictus in latitudine Gad: vel latitudine terræ spatio-

sæ, quam trans Iordanem accepit; vel per latitudinem, prosperitatem intelligit. QUASI LEO REQUIEVIT, hostes suos non timens, CEPITQUE BRACHIUM ET VERTICEM, fortes scilicet adversarios suos, & reges eorum.

*Vers.* 21. VIDIT PRINCIPATUM SUUM. Excellentiam quamdam suam præ aliis tribubus agnovit, & ea gavisus est. QUOD IN PARTE SUA, in finibus suis, DOCTOR ESSET REPOSITUS, Moses sepultus esset, licet locus nesciretur. QUI FUIT CUM PRINCIPIBUS POPULI: qui Moses in egressu ex AEgypto, & vaga per desertum peregrinatione dux, & comes ceterorum populi principum fuit. ET FECIT IUSTITIAS DOMINI, ET IUDICIUM SUUM CUM ISRAEL: iuste rexit populum, iuxta divinam legem.

*V.* 22. DAN CATULUS LEONIS. Vel ad totam tribum, vel ad Samson peculiariter refertur. FLUET LARGITER DE BASAN. Tribus Dan terram suam sortita est ad meridiem Iudæ; aliqua tamen pars huius tribus, relicta possessione sibi attributa, aliam sibi sedem quæsivit, & extrema terræ promissæ ad aquilonem, & Libanum incoluit, ubi & urbs nomine Dan extitit. Non procul ab hac urbe duo fontes Ior, & Dan oriuntur, qui Iordanem efficiunt: quia ergo fluvius hic terræ sanctæ præcipuus est, dicitur *Dan fluere*; hoc est, aquas suppeditare ad faciendum flumen, & terram rigandam. DE BASAN. In regione Basan, quæ & Batanæa dicitur, lacus exiguus est, qui Phiala dicitur, ex quo aquæ per subterraneos meatus influunt in fontem Dan, ex quo postea Iordanis.

*V.* 23. NEPHTHALI ABUNDANTIA PERFRUETUR. Fuit enim regio eius amœnissima & uberrima. MARE, ET MERIDIEM POSSIDEBIT, delicias scilicet & opes, quæ per mare advehuntur; quasi dicat: Nihil deerit huic tribui: solum habebit uberrimum, & insuper aliunde deliciis abundabit, a Sidoniis, Tyriis, ac Phœnicibus conterminis suis, importatis.

*V.* 24. BENEDICTUS IN FILIIS ASER, propter copiosam, & decoram prolem. SIT PLACENS FRATRIBUS SUIS. Eius virgines ad connubia expetentur ab aliis tribubus. TINGAT IN OLEO PEDEM SUUM. Tanta olei copia abundabit, ut eo etiam pedes lavare possit, ut Iob XXIX. 6. dicebat: *Quando lavabam pedes meos butyro*.

*V.* 25. FERRUM ET AES CALCEAMENTUM EIUS, claviculis ferreis, & æreis in calceis ad ornamentum infixis. SICUT DIES IUVENTUTIS TUAE, ITA ET SENECTUS TUA: senectus viridis, & vegeta, iuventuti non absimilis.

*V.* 26. RECTISSIMI, dilecti populi Israelis. ASCENSOR CAELI AUXILIATOR TUUS: qui cælum inhabitat, & illi quodammodo inequitat. MAGNIFICENTIA EIUS, magna eius sapentia & potentia.

*V.* 27. SURSUM, scilicet in cælo. ET SUBTER BRACHIA SEMPITERNA: brachia sua æterna extensa ad opem ferendam nobis, qui inferiores sumus. CONTERERE: est imperativus passivus: non dicet tantum, sed faciet, conteretque: nam dicere Dei, est efficax.

*V.* 28. CONFIDENTER ET SOLUS: etiam solus absque alio præsidio securus erit. OCULUS IACOB IN TERRA FRUMENTI, ET VINI. Oculi Israelitarum contemplabuntur terram feracem vini, & frumenti, quam possidebunt. CAELIQUE CALIGABUNT RORE. Ros per stillas defluit, & si quando copiosus sit caligine, & nebula solem obtegit, donec rore subsidente, sol nobis reddatur. Promittit ergo copiam roris.

*V.* 29. SALVARIS IN DOMINO, per Dominum. SCUTUM AUXILII TUI, scutum ad auxilium tibi ferendum. ET GLADIUS GLORIAE TUAE: neque enim solum scuto protegeris ab hostibus, sed gladio etiam illos impetes. NEGABUNT TE: resistent, contradicent tibi, subiici nolent. EORUM COLLA CALCABIS: eosque coges tibi ignominiosa subiectione parere.

## TIRINI.

*Vers.* 2. DOMINUS DE monte SINAI VENIT, quia in illo monte requievit gloria Dei, ipseque Deus ex vertice eiusdem montis legem suam promulgavit. ET DE SEIR monte Idumææ ORTUS EST NOBIS, quasi novus sol nos vivificans, cum ab ignitis serpenti-

tribus læsos serpente æneo nos curavit, Numer. xx. & xxi. Denique novo rursus beneficio APPARUIT nobis DE MONTE PHARAN, submittens coturnices, & Septuaginta iudices populo constituens, Num. xi. ET CUM EO SANCTORUM, Angelorum, MILLIA, Hebræa, LXX. & Aquila habent, *myriades Angelorum*, latera eius stipantium. IN DEXTERA EIUS, insigne nobis paratum donum, IGNEA LEX Decalogi. *Ignea*, inquam, quia ex igneo seu ardente monte promulgata; ex igne divini amoris & favoris profecta; & quasi igne excocta, pura, omnique sorde & scoria carens: denique instar ignis intellectum nostrum illuminans, & cor accendens atque inflammans.

*V.* 3. 4. & 5. DILEXIT POPULOS, nempe duodecim tribus Israel. Hæc vero dilectio causa est omnium beneficiorum partim jam commemoratorum, partim commemorandorum. Ex hac enim dilectione factum, quod OMNES SANCTI, scilicet Israelitæ, in sanctum a Deo populum ex toto orbe selecti, IN MANU ILLIUS SINT; hoc est, in Dei fida certaque protectione. ET QUI APPROPINQUANT PEDIBUS EIUS, hoc est qui se præbent obsequentes discipulos, ACCIPIENT DE DOCTRINA ILLIUS, qua plene instruentur ad omnem vitæ honestatem ac sanctitatem; quasi dicat: Non auscultabunt doctrinæ vanæ aut profanæ, sed soli *legi* divinæ, *quam* iubente Deo PRAECEPIT, explicuitque populo MOYSES, HEREDITATEM MULTITUDINIS IACOB; hoc est, quæ tam cara, tam pretiosa debet esse omnibus filiis Iacob, quam solet esse hereditas filiis a parente relicta: & sicut REX solet esse APUD populum RECTISSIMUM, seu recta politia institutum. Qualis rectitudo apud Israelitas semper erit, quamdiu unanimiter in divinæ legis observationem conspirabunt PRINCIPES POPULI CUM TRIBUBUS ISRAEL. Hæc præfatus Moyses de singularibus Dei beneficiis in universum populum, mox singulis seorsim tribubus benedicit, & prophetice olim obventura singulis prænuntiat. De primogenito Ruben vide dicta Gen. xlix.

*V.* 7. AUDI DOMINE VOCEM IUDAE, hoc est precem & supplicationem tribus Iudæ, qua promissum a te in omnes Israelitas principatum postulat sibi concedi, ET AD POPULUM SUUM sibi subiectum tamquam Princeps, & Rex *introduci* solemni inauguratione. Nam sic a te decretum est, ut *manus Iudæ pugnent pro* populo universo, tamquam vindices communis omnium salutis. Et de facto tribus Iuda fere semper, etiam ante designatos reges, principatum in bellis obtinuit, ut Iudic. I. vers. 2. & cap. xx. vers. 18. & alibi dicitur.

*V.* 8. Tribui LEVI.... AIT: PERFECTIO TUA, ET DOCTRINA TUA: Hebraice, *Tummim* & *Urim*: VIRO SANCTO TUO, Aaroni data sunt a te. Erant hæ gemmæ pretiosæ in pectorali summi Pontificis collocatæ, de quibus vide Exod. xxviii. vers. 30. Per quæ sacra Pontificatus insignia metonymice intelligit ipsummet Pontificatum Aaroni collatum, QUEM PROBASTI IN TENTATIONE AD AQUAS CONTRADICTIONIS, Num. xx. ET IUDICASTI; ac punivisti exclusione a terra promissa, adeoque & morte; quasi dicat: Non obstante tamen hac Aaronis offensa, voluisti summi Pontificatus honorem penes illius familiam, atque omnia sacerdotalia munia, & sacra templi ministeria penes hanc unam tribum perpetuo remanere, scilicet propter alia eiusdem tribus merita: ac præsertim propter insignem zelum Phinees, & egregium omnium Levitarum facinus, cum Exodi xxxii. cultores vituli aurei, nullo facto delectu seu fratrum, seu filiorum, seu parentum, cæco divinæ iustitiæ zelo contrucidarunt.

*V.* 11. PERCUTE DORSA INIMICORUM EIUS; quasi dicat: Tu Deus vicissim sterne inimicos illorum, qui tanto zelo persecuti sunt inimicos tuos. Præsignat his Moyses præclara facinora & victorias sacerdotum Machabæorum, quorum robur bellicum plane fuit admirabile, & triumphi supra modum illustres.

*V.* 12. BENIAMIN ut Iacobo patri suo AMANTISSIMUS fuit, ita & Deo opt. max. tribus illa erit carissima. Patet ex singularibus in eum collatis beneficiis: nam & pinguissimam totius terræ promissæ regionem accepit, in qua erant Iericho, & Ierosolyma: & primum Israel tarum regem, Saulem ex sua tribu habuit, & in eadem tribu templum Dei Ierosolymis exstructum fuit; in quo Deus CONFI-

FIDENTER, *tamquam* IN THALAMO SUO, INTER HUMEROS dilecti sui *morabatur & requiescebat*. Licet enim pars Ierosolymæ superior australis, ubi erat mons Sion, pertineret ad tribum Iuda; pars tamen inferior & septemtrionalis cum intermedio monte Moria, in quo templum exstructum fuit, spectabat ad tribum Beniamin *a*. Neque aliter in Scripturis dicitur *Deus habitasse in monte Sion*, vel *templum fuisse in monte Sion*, quam quod synecdochice *mons Sion* sumatur pro tota urbe Ierosolymitana: & quia coæquata a Salomone voragine Mello, quæ inter montem Sion & montem Moria interiacebat, uterque mons videri unus potuit, maiore communicante minori nomen suum.

*V*. 13. & seq. De benedictione Ioseph dixi Gen. XLIX. Hic per *poma* CAELI, & *poma* FRUCTUUM SOLIS AC LUNAE, intelliguntur optimi fructus, planeque deliciosi, ob clementem cæli & astrorum influxum in eam regionem quæ obtigit tribubus Ephraim & Manasse; designaturque maxima terræ fecunditas non solum in planitie & vallibus, sed etiam in VERTICE COLLIUM ET MONTIUM, & quidem AETERNORUM; hoc est, ab ipso mundi exordio sic factorum; quasi dicat: Hæc amœnitas & fertilitas non arte aut industria hominum inducta fuit, sed ab ipso Deo data opera a primo mundi exordio concreata. Sic *pulchritudine* PRIMOGENITI TAURI, ET CORNIBUS RHINOCEROTIS, regni Ephraimitici sub Ieroboam eiusque successoribus, gloria, decus, & robur designatur, ut in simili dixi Numer. XXIII.

*V*. 18. & 19. LAETARE ZABULON IN EXITU TUO, id est exportatione, & importatione mercium omnis generis, ET ISSACHAR IN TABERNACULIS TUIS, in quibus quiete degendo, & agriculturæ vacando, feliciter quoque augebis res tuas. POPULOS reliquarum tribuum VOCABUNT AD MONTEM Dei, seu ad templum, idque plici via. Prima, studio suo Astrologiæ, quod cum agricultura maxime quadrat: unde I. Paral. XII. vers. 32. dicuntur fuisse *de filiis Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora, ad præcipiendum quid facere deberet Israel*. Videtur enim Issacharæis cura demandata fuisse ephemerides, & stata per annum festa describendi, ordinandi neomenias, & cum opus esset embolismalem mensem intercalandi: atque ita passim indicandi quibus temporibus ter per annum ad montem sanctum & templum omnibus conveniendum esset, quod ipsum erat tacite invitare & *vocare ad montem*. Altera via quoque vocabunt, exemplo aliis præeundo: nempe copiosas VICTIMAS IUSTITIAE, seu lege debitas, ex fructuum suorum ubere proventu, quotannis immolando, quoties ad templum ascenderent; quasi dicat: In eo reliquis præcellent, & præibunt. Sed vicissim Deus illis quoque copiosius benedicet: nam INUNDATIONEM MARIS QUASI LAC SUGENT; hoc est, opibus ac deliciis externis, quas mare navibus affundet illis, affluent, *& thesauris absconditis arenarum*, id est auro, argento, gemmis aliunde invectis, quæ e terra vel arenis effodi solent, mire abundabunt.

*V*. 20. & 21. BENEDICTUS GAD; primo IN LATITUDINE; hoc est, propter latam & spatiosam regionem, quam trans Iordanem obtinuit. Secundo ob fortitudinem bellicam, & devictis hostibus securitatem, quia QUASI LEO victor & dominator omnium securus & neminem timens *quiescet*, & leonis in morem, qui prædæ quam cepit, BRACHIUM seu armum, simul ET VERTICEM seu caput, uno impetu & unguium impressione a reliquo corpore divellit, Gaditæ adversarios suos eorumque duces ac reges discerpent. Tertio ob PRINCIPATUM SUUM, hoc est singularem excellentiam quæ præ reliquis tribubus gaudet: QUOD IN PARTE SUA DOCTOR totius populi, puta Moyses, ESSET REPOSITUS: quia mons Nebo, ubi sepultus est Moyses, intra terminos Gaditarum continetur.

*V*. 22. DAN fortis erit & audax ut CATULUS LEONIS. Patuit exemplo Samsonis. FLUET LARGITER; hoc est, largissimum maximumque fluvium subministrabit reliquæ terræ sanctæ. Nam ex hac tribu ad radices Libani duo fontes ac rivi oriuntur, Ior, & Dan dicti, qui prope urbem Dan coeuntes, Iordanem efficiunt. Qui tamen DE BASAN quoque profluere hic dicitur, quia primam suam originem per subterraneos meatus accipit ex Basan, puta ex Phiala fonte, seu lacu, ut experimento, drepehendit etiam Philippus Tetrarcha, sarcinulis in eum lacum coniectis,

ctis, & postea in fonte Dan repertis, teste Iosepho, Hegesippo, Adrichom, & aliis *b*.

*V.* 24. ASER BENEDICTUS erit, primo IN FILIIS, nempe prolibus quæ ob eximiam formam fratribus, seu ceteris reliquarum tribuum futuræ sint in amore, & deliciis: eritque hæc forma non fluxa, nec imbellis, sed constans & robusta. SICUT DIES IUVENTUTIS TUAE, ITA ET SENECTUS TUA; hoc est, perduratura in longam senectutem. Secundo copia olei, ut præ abundantia possit etiam IN OLEO quasi aqua pedes quotidie lavare. Huc etiam allusit Iacob Genesis quadragesimo nono eidem tribui benedicens *a*, *Pinguis*, inquit, *panis eius*, *& præbebit delicias regibus*. Tertio fodinis ferri & æris, tam copiosis, ut etiam calceos inde conficere possent si vellent. Forte etiam moris apud eos fuit, calceorum fulcimentis ac soleis tum subtus, tum ad latus clavos impingere, ferreos pro rusticis ac plebeiis, æneos pro honestioribus. Nam id olim etiam apud Romanos, & Syros, & alios populos usitatissimum fuisse testes sunt Iuvenalis, Iosephus, Plinius, Valerius Maximus *c*.

*V.* 28. OCULUS IACOB IN TERRA FRUMENTI ET VINI; hoc est, oculi posterorum Iacob contemplabuntur terram sibi datam frumenti & vini supra modum feracem: CAELIQUE CALIGABUNT RORE: nempe tam copiosus ros decidet, ut caligine densaque nebula solem, cælumque nobis obtegat. Quæ res ad frugum & fructuum abundantiam mire confert.

(*a*) Lyranus in Genes. XXVIII.
(*b*) Ioseph. Lib. III. Belli cap. XVIII. Adrich. in Iordane & Phiala.
(*c*) Iuvenalis Satyra III. Ioseph. Lib. VII. Belli cap. III. Plin. Lib. XXXIII. 3. Valer. Maxim. Lib. IX. cap. I.

## GORDONI.

*Vers.* 2. DOMINUS DE SINAI VENIT: quia inde legem dedit Exod. XX. DE SEIR ORTUS EST, quando iussit erigi serpentem æneum, Num. XXI. APPARUIT DE MONTE PHARAN, dando conturnices, & septuaginta Iudices, Num. XI. ET CUM EO SANCTORUM MILLIA. Dan. VII. vers. 10.

*V.* 3. & 4. DILEXIT POPULOS, seu populum hunc, & tribus Israel: & ideo sanctos vocat, nempe peculiariter electos a Deo. Hi etiam appropinquantes ad pedes Dei, & radicem montis, acceperunt doctrinam & legem: & hæc erit pro hereditate domus Iacob, tradita per Mosen.

*V.* 5. ERIT APUD RECTISSIMUM REX; hoc est, quamdiu Israel erit rectus, Rex eius erit Deus legifer.

*V.* 6. VIVAT RUBEN, &c. Moses moriturus prophetizat de futuro statu tribuum. Intermittit tamen Simeonem (qui tamen vitiose irrepsit apud Septuaginta) ut certe non est in aliis editionibus. Omissionis causam dant aliqui, quia tribus hæc fornicatione, & idololatria vehementer contaminata fuit. Ceterum Ruben (inquit Moses) quamvis ob incestum deleri potuerit, tamen non deficiet, sed parvo erit numero. Gen. XLIX. vers. 3.

*V.* 7. HAEC EST BENEDICTIO IUDAE. Iudas pugnabit pro populo Israel, & princeps tribuum constituetur. Vide Iud. I. vers. 2. & Gen. XLIX. vers. 10.

*V.* 8. usque ad 12. LEVI QUOQUE, &c. Data scilicet est viro sancto Aaroni, perfectio & veritas, seu *Urim*, *& Thummim*, ut dictum est Exod. XXVIII. vers. 30. Doctrina, inquam, & veritas. Hic pontificatum commendat, datum Aaroni, & posteritati eius. Probatus vero fuit in fide erga Deum, ad aquas contradictionis, Num. XX. ubi hæsitavit. Dixit vero ille, immo & tota hæc tribus, patri & matri, Nescio vos; hoc est, æstuantes zelo divini honoris, ultionem, & cædem in fratres exercuerunt, ut narratur Exod. XXXII. vers. 25. nullo parentum habito discrimine. Cetera hinc clara sunt.

*V.* 12. ET BENIAMIN, &c. tribus dilecta; ut olim Patriarchæ natorum minimus, ita accepit hæc tribus fertilissimam terræ partem, in qua Ierichoerant & Ierusalem, Saulis patria primi Regis. At quis requiescet inter humeros Beniamin? Certe Deus. Erat enim templum, & mons Moria in illa tribu. Hinc Chaldæus: *Et in terra eius Maiestas Domini*. Erat Moria mons medius, inter montem Sion & inferiorem Civitatem: quamvis aliqui velint partem montis Moriæ pertinuisse ad Iudam.

dam, idque ab eo præsertim tempore quo Salomon replevit voraginem inter Moriam & montem Sion, ut exscinderetur tantum unus mons.

*V.* 13. usque ad 18. IOSEPH QUOQUE, &c. Terra eius benedicta a Deo erit: terra, inquam, Ephraim, & Manasse. *Poma cæli* fructus optimos notant. Septuag. *maturos fructus*, ὡραῖα. Late ergo hic vox *pomum*. In idem recidit, quod sequitur de pomis fructuum solis & lunæ. Accedet etiam fertilitas ex irrigatione terrestri a collibus antiquissimis, iam inde ab origine mundi conditis. Deus est qui apparuit in rubo, Exod. cap. III. de quo hic Moses. Quod vero est hic vers. 16. SUPER VERTICEM NAZARAEI, habetur, & explicatur Genes. XLIX. in benedictione eiusdem Ioseph. Porro PULCHRITUDO *Ioseph* QUASI PRIMOGENITI TAURI. Israelitici regni gloriam designat hoc symbolum primogeniti, ex potentia decem Tribuum in regno Israel, quod ad Ephraim pervenit. Eamdem fortitudinem, & potentiam notat, quod sequitur, CORNUA RHINOCEROTIS, CORNUA EIUS.

*V.* 18. & 19. ZABULON.... ET ISSACHAR.. POPULOS VOCABUNT AD MONTEM. Duas hic Tribus dat, quibus opulentiam designat. Zabulonitis quidem inter duo maria, qui mercimoniis vacabant, ut vides Gen. XLIX. de eadem Tribu. Issachar vero commendatur ut Tribus quieta, & agriculturæ dedita, ex eodem cap. XLIX. Hi ergo populos vocabunt ad montem, & haurient ex maris arenis divitias: hoc quidem secundum ex navigatione, ut non aberant multum a littore maris. Primum vero illud aliqui interpretantur, solitos fuisse illos ex Tribu Issachar, præter neomenias, & festos dies, designare etiam quibus temporibus eundum esset ad victimas in templo offerendas; vel etiam, quod ipsi cum essent divites, multas & lætas victimas iustitiæ essent oblaturi.

*V.* 20. ET GAD AIT. Benedictio Gad est in amplitudine regionis, quæ illi trans Iordanem obvenit. Addit etiam laudem a fortitudine bellica, qua ibi devicit hostes: QUASI LEO, inquit, REQUIEVIT, CEPITQUE BRACHIUM ET VERTICEM, hostium scilicet, quos debellavit. In brachio est fortitudo. Sed quis iste *principatus*, & quis *doctor*? uno verbo dici potest esse Mosen, qui doctor & promulgator legis est, sepultum in possessione Gad; & in hoc tribum hanc accepisse principatum supra alias. Ille, inquam, qui fecit iustitias & iudicia in Israel.

*V.* 22. DAN CATULUS LEONIS, &c. Audax, & ira nobilis, ut leo, & præsertim propter Samsonem ex ea tribu oriundum. *Dan* vero FLUIT LARGITER, quia ex ea tribu fluit Iordanis, sed ex BASAN (quæ est in Basanitide regione trans Iordanem) ubi est fons, e quo multi putant oriri Iordanem; licet alii putaverint originem esse prope Libanum, ut alibi dixi. Num. cap. XXXIV.

*V.* 23. NEPHTHALI ABUNDANTIA PERFRUETUR. Septuag. habent, *Satietatem acceptabilem*, id est πλησμονὴν δεκτῶν, alii εὐδοξίαν; in Hebr. est, *Saturitas voluntatis*. Regio quidem quæ huic tribui obvenit, simul fertilis fuit & valde amœna. Atque hinc iam quod additur, MARE, ET MERIDIEM POSSIDEBIT, est allegoricum, designans opes quas affert mare, & delicias australium regionum. Vel etiam de vicinarum tribuum commercio hoc explicari potest: nam Nephthali ex una parte habebat tribum Aser, quæ Tyrum, & Sidonem tangebat; & ex altera habebat tribum Zabulon meridionalem. Vide Adrichomium de situ Nephthali, a fontibus Iordanis usque ad mare Genesareth: sic enim obtinebat longum satis Iordanis tractum.

*V.* 24. & 25. BENEDICTUS IN FILIIS ASER; hoc est, prole pulchra, & passim expetenda ad connubium: ac proinde dicitur PLACENS FRATRIBUS. Ibi porro magna erit olei copia, & ubertas, ut TINGAT, inquit, IN OLEO PEDEM SUUM. Sic etiam Genes. XLIX. *Pinguis panis eius*. At quomodo vers. 25. FERRUM ET AES CALCEAMENTUM EIUS? Notat ex fodinis porro opulentiam, atque æris & ferri copiam. Et SICUT DIES SENECTUTIS, &c. hoc est, perdurabit diu satis tota hæc gloria, & benedictio tua.

*V.* 26. NON EST DEUS ALIUS UT DEUS RECTISSIMI, &c. Digressio est

cum

cum epiphonemate, de laudando Deo tot benedictionum auctore, erga omnes tribus Israel. Nomine *rectissimi* Israelem intelligit. Non est Deus alius ut Deus Israelis, & similia usque ad finem capitis.

*V.* 27. 28. & 29. NUBES MAGNIFICENTIAM DEI PRAEDICANT. Habitat sursum in cælo, ac nubibus; & tamen subtus, versus terram, extendit brachium, potentiam, & providentiam. Oculi, & posteri Iacob bonis abundabunt & cæli caligabunt rore: nempe quando ros densus est, sol caligare videtur. In Hebr. *Stillabunt cæli*, scilicet defluente per stillas rore. Tandem extremo versu concludit: NEGABUNT TE INIMICI TUI, hoc est contradicent; sed TU eos vinces, obrues, CALCABIS.

# CAPUT XXXIV.

*Contemplata Terra moritur Moyses, & occulte a Deo sepultus fletur a populo, illique Iosue substituitur: commendatur propheta Moyses a Dei familiaritate, & factis per ipsum signis.*



1. Scendit (*a*) ergo Moyses de campestribus Moab super Mon-
tem Nebo, in vericem Phasga contra Iericho: ostenditque
ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan, 2. &
universum Nephthali, terramque Ephraim & Manasse, *&
omnem terram Iuda usque ad mare novissimum, 3. & au-
stralem partem, & latitudinem campi Iericho civitatis pal-
marum usque Segor. 4. Dixitque Dominus ad eum: (*b*)
Hæc est terra, pro qua iuravi Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo
dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. 5. Mortuusque
est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, iubente Domino: 6. & sepelivit
eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognovit homo sepulcrum
eius usque in præsentem diem. 7. Moyses centum & viginti annorum erat quan-
do mortuus est: non caligavit oculus eius, nec dentes illius moti sunt. 8. Fle-
veruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus: & completi
sunt dies planctus lugentium Moysen. 9. Iosue vero filius Nun repletus est Spi-
ritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii
Israel, feceruntque sicut præcepit Dominus Moysi. 10. Et non surrexit ultra
propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, 11. in
omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra AEgy-
pti Pharaoni, & omnibus servis eius, universæque terræ illius, 12. & cunctam
manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israel.

(*a*) II. Mach. II. 4. Sup. III. 27. (*b*) Gen. XII. 7. & XV. 18.

## BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 2. *Et omnem terram Iuda*. Nequaquam omittenda est vox *Iuda*, quod quidam faciunt.

# COMMENTARIA

## S A.

*Verſ.* 1. PHASGA; id eſt, qui dicitur Phaſga. CONTRA, id eſt e regione.

*V.* 5. MORTUUSQUE, &c. Hæc uſque ad finem cap. addita ſecundum quoſdam a Ioſue, vel Eſdra. IUBENTE DOMINO. Hebr. *iuxta verbum Domini*,

*V.* 6. SEPELIVIT: ſcilicet Deus, vel Angelus. CONTRA PHOGOR: id eſt ea parte, qua reſpicit fanum idoli Moabitarum.

*V.* 7. DENTES ILLIUS MOTI SUNT. Hebr. *Fugit vigor*. LXX. *Corrupta ſunt labia*. Chald. *Mutatus eſt ſplendor vultus*.

*V.* 8. FLEVERUNTQUE, non lacrymis, ſed pompa funeris: Hieronym. epiſtol. xxv.

*V.* 10. SURREXIT; id eſt, natus eſt, ſeu inter homines extitit. FACIE AD FACIEM, id eſt familiariſſime.

*V.* 11. QUAE MISIT PER EUM. Heb. & LXX. *ad quæ miſit eum*.

## E S T I I.

*Verſ.* 5. MORTUUSQUE EST IBI MOYSES. Non ergo Moyſes huius narrationis ultimæ auctor eſt. Plerique Ioſue auctorem faciunt. Alii Eleazarum, quod eſt veriſimilius tam de hoc capite, quam de Ioſue Libro; in quo etiam ipſius Ioſue mors deſcribitur. Quod vero quidam ab Eſdra dicant hæc eſſe adiecta, quando libros ſacros reſtituit (ut vult quoque Gloſſa ordinaria) puto minus verum.

*V.* 6. ET NON COGNOVIT HOMO SEPULCRUM EIUS USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Hoc propterea factum putatur, ne populus Iſrael Moyſen coleret ut Deum, & corpori eius divinos honores exhiberet propter excellentiam eius, & miraculorum magnitudinem. Atque hinc orta illa altercatio inter diabolum & Michaelem Archangelum, de qua in epiſtola Iudæ dicitur, quod contenderunt de corpore Moyſi. Nam diabolus voluit manifeſte ſepeliri, velut ſolicitus pro honore tanti Prophetæ; revera autem hoc agens, ut ea occaſione populum adduceret ad idololatriam; Michael autem occulte ſepeliri voluit, iubente Domino, ob cauſam ſupradictam.

*V.* 7. NEC CALIGAVIT OCULUS EIUS, NEC DENTES ILLIUS MOTI SUNT. Vide ſupra cap. xxxi. verſ. 2.

*V.* 10. NON SURREXIT ULTRA PROPHETA IN ISRAEL SICUT MOYSES. Quæritur quomodo ergo Chriſtus dicat Lucæ cap. vii. *Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt*? Reſpondeo: Non ſurrexit ultra ſicut Moyſes: nempe, ut ſubiungitur, qui ita familiariter cum Deo ageret, &c. Vide etiam ſupra Annot. cap. xviii.

## M A R I A N AE.

*Verſ.* 1. ASCENDIT ERGO MOYSES. Num hoc caput eſt additum a Ioſue? de quo Geneſis initio. USQUE DAN. *Dan* eſt, qua ad Septemtrionem finitur terra promiſſionis, iuxta illud, *A Dan uſque Berſabee*. Iudic. xx. verſ. 1.

*V.* 3. CIVITATIS PALMARUM. Sic Iericho vocabatur a copia eius arboris, quæ Hebr. dicitur *Thamar*, unde noſtris *tamaras*, pro fructu eius.

*V.* 5. IUBENTE DOMINO. Hebr. *ſuper* (pro, iuxta) *os Domini*; id eſt, iuxta verbum aut ſermonem Domini, ut ipſe iuſſit, aut prædixit, obiit Moyſes. Rabbi Selomo explicat בנשיקה *beneſikah* in *oſculo*; id eſt, cum eum Dominus oſculatus eſſet, mortuus eſt. Nugæ. Sic Septuag. & Chald.

*V.* 6. ET SEPELIVIT EUM; ſupple, Dominus: ſic fere Latini. Sept. *Sepelierunt eum*, ſumentes ſingulare pro plurali, ſcilicet populus. Hebræi, quoniam non ait quis ſepelierit eum, dicunt ſeipſum ſepeliſſe ingreſſum in arctam ſpeluncam. *Sepelivit eum*, id eſt ſe. IN VALLE TERRAE MOAB: ſic eſt Hebr. Sept. *in terra Moab*, credo quod aſcendiſſe dixerit in verticem montis Phaſga, qui mons erat in terra Moab.

CON-

CONTRA PHOGOR. Hebr. *contra Beth-phegor*.

*V*. 7. NEC DENTES ILLIUS MOTI SUNT. Hebr. *Et non fugit vigor eius*.

*V*. 8. TRIGINTA DIEBUS. In funere Principum tot dies lacrymas continuare moris erat: Num. xx. verſ. 29.

*V*. 9. QUIA MOYSES POSUIT SUPER EUM MANUS SUAS. Vides initium impoſitionis manuum, quæ fit inter nos in conſecratione ſacerdotum. Vides ea cæremonia dari cæleſtia dona.

*V*. 10. ET NON SURREXIT ULTRA PROPHETA. An Moyſes fuerit Prophetarum maximus, Geneſis initio dictum eſt.

*V*. 12. MAGNAQUE MIRABILIA, QUAE FECIT MOYSES. Hebr. *terrorem magnum*: ſed ex miraculis procedit terror, itaque Sept. & Chald. *mirabilia* dixere.

## MALVENDAE.

*Verſ*. 1. SUPER MONTEM NEBO. Vide ſupra cap. XXXII. verſ. 49. & Numer. XXXII. verſ. 3. IN VERTICEM PHASGA. Alii pro appellativo capiunt, *in caput*, *cacumen*, *verticem collis*. Vide Numer. XXI. verſ. 20. & ſupra cap. III. verſ. 27. Quidam notant Nebo, eſſe partem montium Habarimorum: eiuſque verticem dici Phaſga, qua parte reſpicit Iericho; qua autem parte reſpicit Moabitidem regionem, dici Gai, id eſt vallem, ſupra cap. III. verſ. 29. OMNEM TERRAM GALAAD USQUE DAN. Quidam exponunt *omnem terram*, nempe ipſum *Galaad uſque Dan*. Alii, *a Galaad uſque Dan*.

*V*. 3. CIVITATIS PALMARUM. Ita quoque appellatur Iericho Iudicum I. verſ. 16. & II. Paralip. XXVIII. verſ. 15. Strabo Lib. XVI. pag. 763. de Iericho: *Ibi eſt palmetum, locus ferax, palmis abundans. Palmetum quod palmam caryotam fert, alibi nullum eſt, excepto Babylonio, &c. maximus quidem ex eis proventus eſt*. Diodorus Siculus Lib. II. num. 93. *Palmetis tamen ea regio ferax eſt*. Ioſephus Lib. V. Belli cap. IV. *Palmarumque irriguarum genera tam ſapore quam nominibus varia: quarum pinguiſſimæ calcibus preſſæ plurimum mellis emittunt, non multum alio melle deterius*. Plinius Lib. V. cap. XIV. *Hierichuntem palmetis conſitam*. Nec dubito Virgilium initio III. Georgicor. huc reſpexiſſe:

> *Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas*.

Et Lucanum Lib. XIII.

> .... *Arbuſto palmarum dives Idume*.

Idumæam catechriſtice pro Iudæa vicina ponentes. Poſſis quoque reddere Hebræa, *vallem Iericho, urbem palmarum, uſque ad Tzoghar*; ut ſit aſyntheton, *& urbem palmarum*, nempe Engaddi, palmetis nobilem: de qua vide Geneſ. XIV. verſ. 7. & Iudicum I. verſ. 16. USQUE SEGOR. De hac urbe vide plura Geneſ. XIX. verſ. 22.

*V*. 5. MORTUUSQUE EST IBI MOYSES. De morte Moſis diſſeruimus pluribus Lib. X. de Antichriſto, cap. XII. IUBENTE DOMINO. Hebr. *ſuper os Iehovæ*: quidam, *iuxta ſermonem Domini*: alii, *ex præſtituto Iehovæ*; vel ſicut ei Dominus ſæpius prædixerat.

*V*. 6. ET SEPELIVIT EUM. Subaudi, Deus, vel Angelus, ut volunt Philo Lib. III. extremo de vita Moſis, S. Epiphanius hæreſi IX. colum. 23. OEcumenius in Epiſtolam Iudæ. Alii volunt tertiam perſonam præteriti activam ſumi paſſive, ſeu imperſonaliter, ut alibi ſæpe, more Hebraico, *Et ſepelivit eum*; id eſt, *& ſepultus fuit is*. IN VALLE. Hebr. *in Gai*. Quidam nomen proprium eſſe putant montis Nebo, ea parte qua reſpicit Moabitidem regionem. Vide ſupra verſ. 1. CONTRA PHOGOR. Hebr. *e regione Beth Phegbor*. De hoc loco vide ſupra cap. III. verſ. 29. & Numer. XXIII. verſ. 28. ET NON COGNOVIT HOMO SEPULCRUM EIUS. Conſentiunt fere omnes, & res ipſa loquitur, cauſam quare incognitam eſſe voluerit Deus ſepulturam Moſis, eſſe ut Iudæis adimeretur occaſio idololatriæ, nam tantum virum facile ut Deum adoraviſſent. Vide Epiſtolam Iudæ verſ. 9. Prava imitatione Moſis videntur Ethnici finxiſſe ſuorum legiſlatorum raptus a conſpectu hominum, ut Romuli apud Livium, Plutarchum, Auctorem de Viris Illuſtribus; item Apollonii Thyanæi apud Philoſtratum Lib. VIII. de Eius Vita, cap. XII.

*V*. 7. MOYSES CENTUM ET VIGINTI ANNORUM ERAT QUANDO MORTUUS EST. Tremellius Pollio in Claudio

dio XI. *Doctissimi mathematicorum centum & viginti annos homini ad vivendum datos iudicant, neque amplius cuiquam iactitant esse concessum: etiam illud addentes, Mosem solum Dei, ut Iudæorum libri loquuntur, familiarem, centum viginti quinque annos vixisse: qui cum quereretur quod iuvenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine, Neminem plus esse victurum.* Errat Pollio: nam Moses non vixit nisi 120. annos. Illud quod ait *ab incerto ferunt numine*, imprudenter gentilis scriptor indicavit locum Genes. VI. vers. 3. *Eruntque dies illius centum viginti anni*. Vide Com. nostros ibi. Mosen obiisse prima die mensis Adar, Iosephus affirmat: Hebræi constanter tradunt esse septima, qua etiam natus fuerit, quod est probabilius. Vide Explanatores. NEC DENTES ILLIUS MOTI SUNT. Hebr. *Et non fugit viriditas eius*, seu *succus eius*. Quidam intelligunt splendorem illum radiorum, qui e facie eius vibrabatur, numquam evanuisse, aut recessisse. Alii succum nativum accipiunt; quasi dicat: Semper ei fuit facies & totum corpus succulentum & plenum, non exhaustum, siccum, aridum, in rugas contractum, ut aliis senibus. Nonnulli reddunt: *Et non defecit gena, maxilla eius*; id est, vel decidentibus dentibus, quod Noster intellexit: vel quod ei genæ vel malæ labascerent, ut senibus. De Augusto morti proximo Svetonius cap. XCIX. *Capillum sibi comi, ac malas labentes corrigi præcepit*. Seneca in Hyppolito:

*...... lapsæ genæ,*
*Lucem recusant ......*

*V.* 9. QUIA MOYSES POSUIT SUPER EUM MANUS SUAS. Quidam Hebr. vertunt: *Cum imposuisset Moseh manus suas ei*, scilicet ex mandato Dei. Vide historiam totam Numer. XXVII. vers. 18. & seqq. & supra cap. XXXI. vers. 7. & 23.

*V.* 10. QUEM NOSSET DOMINUS FACIE AD FACIEM. Vide Exod. XXXIII. vers. 11. & Numeror. XII. vers. 6. & seqq.

*V.* 11. IN OMNIBUS SIGNIS, ATQUE PORTENTIS. Tres sunt dativi Hebr. qui per ablativos recte redduntur. Alii, *per omnia signa, & prodigia*; vel *propter omnia signa, &c.* aut *secundum omnia signa, &c.*

*V.* 12. ET CUNCTAM MANUM ROBUSTAM, &c. Totum versum verbatim ex Hebræo convertimus (*Et omni manui obtentæ, & omni timori grandi; quæ fecit Moseh oculis omnis Israel.*) Quidam ita: *Et secundum cunctam manum robustam, & omnem terrorem magnum, quem fecit Moses in oculis totius Israelis.* Alii: *Tum omnibus operibus manus fortis, & omnibus operibus terroris maximi*, id est terribilibus maximis, *quæ fecit Moses ante oculos totius Israelis.*

Hebræi fere omnes, & plerique Nostrorum persuasum habent, hoc totum ultimum caput non scriptum a Mose: nec enim est verisimile eum suam mortem & laudes descripsisse: sed a Iosue, vel ab Esdra adiectum. Sed cum divino & prophetico scriberet Moses spiritu, non dubitamus & hoc quoque integrum caput conscripsisse.

Valentiæ 26. Septembris 1622. ætatis meæ LVII. cum tamen opus 20. ferme dierum spatio intermissum fuerit.

## MENOCHII.

*Vers.* 1. DE CAMPESTRIBUS MOAB: in quibus hactenus Israelitarum castra trans Iordanem stationem habuerunt. SUPER MONTEM NEBO, IN VERTICEM PHASGA. Nebo mons altissimus montium Abarim. Phasga vertex sublissimus montis Nebo. Eo ascendit, quia inde late patebat prospectus promissæ terræ. TERRAM GALAAD. Late capitur terra Galaad pro tota ea terra quam Rubenitæ, Gaditæ, Manassitæ possederunt trans Iordanem. USQUE DAN, usque ad eam urbem quæ postmodum a Danitis possessa, dicta fuit Dan, cum antea *Lesem*, vel *Lais* diceretur. Vide superiori cap. num. 22.

*V.* 2. ET UNIVERSUM NEPHTHALI: quæ scilicet Nephthalitis attribuenda erat. Idem intellige de aliis tribubus Ephraim, Manasse, Iuda, &c. MARE NOVISSIMUM: mare mediterraneum ad occidentem.

*V.* 3. ET AUSTRALEM PARTEM: quam tribus Iuda, & Simeon terminabant. LATITUDINEM CAMPI IERICHO. Hæc cum sua longissimi campi planitie, in tribu Beniamin extitit. CIVITATIS PAL-

PALMARUM: Iericho, quæ sic alibi appellatur Iud. x. 16. & III. 13. & II. Paral. XXVIII. 15. Ita dicta a multitudine palmarum. USQUE SEGOR: iuxta Asphaltiten lacum, in quam se recepit Lot Gens. XIX.

℣. 5. MORTUUSQUE EST IBI MOYSES. Ultimum hoc caput Deuteronomii, aut saltem mortem Mosis, alii ab Esdra, alii, quod verisimilius, a Iosue scriptam existimant.

℣. 6. ET SEPELIVIT EUM, Dominus Angelorum ministerio. CONTRA PHOGOR, e regione eius loci in quo Phogor idolum colebatur. ET NON COGNOVIT HOMO SEPULCRUM EIUS USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Id propterea factum a Deo, ne Israelitæ ad idololatriam propensi, eum pro Deo colerent.

℣. 8. FLEVERUNTQUE EUM, &c. iusta funebria illi persolverunt.

℣. 9. REPLETUS EST; id est, repletus fuerat: factum enim hoc est aliquanto ante mortem Mosis. POSUIT SUPER EUM MANUS, id est posuerat.

℣. 10. SICUT MOYSES; hoc est, similis Mosi, scilicet quo ad ea quæ sequuntur. QUEM NOSSET DOMINUS FACIE AD FACIEM; hoc est, cum quo Deus ita familiariter ageret, & colloqueretur.

℣. 11. QUAE MISIT PER EUM UT FACERET IN TERRA AEGYPTI; hoc est, cui Deus concessit tot signa, & prodigia facere, propter quæ facienda, miserat eum.

## TIRINI.

*Vers.* 3. CIVITATIS PALMARUM. Sic passim in Scripturis *a* Iericho vocatur, quod palmis abundaret, teste Iosepho *b*.

*Vers.* 5. MORTUUSQUE EST IBI MOYSES. Prima die mensis duodecimi, inquit Iosephus *c*, vel septima die, ut in Seder-Olam *d* notatur. Atque ex his verbis constat, Moysen non servari etiamnum in vivis, ut cum Enoch, & Elia prodeat contra Antichristum, uti sensit Ambrosius, Catarinus, Arboreus, & alii citati a Suarez III. p. qu. XLV. art. 5.

Petes: Cur ergo sepulcrum eius huc usque incognitum? cur neminem morti illius adesse voluit Deus? Respondeo, ne Israelitæ ad idololatriam procliviores, virum tam admirabilem ac prope divinum pro Deo haberent, illiusque cadaver pro numine colerent. Et hæc erat etiam altercatio Michaelis Archangeli cum diabolo de Moysis corpore, cuius meminit S. Iudas vers. 9. suæ Epistolæ: nempe volebat diabolus ut Moysis sepulcrum innotesceret Israelitis, atque ita in idololatriam pellicerentur; Michael vero, ne quid tale contingeret, voluit occultum servari.

IN TERRA MOAB. Quomodo mortuus, & sepultus est Moyses in terra Moab, cum Moabitarum regionem non occuparint Israelitæ; Deo id vetante Deuter. II. vers. 9. Respondeo: Vetuit Israelitas Deus eam Moabitarum regionem occupare quam tum temporis illi pacifice incolebant. Sed non vetuit, immo iussit, occupari eam ex qua fuerant iam pridem ab Amorrhæis eiecti; quæ tamen passim antiquo adhuc nomine etiam in Scriptura *Terra Moab* vocatur: & in hac erat mons Nebo altissimus montium Abarim, in cuius vertice omnium sublimissimo Phasga mortuus & sepultus est Moyses, Num. XXI. & XXVII.

℣. 6. ET SEPELIVIT EUM. Quis? cum nullus hominum præsens adesset. Respondeo, Deus ope Angelorum, ut habent Septuaginta secundum explicationem Philonis, & Epiphanii *e*. Idque ob causas iam dictas, quia alias innotuisset locus sepulcri; cum tamen hic dicatur: NON COGNOVIT HOMO SEPULCRUM EIUS USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Ex quibus etiam verbis patet, hæc non a Moyse, sed ab alio quopiam huic Libro inserta fuisse, & verisimilius a Iosue successore illius, & rerum post mortem eius gestarum accurato scriptore, ut patebit ex libro sequenti. Quin immo totum hoc caput, & plura quoque alia loca ab eodem Iosue hinc inde in Pentateucho, maxime ubi Moyses effuse laudatur, inserta fuisse, plurimorum est opinio, quod censeant, virum tam modestum in laudes proprias numquam tam ample excursurum.

(*a*) Indic. I. vers. 16. & cap. III. vers. 13. & II. Paralip. XXVIII. vers. 15.
(*b*) Ioseph Lib. IV. Antiq. cap. V. & Lib. V. Belli cap. IV.
(*c*) Ioseph Lib. IV. Antiq. cap. ult.
(*d*) Chron. cap. IX. in fine.
(*e*) Philo Lib. III. de Vita Moysis. Epiph. hæresi IX

GOR-

## GORDONI.

*Verſ.* 1. HUnc montem deſcripſi Num. cap. XXVII. De Phaſga vide Num. cap. XXI. verſ. 20. *Mare noviſſimum* eſt occidentale, ſeu mediterraneum.

*V.* 2. ET UNIVERSAM, &c. An ope aliqua ſupernaturali adfuerit Deus Moſi, ut has terras diſtinctè intueretur, textus non explicat. Coniecturas omitto.


*V.* 3. PALMIS ABUNDABAT IERICHO: & hinc dicta eſt *palmarum urbs*, Iudic. cap. I. verſ. 16. Vide Ioſephum Lib. IV. Antiq. cap. V.

*V.* 5. MORTUUSQUE EST MOYSES. Vide mortem hanc deſcriptam apud Ioſephum Lib. IV. Antiq. cap. ult. Colligunt recte Interpretes obitum Moſis incidiſſe in diem tertium, vel quartum menſis Adar, qui eſt nobis Februarius, & Hebræis duodecimus. Conſtat ratio numeri. Nam luxit populus Moſen diebus triginta, ut hic dicitur verſ. 8. poſtea triduum conſumptum eſt in reditu exploratorum, & aliud triduum in mora ad Iordanem. Ergo ab hac morte ad tranſitum ſunt dies triginta ſex: hic enim tranſitus incidit in diem decimum menſis primi, inſequentis poſt mortem, ex Ioſue IV. verſ. 19. Ergo regrediendo obiit Moſes die quarto menſis ultimi, quem vocavi Adar: inde vero ſuperſunt dies viginti ſex ad primum menſem. Adde dies decem primi menſis, erunt a morte ad tranſitum dies triginta ſex. Tamen Martyrologium conſignat mortem Moſis ad menſem Septembrem. Sed neque hoc cohæret cum dicta ratione temporis, quamvis recurrat aliquis ad duplicem annum ſacrum, & popularem, de quo dixi alibi. De exactis eam annis quadraginta ab Exodo, vide Num. XIV. verſ. 33.

*V.* 6. ET SEPELIVIT EUM, ſcilicet Dominus miniſterio Angelorum. Septuag. *ſepelierunt*, ſcilicet Angeli. Mons Phaſga eſt in terra Moabitarum contra Phegor, in parte verſus fanum idoli Moabitarum. Ceterum non ſe ſcripſit mortuum Moſes, ut aliqui putarunt; ſed certius eſt, totum hoc caput ſcriptum eſſe a Ioſue, ut ait Abulenſis, qui tamen excipit quatuor primos verſus. Nec eſt recipienda opinio quæ aſſerit, Moſen non eſſe mortuum, ſed translatum: reſurrexiſſe tamen cum Chriſto, non eſt improbabile. Sepultus recte putatur miniſterio Angelorum: fruſtra renitente diabolo, ex Epiſt. Iudæ. Vide Ioſue I. verſ. 1.

*V.* 8. FLEVERUNT, id eſt obſequio funebri, non lacrymis, ex Hieronymo Epiſt. XXV.

*V.* 10. Moſes ceteros prophetas portentis ſuperavit, & ſingulari familiaritate cum Deo.



FINIS TOMI TERTII.

